
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
S
44 - E
14

[illegible]

THESAVRVS ANIMÆ

EX MORALI THEOLOGIA

ad sensum Diui Thomæ Aquinatis explicata collectus.

AVCTORE

F. FRANCISCO GHETIO DE COMO

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE


Almi Ordinis Prædicatorum.

In hoc Opere Theologia moralis omniscij Diui Thomæ Aquinatis, Diuinæ voluntatis interpretis in formam redigitur scholasticam, dilucidatur, ab obiectis recentiorum omnium vindicatur, & quòd sit fons omnium Summistarum, manifestatur.



MEDIOLANI,

Apud Dionysium Gariboldum. M. DC. XXXIX.



REVERENDISSIMO PATRI

F. NICOLAO RODVLFIO

Totius Ordinis Prædicatorum Generali Magistro, & Domino colendissimo,

F. FRANCISCVS GHETIVS
Nouocomensis Sacræ Theologiæ Magister
D. D. D.



THESAVRVM ANIMÆ tibi Reuerendissime Præsul offero, qui tot animarum Deo consecratarum curam geris. thesaurum moralem tibi tribuo, in quo thesauri tot Virtutum tàm intellectualium, quàm moralium reconduntur. thesaurum tibi do tanquam totius Religionis Dominicanæ, quæ brachium dexterum Ecclesiæ Dei à Paulo Quinto vocabatur, capiti, velut tributum in subiectionis signum. thesaurum animæ tibi tribuo tanquam amplissimo Præsuli tantæ Religionis, quo animæ tibi creditæ ditentur, Virtutibus proficiant, quo mores suos componant, iustitiam sectentur, prudentiam ament, scioli erudiantur, docti doctiores euadant, in moralibus cuncti instruantur, quo Iudices iustitiam exerceant, Prælati familiam suam regant, gregem suum pascant, quo Prædicatores in suggestis contra vitia latrent, ac proclament, quo cuncti Religiosi ad perfectionem tendant, Deum colant, proximum diligant, quo Thomistæ suum defendant præceptorem, ac Principem, quo obiectis recentiorum respondeant. ad id præstandum plura alia suaserunt, Generis tui nobilitas, morum ingenuitas, animi magnitudo, status celsitudo, eximia sapientia, præclara scientia, eloquentia rara, prudentia maxima, vitæ integritas, benignitas innata, dignitas excelsa, quæ à Deo optimo Maximo cum magno tui decore, ac Religionis nostræ clarissimo splendore donatus es, quibus in Vrbe, ac in orbe velut Sol emicas, ac refulges. his accedunt tot beneficia in me collata, in quorum compensa-

tio-

tionem, quæcunque sit illa, thesauri mei opus secundum immortalitati nominis tui consecro. profectò munificentia, ac magnificentia, & generositas tua ita in omnes, & in me præcipuè effusa est, vt te animum Principis à Deo optimo maximo donatum omnes vno ore prædicent. hæc te amabilem omnibus præbet, sicut cæteræ tuæ Virtutes te admirabilem vniuerso orbi exhibent. ingens tuarum Virtutum cumulus ita te ad honorifica Religionis munia extulit, vt tandem ad supremum illius regimen euexerit & dignũ eminentiori dignitate, immò eminentissima te prædicet. Fælix Religio, quæ tanto potiris capite, tam fælice gaudes Præsule, tam generoso frueris Mecænate. fælix volumen meum tam glorioso insignitum nomine, tam celebri decoratum viro, tàm tuto munitum præsidio. ante omnium oculos peruola, nec inuidorum, ac sciolorum pertimescas censuram, cum tanto innitaris Patrono, qui censor est æquissimus. lucubrationes ergo meas Reuerendissime Pater ne despicias, sed læto vultu aspicias, eas offerentem foue, ac protege, & sicut arcana Theologiæ selectiora de Deo, de Verbo Incarnato, de Sacramentis, de statu separatorum tibi annis elapsis à me dicata non despexisti, sed aspexisti, attentè legisti, ac tibi grata fuisse demonstrasti, sic studia hæc mea tibi consecrata, ac oblata ne despicias, sed serena fronte aspicias, & offerentem ne despicias, sed foueas, ac protegas; ea legito, ac meditare, sicq; illa haud ingrata tibi fore spero, & illorum Auctorem laudaturum te esse, non dubito. Vale diu fęlix, iterum vale, ac huius humillimi subditi tui memor esto. Dat. Comi die prima Ianuarij M.DC.XXXIX.

F. FRANCISCI GHETII DE COMO

Sacræ Theologiæ Magiſtri Ordinis Prædicatorum



THESAVRVS ANIMÆ.

CONFESSOR.

1 *Quas qualitates debeat habere confeſſor.*
2 *Confeſſor debet ſcire diſcernere inter peccatum, & peccatum, & peccatum mortale, & veniale.*
Si in aliquo peccato eſt difficultas, recurrat confeſſor ad ſapientiores.
§ *Condiciones confeſſarij reducuntur ad quinque communiter poſites.*
Explicantur quinque condiciones confeſſarij, vbi varia ſcitu digna notantur.

Quæritur qualis debeat eſſe confeſſor.

1 RESpōdeo dicendū, quod ſit cōfeſſor charitatiuus, & humilis, diſcretus, & intelligēs ſic quod poſſit ad ipſum cōfidenter recurrere, & ſciat ſibi remediū adhibere, aliter autem ſi cæcus, cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. opuſculo 64. cap. 27.

Confeſſarium debere eſſe charitatiuum, humilem, diſcretum, & intelligentem ſic, quod poſſit ad ipſum confidentur recurrere pænitens, & ſciat illi remedium adhibere, docet D. Thomas in hoc quæſito, aliter ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.

Debet Confeſſarius, ideſt confeſſionis Sacramentalis auditor eſſe charitatiuus, & humilis, vt pænitens poſſit ad ipſum confidenter recurrere, Charitas enim, & humilitas attrahunt homines, ſicut ſuperbia arcet eos: debet etiā eſſe diſcretus, & intelligens, vt ſciat pænitenti remedium adhibere, ſi enim ſit ignorans, quod remedium adhibere poteſt? verum de hac ſcientia in ſequenti dicetur quæſito.

Quæritur quanta debeat eſſe ſcientia Confeſſoris.

2 Reſpondeo dicendum, quod ſcientia Confeſſoris tanta debet eſſe, vt ſciat diſtinguere inter peccatum, & non peccatum, & peccatum mortale, & veniale; & ſi in aliquo eſſet dubitatio poſſet ad diſcretiores recurrere. Ponuntur autem multæ aliæ conditiones, quæ ad Confeſſorem requiruntur, vt confitentes alliciat, quæ his verſibus cōtinentur.

Confeſſor dulcis, affabilis, atque ſuauis. Prudens, diſcretus, Mitis, Pius, atque Benignus. 4. ſent. d. 17. in expoſit. textus.

Triplici cōcluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. ſcientia Confeſſoris tanta debet eſſe, vt ſciat diſtinguere inter peccatum, & non peccatum, & peccatum mortale, & veniale. ſecunda concluſio. ſi in aliquo eſſet dubitatio, poſſet ad ſuperiores recurrere. tertia cōcluſio. ſunt multæ conditiones, quæ ad Confeſſorem requiruntur, vt confitentes alliciat, quæ ponuntur in littera.

Omnes conditiones Confeſſarij, quæ in hoc loco ponuntur à S. Doctore, reducuntur ad quinq; quæ communiter à Doctoribus recenſentur, quæ ſunt Poteſtas, ſcientia, prudentia, bonitas, ſigillum, ſub nomine enim prudentiæ comprehenduntur, quod ſit dulcis, affabilis, ſuauis, mitis, pius, atque benignus. nomine Poteſtatis intelligitur poteſtas ordinis, & iuriſdictionis, & iſtæ duæ poteſtates ſunt de eſſentia Sacramenti; ſigillum autem eſt de neceſſitate; ſcientia item requiritur, & prudentia, quia Confeſſarius eſt Iudex, & Medicus, vt Iudex indiget ſcientia ad inquirendum, & diſcernendum peccata, ſintne mortalia, an venialia, & eorum circonſtantias pro qualitate ſubditorum, quia vt bene obſeruat Dominicus Sotus 4. ſent. d. 18. q. 4. a. 4. qui operam dat eorum confeſſionibus audiendis, qui ſunt vel mercatores, vel alijs negotijs arduis implicati, maiori ſcientia pollere debent, quam qui curam habent popularium, aut ruſticorum. Confeſſarius item vt Medicus indiget prudentia, vt remedium opportunum, & congruum adhibere poſſit iuxta perſonarum, locorum, & temporum qualitates: requiritur etiam bonitas, & hanc ſuper omnia deſiderat Dominicus Sotus in Confeſſario, ſicut & Dei zelum, vt exageratè pænitentem admonitum curet, quanti referat vitam ſecundum Diuinā voluntatem emendare. Nunc ad explicationem primæ conditionis redeamus; requiritur ergo Poteſtas, nempe ordinis, & Iuriſdictionis, vnde ſolus Sacerdos, & habens iuriſdictionem poteſt pænitentium audire confeſſiones de mortalibus, quod dixerim, quia confeſſionem de venialibus quilibet ſimplex Sacerdos poteſt audire, cum remiſſio venialium ſequatur poteſtatem ordinis, vt docet S. Thomas 4. ſent. d. 18. q. 2. a. 3. quæſtiuncula 1. ad 3. vnde confeſſio facta non Sacerdoti non eſt valida, ſicut non eſt valida, ſi fiat Sacer-

doti, sed iurisdictionem non habenti, & per hoc potestas vtraque dicitur de essentia Sacramenti. Secunda conditio requisita in Cōfessario est sciētia, de qua dicitur in ca. omnis vtriusque sexus. de pænit. & remis. sit discretus, & cautus, vt more periti medici super infundat vinum, & oleum vulneribus sauciato, diligenter inquirens & peccatoris, & peccati circonstantias, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad saluandum ægrotum: ea etiam requiritur scientia, qua possit impænitentem emollire, desperatum erigere, pusillanimem, confortare; hoc idem dicimus ex cap. 1. parag. quibus cognitis. de pæn. d. 6. quænam autem scientia requiratur in specie, diuersi diuersa dicunt. Sairus de Pænit. cap. 28. ait, quod Confessarius debet scire totam Theologiam moralē, Ius canonicum, Ius ciuile, constitutiones Sinodales, leges ciuiles particulares illius Prouinciæ, vel Diocesis, inqua confessiones audit: quod debeat pollere scientia canonum, patet ex d. 23. c. qui Episcopus, & d. 38. cap. quæ ipsis. sed iste vir describit Confessarium absolutum, quorum numerus semper meo iudicio fuit exiguus. Toletus lib. 3. cap. 15. asserit, quod Confessarius tenetur scire, quænam sint peccata mortalia, & quæ venialia, saltem ex suo genere; circunstantias peccatorum necessarius, casus, & excommunicationes, à quibus non potest absoluere, peccata, quæ excommunicationem habent annexam; peccata, quæ sunt annexa restitutioni, aut famæ, aut pecuniæ, aut damni illati; qui contractus sint liciti, qui illiciti, vsurarij, simoniaci, aut iniusti; quæ impedimenta sint absolutioni dandæ, quibus casibus confessiones præcedentes sint repetendæ. Dominicus Sotus. 4. sent. d. 18. q. 4. a. 3. ait, quod Sacerdos ea debet pollere scientia, qua possit inquirere, & discernere peccata, an sint mortalia, an venialia, & eorum circonstantias pro qualitate subditorum. Caietanus in summula verb. cōfessori necessaria docet, Confessarium debere habere scientiam inquisitiuam de circonstātijs peccatoris, & peccati, & scientiam medicatiuam animæ ægrotæ; & inquit, quod prima scientia est necessaria simpliciter Confessario ad cognoscendum, & iudicandum, cum hoc sit officium Confessarij, qui Iudex est in foro Pænitentiali. S. Thomas hoc in loco ait, quod scientia Confessarij debet esse tanta, vt sciat distinguere inter peccatū, & non peccatum, & peccatum mortale, & veniale; & si in aliquo est dubitatio, possit ad discretiores recurrere; quod est dicere, quod Sacerdos ea pollere debet scientia, vt sciat iudicare, hoc est peccatū, illud non est peccatum, hoc est mortale, illud veniale, & de singulis sciat dubitare, & in dubijs recurrere ad peritiores: non tenetur tamen semper, vt docet Siluester verb. Confessor. 3 q. nona. audito quolibet peccato iudicare, vtrū sit mortale, quia vix reperiretur in toto mundo vnus Confessarius idoneus, sed sufficit, si iudicet de his, quæ scire tenetur, de alijs autem difficilibus potest suspendere iudicium, modò opportunum remedium apponat, ne iterentur, si dubitat, ea esse mortalia. debet ergo scire, vtrum hoc sit peccatum, an non, puta an contractus sit licitus, an illicitus &c. an peccatum sit mortale, an veniale; circonstantias item peccatorum, quas tenetur confiteri pænitens, quia vel constituunt nouam speciem peccati mortalis, vel de mortali faciunt veniale: vel tantam scientiam debet habere, quod de singulis sciat dubitare, vt etiam obseruat Caietanus, Dominicus Sotus locis citatis, & Toletus lib. 3. cap. 15. n. 2. & in dubijs peritiores consulere: dubitare in quam de singulis, an peccatum habeat annexam excommunicationē, an non; an habeat annexam irregularitatem, an non; an casus sit reseruatus, an non; an sit obnoxium restitutioni famæ, rerum, an non; vtrum iteranda sit confessio, an non; vtrum hoc sit peccatum mortale, an non &c. hæc scientia est sufficiens in Confessario, nec est necessaria scientia illa eminens, quam descripsit Sairus, ratio id suadet, quia vnusquisque nosse debet, id quod illi etiam necessarium est ad suum officium rectè exequendum. c. non est sine culpa, de reg. Iuris. lib. 6. sed hæc sciētia sufficit, ergo &c. hoc tamen obseruandum est, quod scientia Confessarij regulanda est iuxta qualitatem subditorum, & pænitentium, vt loco citato inquiebat Sotus, vnde qui confessiones audit in villis, & pagis, non tenetur tanta fulgere scientia, quanta, qui in Ciuitatibus audit confessiones; nec qui audit in Ciuitate mediterranea, tanta, quanta qui in Ciuitate maritima, vt inquit Nauarus in manuali cap. 4. n. 4. nec qui in maritima, tanta, quanta qui in Regno; nec qui audit confessiones simplicium, tanta, quanta qui audit confessiones mercatorum, negotiatorum, Iudicū &c. nec qui audit in loco, vbi sunt multi viri docti, & litterati, quos possit consulere, tanta, quāta, vbi nullus est talis. excusari poterit tamen Cōfessarius imperitus in tribus casibus, vt inquit D. Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 16. à quo non citato desumpsit, quæ docet Toletus lib. 3. cap. 15. n. 4. quorum primus est, quando pænitens est sibi ipsi sufficiens ad suorum criminum grauitatem confessario exponendam, & reputatur habere rectam conscientiam: si autem deficiat scientia in vtroque, scilicet in Confessario, & pænitente, confessio nulla est. hinc discant homunciones quidā, & mulierculæ non percipientes ea, quæ sunt spiritus, non cursitare per angulos Ciuitatum, per villas, & vicos, vt inueniant Confessarios ignaros, non penetrantes eorum peccata, contractus non intelligentes, zelum non habentes, qui eos absorbeant, & non absoluant: contra hos exclamat D. Basilius in lib. de regulis, ne subijcias te omni homini pro peccato, inquit Salomon Ecclesiastici. 4. textus græcus habet, & legit D. Anselmus, ne subijcias te omni homini stulto pro peccato; stultus profectò est ille Confessarius, qui non sufficiētem habens scientiam ignorantium audit confessiones; stultus est ille homo, qui cum sit ignarus ignaro se subijcit Confessario pro peccato suo, ambo in foueam cadēt damnationis, cum nulla sit confessio, & vterq; peccet mortaliter. secundus

casus

casus est, quando confitentes sunt personæ spirituales crebro ad Confessionem accedentes, & subinde communiter nō alijs, quam peccatis venialibus tenentur. tertius est, quando pænitens est in articulo mortis, neque adest alius, qui possit eum audire præter illum, quibus addit Nauarrus in manuali cap. 4. nu. 4. quartum, nempe quando Confessarius est apud infideles, Saracenos, vel Gentiles, pænes quos sunt Christiani liberi, vel serui, vincti catenis, vel soluti, quibus non est copia Confessarij peritioris. arg. c. 1. parag. fin. ne sed. vacan. lib. 6. Toletus loco citato addit quintum, quando scilicet in illo loco sunt multi docti, quos confessarius consulere possit: obseruat tamen idem Toletus, istos duos vltimos casus præter mortis articulum non excusare confessarios ab aliqua mediocri scientia. concludamus ergo, quod quando pænitens ignarus confitetur peccata sua confessario ignaro absolutè, confessio nulla est, si fiat extra mortis articulum, si tamen pænitens cognoscit ipsum esse ignarum, quia si bona fide accederet ad confessarium ignarum putans esse scientem, confessio valida est, & absolutio tenet supponendo quod in hoc casu concurrant omnia necessaria ad absolutionem, quia bona fides excusat ipsum corā Deo, licet non excuset Sacerdotem iniustè absoluentem, & consequenter confessarius peccat mortaliter, vt docet Caietanus loco citato, sine enim sufficienti scientia actum Iudicij, & officiū Iudicis exercere præsumpsit. Circa prudentiā, qua fulgere debet Confessarius, obserua, quod debet esse prudens in vocabulis, inquit idē Caietanus in summula verb. Confessori necessaria; circa media quibus inducere debet pænitentem ad pænitentiam; & in modo tractandi cum ipso; & circa satisfactionem: vtatur, inquam, prudentia circa vocabula, vt scilicet in interrogationibus faciendis circa turpia, & prouocantia ad libidinem vtatur vocabulis honestis; circa media autem, quibus debet pænitentem inducere ad pænitentiam, quæ in duobus consistit, scilicet in dolore de peccato præterito, & in proposito cauendi de futuro, vtatur ita prudentia respectu primi, vt proponat pænitenti Maiestatem Diuinam, quam offendit, illius ingentia beneficia, puta creationis, conseruationis, gubernationis, redemptionis, explicet, vt ex erubescentia ingratitudinis prouocetur ad dolendū de præteritis culpis; ratione secundi præscindat causas, occasiones proximas peccatorum, puta malam societatem, frequentationem loci &c. remedia adhibeat opportuna; sit etiam prudens in tractando cum pænitente, sit secum benignus, dulcis, affabilis, suauis, pius, vt sua benignitate retrahat peccatorem à malignitate, sua dulcedine amaritudinem peccati pænitens gustet, sua affabilitate attrahat peccatorem à Deo longè distantem, suauitate sua asperitatem pænitentiæ dulceat, sua pietate impietatem impius agnoscat. sit benignus in arguendo, dulcis admonēdo, affabilis alloquendo, suauis corrigendo, pius interrogando, ne ob nimis curiosas interrogationes pænitens addiscat, quæ non nouit sed his vtatur interrogationibus, quibus vti suadet pietas, exigit prudentia, requirit scientia, postulat ratio, vult modestia: vtatur prudentia etiā in satisfactione imponenda, vt commensurata sit pænitenti magis, quam peccatis, inquit Caietanus, medicinam opportunam ita adhibeat, vt pro diuersis morbis spiritualibus diuersa etiā medicamenta assumantur; Iuuenibus inpudicitiæ peccatis irretitis ieiunia imponantur, quia sine Cerere, & Bacco frigescit Venus; Auaro eleemosinæ iniungantur; Accidiosi ad orationes, ad opera misericordiæ, tam spiritualia, quam corporalia obligentur, sollicitentur; ità Confessarius in satisfactione imponanda se gerat, vt pænitens consolatus abscedat. Bonitas etiam requiritur ad bene esse in Confessario, vt scilicet sit sine peccato mortali, sancta enim sanctè sunt tractanda, qui enim in peccato mortali administrat Sacramentum Pænitentiæ, incurrit crimen sacrilegij, & quantum in se est, polluit Sacramētum sua iniquitate; vnde confessarius, antequā accedat ad audiendam Confessionem, probet se ipsum, conteratur, non est enim æquum, vt qui purgare alios à peccatis satagit per Pænitentiæ Sacramētum, ipse inquinatus existat; hanc probitatem super omnia cupiebat Sotus in Confessario, & iure merito, cum ex ea procedat zelus animæ pænitentis, cum per eam omnia eueniāt prospere, & officium boni confessarij nimis Deo est acceptum, inquit Toletus. Vltimum confessario necessarium est sigillum cōfessionis, idest debitum efficax secretam tenendi confessionem auditam, ait Caietanus, idest obligationem occultandi ea, quæ in Confessione cognita sunt, ait Toletus; & dicitur ista obligatio sigillum metaphoricè, sicut enim sigillum prohibet ea, quæ sub ipso sunt, manifestari, ita obligatio, quam habet Sacerdos cælandi ea, quæ in Confessione audiuit, sigillum dicitur; tanta autem est obligatio sigilli Confessionis Sacramentalis, inquit Toletus, vt nulla prorsus causa, neque etiam propter saluandam vitam propriam, nec propter salutem totius Reipublicæ possit Confessarius peccatum Pænitentis reuelare extra Confessionem, nec etiam in alia Confessione, vnde si Sacerdos non posset aliquod suum peccatum confiteri nisi cū manifestatione peccati alterius personæ, qđ in alia audiuit confessione, ita ut Confessarius ille veniat in cognitionem personæ, huiusmodi peccatum debet subticere, donec possit alteri confiteri, qui personam ignoret: & licet sub sigillo non cadant nisi peccata mortalia, & venialia, item peccatorum circonstantias, & quæ spectant ad famam Pænitentis, vt supra diximus, attamen tutius est nihil loqui de auditis in Confessione, os obstruere, os sigillare sigillo perpetuo.

Ex hoc loco tanquam ex forte hauserunt, quæ docent Suarez to. 4. d. 16. & 28. sect. 2. Reginaldus lib. 1. nu. 139. & ibi. & lib. 2. num. 23. Henriquez lib. 6. cap. 26. & alij.

Quaritur an Confessor peccet dans minorem pœnitentiam pœnitenti, quam par sit.

Respondeo dicendum sicut verbo, satisfactio. cap. 2. q.3.

Confirmatio.

Cap. I.

1 *Duæ opiniones circa institutionem sacramenti confirmationis confutantur.*
Christus instituit sacramentum confirmationis nō exhibendo, sed promittendo.
2 *Confirmatio est linitio Chrismatis sub forma præscripta verborum.*
Benedictio Chrismatis non est forma confirmationis.
3 *Chrisma est materia confirmationis.*
Chrisma conficitur ex oleo, & balsamo.
§ *Balsamum non est de necessitate sacramenti.*
Peccaret tamen mortaliter, qui balsamo non vteretur in hoc sacramento, & quare.
4 *Oleum debet esse oliuarum.*
§ *Oleum oliuarum est simpliciter oleum.*
5 *Quæ sit forma confirmationis.*
In sacramento confirmationis datur Spiritus Sanctus.
Tria sunt necessaria in confirmatione.
§ *In Concilio Florentino sub Eugenio quarto fuit explicata forma Confirmationis.*
Chrismatio necessario debet fieri in forma Crucis, & quare.
Expressio Sanctæ Crucis est de essentia Confirmationis.
6 *Ritus obseruati in hoc sacramento sunt conuenientes.*
§ *Qui dicantur ritus.*
Duplici de causa datur alapa in confirmatione.
7 *Confirmatio non potest iterari.*
§ *Iterans confirmationem non est irregularis.*
8 *Confirmatio non requirit locum sanctificatum.*
9 *Idem tempus est præfixum baptismo solemniter celebrando, & confirmationi.*
Confirmatio quantum ad communem vsum oportuit in aliud tempus differri.
§ *Tempore interdicti potest conferri Confirmatio.*
10 *Post confirmationem ligatur frons Chrismati.*
Non debet Chrismatus lauare caput per septem dies.
11 *Debet dari Patrinus confirmato.*
§ *Tenens ad Confirmationem potest esse uir, vel fœmina, qui tamen non est de essentia.*
Qui fuit susceptor in Baptismo, potest etiam esse susceptor in confirmatione.
Omnes possunt esse Patrini, non tamen vir vxoris, nec fratres, vel sorores inter se.
Potest esse vnus, vel duo.
Isti contrahunt affinitatem cum confirmato, non autem inter se.
Inter quas personas contrahatur cognatio per hoc sacramentum, explicatur.

Quaritur quisnam instituerit sacramentum confirmationis.

1 Respondeo dicendum, quòd circa institutionem sacramenti confirmationis est triplex opinio, quidam enim dixerunt, quòd hoc sacramentum non fuit institutum nec à Christo, nec ab Apostolis, sed postea processu temporis in quodā Concilio; alij verò dixerunt, quòd fuit institutum ab Apostolis. sed hoc non potest esse, quia instituere nouum sacramentum pertinet ad potestatem Excellentiæ, quæ competit soli Christo, & ideo dicendum est, quòd Christus instituit hoc sacramentum non exhibendo, sed promittendo secundum illud Ioannis 16. si non abiero paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eū ad vos: & hoc ideo quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi resurrectionem, & ascensionem secundum illud Ioannis 7. nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. 3. p. quæst. 72. artic. pri. ad 1. (4. senten. distinct. 7. quæst. 1. artic. pri. quæstiunc. 1. ad pri.

Adductis, & confutatis duabus opinionibus respondet D. Thomas quæsito vnica conclusione. opinio erat dicentium Confirmationis sacramentum esse institutum non à Christo, nec ab Apostolis, sed à quodam Concilio. alij dicebāt, fuisse institutum ab Apostolis. confutantur hæ opininnes hac ratione, quod instituere nouum sacramentum pertinet ad potestatem Excellentiæ, quæ soli Christo competit. conclusio est. Christus instituit sacramentum confirmationis non exhibendo, sed promittendo. probatur quo ad primam partem, quia solus Christus, qui habuit potestatem excellentiæ, potest nouum instituere sacramentum. quo ad secundam probatur ex Ioannis 16. vt in littera, in hoc si quidem sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem, vt patet ex Ioannis. 7. vt in littera.

Pro explicatione huius doctrinæ obserua, qđ primam opinionem amplexatus est Alexander Alensis 4. p. q. 24. memb. 1. iste etiā dicebat, hoc sacramentum institutum fuisse à Concilio Meldensi, quod Concilium refertur de consecrat. d. 5. can. vt Episcopi. alij dicebant à Concilio Aurelianensi. hæc opinio, sicut & secunda efficacissime confutatur à D. Thoma tali ratione, instituere nouum sacramentum ad potestatem excellentiæ spectat, quæ in solo Christo fuit, & hanc nō communicauit Apostolis, & multo minus alijs, ergo solus Christus, & non Apostoli, & multo minus Concilium potuit hoc Confirmationis institue-

instituere sacramentum. Quando autem institutum fuerit, diuersi diuersa dicunt, & debeo singulorum afferre opiniones. aliqui ergo dicebāt Confirmationis sacramentum à Christo institutum esse Mathei 19. vbi manus super pueros ponebat, sed hoc stare non potest, quia sacramentum Confirmationis solis baptizatis datur, sed illa manus impositio potius fuit Confirmationis insinuatio, vt verè ait Dominicus Sotus. 4. sent. d. 7. q. vnica. a. 1. à quo postea Henriquez desumpsit, quæ docet lib. 3 cap. 1. Alij dicebant, Christum confirmasse Apostolos Ioannis 20. vbi insufflando dedit eis Spiritum Sanctum. Sed nec hoc potest stare, quia tunc datus fuit Spiritus Sanctus ad remittendum peccata; vlterius Apostoli non fuerunt confirmati nisi in die Pentecostes descensu Spiritus Sancti. Alij dicebant institutam fuisse Confirmationem in die Cænæ Domini quoad materiam, & formam. Sed hoc etiam non est verum, in die enim Cænæ solum instituit materiā Confirmationis, nempe Chrisma, vt habemus in Epistola Fabiani Papę ad omnes orientales Episcopos, quæ refertur de consecrat. d. 3. can. litteris. vbi ait, quod in cæna, vbi Christus eandem promissionem fecit, Chrisma conficere docuit, in cuius signum in die cænæ Episcopi singulis annis conficiunt Chrisma ad immitationem Christi, vnde possumus dicere, Sacramentum Confirmationis fuisse institutum à Christo in die Cænæ inchoatiuè, quoad materiam scilicet. dicendum est ergo cū Angelico Doctore, Christum instituisse hoc Confirmationis Sacramentum non exhibendo, sed promittēdo, scilicet plenitudinem Spiritus Sancti, quæ per Confirmationem confertur iuxta illud, si nō abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos. legatur D. Thomas 4. sent. d. 7. q. 1. a. 1. quæstiuncula. 1. ad 1. legatur Dominicus Sotus. 4. sent. distinct. 7. q. vnica. a. 1. ad 1.

Quaritur quid sit sacramentum confirmationis.

2 Respondeo dicēdum, quòd quidam dicunt ipsum Chrisma esse sacramentum, sed hoc falsum apparet in hoc, qđ vsus Chrismatis in pluribus est, quam sacramentum confirmationis, sicut patet in baptizato, qui Chrismate in fronte linitur, & de Pontifice, cuius caput Chrismate tangitur. & ideo dicendum, quòd sacramentum confirmationis non est ipsum Chrisma, sed linitio Chrismatis sub forma præscripta verborum. illa autem benedictio vocalis Chrismatis non est forma sacramenti, sed magis quędam benedictio sacramentalis, sicut benedictio, aquæ, vel Altaris. 4. sent. d. 7. q. prima, a. 2. quæstiunc. 3. ad 2. (art. 1. quæstiunc. 1. ad 2.

Adducta, & confutata vna opinione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione. opinio erat dicentium, ipsum Chrisma esse sacramentum. confutatur, quia vsus Chrismatis in pluribus est, quod sacramentum confirmationis, vt patet in baptizato, & Episcopo. conconclusio prima est. sacramentum confirmationis non est ipsum Chrismā, sed est linitio Chrismatis sub forma præscripta verborum. secunda conclusio. Benedictio vocalis Chrismatis nō est forma sacramenti, sed magis, quædam benedictio sacramentalis, sicut benedictio aquæ, & Altaris.

Pro conclusionis primæ explicatione obserua, quod sicut in Baptismo datur duplex materia, nempe remota, quæ est aqua, & proxima, quæ est ablutio, & sacramentum Baptismi fit illa ablutio sub forma præscripta verborum, ita in confirmatione materia illius remota erit Chrisma, proxima autem erit linitio, sacramentum autem confirmationis erit linitio sub præscripta forma verborum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Valentia tom. 4. disp. 5. q. 1. a. 2. Suarez disp. 33. sut. 3. Bellarminus de cōfirmatione cap. 8. Coninchus 3. p. q. 72. a. 2.

Quaritur quanam sit materia confirmationis.

3 Respondeo dicendum, quod Chrisma est conueniens materia huius sacramenti. sicut enim dictum est, in hoc sacramento datur plenitudo S. S. ad robur spirituale, quod competit perfectæ ætati, homo autē cum ad perfectam ætatem peruenerit, incipit iam communicare actiones suas ad alios, antea verò quasi singulariter sibi ipsi viuit, gratia vero Spiritus Sancti in oleo designatur, vnde Christus dicitur esse vnctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus Sancti, quam habuit, & ideo oleū competit materiæ huius sacramenti, admisceetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios. vnde Apostolus dicit secundæ Corinth. 2. Christi bonus odor sumus Deo &c. & licet multa alia sint odorifera, tamen præcipuè accipit balsamum propter hoc, quòd habet præcipuum odorem, & quia etiam incorruptionem præstat. vnde Eccles. 24 dicitur quasi balsamum non mixtum odor meus 3. p. q. 72. a. 2. in corp. (4. sent. d. 7. q. 1. a. 2. quæstiunc. 2. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, & tacitæ respondet abiectioni. conclusio est. Chrisma est conueniens materia sacramenti confirmationis. probatur, illa est conueniens materia confirmationis, quæ repræsentat plenitudinem Spiritus Sancti, quæ datur in confirmatione,

firmatione, sed Chrisma, quod conficitur ex oleo, & Balsamo, est huiusmodi, ergo &c. probatur minor, quia gratia Spiritus Sancti in oleo designatur, vndè Christus dicitur vnctus oleo lętitiæ propter plenitudinem Spiritus sancti, quã habuit. admiscetur etiam balsamum propter fragrantiam, odoris, quæ redundat ad alios, & per confirmationis sacramentum datur robur spirituale, & robur conuenit præfectæ ætati, & homo, cum ad præfectam ætatem peruenerit, incipit cõmunicare actiones suas ad alios. obiectio est. multa sunt alia odorifera, ergo &c. respondet, quod accipitur balsamum ratione præcipui odoris, & ratione incorruptionis, quam præstat.

Quid nominis, & quod rei Chrismatis supra expressimus in verb. Chrisma. Chrisma rectè repræsentare plenitudinem Spiritus sancti, ostendit D. Thomas in littera, cum enim componatur ex oleo, & balsamo, per oleum plenitudo Spiritus sancti designatur aptissimè, eo quod sua lubricitate, & pinguedinis exuberantia in alios diffluit; oleo admiscetur balsamum ratione fragrantiæ, quæ in alios redundat: & licet sint plura odorifera, attamen assumitur in hoc sacramento balsamum, quia secundum conciuem meum Plinium lib. 12. naturalis historiæ cap. 25. omnibus odoribus præfertur, sicut etiam assumitur ratione incorruptibilitatis, quam præstat, in cuius signum humana cadauera condiuntur balsamo. an autem balsamum sit de necessitate sacramenti, discrebant Doctores, nam Caietanus. 3. p. q. 72. docet, non esse de necessitate sacramenti, ita quod qui non apponeret balsamum oleo, peccaret quidem mortaliter, quia faceret contra præceptum Ecclesiæ, teneret tamen sacramentum. Caietanum sequitur Dominicus Sotus. 4. sent. d. 7. qu. vnica. a. 2. Nauarrus in manuali cap. 22. nu. 8. Victoria de confirmatione concl. 40. Philiarcus. 2. p. lib. 1. c. 11. Angles de confirmatione num. 22. & alij. Contrarium asserit Siluester verb. Confirmatio. q. 1. Toletus opinionem Caietani vocat probabilem, sed opinionem Siluestri dicit esse securiorem, & in eam flectit. Ego opinionem Caietani, Soti, Nauarri, & aliorum puto verissimam, eamq; libenter amplector, tùm propter auctoritatem tam celebriũ Doctorum, cum propter rationes Caietani, quas efficaces vocat Nauarrus loco citato. dico ergo duo circa hoc, quorum primum est. omnes asserunt balsamum esse de necessitate præcepti, vnde qui balsamum non admisceret oleo, peccaret mortaliter, vt pote faciens contra præceptum Ecclesiæ. secundum est. balsamum non est de essentia materiæ sacramenti confirmationis, ita quod qui simplici oleo oliuarum vteretur, verum conficeret sacramentum confirmationis, nam in c. Pastoralis. de sacramentis non iterandis, vbi quidam confirmauit solo oleo absque balsamo, consultus Papa Innocentius tertius dixit, quod nihil iterandum erat, sed cautè supplendũ, quod incautè fuerat omissum. si ergo non erat iterandum, ergo fuit ille verè confirmatus, ergo sufficit oleum absque balsamo ad conficiendum sacramentum confirmationis. huic rationi respõdet Toletus, quod tunc non fuit sacramentum, tamen cum appositum fuit balsamum, perfectum fuit, quod ante inperfectum fuit. sed hæc responsio nulla est, quia ex illa sequitur, quod perfectio sacramenti confirmationis esset ex balsami appositione, quod nullus diceret: vlterius quæro a Toleto, an ante appositionem balsami erat sacramentum, an non, si erat sacramentum, ergo perfectum sacramentum, quia non datur inperfectum incramentum quo ad substantiam, si enim non adest perfecta substantia, iam non est sacramentum, si non erat sacramentum, ergo erat iterandum, & tamen Papa docet, non esse iterandum, ergo supponit fuisse verum sacramentum prius; & quando subiunxit, caute esse supplendum, quod fuerat prætermissum, docuit Chrisma non fuisse de substantia, quod enim est de substãtia, non suppletur, quia tunc totum sacramentũ est iterandum. alias rationes lector legat in Caietano, & Soto locis citatis. contra tamen arguit Toletus, & alij ex Cõcilio Florentino, quod cum dixisset, materiam esse necessariam ad sacramenta, pro confirmatione ponit Chrisma ex oleo, & balsamo confectum. sed respondetur, quod balsamum dicitur materia confirmationis de necessitate præcepti. alij sic arguunt. forma sacramenti confirmationis redditur falsa absque balsamo, ergo &c. probatur antecedens, quia forma est, cofirmo te Chrismate salutis. respondetur, negando antecedens, nam iam diximus in verb. Chrisma, quod hoc nomen Chrisma de se non significat nisi vnguentum, vnde Sotus. 4. sent. d. 7. q. vnica ait, quod si quis vteretur his verbis, confirmo te vnguento salutis, verum esset sacramentum. secundo respondetur, quod illo nomine non significatur balsamum tanquam de necessitate sacramenti, sed tantum præcepti.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Corinchus. 3. p. q. 72. a. 2 Henriquez lib. 2. cap. 2. Philiarcus. 2. p. lib. 1. cap. 11. Pitigianus. distinct. 7. q. 1. a. 3. Toletus lib. 2. cap. 24. num. 2. Viualdus de confirmatione cap. 2. n. 1. & alij.

Quæritur quod oleum requiratur ad materiam confirmationis.

4 Respondeo dicendum, quòd proprietates olei, quibus significatur Spiritus Sanctus, magis inueniuntur in oleo oliuarum, quam in quocunq; alio oleo, vnde, & ipsa oliua semper frondibus virens virorem, & misericordiam Spiritus Sancti significat: hoc etiam oleum propiè dicitur oleum, & maximè habetur in vsu, vbi haberi potest, quilibet autem alius liquor ex similitudine huius oleum nominatur, nec est in vsu communi; nisi in supplementum apud eos, quibus deest oleum oliuarum, & ideo hoc

hoc oleum solum assumitur in vsum huius, & quorundam aliorum sacramentorũ 3. p. q. 72. art. 2. ad 3. (4. sent. d. 7. quæst. 1. art. 2. ad 4.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. solum oleum oliuarum assumitur in vsum huius, & quorumdam aliorum sacramentorum. probatur, quia proprietates olei, quibus significatur Spiritus sanctus, magis inueniuntur in oleo oliuarum, quam in quocunque alio oleo, oleum enim semper frondibus virens virorem, & Spiritus sancti misericordiam significat; hoc etiam oleum propriè dicitur oleum, & maximè est in vsu, vbi haberi potest, quilibet autem alius liquor ex similitudine huius oleum nominatur, nec est in vsu communi, sed est in supplementum apud eos, quibus deest oleum oliuarum.

Sicut in Baptismo requiritur simplex aqua, ita in confirmatione requiritur oleum oliuarum, quod est simplex, & purè, & simpliciter oleum, cæteri autem succi, puta nucum, amygdalorum, aut aliud simile non sunt oleum propriè, sed dicuntur oleum ex similitudine ad oleum oliuarũ; & sicut in Baptismo requiritur aqua, quæ est maximè in vsu, ita in confirmatione debet assumi oleum oliuarum, quod maximè est in vsu, & significat misericordiam Spiritus sancti, in cuius signum columba ramum virentis oliuæ detulit in arcam, quod indicium fuit cessantis iræ Dei, & aduenientis misericordiæ eius.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Doctores in præcedenti quæsito citati in locis citatis.

Quæritur quænam sit forma sacramenti confirmationis.

5 Respondeo dicendum, quod conueniẽs forma huius sacramenti est, consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. sicut enim forma rei naturalis dat ei speciem, ita forma sacramenti cõtinere debet quidquid pertinet ad speciem sacramenti, sicut autem ex supradictis patet, in hoc sacramento datur Spiritus Sanctus ad robur spiritualis pugnæ, & ideo in hoc sacramento tria sunt necessaria, quæ cõtinentur in forma prędicta, quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est Sancta Trinitas, quæ exprimitur cum dicitur in nomine Patris, &c. secundum est ipsum robur spirituale, quòd homini confertur per sacramẽtum materiæ visibilis ad salutem, quod quidem tangitur, cum dicitur confirmo te Chrismate salutis; tertium est signum, quòd pugnatori datur, sicut & in pugna corporali milites insignijs Ducum insigniuntur, & quantum adhoc dicitur, cõsigno te signo Crucis, in quo scilicet Rex noster triumphauit, vt dicitur Colos. 2. (3. p. q. 72. a. 4. in corp. (4. sent. d. 5. q. 1. a. 3. quæstiunc. 2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Conueniens forma huius sacramenti est. Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. probatur, illa est conueniens forma sacramenti, quæ continet quidquid pertinet ad speciem sacramenti, sicut forma rei naturalis dat ei speciem, sed hæc est talis, ergo &c. minor probatur, quia in hoc sacramento datur Spiritus sanctus ad robur spiritualis pugnæ, & ideo tria sunt necessaria in hoc sacramento, quæ continentur in prædicta forma. primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est sanctissima Trinitas, quæ exprimitur in illis verbis, in nomine Patris &c. secundum est ipsum robur spirituale, quod homini confertur per sacramentum materiæ visibilis ad salutem, quod tangitur, cum dicitur, confirmo te Chrismate salutis. tertium est signũ, quod pugnatori datur, & quantum ad hoc dicitur, consigno te signo Crucis.

Vt explicetur hæc doctrina, obserua ex D. Thoma. 3. p. q. 72. a. 4. ad 1. quod aliquando per ministerium Apostolorũ dabatur effectus huius sacramenti, scilicet plenitudo Spiritus sancti quibusdam visibilibus signis miraculosè à Deo effectis, qui potest effectum sacramenti sine sacramento conferre; & tunc non erat necessaria neque materia, neque forma huius sacramenti; aliquando tamen tanquam ministri sacramentorum hoc sacramentum præbebant; & tunc ex mandato Christi sicut materia, ita & forma vtebantur, nisi enim materiæ repræsentatio determinetur significatione formæ, vaga, & confusa est; non omnia autem, quæ faciebant ex institutione Christi Apostoli, opus fuit scripto mandare, multa enim seruabant Apostoli in sacramentorum collatione, quæ in scripturis communiter propositis non sunt tradita, ait D. Thomas loco citato, sed multa eorum traditione viua voce ad nos peruenerunt iuxta illud primæ ad Corinth. 11. cætera, cum venero, disponam. rationem huius assignat 4 sent. d. 7. q. 1. a. 1. quæstiuncula. 1. ad 1. quia formæ sacramentales, & alia, quæ in sacramentis exiguntur, occultanda erant in primitiua Ecclesia propter irrisiones Gentilium, vt Dionisius dicit. si quis autem quærat cum Dominico Soto, vbi primum Ecclesia hanc tradidit formam. respondebitur cũ ipso, non omnes, & singulas sacramentorum materias, & formas vsque ad Concilium Florentinũ sub Eugenio quarto vsque adeo expressas haberi; sed tamen certum est, more, & vsu Antistitum successione fuisse seruatas; in Concilio autem Florentino, in quo congregata erat pars Ecclesiæ orientalis, & occidentalis, omnes fuerunt explicatæ, inter quas est

est ista confirmationis. aduerte vlterius, Chrismationem debere fieri necessario in forma Crucis, alioquin forma, qua dicitur, consigno te signo Crucis, esset falsa: & in hoc distinguitur hoc sacramentum à sacramento extremæ vnctionis, in cuius forma, cùm non exprimatur Crux, non erit de eius essentia, quod vnctio fiat in forma Crucis, sicut nec in sacramentalibus Baptismi, & Ordinis, licet sit de præcepto; cuius etiam transgressio forsan non erit mortalis, inquit Sotus. 4. sent. d. 7. q. vnica. a. 4. cum non sit res tanti momenti, qui etiam docet, expressionem sanctissimæ Trinitatis esse de essentia sacramenti, sicut in Baptismo, quia Concilium Florentinum eodem tenore, quo in Baptismo, illam ponit, atque illa inuiolabiliter Ecclesia vtitur.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Pesantius. 3. p. q. 72. a 4. Suarez disp. 33. sect. 5. Emanuel Sà verb. confirmatio. nu. 10. Coninchus 3. p. q. 72. a. 4. Reginaldus lib. 28. Henriquez lib. 2. cap. 2. & alij.

Quæritur an ritus huius sacramenti sint conuenientes.

6 Respondeo dicendum, quòd certum esse debet ritus, quos Ecclesia obseruat in hoc & in alijs sacramentis, esse conuenientes, 3. p. q. 72. a. 12. in corp.

Quod certum esse debet ritus, quos obseruat Ecclesia in hoc, & in alijs sacramentis, esse conuenientes, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ritus dicuntur illi, qui adhibentur præter materiam, & formam, quæ sunt de essentia sacramenti. si quis quærat, quare impingatur alapa in collatione confirmationis, respondebitur, hoc fieri duplici de causa, primo vt confirmatus recordetur, se recipisse hoc sacramentum, ne iterum recipiat illud, cum non sit iterabile. secundo vt confirmatus cognoscat, se debere pati iniurias pro fide Christiana profitenda, vt ait Dominicus Sotus 4. sent. d. 7. q. vnica. a. 8.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Bellarminus cap. vltimo de confirmatione, Suarez disp. 37. sect. 1. & 2. Henriquez cap. 3. & alij.

Quæritur an confirmatio possit iterari.

7 Respondeo dicendum, quòd sacramentum, quòd habet effectum semper permanentem, non potest iterari sine iniuria sacramenti, & ideo quia in confirmatione imprimitur caracter, qui est indelebilis, ideo non debet iterari. 4. sent. d. 7. q. 3. a. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cõclusione, quæ est. confirmatio non debet iterari. probatur, quia sacramentum, quod habet effectum semper permanentem, non potest iterari sine iniuria sacramenti, sed in confirmatione imprimitur caracter, qui est indelebilis, ergo non debet iterari.

Sicut Baptismus, qui imprimit caracterem, non potest iterari, eadem ratione nec confirmatio. vtrum autem, qui iteraret confirmationem, esset irregularis, sicut est irregularis iterans Baptismum, dico, iterantem confirmationem non esse irregularem, quia non incurritur irregularitas, nisi in iure sit expressa, non est autem in iure expressa irregularitas nisi contra iterantes Baptismum; nec debet extendi ad iterantes cõfirmationem, quia pænæ sunt restringendæ; nec est eadem ratio de iteratione Baptismi, & Confirmationis, quia Baptismis iteratio est, vt ait D. Paulus ad heb. 6. quædã imago iterationis Passionis Christi, quæ tamen vna fuit sufficientissima, & ideo est maius peccatum iterare Baptismum, quam iterare confirmationem, quia hæc non habet annexam representationem iteratæ Passionis Christi. si quis autem dubitaret de sua Confirmatione, posset confirmari sub condicione, si non es confirmatus &c.

Quæritur an confirmatio requirat locum sanctificatum.

8 Respondeo dicendum, quòd confirmationis sacramentum non continet ipsum Christum, & ideo non requiritur loci sanctificatio. 4. sent. distinct. 13. q. 1. a. 2. quæst. 5. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Sacramentum Confirmationis non requirit loci sanctificationẽ. probatur, quia non continet ipsum Christum.

Hæc est differentia inter sacramentum Eucharestiæ, & sacramentũ Confirmationis, quod quia sacramentum Eucharestiæ continet Christum, ideo Eucharestia conficitur in loco sacro, non sic autem Confirmatio, quæ in loco etiam non sacro, honesto tamen, potest conferri, licet etiam non sit Ecclesia, quamuis conuenientius in Ecclesia detur.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 2. cap. 24. num. 12.

Quæritur quo tempore sit conferenda confirmatio.

9 Respondeo dicendum, quòd sicut Melchiades Papa dicit, ita coniuncta sunt hæc duo sacramenta, scilicet baptismi, & confirmationis, vt ab inuicem nisi morte præueniente nullatenus possint segregari, & vnum sine altero ritè perfici non possit, & ideo eadem tempora sunt prefixa baptismo solemniter celebrando, & huic sacramento. sed quia hoc sacramentum à solis Episcopis datur, qui non sunt semper præsentes, vbi præsbyteri baptizant, oportuit

portuit quantum ad communem vsum ſacramentum confirmationis etiam in alia tempora differri. 3. par. quæſt. 72. art. 12. ad 1.

Duplici concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. Eadem tempora ſunt præfixa Baptiſmo ſolemniter celebrando, & huic ſacramento. probatur ex dicto Melchiadis Papæ, vt in littera. ſecunda concluſio. oportuit quantum ad communem vſum ſacramentum Confirmationis etiam in alia tempora differri. probatur, quia hoc ſacramentum à ſolis Epiſcopis datur, qui non ſunt ſemper præſentes, vbi Presbyteri baptizant.

Olim tempora deſtinata Baptiſmo ſolemni deſtinabantur etiam Confirmationi ſolemniter cōferendæ, & iſta tempora erant Paſcha, & Pentecoſtes: nunc iſte ritus non eſt in vſu, qui etiam nunc eſſet decori, ſi obſeruaretur, vt ait Dominicus Sotus. 4. ſent. d. 7. q. vnica. a. 12 etiam tempore interdicti conferri poteſt, vt ait Toletus lib. 2. cap. 12. num. 12.

Quæritur, quæ nam ſint obſeruanda poſt confirmationem.

10 Reſpondeo dicendum, quòd ligatur frons confirmati quouſque deſiccetur locus, & poſtmodum etiam ſecundum Hugonem debet eſſe ſub quadam diſciplina cuſtodiendi Chriſma, ne ſcilicet caput lauet vſque ad ſeptem dies propter ſeptem dona Spiritus ſancti: & ſicut etiam Eccleſia ſeptem diebus aduentum Spiritus ſancti in diſcipulos celebrat. 4. ſent. d. 7. q. 3. a. 3. quæſtiunc. 2. ad 3.

Quod poſt linitionem Chriſmatis in fronte ligatur frons confirmati, quouſque deſiccetur locus, & poſtmodum etiam ſecundum Hugonem debet eſſe ſub quadam diſciplina cuſtodiendi Chriſma, ne ſcilicet caput lauet vſque ad ſeptem dies, docet D. Thomas in hoc quæſito, propter ſeptem dona Spiritus ſancti, & ſicut etiam Eccleſia ſeptem diebus aduentum Spiritus ſancti in diſcipulos celebrat.

Iſta doctrina allata eſt, vt excludatur talis obiectio. frons, in quo fit linitio Chriſmatis, eſt pars patens, & de facili contrahit ſordes, quæ non conueniunt Chriſmati. euitatur autem hoc inconueniens ex hoc quod ligatur frons poſt linitionem Chriſmatis &c.

Quæritur, an ille, qui confirmatur, debeat teneri ab alio.

11 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut aliquis de nouo natus indiget inſtructore in his, quæ pertinent ad conſeruationem vitæ ſecundum illud Hebreorum 12. Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos, ita illi, qui aſſumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus à quibus inſtruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis, & ideo in bellis materialibus conſtituũtur Duces, & Centuriones, per quos alij gubernentur, & propter hoc etiam ille, qui accepit hoc ſacramentum, ab alio tenetur quaſi per aliũ in pugna ſpirituali erudiendus. ſimiliter etiam quia per hoc ſacramentum cōfertur homini perfectio ſpiritualis ætatis, ideo ille, qui ad hoc ſacramentum accedit, ſuſtētatur quaſi adhuc ſpiritualiter imbecillis, & puer. 3. par. q. 72. art. 10. in corp. (4. ſent. d. 7. q. 3. a. 3. quæſtiunc. 1. in corp.

Concluſione vnica reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. ille, qui accipit hoc ſacramentum, ab alio tenetur quaſi per alium erudiendus. probatur dupliciter, & primo à ſimili de Baptiſmo, ſicut aliquis de nouo natus indiget inſtructore in his, quæ pertinent ad conſeruationem vitæ, vt patet per D. Paulum ad heb. 12. ita illi, qui aſſumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, à quibus inſtruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis, ſicut etiam fit in bellis materialibus, ſed confirmatio datur ad robur ſpiritualis pugnæ, ergo &c. ſecundo quia per hoc ſacramentum cōfertur huiuſmodi perfectio ſpiritualis ætatis, ideo ille, qui ad hoc ſacramentum accedit, ſuſtentatur quaſi adhuc ſpiritualiter imbecillis, & puer.

Hic nota, quod confirmandus dicitur ſpiritualiter imbecillis, & puer, quia confirmandus licet ſit adultus quoad corpus, & vitam animalem, non tamen eſt adultus ſpiritualiter, & quo ad vitam ſpiritualem, vt ait D. Thomas hoc in loco ad primum. Circa tenentem ad Confirmationem obſerua, quod poteſt eſſe vir, vel fæmina, quia Coloſ. 3. dicitur, in Chriſto Ieſu non eſt maſculus, & fæmina: qui tamen ſuſceptor non eſt de eſſentia, vt aſſerit Sotus; & ille idem, qui fuit in Baptiſmo, poteſt eſſe etiam in Confirmatione, vt habetur de conſecrat. d. 4. in Catechiſmo. cōtra Toletum, qui lib 2. cap. 24. nn. 11. aſſerit, hoc licere tantum in neceſſitate. omnes poſſunt eſſe Patrini, non tamen vir vxoris, nec è contra, nec fratres, vel ſorores interſe. poteſt eſſe vnus, vel duo, & tunc contrahent affinitatem cum confirmato, non autem interſe. interquas autem perſonas contrahatur hæc affinitas, explicat Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 2. de reformatione mātrimonij his verbis. ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & Confirmatum, illiuſq; Patrem, & Matrē, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis. verum hæc diffusè explicauimus ſupra verb. cognatio ſpiritualis.

De illis, qui possunt confirmare. Cap. II.

1 *Confirmare non competit Sacerdotibus.*
2 *Solus Episcopus potest conferre sacramentum confirmationis.*
5 *Episcopus excommunicatus, degradatus potest confirmare valide.*
Sacerdos ex commissione Papæ potest confirmare, regulariter autem solus Episcopus.
Episcopus electus, sed non consecratus non potest confirmare.
Episcopus potest confirmare tantum suos Diocæsanos.
Si Episcopus contrarium fecerit, peccat mortaliter, & incurrit suspensionem.
Peccat etiam, & remanet suspensus ab exercitio Pontificalium, si suos subditos in aliena Diocæsi confirmet absque licentia Episcopi illius loci, in quo reperitur.
3 *B. Gregorius concessit, vt vbi Episcopi desunt, simplices Sacerdotes conferrent sacramentum Cõfirmationis, secluso tamen scandalo.*
4 *Confirmatio non potest conferri nisi ab ordinatis.*
5 *Soli ordinati Sacerdotio possunt confirmare, siue ex officio, siue ex commissione.*

Quæritur, ac Sacerdotes simplices possint confirmare.

1 RESpondeo dicendum, quod Innocentius Papa dicit, & habetur de consecr. d. 4. c. presbyteris; Præsbyteris cum baptizant Chrismate baptizatos vngere liceat, quod ab Episcopo fuerat consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solum debetur Episcopis, cum tradunt paraclitum, quòd quidem fit in hoc sacramento. 3. par. quæst. 72. art. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. simplices Sacerdotes non possunt confirmare. probatur ex dicto Innocentij Papæ, vt in littera.

Conclusio D. Thomæ vera est regulariter loquendo, ex commissione tamen Papæ poterunt confirmare. verum hoc explicabitur in sequenti quæsito.

Quæritur, an solus Episcopus possit confirmare.

2 Respondeo dicendum, quòd quia in quolibet opere vltima consumatio supremæ arti, aut virtuti reseruatur, sicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam, supremus autem est, ad quem pertinet vsus, qui est finis artificiatorum, & Epistola, quæ à Notario scribitur, à Domino Papa signatur; fideles autem Christi sunt quoddam Diuinum opus secundum illud primæ ad Corinth. 3. Dei ædificatio estis, sunt etiã quasi quædam Epistola spiritu Dei scripta, sicut dicitur secundæ Corinth. 3. hoc autem confirmationis sacramentum est quasi vltima consumatio sacramenti baptismi, ita scilicet, quòd per baptismum ædificatur homo in domum spiritualem, & conscribitur quasi quædam spiritualis Epistola, sed per sacramentum confirmationis, quasi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus sancti, & quasi Epistola conscripta signatur signo Crucis, & ideo collatio huius sacramenti Episcopis reseruatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia, sicut & in primitiua Ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, & plenitudo Spiritus sancti dabatur, vt habetur actuũ 8. Vnde Vrbanus Papa dicit, habetur de consecrat. d. 5. c. omnes fideles. Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniãtur. 3. p. q. 72. a. 11. in corp. (4. sent. d. 7. q. 3. a. 1. quæstiunc. 2. in corp. (quodlibeto 11. art. 7. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito conclusione vnica, quæ est. collatio huius sacramenti Episcopis reseruatur. probatur à simili primò, in quolibet opere præparatio materiæ reseruatur ministris inferioribus, superior autem dat formam, ad supremum autem spectat vsus, qui est finis artificiatorum; & epistola, quæ à Notario scribitur, à Domino Papa signatur, ita fideles sunt quoddam opus Diuinũ, vt patet ex D. Paulo, vt in littera; sunt etiam quasi quædam Epistola spiritu Dei scripta, vt dicitur 2. ad Corinth. 3. homo per Baptismum ædificatur in domum spiritualem, & conscribitur quasi quædam spiritualis Epistola, sed per Confirmationis sacramẽtum quasi domus ædificata dedicatur in templũ Spiritus sancti, & quasi Epistola conscripta signatur signo Crucis, ideo Episcopis collatio huius sacramenti reseruatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia. secundo probatur, in primitiua Ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorum vices gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus sancti dabatur, vt habetur act. 8. probatur tertio ex dicto Vrbani, vt in littera.

Ex hoc quod D. Thomas ait, collationem sacramenti Confirmationis reseruari Episcopis, habemus primo, Episcopum solum esse ordinarium ministrum Confirmationis, vt etiam diffinit Concilium Tridentinum sess. 7. can. 3. de Confirma-

firmatione his verbis, si quis dixerit, Sanctæ Cõfirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem, anathema sit. & adeo verum est, vt nisi ipse confirmauerit, sacramentum nullum sit, vt can. Manus. de consecrat. d. 5. sancitur. secundo habemus, Episcopum excommunicatum, degradatum posse ministrare Confirmationis Sacramentum validè, sicut potest validè ordinare, quia talis adhuc remanet Episcopus, cum per excõmunicationem, vel degradationem non auferatur Caracter, in quo fundatur potestas confirmandi. tertio elicimus, Abbatem simplicem non posse confirmare. quarto deducimus, simplicem Sacerdotem non posse confirmare, nec etiam de licentia Episcopi, ex commissione tamen Papæ poterit simplex Sacerdos confirmare, cum in eo resideat plenitudo potestatis, & in sequenti quæsito docebit D. Thomas, qui affert exemplum Gregorij, qui fecit hanc dispensationem: hanc doctrinam docuit Sinodus Florentina, dum approbauit auctoritate Apostolicæ Sedis posse sacramentum hoc simplici Sacerdoti committi. D. Thomam sequuntur Ricardus. 4. sent. d. 7. art. 1. q. 1. Paludanus. q. 4. Marsilius. 4. sent. q. 5. art. 3. Dominicus Sotus. 4. sent. d. 7. q. vnica art. 11. Caietanus adhunc locum, idque etiam docet Alexander. 4. p. q 18. memb. 1. 2. 3. Nauarrus in manuali cap. 22. num. 8. Nugnus 3. p. q. 72. art. 11. dub. 2. Victoria de Confirmatione concl. 49. Toletus lib. 2. cap. 24 num. 5. licet alij contrarium afferant, vt D. Bonauentura. 4. sent. d. 7. Scotus ibidem q. 1. Durandus. q. 3. & 4. Adrianus. q. de Confirmatione. a. 3. Aduertat tamen Sacerdos simplex, quod quando ex commissione Papæ vult cõfirmare, vtatur Chrismate consecrato ab Episcopo, cum nullus possit Chrisma consecrare præter Episcopum regulariter loquendo, attamen ex commissione Papæ simplex Sacerdos poterit Chrisma consecrare, sicut ex eadem commissione, & dispensatione poterit confirmare, cum enim collatio sacramẽti sit præstantior consecratione materiæ, sicut sacramentum est præstantius ipsa materia, consequens fit, vt simplici Sacerdoti committi possit Chrismatis consecratio, sicut committi potest Confirmatio à Papa, qui sicut inter omnes eminet dignitate, ita & potestate: hoc docet Caietanus. 3. p. q. 72. art. 3. quem sequitur Dominicus Sotus. 4 sent. d. 7. q. vnica. ar. 3. nec huic decisioni obstat Concilium Florentinum dicens, aliquando ex dispensatione simplex Sacerdos legitur confirmasse, Chrismate tamen per Episcopum confecto, quia vt benè aduertit Sotus loco citato, Concilium tantum narrat, quod euenit, at non prohibetur, quin possit vtrumq; committi. quod facessit hac in re arduum negotium est id, quod asserit Concilium Toletanum 8. c. 7. nempe, Episcopalis eminentiæ Diuina auctoritas percẽsuit esse aliqua summa, quæ cæteris Sacerdotibus exercenda prohibuit, scilicet templorum Dei sacrationem, Chrismatis benedictionem, sacrorumq; ordinum institutionem, cum ergo hoc sit prohibitum Diuina auctoritate, non poterit Papa super hoc dispensare. hoc argumento vtuntur aliqui recentiores contrarium nostræ opinioni tenentes, nempe non posse ex commissione Papæ Sacerdotem simplicem Chrisma consecrare. respondetur tamen ex eodem Soto loco citato, quod auctoritas Diuina Episcopi non est idem quod ius Diuinum, nam & auctoritas, qua vtitur Papa in condendis Ecclesiasticis legibus, Diuina est, vnde sicut eadem auctoritas prohibuit Præsbyteris confirmare, super quo tamen potest dispensare, & de facto dispensauit, vt in sequenti videbimus quæsito, ita prohibuit eisdẽ Sacerdotibus Chrisma conficere, & benedicere, superquo tamen poterit dispensare. quod etiam facit qualemcumq; difficultatem est verbum can. Præsbyter. 16. q. 6. scilicet Præsbyter inconsulto Episcopo Virgines non consecret, Chrisma vero numquam conficiat, vbi discrimen videtur poni, quod vnum possit Præsbyter ex dispensatione, alterũ verò nullatenus. respondetur, hoc verum esse regulariter. solus ergo Episcopus regulariter potest confirmare, licet ipse non sit cõfirmatus, quia habet caracterem Episcopalem, in quo fundatur potestas confirmandi; ex quo patet Episcopum electum, sed non consecratum non posse confirmare, quia caracterem huiusmodi non habet, nec est Episcopus simpliciter, sed electus: hac sua potestate poterit tantum confirmare suos Diocæsanos, non autem alienos, sicut vnus Parochus non potest baptizare filios alterius Parochiæ, non enim licet mittere falcem in messem alienam, vnde si Episcopus contrariũ fecerit, peccabit, & vltra peccatum incurrit suspensionem secundum aliquos, sicut etiam peccabit, & remanebit suspensus ab exercitio Pontificalium, si suos subditos in aliena Diocæsi cõfirmet absque licentia Episcopi illius loci, in quo reperitur. sic enim declarasse Sacram Congregationem Cardinalium super Concilium Tridentinum, testatur quidam neotericus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Pesantius. 3. par. q. 72. art. 11. Coninchus ibidem. Henriquez lib. 2. c. 6. Philiarcus. 2. p. lib. 1. c. 11. Graffius. 2. p. lib. 1. c. 5. Pitigianus. d. 7. q. 1. art. 5. & 10. & 13. Angles de Confirmatione. art. 8. Vasquez. 3. p. quæst. 72. a. 3. d. 219. c. 1. Toletus lib. 2. cap. 24. num. 5. Suarez disp. 36. sect. 4. Valentia tom 4. disp. 5. quæst. 2. par. pri. & alij.

Quæritur, an Papa possit committere Præsbyteris, vt confirmationem conferant.

3 Respondeo dicendum, quòd quia Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum ordinum committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam Præsbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem, & ex hac plenitudine potestatis cõ-

cessit B. Gregorius Papa, quòd simplices Sacerdotes hoc sacramentum conferrent, quamdiu scandalum tolleretur. 3.p. quæst. 72. art. 11. ad 1. (4. sent. d. 7. qu. 3. art. 1. quæst. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Papa potest committere Sacerdotibus simplicibus, vt sacramentum Confirmationis conferant. probatur dupliciter, & primo quia Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam Præsbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem, ergo & confirmare poterit committere simplicibus Sacerdotibus. secundo probatur hoc ex facto D. Gregorij, qui cōcessit ex plenitudine suæ potestatis, quod simplices Sacerdotes sacramentum Confirmationis conferrent, quamdiu scandalum tolleretur.

Huic doctrinæ se opponunt D. Bonauentura. 4. sent. d. 7. Scotus ibidem q. 1. Durandus. q. 3. & 4. Adrianus. 9. de Confirmatione. art. 3. tenentes, non posse Papam committere simplici Sacerdoti, vt Sacramentum Confirmationis conferat. sed hos conuincit factum D. Gregorij, Synodus Florentina non audit, ratio etiam arguit, quæ fundatur in plenitudine potestatis Papæ, legatur Dominicus Sotus. 4. sent. d. 7. q. vnica. art. 11. egregiè discurrens circa hanc materiā, & solide soluens quinq; argumenta, quæ faciunt pro contrarium opinantibus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Doctores citati in præcedenti quæsito in locis ibi citatis.

Quæritur, an non ordinatus possit confirmare.

4 Respondeo dicendum, quòd proprij dispensatores sacramentorum sunt ministri Ecclesiæ per sacramentum ordinis consecrati, vt sint medium inter Deum, & plebem Diuina populo tradentes, & ideo solis eis competit ex officio sacramenta ministrare, nec per alium conferri possunt excepto baptismo propter necessitatem; vnde cum confirmatio non sit sacramentum necessitatis, non poterit nisi ab ordinatis conferri. 4. sent. d. 7. quæst. 3. art. 1. quæ. 1. in corp.

Conclusione vnica respōdet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Confirmatio non potest nisi ab ordinatis conferri. probatur, proprij dispēsatores Sacramentorum sunt ministri Ecclesiæ per Sacramentum ordinis consecrati, vt sint medium inter Deum, & Plebem Diuina populo tradentes, ergo solis eis conpetit ex officio sacramenta ministrare, nec per alium conferri possunt excepto Baptismo propter necessitatem, sed Confirmatio non est Sacramentum necessitatis, ergo non poterit conferri nisi ab ordinatis.

Conclusio D. Thomæ vera est de ordinatis Sacerdotio, istis enim iure Diuino datum est confirmare siue ex officio, siue ex commissione; Episcopis ex officio, simplicibus autem Sacerdotibus ex commissione. pro quo nota, quod Christus neque omnes Sacerdotes simpliciter ministros huius Sacramenti instituit, sicut Eucharestiæ, aut Pænitentiæ, neque verò solos Episcopos, sed medio modo processit, aliquid enim tanquā necessarium determinauit, & aliquid iuditio Ecclesiæ reliquit; statuit tanquam necessarium, quod soli Sacerdotes siue ex officio, siue ex commissione possent confirmare; quod autem Episcopi essent, arbitrio Ecclesiæ reliquit, vt posset illos tanquam Sacramento necessarios instituere: quod autem voluerit solos Sacerdotes posse confirmare vel ex offitio, vel ex commissione, deducitur ex hoc, quod potestas super corpus Christi misticum deriuatur ab ea, quæ est super corpus Christi verum, vnde sicut baptizare ex officio conpetit solis Sacerdotibus, ita non nisi illi confirmare possunt; necessitas tamen Baptismi, quæ est necessitas simpliciter, quæ legibus non subditur, laicis baptizare permittit, non autem confirmare, cum non sit sacramentum necessarium; sed quia Confirmatio præstantius sacramentum est, vt canones docent, ideo in facultate Ecclesiæ posuit, vt Episcopos tanquam necessarios ministros suo iuditio declararet, quod tempore Apostolorū obseruatum fuisse creditur.

De Confirmandis.

Cap. III.

1 *Caracter confirmationis præsuponit caracterem Baptismalem.*
Si non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet.
§ *Quod caracter confirmationis præsuponat caracterem Baptismi ex necessitate, est de fide.*
Recipiens cætera Sacramenta absque confirmatione non peccat mortaliter, nisi adsit contemptus.
Est tamen aliqualis culpa nolle eam recipere, cum commodè fieri possit.
Qui recipit primam tonsuram, & ordines, non peccat mortaliter, & quare.
Dominicus Sotus non audet affirmare esse peccatum mortale sacros conferre ordines non confirmatis, licet sit res indigna.
Hæc vera sunt secluso contemptu.
Quando adsit contemptus.
2 *Sacramentum confirmationis omnibus est exhibendum.*
§ *Confirmatio non est de iure Diuino, nec Pontificio.*
Mulieres sunt confirmandæ.
Varia genera personarum, quæ possunt confirmari, recensentur.
3 *Pueri sunt confirmandi.*
§ *Licet possit confirmatio conferri pueris, non expedit tamen pueros ante vsum rationis cōfirmare.*
Seruan-

Seruanda tamen est consuetudo.
Satis est, si puer attingat septimum annum ad suscipiendam Confirmationem.
Non est censendus negligens ille, qui vsque ad 12, vel 14. annum differret suscipere confirmationem.
Vltra illam ætatem differre confirmationem est negligentia culpabilis.
4 *Confirmatio non debet dari peccatoribus non pænitentibus.*
Potest dari peccatoribus pænitentibus.
Per confirmationem perficitur pænitentiæ effectus.
Si quis accedat ad suscipiendam confirmationem in peccato existens, cuius tamen conscientiam non habeat; vel etiam si non sit perfectè contritus, percipit remissionem peccatorum.
§ *In confirmando requiritur fides, & intentio propria in adulto, in infante verò sufficit voluntas Christi, & Ecclesiæ.*
5 *Confirmandus signatur in fronte Chrismate propter duo.*
§ *Linitio Chrismatis fiat in fronte, & si in alio fiat membro, non tenet sacramentum.*
6 *Confirmandus debet esse ieiunus.*
Episcopus confirmans debet esse ieiunus.
Excipiuntur infirmi, & morte periclitantes.
Permittitur, vt confirmandi non sint ieiuni, sicut & confirmans.
Si congruè potest fieri confirmandi debent esse ieiuni, sicut & confirmans.
§ *Seruanda est consuetudo cuiusque Ecclesiæ circa ieiunium Confirmatoris Episcopi, hominis confirmandi.*

Quæritur, an non baptizatus possit confirmari.

1 RESpondeo dicendum, quod character confirmationis ex necessitate præsupponit characterem baptismalem, ita scilicet quod si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed oporteret iteratò ipsum confirmari post baptismum: cuius ratio est, quia sicut se habet cōfirmatio ad Baptismum, ita augmentum ad generationem, manifestum est autem, quòd nullus potest promoueri in ætatem perfectam, nisi primò fuerit natus, & similiter nisi primò fuerit baptizatus non potest sacramentum confirmationis accipere. 3. p. q. 72. art. 6. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Character Confirmationis præsuponit characterem Baptismi ex necessitate, ità quod si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed aporteret iterato ipsum cōnfirmari post Baptismum. probatur, ita se habet Confirmatio ad Baptismum, sicut augmentum ad generationem; sed nullus potest promoueri in ætatem perfectam, nisi primò fuerit natus, ergo etiam nisi primò fuerit baptizatus, non potest Sacramentum Confirmationis accipere.

Conclusio D. Thomæ est de fide, vt de consecrat. d. 5. can. omnes fideles, & can. nouissimè. cum enim Baptismus sit ianua omnium Sacramentorum, vt in fine cap. Præter hoc d. 32. & in Concilio Florentino diffinitum est, nedum confirmationis sacramentum, sed omne aliud erit nullum, vnde cap. primo de Præsb. non baptizato iubetur, vt ille, qui ante Baptismum ordines susceperat, iterum post Baptismum ordinetur. qui autem reciperet cætera sacramenta sine Confirmatione, valida essent, & recipiens non peccaret mortaliter, nisi adsit contemptus; aliqualis tamen esset culpa, si nollet eam recipere, cum commode fieri possit, vt ait Dominicus Sotus. 4. sent. d. 7. q. vnica. a. 6. difficultas peculiaris est de prima tonsura, & ordinibus, an sit peccatum mortale eam recipere sine præuia susceptione Confirmationis, quia Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 4. de reformatione statuit, ne prima tonsura initientur, qui sacramentum Cōfirmationis non susceperint. attamen dico cum Dominico Soto. 4. sent. d. 24. q. 1. art. 4. quem sequitur Nauarrus in manuali cap. 22. nu. 9. Quod, qui reciperet primam tonsuram, & Ordines sine præuia susceptione Confirmationis, non peccaret mortaliter, quia licet faciat contra decretum Concilij Tridentini, & contra consuetudinem Ecclesiæ, quæ solet prius confirmare initiādos prima tonsura, attamen illud decretum nō videtur inducere obligationem grauem, vt etiā aliqui obseruant recentiores, nec consuetudo videtur inducta sub mortali; cum etiam Christus hoc Sacramentum Confirmationis non instituerit tanquam necessarium, non est etiam putandum, quod Ecclesia intendat obligare initiandos prima tonsura sub mortali ad susceptionem huius Sacramenti Confirmationis; immò Dominicus Sotus. 4. senten. d. 7. vnica. art. 8. non audet asseuerare, peccatum esse mortale, sacros conferre ordines non confirmatis, licet sit res indigna, non confirmatos sacris initiare, quia indignum est Ducem creare nisi ex militibus, homo autem per Confirmationem fit miles, & per sacros ordines Dux. hæc, quæ diximus, uera sunt secluso contemptu, quia si adesset contemptus, peccatum esset mortale illam non suscipere. sed tunc adest contemptus ex eodem Soto. 4. sent. d. 7. q. vnica. art. 8. quando rem nihil pendit, & perinde abijcit, ac si nihil esset, & ideo si quis Confirmationem omitteret, non quidem ob negligentiam, quia sacramentum potest & sine diligentia, & labore, & precio suscipere, sed quod eo illud beneficium despiciatur, quod illud nihil æstimat, ille esset contemptus, & vtique mortalis. Pro explicatione rationis D. Thomæ obserua, quod in hoc consistit. per Baptismum homo regeneratur, per Confirmationem autem augmentum spiritualis vitæ recipit, sed augmentum vitam præsuponit, ergo & Confirmatio præsuponit characterem Baptismalem.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Pesantius. 3. par. quæst. 72. art. 6. Pitigianus.

nus. d. 4. q. 1. art. 8. Camerota de Confirmatione. c. 6. dub. 1. Valentia tom. 4. disp. 5. q. 2. p. 2. Suarez disp. 35. sect. 1. & 2.

Quæritur, an sacramentum confirmationis omnibus sit conferendum.

2 Respondeo dicendum, quòd quia de intentione Dei est omnia ad perfectionem perducere, ex cuius imitatione hoc natura participat, vnde & Deut. 32. dicitur, Dei perfecta sunt opera, anima autem, ad quam pertinet, & Spiritualis natiuitas, & spiritualis ætatis perfectio, immortalis est, & potest sicut tempore senectutis spiritualem natiuitatem consequi, ita tempore iuuentutis, vel pueritiæ consequi perfectam ætatem, quia huiusmodi corporales ætates animæ non præiudicant, & ideo hoc sacramentum debet omnibus exhiberi 3. p. q. 72. art. 8. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cõclusione, quæ est. omnibus debet exhiberi Sacramentum Confirmationis. probatur, sicut de intentione naturæ est, vt omnis, qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perueniat, ita multò magis intentio Dei est, omnia sua opera ad perfectionem perducere, Dei enim perfecta sunt opera. Deut. 32. atque adeò quotquot ex aqua, & Spiritu Sancto renascuntur, in fide proficere, cum ergo anima, quæ per Baptismum renascitur, immortalis sit, atque adeò nec iuuenis, nec senex, fit, vt sicut potest in senectute homo natiuitatem spiritualem cõsequi, ita & in iuuentute, & pueritia augmentum possit recipere ætatis, ergo quicunque baptizatus tam in pueritia, quam in senectute confirmari potest.

Conclusio D. Thomæ est præceptio Vrbani Papæ in can. omnis. de consecrat. d. 5. vbi ait, omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur. can. etiam vt ieiuni. dicitur, quod nunquã erit Christianus, nisi cõfirmatione Episcopali fuerit Chrismatus. & can. de his. legitur, quod Baptisma sine confirmatione non ritè perficitur. per hæc loca aliqui Doctores dicebant, Confirmationem esse in præcepto Pontificio, sicut & Pænitentia semel in anno, & Eucharestia in Paschate. Sed quod Confirmatio non sit de præcepto Diuino, nec Pontificio, latè probat Dominicus Sotus. 4. sentent. d. 2. quæst. vnica. art. 8. ad loca citata canonum dicitur, & primò quod canon, omnes fideles. non habet formam præcepti, sed solum determinat ius Diuinum, quod est, vt nõ sit simpliciter necessarium, sed vtile, in cuius signum non ait imperando, omnes fideles confirmentur, sicut facit in cap. omnis vtriusque sexus, vbi dicitur, omnis confiteatur; nec obligationem denunciat dicendo, omnes teneantur, sed ait, omnes debent, tãquam vtile, & commodum valdè; nec in hoc canone adhibetur pæna, sicut in cap. omnis vtriusque sexus. ad can. vt ieiuni. respondetur, quod non Chrismatus non erit Christianus perfectus; similiter dicitur ad can. de his, quod Baptismus sine Confirmatione nõ ritè perficitur, illa tamen perfectio non sic est de essentia, vt eius omissio sit peccatum mortale. secluso ergo contemptu non erit peccatum mortale, Confirmationem non suscipere, si autem adesset contempus, tunc profectò esset peccatum mortale arg. c. 1. de consecrat. d. 5. contemnere autẽ videtur, qui potens sumere commodè, omittit secundum Paludanum. 4. senten. d. 7. quem etiam sequitur Toletus lib. 2. cap. 24. num. 10. quod verum esse quoad præsumptionem fori exterioris, glosat Nauarrus in manuali cap. 22. num. 9. quæ in interiori cessat, cap. tua, de spons. in quo ille verè contemnit, qui ideò principaliter omittit, quod paruifacit per ea, quæ dicit D. Thomas. 22. q. 186. art. 9. vbi hoc egregiè explicat Caietanus; si autem ex negligentia omitteret suscipere, venialis culpa esset, cum non videatur alicui præcepto contraria. conclusio D. Thomæ est vniuersalis, omnibus scilicet esse conferendum sacramentum Confirmationis, masculis, fæminis, pueris, senibus, adultis, seruis, monstruosis, hermafroditis, surdis, mutis, infirmis, ac morientibus, quibus est communis pugna, & fidei Christianæ professio: Fæminis, in quam, est conferendum, quia D. Chrisostomus in homilia de militia spirituali dicit, apud Deum fæmineus etiam militat sexus, multæ namq; fæminæ animo virili spiritualem militiam gesserunt, quædam enim interioris hominis virtute viros æquauerunt in agonibus Martirum, quædam etiam fortiores viris extiterunt, & ideò etiam mulieribus hoc sacramentum est conferendum: Pueris, ac senibus, seruis etiam, quia in hoc ex D. Chrisostomo in hom. de Machabeis distinguitur pugna mundana à cælesti, quod in mundanis agonibus ætatis, ac formæ, generisque dignitas requiritur, & ideò seruis, ac mulieribus, & senibus, ac pueris ad eos aditus denegatur; in cælestibus autem omni personæ, & ætati, & serui indiscreta facultate stadium patet; surdi etiam, & muti sunt cõfirmandi, quibus licet sint denegata argana ad publicam fidei confessionem apta, attamen per illud sacramentum eis augetur gratia, ipsiq; sunt habiles, vt fidei dignitatem possint agnoscere, ac in eius defensionem vitam exponere; infirmis etiam, ac morituris non esse denegandum Confirmationis sacramentum, docet D. Thomas 3. p. q. 72. art. 8. ad 4. vt in resurrectione perfecti appareant secundum illud ephe. 4. donec occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, & ideò Hugo de sancto Victore ait, omninò periculosum est, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret, quæ verba sic exponit D. Thomas, non quia damnaretur, nisi fortè propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur, vnde etiã pueri confirmati decedentes maiorem gloriam cõsequentur, sicut & hic maiorem obtinent gratiam;

tiam; immò statim morituris licebit hoc Sacramẽtum conferri tum ad augmentum gratiæ, tum quia in illo articulo cum inuisibilibus hostibus acriter pugnant, & tempus est pugnæ. Tota difficultas est de amentibus, an isti sint confirmandi. attamen dico duo, quorum primũ est, Amentes gaudentes lucidis interuallis sunt confirmãdi, nedum dum lumine rationis fruuntur, sed etiam dum in amentia sunt constituti, si tamen ante amentiam non contradixissent, sed potius petijssent Sacramentum, quia adhuc expectatur, vt possint pro fide pugnare. secundum est, nati perpetuò amentes non sunt confirmandi, sicut nec istis dandam esse sacram Communionem supradiximus, vt etiam docet Dominicus Sotus. 4. sent. d. 7. q. vnica. art. 8. qui tamen ait, quod si conferatur, legitimum erit sacramentum, ratio est, quia isti non sunt capaces finis per quem datur hoc sacramentum, non enim sunt apti ad pugnam spiritualem, nec ad protestandam fidem, nec spes est de hoc in futurum, sicut in pueris.

Quæritur, an pueri sint confirmandi.

3 Respondeo dicendum, quòd confirmatio potest puero tradi, & conuenienter traditur, quia infantis ætas non patitur fictionem, qua effectus sacramenti in traditione impediatur, & ideo quamuis tunc non competat ei confiteri, vel pugnare, certũ tamen est, quod effectum sacramenti plenè recipit, per quem erit idoneus ad pugnam, & confessionem ad perfectam ætatem veniens, nisi gratiam acceptam per peccatum amittat. 4. sent. d. 7. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 2. in corp.

Duo facit D. Thomas in hoc quæsito, primò respondet quæsito vnica conclusione, secundò respondet tacitæ obiectioni. quo ad primum cõclusio est. Confirmatio potest puero tradi, & conuenienter traditur. probatur, quia infantis ætas non patitur fictionem, qua effectus Sacramenti impediatur. obiectio est. puero non competit tunc confiteri, & pugnare, ergo puero non est conferendum Sacramentum Confirmationis. respondet, quod certum est, puerum recipere plenè effectum Sacramenti, perquem erit idoneus ad pugnam, & Confessionem ad perfectam ætatem veniens, nisi gratiam acceptam per peccatum amittat.

Pro explicatione conclusionis D. Thomæ obseruandum est ex D. Thoma. 3. p. q. 72. a. 8. ad 2. quod ætas corporalis non præiudicat animæ, vnde etiam in puerili ætate homo potest consequi perfectionem spiritualis ætatis, de qua dicitur sapientię 4. senectus venerabilis est non diuturna, neque numero annorum computata, & inde est, quod multi in puerili ætate propter robur Spiritus Sancti perceptum vsque ad sanguinem fortiter certauerunt pro Christo. & aduerte, quod hic loquimur de pueris, vt distinguuntur contra adultos, habentes scilicet vsum rationis, istis potest conferri Sacramentum Confirmationis, & si conferatur, validum erit sacramẽtum, quod licet detur ad sustinendam spiritualem pugnam, ad quod pro illo tunc non sunt idonei pueri vsum rationis adhuc non habentes, attamen in futura ætate apti erunt; sicut in Baptismo virtutes infunduntur, quibus puer non est vsurus nisi in legitima ætate, ita confirmari poterit ad sustinendam pugnam in futura ætate; licet autem possit conferri confirmatio pueris, non expedit tamen pueros ante vsum rationis confirmare, quod maximè declarat vsus Ecclesiæ, quæ sicut interdixit infantibus sumptionem Eucharestiæ, ita non habet in vsu eos confirmare, antequam ad vsum rationis perueniant; si tamen esset consuetudo in aliquibus nationibus confirmandi infantes, seruetur inquit Dominicus Sotus. 4 sentent. d. 7. q. vnica. a. 8. ille enim canon. omnes de consecrat. d. 5. omnes fideles debent confirmari, intelligitur secundum Ecclesiæ ritum pro tempore, & loco; non est tamen expectanda ætas duodecim annorum ad Confirmationem suscipiendam, sed satis erit, si pueri septimum attingant annum. vt ait Paludanus. 4. sentent. d. 7. q. 4. nam, vt benè ait Dominicus Sotus loco citato, sat est, vt id intelligant, quod in illis fit. cuius postea sint memores; vlterius cũ per Confirmationem gratia perficiatur Baptismi, maximè decens est, vt dum illa manet, Confirmatio superaddatur, antequam, per mortalem culpam timeatur perdi: non censebitur tamen negligens ille, qui vsque ad duodecimum, vel etiam quartumdecimum annum ætatis suæ differat susceptionem Confirmationis, inquit Sotus loco citato, qui etiam subiungit, quod vltra illam ætatem cõfirmationem differre est negligentia culpabilis, quia Eucharestia non deberet recipi ante Confirmationem.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 2. cap. 24. nu. 7. Coninchus. 3. p. q. 72. art. 8. Suarez disp. 34. sect. 2. & alij.

Quæritur, an peccatoribus sit conferenda confirmatio.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramẽtum datur ad confirmandum, quòd prius inuenerit, & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam; & propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pœnitẽtiam reparatis; vnde dicitur in Aurelianensi Concilio, & habetur de consecrat. d. 5. c. vt ieiuni. vt ieiuni ad confirmationem veniant, vt moneantur confessionem facere prius, vt merendi Donum Spiritus sancti valeant accipere, & tunc per hoc sacramẽtum perficitur pænitentiæ effectus, sicut, & baptismi, quia per gratiam collatam in hoc

sacra-

sacramento consequitur pænitens pleniorem remissionem peccati;& si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiã non habet; vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur remissionem peccatorum. 3. p. q. 72. art. 7. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Sacramentum Confirmationis sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pœnitentiam reparatis. probatur ex Aurelianensi Concilio, & ex ipso nomine, dicitur enim Confirmatio, quia datur ad confirmãdum, quod prius inuenerit, & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam. secunda conclusio. si aliquis adultus in peccato existens, cuius consciẽtiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur remissionem peccatorum.

Quotiescunq; ergo adultus peccator vult accedere ad suscipiendam Confirmationem, conteratur, doleat de peccatis, contritio enim sufficit ad omnia Sacramẽta præter Eucharestiam, non enim in hoc, sicut nec in alijs sacramentis tanta requiritur reuerentia, & examinatio, quãta ad Eucharestiam, vnde & in canone Concilij Aurelianensis, vt ieiuni, qui citatur in littera, dicitur, moneantur Confessionem facere prius, præmittere ergo Confessionem ad Confirmationem non est præceptum, sed admonitio: non est ergo necessaria Confessio ante Confirmationẽ, licet sit necessarius dolor de peccatis, saluberrimum tamen esset præmittere etiam Confessionem, nam Sacramentum Confirmationis est per se institutum ad conferendum secundam gratiã, quamuis aliquando possit conferre primam, vt ex secunda conclusione elicimus. vltra hoc requiritur etiam fides, vt sacramentum recipiatur cum fructu, & tentiò requiritur intentio propria in adulto, in infante verò vsum rationis non habente sufficit voluntas Christi, & Ecclesiæ, vt diximus etiam de Baptismo. legatur Caietanus. 3. p. q. 72. a. 7. qui explicat hanc doctrinam.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Viualdus de confirmatione. c. 5. Angelus verb. confirmatio. num. 4. & alij.

Quæritur, in qua parte corporis sint signandi confirmandi.

5 Respondeo dicendum, quòd sicut supradictum est, in hoc sacramento homo accipit Spiritum sanctum ad robur spiritualis pugnæ, vt fortiter etiam inter aduersarios fidei Christi fidem confiteatur, vnde conuenienter signatur Chrismate signo Crucis in fronte propter duo. primò quidem, quia insignitur signo Crucis, sicut miles signo Ducis; quod quidem debet esse euidens, & manifestum, inter omnia autem loca corporis humani maximè frons manifesta est, quæ quasi nunquam obtegitur, & ideo linitur confirmatus Chrismate in fronte, vt in manifesto demonstraret se esse Christianum, sicut & Apostoli post acceptum Spiritum sanctum se manifestauerunt, qui prius in cænaculo latebant: secundo quia aliquis impeditur à libera confessione nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem, & propter verecundiam, vtriusque autem horum signum maximè manifestatur in fronte propter duo scilicet propter propinquitatem imaginationis, & propter hoc, quòd Spiritus à corde directè ad frontem ascendunt, vnde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt, vt dicitur in 4. Eth. & ideo in fronte signatur Chrismate, vt neque propter timorem, neque propter erubescẽtiam nomen Christi confiteri prætermittat. 3. par. q. 72. art. 9. in corp. (4. sentent. d. 7. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 2. in corp.

Cõclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. conuenienter homo signatur Chrismate signo Crucis in fronte. probatur dupliciter, & primò, quia in hoc sacramento homo accipit Spiritum sanctum ad robur spiritualis pugnæ, vt fortiter etiam inter aduersarios fidei Christi fidem confiteatur, ergo debet illud homo suscipere instar militis, dum signum recipit Ducis, sed miles illud suscipit, vt sit euidens, & manifestum, inter omnia autem corporis loca maximè frons est manifesta, vt quę nunquam obtegitur, ergo in fronte debet Christi miles leniri. secundò, à libera nominis Christi Confessione impeditur homo aut per timorem, aut per verecundiam, sed vtriusque signum maximè manifestatur in fronte, ergo homo in fronte debet signari Chrismate, vt neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi cõfiteri prætermittat.

Conclusionem D. Thomæ, & eius rationem affert Concilium Florentinum, quod, postquam dixit, quod in sacramento Confirmationis datur Spiritus Sanctus ad robur, vt Christianus audacter Christi confiteatur nomen, subdit immediatè, ideoque in fronte, vbi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè Crucem eius, quæ Iudeis est scandalum, Gentibus autem stultitia, propter quod signo Crucis signatur. circa conclusionem remordebit forsan scrupulus lectorẽ, an linitio Chrismatis in formam Crucis sit de præcepto, quod fiat in fronte, an de essentia Sacramenti, sicut quod circoncisio fieret in designato

gnato membro. cui dubio respondet Dominicus Sotus.4.sent. d.7.q.vnica.art.9.esse de essentia sacramenti, quod Chrismatis linitio fiat in fronte, itaquod si fieret in manu, aut in alio mēbro, non esset Sacramentum; sicut etiam in extrema vnctione designata sunt membra, tanquā de essentia, in quibus fieri debet; & quia in can. Nouissimè de consecrat.d.5. quasi de essentia distinguitur inter signum, quod fit Chrismate à Præsbytero post Baptismū in vertice capitis, & aliud quod fit ab Episcopo in frōte. idem habetur in can.Præsbyteris,de consecrat.d.4.

Quæritur, an confirmandus debeat esse ieiunus.

6 Respondeo dicendum, quòd in Concilio Aurelianensi, & habetur de consecrat. d.5. Statuitur, vt ieiuni ad confirmationem veniant, & in Concilio Meldensi, vt Episcopi non nisi ieiuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant; ab hac prohibitione excipiuntur infirmi, & morte periclitantes, sicut in Statuto Meldensis Cōcilij legitur, & ideo propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia sustinetur, vt hoc sacramentū (quòd non nisi ab Episcopo dari potest) etiam à non ieiunis detur, vel accipiatur, quia vnus Episcopus præcipuè in magna Diocæsi non sufficeret ad tot homines cōfirmandos, si eis tempus arctaretur; vbi tamen congruè obseruari potest, conueniențius est, vt à ieiunis detur, & accipiatur. 3.p. q.72.art.12.ad 2.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Episcopus confirmans, & homo confirmandus debent esse ieiuni. probatur prima pars de Episcopo ex Cōcilio Meldensi, & secunda pars de confirmando ex Concilio Aurelianensi. secunda conclusio. ab hac prohibitione excipiuntur infirmi, & morte periclitantes. probatur ex Concilio Meldensi. tertia Conclusio. propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia sustinetur, vt hoc sacramentum etiam à non ieiunis detur, vel accipiatur. probatur, quia vnus Episcopus præcipuè in magna Diocæsi non sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur. quarta Conclusio. vbi congruè obseruari potest, conueniens est, vt à ieiunis detur, & accipiatur.

Circa hanc doctrinam notat Caietanus ad hunc locum, obseruandam esse consuetudinem cuiusque Ecclesiæ circa ieiunium confirmatoris Episcopi, & hominis confirmandi, cū hoc sit de iure positiuo; & ieiunium hoc in paucis Ecclesijs fortè seruari propter causas in littera allatas, testatur idem Caietanus.

De effectibus confirmationis. Cap. IIII.

1 In sacramento confirmationis imprimitur caracter.
Caracter est spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata.
§ Est de fide, quod Confirmatio imprimat caracterem.
Quid sit caracter confirmationis.
2 Per sacramentum confirmationis datur Spiritus Sanctus.
Per sacramentum confirmationis confertur gratia.
§ Confirmatio vberiorem gradum gratiæ confert, quam Baptismus, vel etiam cætera sacramenta excepta Euchareslia.
3 Sine voto confirmationis nullus consequitur eius effectum.
§ Non requiritur spetiale votum, sed sufficit votum Baptismi, in quo includitur generaliter recipere postea sacramenta iuxta Ecclesiæ ritum.

Quæritur, an in sacramento confirmationis imprimatur caracter.

1 Respondeo dicendum, quod per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras præter illas, ad quas datur ei potestas in baptismo, nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum se ipsum viuit, sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, caracter autem est quædam spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata, & ideo manifestum est, quòd in sacramento confirmationis imprimitur caracter. 3.par. quæst. 72. art. 5. in corp. (4. sent. distinct. 7. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1. in corp.

Conclusione vnica respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. in Confirmatione imprimitur caracter. probatur, caracter est quædam spiritualis potestas ordinata ad aliquas sacras actiones, sed per Sacramentum Confirmationis datur huiusmodi potestas spiritualis ad actiones sacras conpetentes ei secundum spiritualem ętatem perfectam, puta ad agendum ea, quæ pertinent ad spiritualem pugnam contra hostes fidei, sicut in Baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum se viuit, ergo sicut in Baptismo imprimitur caracter, ita & in Confirmatione.

Conclusio D. Thomæ est de fide, nam in Concilio Tarraconensi de consecrat.q.5.can.d iŭum

est. & per Greg can. de homine. diffinitum est, hoc sacramentum non esse iterandum, quod est caracteris inditium. idem habetur in Concilio Toletano. 8. c. 3. & in Concilio Florentino, vbi hoc Sacramentum inter imprimentia caractere connumeratur. & aduerte, quod caracter Confirmationis, vt ex nomine sacramenti habemus, est Confirmatio caracteris Baptismalis, per Baptismum siquidem fit homo Christianus, infirmus tamen, quia est sicut modò genitus infans, per Confirmationem autem firmatur, & consequenter caracter confirmationis est vt perficiēs caracterem Baptismalem, vnde de consecrat. d. 5. c. de his verò. Melchiades Papa inquit, ita cōiuncta sunt hæc duo Sacramenta, quòd vnum sine altero ritè perfici non potest, idest Christianum facere non potest, idest perfectum, vt glosat Caietanus.

Quæritur, an per sacramentum confirmationis conferatur gratia.

2 Respondeo dicendum, quòd quia in hoc sacramento datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur, sicut Apostolis datus est in die Pentecostes, vt legitur actuum 2. & sicut dabatur baptizatis per impositionem manus Apostolorum, vt dicitur actuum 8. datio autem Spiritus Sancti non est nisi cum gratia gratum faciente, vnde manifestum est, quòd gratia gratum faciens confertur in hoc sacramento. 3. p. q. 72. a. 7. in corp. (4. sent. distinct. 7. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas in hoc quæsito, quæ est, gratia gratum faciens cōfertur in hoc sacramento. probatur, in hoc sacramento datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur, sed datio Spiritus Sancti non est nisi cum gratia gratum faciente, ergo &c.

Conclusio D. Thomæ est de fide; immò rectè ait Dominicus Sotus. 4. sent. d. 7. q. vnica. art. 7. ex hoc sacramento cumulaciorem, vberioremq; gradum gratiæ, quā in Baptismo conferri, immò quam in cæteris Sacramentis excepta tamen Eucharestia, in qua corpus ipsum Christi, quod illic subest, copiosiorem gratiam conferre censetur. faciunt ad hoc canones de consecrat. d. 5. quorum vnus ait, per hoc sacramentum plenos Christianos fieri, & in can. Spiritus Sanctus. per idem baptizatis augmentum præstari ad gratiam. & in can. nouissimè. habetur, quod per vnctionem, quæ fit in Baptismo in vertice capitis intelligitur Spiritus sancti descensio ad habitationem, sed in Confirmatione declaratur Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ, & virtutis in hominem venire, quid clarius? ex quo patet, quam acriter sint repræhendi, qui negligunt hoc Confirmationis sacramentum suscipere.

Quæritur, an aliquis possit consequi effectus confirmationis sine eius voto.

3 Respondeo dicendum, quòd nullus consequitur effectum confirmationis sine voto ipsius. 3. p. q. 72. a. 6. ad 1.

Quod nullus consequitur effectum Confirmationis absque voto eius, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Pro explicatione huius doctrinæ nota, quod sicut nullus consequitur effectum Baptismi sine Baptismi voto, ita nullus consequitur effectum Confirmationis sine ipsius voto: non intelligas tamen, vt ait Dominicus Sotus. 4. sent. d. 7. q. vnica. a. 6. speciale votum, nam votum Baptismi, in quo includitur generaliter recipere postea sacramenta iuxta Ecclesiæ ritum, sufficit.

CONSANGVINITAS.

1 *Quid consanguinitas.*
§ *Quid nominis consanguinitatis explicatur.*
Singulæ particulæ diffinitionis consanguinitatis exponuntur.
Quomodo consanguinei descendant ab eodem stipite.
2 *Tres sunt lineæ consanguinitatis.*
Diuersi sunt gradus in vna linea.
Identitas, & nimia distantia gradus tollunt.
Quomodo gradus consanguinitatis in linea ascendentium, & descendentium contrahatur.
Qui sit primus, & secundus gradus consanguinitatis.
Quomodo contrahantur gradus consanguinitatis in linea trasuersali.
Quomodo secundum diuersas computationes scilicet legalem, & canonicam ijdem sint in primo, & secundo gradu.
§ *Quid sit linea consanguinitatis.*
Quid sit gradus in consanguinitate.
3 *Consanguinitas dicitur maior, & minor dupliciter scilicet intensiuè, & dimensiuè.*
4 *Quomodo pater, & patruus sint, & non sint in eodem gradu.*
5 *In matrimonio quid dicatur contra ius naturæ.*
Finis primus matrimonij est bonum prolis.
Consanguinitas inter patrem, & filiam, & matrem, & filium impedit matrimonium de iure naturali, & quomodo.
Finis secundarius matrimonij est repressio concupiscentiæ.
Consanguinitas impedit matrimonium de iure Diuino inter aliquas personas coniunctas præter patrem, & filiam, & matrem, & filium
Consanguinitas aliqua impedit matrimonium de iure positiuo.
6 *Quibus in casibus Deus possit dispensare martimonium inter patrem, & filiam.*
Ius naturæ in linea recta remotiores gradus à matrimonio non repellit.
6 *Barbari commiscebantur parentibus propter concupiscentiæ furorem.*

7 *In*

7 *In principio solus pater, & mater à matrimonio repellebantur.*
In lege Moysi repellebantur à matrimonio illæ omnes personæ, quæ in vna familia cohabitare solent.
In lege noua, sed antiquitus consanguinitas vsque ad septimum gradum matrimonium impediebat.
Nunc consanguinitas vsque ad quartum gradum impedit matrimonium.
§ *Respublica, & Princeps sæcularis sub lege Euangelica possunt ita prohibere matrimonia, vt si fiant contra eorum prohibitiones, sint nulla, si tamen adsit consensus Ecclesiæ.*
Contrahens matrimonium scienter intra quartum gradum consanguinitatis est excomunicatus.
Ista excomunicatio est Episcopalis.
8 *Si modo prohibetur quintus gradus, illi qui sunt illo coniuncti, non essent separandi.*
§ *Coniuges ante matrimonium consumatum possunt ingredi Religionem intra duos menses à matrimonio rato.*
9 *Quare Ecclesia prohibuit æqualiter gradus consanguinitatis in patruis, & nepotibus,*
10 *Aliqui gradus possunt dispensari ab Ecclesia.*
§ *Ecclesia non potest dispensare in gradibus consanguinitatis iure Diuino, & naturali prohibitis, in alijs autem sic*

Quæritur, quid sit consanguinitas.

1 RESpondeo dicendum, quòd consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum, secundum enim Phylosophum in 8. Eth. Omnis amicitia in aliqua communicatione consistit, & quia amicitia ligatio, siue vnio quædam est; ideo communicatio, quæ est amicitiæ causa vinculum dicitur, & ideo secundum quamlibet communicationem denominantur aliqui quasi collegati ad inuicem, sicut dicuntur conciues, qui habent publicam communicationem ad inuicem, & commilitones, qui conueniunt in militari negotio, & eodem modo illi, qui conueniunt in naturali communicatione dicuntur consanguinei, & ideo in prædicta diffinitione ponitur quasi consanguinitatis genus, vinculum, quasi subiectum personarũ descendentium, ab vno stipite, quorũ est huiusmodi vinculum, quasi principium carnalis propagationis. 4. sent. d. 40. quæst. 1. art. 1. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium carnali propagine contractum, probatur, omnis amicitia fundatur in aliqua cõmunicatione ex Arist. 8. eth. ergo consanguinitas fundabitur in communicatione naturali, ergo consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium &c. prima consequentia probatur, quia consanguinitas secundum Arist. 8. eth cap. 12. est naturale amicitiæ genus, ergo fundatur in communicatione naturali, & sanguinum, & sicut qui communicãt communicatione ciuili, & publica, dicuntur conciues, & qui communicant in militari negotio dicuntur commilitones, ita etiam illi, qui communicant naturali communicatione dicuntur consanguinei.

Vt explicetur hęc doctrina, & diffinitio, exordiendum est à quid nominis consanguinitatis, dicitur enim consanguinitas, quasi vnitas sanguinum, idest communio plurium in eodem sanguine, quæ communio est relatio quædam realis ad eundem sanguinem, si quidem sanguis vinculum est, & glutinum, quo plures colligãtur. nunc explicandum est quid rei consanguinitatis, & diffinitionis singulæ partes exponẽdæ sunt, quarum prima est, vinculum, quia consanguinei cõmunicant in eodem sanguine, & in eo tanquam in vinculo constringuntur, & consequenter etiã maiori affectu s nexu cõnectuntur. dicitur, personarum descendentium, idest hominum, quia homines sunt capaces veræ amicitiæ, & veri amoris, cuius non sunt capacia cætera animantia, vt ait Arist. 8. eth. c. 11. dicitur, ab eodem stipite, quod intellige, propinquo, quia si attendamus stipitem remotum, omnes essent consanguinei, cum omnes ab Adam, tanquam à remoto stipite descendant, vt docet D. Thomas 4. sent. d. 40. q. 1. a. 1. ad 1. licet quidam Neotericus tom. 1. q. 3. par. 4. de impedimentis matrimonij. num. 3. hoc attribuat immeritò Sanchez, & Reginaldo. & nota, quod stipes dicitur illa persona, à qua tanquam ab origine, & fonte promanauit sanguis, vt Dominicus, qui habet filium, nepotem, pronepotem, & alios descendentes, dicetur stipes horum descendentium: dicitur, carnali propagine contractum, quia consanguinitas non contrahitur per quamcunq; dependentiam ab alio, sed per carnalem copulam, ideo Angeli non dicuntur consanguinei Dei, quia ab eo non processerunt per carnalem propaginẽ, sed per creationem; nec Eua dicitur consanguinea Adam, quia licet ex eius osse fuerit formata, non tamen ab eo processit per carnalem propagationem, carnalis enim propagatio fit per decisum sanguinem vel vtriusque Parentis, vel saltem Matris, vt in Beatissima Virgine Maria, vnde Christus fuit verus consanguineus Beatissimæ Virginis, eo quod ex ipsius purissimo sanguine quoad naturam humanam fuerit conceptus de Spiritu Sancto, nec requiritur descensus per carnalem concubitum. pro adhuc maiori explicatione huius diffinitionis aliqua sunt proponenda, & soluenda dubia, quorum primum est, si consanguinitas est vinculum descendentium ab eodem stipite, ergo filius non erit consanguineus Patris, probatur sequela, quiã ambo non descendunt ab eodem stipite, sed vnus ab alio. respondet Do-

minicus Sotus.4.sent.d. 40. q.vnica. a. 1. dupliciter, & primò quod Pater, & filius descendunt ab auo, & sic ambo descendunt ab vno stipite, secundò respondet, quod illa particula diffinitionis debet intelligi sub disciunctione, ita quod sit sensus, vel ambos ab vno descendere, vel vnũ ab altero. secundum est. Consanguinitas est nomen conuenientiæ, aut ergo consanguinei conueniunt in forma, aut in materia, si in forma, illa conuenientia est specifica, in qua omnes homines conueniunt, ergo omnes essent consanguinei, si in materia, hoc videtur falsum, quia omnes etiam fratres distinguuntur pænes materiã numero. respondetur tamen, consanguinitatem dicere conuenientiam materialem, dicit enim conuenientiam in sanguine, sanguis autem spectat ad materiam, & licet differant singuli consanguinei materia numerali, est tamen omnium idem sanguis in ordine ad causam efficientem, quia prouenit ab eodem stipite, sicut est idem riuulus, qui ab eodem effluit fonte.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Gutierez de matrimonio cap. 98. Sãchez lib.7.disp.50.& 51. P. Ledes. q. 54.a.1. Reginaldus lib.31.num.110. Toletus lib.7.cap.5.num. 1. & alij.

Quæritur, an consanguinitas conuenienter distinguatur per lineas, & per gradus.

2 Respondeo dicendum, quòd consanguinitas est quædam propinquitas in naturali communicatione fundata secundũ actum generationis, qua natura propagatur, vnde secundum Phylosophum in 8. Ethicorum ista communicatio est triplex vnà secundum habitudinem principij ad principiatum, & hæc est consanguinitas patris ad filium, vnde dicit, quòd parentes diligunt filios, vt sui ipsorum aliquid existentes, alia est secundum habitudinem principiati ad principium, & hæc est filij ad patrem, vnde dicit, quòd filij diligunt parentes, vt ab illis existentes; tertia est secundum habitudinem eorum, quæ sunt ab vno principio adinuicem, sicut fratres dicuntur ex eisdem nasci, vt ipse ibidem dicit: & quia punctus motus lineam facit, & perpropagationem quodam modo pater descendit in filium, ideo secundum dictas tres habitudines, tres lineæ consanguinitatis sumuntur, scilicet linea descendentium secundum primam habitudinem, linea ascendentium secundum secundam, linea transuersalium secundum tertiam. sed quia propagationis motus nõ quiescit in vno termino, sed vltra progreditur, ideo contingit, quòd patris est accipere patrem, & filij filium, & sic deinceps, & secundum hos diuersos progressus diuersi gradus in vna linea inueniuntur; & quia gradus cuiuslibet, rei est pars aliqua illius rei, gradus propinquitatis non potest esse, vbi nõ est propinquitas, & ideo identitas, & nimia distantia gradum consanguinitatis tollunt, quia nullus est sibi ipsi propinquus, sicut nec sibi similis, & propter hoc nulla persona per se ipsam facit aliquem gradum, sed cõparata alteri personæ gradum facit ad ipsam, sed tamen diuersa est ratio computãdi gradus in diuersis lineis, gradus enim consanguinitatis in lineam ascendentium, & descendentium contrahitur ex hoc, quod vna persona ex alia propagatur eorum, inter quos gradus consideratur, & ideo secũdum computationem canonicam, & legalem persona, quæ primo in processu propagationis occurrit, vel ascendendo, vel descendendo, distat ab aliquo puta à Petro in primo gradu, vt pater, & filius, quæ autem vtrique secundo occurrit, distat in secundo gradu, vt auus, & nepos, & sic deinceps; sed consanguinitas eorum, quæ sunt in linea transuersali contrahitur non ex hoc, quòd vnus eorum ex alio propagatur, sed quia vterque propagatur ex vno, & ideo debet gradus in hac linea consanguinitatis computari per comparationem ad vnum principium, ex quo propagatur, sed secundum hoc est diuersa computatio canonica, & legalis, quia legalis computatio attendit descensum à communi radice ex vtraque parte, sed canonica tantùm ex altera, ex illa scilicet, ex qua maior numerus graduum inuenitur. vnde secundum legalem computationem frater, & soror, vel duo fratres attinent sibi in secundo gradu, quia vterque à radice communi distat per vnum gradum, & similiter filij duorum fratrum distant à se inuicem in quintò gradu, sed secundum computationem canonicam duo fratres attinent sibi in primo gradu, quia neuter eorum distat à radice communi, nisi per vnum gradum, sed filius vnius fratrum distat, ab altero fratre in secundo gradu, quia tantum distat à communi radice, & ideo secundum canonicam computationem quoto gradu distat quis ab aliquo superiori, toto distat à quolibet descendentium ab ipso, & nunquam minus, quia propter quod vnum quodque illud magis.

magis. vnde si alij descendentes in communi principio conueniunt cum aliquo ratione principij communis, non possunt propinquiores esse descendenti ex alia parte, quam sit primum principium ei propinquum. aliquando tamē plus distat aliquis ab aliquo descendente à communi principio, quam distet ipse à principio, quia ille fortè plus distat à principio communi, quam ipse, & secundum remotiorem distantiam oportet consanguinitatem computari. 4.sentent.d.40. q. 1. art. 2. in corp.

Duo facit D. Thomas in hoc quæsito, primò respondet quæsito vnica conclusione, secundò affert quasdam regulas. quoad primum hæc est conclusio. consanguinitas conuenienter distinguitur per lineas, & gradus, nempe per lineam descendentium, & per lineam ascendentium, & per lineam trasuersalem, in quibus lineis sunt diuersi gradus. probatur prima pars, quia consanguinitas est quædam propinquitas in naturali communicatione fundata secundum actum generationis, qua natura propagatur, sed ista communicatio est triplex, ergo etiam sunt tres lineæ consanguinitatis. probatur minor, nam datur communicatio secundum habitudinem principij ad principiatum, & hæc est consanguinitas Patris ad filium: datur alia communicatio secūdum habitudinem principiati ad principium, & hæc est filij ad Patrem. tertia est secundum habitudinem eorum, quæ sunt ab vno principio adinuicem, sicut fratres dicuntur ex eisdē nasci. probatur secunda pars, quia propagationis motus non quiescit in vno termino, sed vltra progreditur, ideò contingit, quod Patris est accipere Patrem, & filij filium, & sic deinceps, & secūdum hos diuersos progressus diuersi gradus in vna linea inueniuntur. quo ad secundum ponuntur aliquæ regulæ, quibus cognoscamus diuersos gradus, quarum prima est. gradus consanguinitatis in lineam ascendentium, & descēdentium contrahitur ex hoc, quod vna persona ex alia propagatur eorum, inter quos gradus consideratur & ideò persona, quæ primò in processu propagationis occurrit, vel ascendendo, vel descendendo, distat ab aliquo puta à Petro in primo gradu, vt Pater, & filius, quæ autem vtrique secundò occurrit, distat in secundo gradu vt auus, & nepos, & sic deinceps. secunda regula. gradus in linea transuersali consanguinitatis debet computari per comparationem ad vnum principium, ex quo propagatur, probatur, quia consanguinitas eorum, qui sunt in linea transuersali contrahitur non ex hoc, quod vnus eorum ex alio propagatur, sed quia vterque propagatur ex vno, vnde secundum computationē canonicam duo fratres attinent sibi in primo gradu, quia neuter eorum distat à radice communi, nisi per vnum gradum; sed filius vnius fratrum distat ab altero fratre in secundo gradu, quia tantum distat à communi radice, & ideò secūdum canonicam computationem quoto gradu distat quis ab aliquo superiori, toto distat à quolibet descēdentium ab ipso, & nunquam minus, quia propter quod vnumquodque illud magis.

Pro horum intelligentia notanda sunt aliqua, & primò quod linea consanguinitatis nil aliud est, quam ordinata collectio personarum consanguinitate coniunctarum ab eodem stipite descendentium diuersos continens gradus. obserua secundò, quòd gradus est habitudo distantium personarum, qua cognoscitur quanta distātia personæ inter se differant, vt habitudo filij ad Patrem est primus gradus, quia inter illos nulla persona media distat, sed dicitur primus gradus, quia est prima distantia. rursus animaduerte, quod gradus ascensum, & descensum significat, descensus autem duos terminos, & duo extrema designat, scilicet à quo, & ad quem, vnde eiusdem ad se ipsum non potest esse gradus, nec Pater, & Mater constituunt gradum, sed cōstituunt extremum primum primi gradus, qui terminatur ad filios: sensus ergo conclusionis, qua dicitur, quod consanguinitas rectè distinguitur per lineas, & gradus, est, quod sanguinis propinquitas instar arboris per ramos, pluresque subinde ramusculos diffunditur, & propagatur, vnde & à summistis in figuram arboris describitur, cuius effigiem videas in Siluestro verb. matrimonium.8.q.6. & maximè in Dominico Soto. 4.sent.d. 40. q.vnica. a. 2. qui duas lineas ab eodem stipite quattuor gradibus cadentes sub bicorni forma delineauit egregiè; ex his patet, lineam ex pluribus gradibus constare, puta Patre, filio, nepote, pronepote, ab nepote. aduerte tamen, illas duas lineas, quas Diuus Thomas in littera posuit, nempe lineam ascendentium, & descendentium, non esse re diuersas, sed sola ratione, & consideratione, nam per eandem scalam descenditur, & ascenditur, Pater enim per lineam rectam descendit ad filium tanquam per primum gradum, & ad nepotem tanquam per secundum gradum, & ad pronepotem tanquam per tertium gradum, & ad abnepotem tanquam per quartum gradum; & per eandem lineam rectam iterum ascenditur, vnde ille, qui descendēdo erat ab nepos, nunc ascendit tanquam filius ad Patrem per primum gradum, & ad auum per secundum gradum, ad proauum per tertium gradum, ad abauum per quartum gradum. trāsuersim autem ab vna linea ad alteram diuersatur, vt inter duos primos filios, & filias, qui sunt germani fratres, primus gradus agnoscatur, & inter nepotes secundus &c. obserua tamen, vt habemus ex D. Thoma in littera, quod in supputatione transuersarum linearum diuersam rationem Imperatores in suis legibus secuti sunt, quā in suis canonibus Pontifices, verum quia computatio legum ciuilium nostro non multum conducit proposito, vt etiam obseruat Toletus lib. 7. cap. 5. num. 3. ideò eam omitto, ipsam tamen egregiè explicat Dominicus Sotus loco citato, ideò

ideò lector curiosus de huiusmodi ciuil supputatione ad ipsum recurrat. Circa regulas obserua, quod si uis cognoscere, quoto gradu duo inter se distent, videas, vtrum sint ambo in eadem linea recta, an verò sint collaterales duarum linearum: si sunt in eadem linea, & inter illos nō est aliqua persona media, sunt consanguinei in primo gradu, vt Pater, & filius; si vero sit persona media, tunc connumeratis omnibus medijs, & extremis, sunt in tot gradibus, quot sunt personæ vna dempta; puta quia Pater, & filius, & nepos sunt tres personæ, nepos distat ab auo secundo gradu, & pronepos tertio, & sic descendendo: si verò illi duo sint transuersales in diuersis lineis, & æqualiter ab stipite distent, quo gradu distāt ab stipite, eo distant inter se, vt fratres distant inter se primo gradu, quo etiam distant à Patre: si autem inæqualiter ab stipite distent, tunc quo gradu remotior distat ab stipite, eo distant & ipsi inter se. cap. vir, qui ab stipite. de consang. & affinit; ratio huius affertur à D. Thoma in littera, quia cum collaterales non habeant in se consanguinitatem, nisi quam habent ratione primi stipitis, in quo vniuntur, nullus vnius lineæ maiorem potest habere propinquitatem ad lineam alterius, quam habeat ad stipitem; & quia propinquitas inter duos est relatio æqualitatis, & similitudinis, hinc fit, vt abnepos non sit propinquior filio abaui, quam sit ipsi abauo, puta in quarto gradu, atque adeò nec filius abaui sit eidem abnepoti propinquior, quam in eodem quarto gradu.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Valentia tom 4. disp. 10. q. 5. p. 3. Sanchez lib. 7. disp. 50. Henriquez lib. 11. c. 8. Perez parag. 40. Coninchus disp. 32. dub. 2. Reginaldus lib. 31. num. 141. & 142. Toletus lib. 7. cap. 5. num. 12. & alij.

Quæritur, an in eodem gradu detur magis, & minus.

3 Respondeo dicendum, quòd consanguinitas dicitur maior, vel minor dupliciter, vno modo intensiuè ex ipsa natura consanguinitatis, alio modo quasi dimensiuè, & sic quantitas consanguinitatis mensuratur à personis, inter quas consanguinitatis propagatio procedit, & ideò contingit, quòd aliquorum duorum, qui sunt in eodem gradu consanguinitatis respectu alicuius personæ vnus est sibi magis consanguineus, quam alius considerando primam quantitatem consanguinitatis, sicut pater, & frater attinent alicui in primo gradu consanguinitatis, quia ex neutra parte incidit aliqua persona media; sed tamen intensiuè loquendo magis attinet alicui personæ pater suus, quam frater, quia frater non attinet ei, nisi in quantum est ex eodem patre, & ideo quanto aliquis est propinquior communi principio, à quo consanguinitas descendit, tantò est magis cōsanguineus, quamuis non sit in propinquiori gradu, & secundum hoc propatruus est magis consanguineus alicui, quam pronepos eius, quamuis non sit in eodem gradu. 4. sent. d. 40. q. 1. a. 2. ad 5.

Tria facit D. Thomas in hoc quæsito; primò affert distinctionem, secundò respondet quæsito vnica conclusione, & tertiò elicit corrolariū. quo ad primum distinctio est. consanguinitas dicitur maior, vel minor dupliciter, vno modo intensiuè ex ipsa natura cōsanguinitatis, alio modo quasi dimensiue, & sic quantitas consanguinitatis mensuratur à personis, interquas consanguinitatis propago procedit. conclusio est. contingit, quod aliquorum duorum, qui sunt in eodem gradu consanguinitatis respectu alicuius personæ vnus est sibi magis consanguineus, quā alius considerando primam quantitatem consanguinitatis. explicatur exemplo. Pater, & frater attinent alicui in primo gradu consanguinitatis, quia ex neutra parte incidit aliqua persona media, sed tamen intensiuè loquendo magis attinet alicui personæ Pater suus, quam frater, quia frater non attinet ei, nisi inquantum est ex eodem Patre. quo ad tertium est tale corrolarium, quantò aliquis est propinquior communi principio, à quo consanguinitas descedit, tantò est magis consanguineus, quamuis nō sit in propinquiori gradu.

Distinctio data à D. Thoma explicatur tali exemplo, albedo dicitur maior dupliciter, vno modo ex intensione ipsius qualitatis, alio modo ex quantitate superficiei, ita consanguinitas dicitur maior, vel minor dupliciter, scilicet intensiuè ex ipsa natura consanguinitatis, alio modo quasi dimensiuè, & sic quantitas consanguinitatis mensuratur ex personis, interquas consanguinitatis propago procedit, & hoc secūdo modo gradus in consanguinitate distinguuntur. secundū autem primum modum contingit, quod aliquorum duorum, qui sunt in eodem gradu consanguinitatis respectu alicuius personæ vnus est sibi magis consanguineus, quam alius, quia quantò aliquis est propinquior communi principio, à quo consanguinitas descendit, tantò est magis consanguineus, quamuis non sit in propinquiori gradu.

Quæritur, quomodo pater, & patruus sint, vel non sint in eodem gradu.

4 Respondeo dicendum, quòd quamuis pater, & patruus sint in eodem gradu respectu radicis consanguinitatis, quia vterque distat vno gradu ab auo, tamen respectu eius, cuius consanguinitas quæritur, non sunt in eodem gradu, quia pater est

in

in primo gradu, patruus autem non potest esse propinquior, quam in secundo, in quo est auus. 4. sent. d. 40. a. 2. ad 6.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Pater, & Patruus sunt in eodem gradu respectu radicis consanguinitatis, respectu tamen eius, cuius consanguinitas quæritur, non sunt in eodem gradu. probatur prima pars, quia vterque distat vno gradu ab auo. probatur secunda pars, quia pater est in primo gradu, patruus autem non potest esse propinquior, quam in secundo, in quo est auus.

Hæc doctrina patet ex dictis in secunda quæstione, ex regula data circa lineam transuersalem, vbi dicebamus, quod quando duo sunt transuersales in diuersis locis, & ab stipite inæqualiter distant, tunc quoto gradu remotior distat ab stipite, distant & ipsi inter se. sic est in proposito, quia ille, cuius consanguinitas quæritur, qui est remotior, distat ab auo in secundo gradu, ideò & distabit à patruo in secundo gradu.

Quæritur, an consanguinitas de iure naturali impediat matrimonium.

5 Respondeo dicendum, quòd in matrimonio illud contra legem naturæ esse dicitur, per quòd matrimonium redditur incompetens respectu finis, ad quem est ordinatum, finis autem matrimonij per se, & primo est bonum prolis, quòd quidem per aliquam consanguinitatem scilicet inter patrem, & filiam, vel filium, & matrem impeditur, non quidem vt totaliter tollatur, quia filia ex semine patris potest prolem concipere, & simul cum patre nutrire, & instruere, in quibus bonum prolis consistit, sed vt non conuenienti modo fiat, inordinatum est enim, quòd filia patri per matrimonium adiungatur in sociam causa generandæ prolis, & æducãdæ, quam oportet per omnia patri esse subiectam, velut ex eo procedentem, & ideò de lege naturali est, vt pater, & mater à matrimonio repellantur, & magis etiam mater, quam pater, quia magis reuerentiæ, quæ debetur parentibus, derrogatur, si filius matrem, quam si pater filiam ducit in vxorem, cum vxor viro aliqualiter debeat esse subiecta. sed finis matrimonij secundarius per se tantùm est concupiscentiæ repressio, quæ quidem periret, si quælibet consanguinea posset in matrimonium duci, quia magnus concupiscentiæ aditus præberetur, nisi inter illas personas, quas opportet in eadem domo conuersari, esset carnalis copula interdicta, & ideò lex Diuina non solum patrem, & matrem exclusit à matrimonio, sed etiam alias coniunctas personas, quas oportet simul conuersari, & quæ debent inuicem altera alterius præiudicium custodire, & hanc causam assignat Diuina lex dicens, nec reueles turpitudinem talis, vel talis, quia turpitudo tua; sed per accidens finis matrimonij est consideratio hominum, & amicitiæ multiplicatio, dum homo ad consanguineos vxoris, sicut ad suos se habet, & ideo huic multiplicationi amicitiæ præiudicium fieret, si aliquis sanguine coniunctam vxorem duceret, quia ex hoc noua amicitia per matrimonium nulla cresceret. & ideò secũdum leges humanas, & statuta Ecclesiæ plures consanguinitatis gradus sunt à matrimonio separati. sic ergo ex dictis patet, quòd consanguinitas quãtum ad aliquas personas impedit matrimonium de iure naturali, quantum ad aliquas de iure Diuino, & quantum ad aliquas de iure per homines instituto. 4. sent. d. 40. art. 3. in corp. (d. 35. art. 2. ad 4. (2. 2. q. 154. art. 9. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. consanguinitas quantum ad aliquas personas impedit matrimonium de iure naturali, quantum ad aliquas de iure Diuino, & quantum ad aliquas de iure positiuo Ecclesiastico. hæc conclusio habet tres partes, & probatur quoad singulas, & quoad primum sic, in matrimonio illud contra legem dicitur naturæ, per quod matrimonium redditur incompetens respectu finis, ad quem est ordinatum, sed finis matrimonij per se, & primò est bonum prolis, quod per aliquam consanguinitatem, scilicet inter Patrem, & filiam, vel filium, & Matrem impeditur, ergo de lege naturali est, vt Pater, & Mater à matrimonio repellantur, & magis etiam Mater, quam Pater. probatur minor, quia licet non totaliter tollatur bonum prolis, fit tamen non conuenienti modo. omnia patent in littera. Secunda pars probatur, lex Diuina prohibet matrimonium inter eos consanguineos, inter quos si posset fieri, tolleretur finis per se secundarius matrimonij, qui est repressio concupiscentiæ, sed talis finis tolleretur, si matrimonium posset fieri inter coniunctas personas, quas oportet simul conuersari, & quæ debent inuicem altera alterius præiudicium custodire, ergo de iure Diuino inter istas personas prohibetur matrimonium. probatur minor, quia si quælibet consanguinea posset in matrimonium duci, magnus concupiscẽtiæ aditus præberetur circa illas personas, quas oportet in eadem domo conuersari. tertia pars probatur, Ecclesia vetat matrimoniũ inter eos, inter quos si fieret, tolleretur finis per accidens matrimonij, qui est consideratio hominum, & amicitiæ multiplicatio, sed huic fini præiudiciũ

fieret,

fieret, si aliquis sanguine iunctam vxorem duceret, ergo secundum leges humanas, & statuta Ecclesiæ plures consanguinitatis gradus sunt à matrimonio separati. probatur minor, quia ex hoc nulla noua amicitia per matrimonium cresceret.

Quod natura aborreat congressum Patris cum filia, & filij cum Matre, testantur historiæ; scribit Arist. lib.9.de hist.enim cap. 47. Plinius etiā lib. 8. cap. 42. de Camelo, & equo, qui coacti superuenire Matres operimento contectas, postquam cognouerunt Matres esse, Camelus Camelarium morsu interemit, equus autem se præcipitem dedit. suadent rationes D. Thomæ, quibus adduntur aliæ à Dominico Soto.4. sent. d. 40.q.vnica.art.3. confictæ: sed nedum iure naturali prohibitus est concubitus Patris, cu filia, & filij cum Matre, sed etiam eodem iure prohibitus est concubitus fratris cum sorore, vnde matrimonium fratris cum sorore vsque adeò iure naturali prohibitum est, vt si attentetur, nullū sit, neque vt sit validum, Ecclesia per dispensationem efficere possit: ex quibus patet, primum gradum nedum in linea recta, sed etiam in transuersali esse prohibitum iure naturali. An autem matrimonium inter Patrem, & filiam, & inter filium, & Matrem sit adeo iure naturæ vetitum, vt nullam ob causam quantumcunq; publicam possit super eo dispensari, operosius inquirendum est. Caietanus. 22 q. 154.art. 9. asserit matrimonium inter Patrem, & filiam esse ita indispensabile, vt ob nullam pœnitus necessitatem, etiā propagandi humanum genus possit fieri licitè, quia arbitratur esse malum intrinsecè, vt mētiri, & furari, à quibus malitia inseparabilis est. Martinus de temperantia.q. de incæstu tenet, ratione boni communis, ne scilicet genus humanum pereat, licere Patri filiam, & filio Matrem cognoscere; & ponit hunc casum, si Adam forsan non nisi filias ex Eua susciperet, & intelligeret, maribus concipiendis ineptam fuisse, vel fortè si eam Deus tunc sustilisset in cælum, tunc, inquit, absque alia Dei dispensatione potuisset ad filiā accedere procreandi masculos causa; vel detur, quod nunc ex hominibus non sint superstites nisi Pater, & filia, qui crederent Orbem abolitum iri, tunc videtur ille pater causa conseruandi humanum genus posse filiam matrimonio sibi adiungere. Dominicus Sotus.4.sentent.d.40.q. vnica. art. 3. asserit, Deum posse in huiusmodi casibus dispensare matrimonium inter Patrem, & filiam; negat tamen casum Martini de Eua, vt pote repugnantem prouidentiæ Diuinæ; nec est verum, quod talis congressus Patris cum filia sit ita intrinsecè malus, sicut est mentiri, & furari, hoc tādem ipse Caietanus.p.2.q.100.art.8.fatetur docens, posse Deum dispensare super matrimonio Patris cum filia; idem dicendum esse, docet idē Sotus, si modo in toto vniuerso non essent nisi Pater, & filia, aut Mater, & filius, sicut etiam si non adesset in toto Orbe nisi Religiosus professus, & mulier, tunc ille Religiosus posset contrahere cum illa muliere non obstante voto solemni, vt suo loco dicetur. multò magis poterit, & potuit dispensare in primo gradu in linea transuersali, scilicet vt fratres acciperent in vxores suas sorores, vt in mundi initio factum est propter necessitatem conseruandæ naturæ humanæ, sicut licitum est in necessitate rem alienam accipere, vt suam. Dubium aliud insurgit, an in linea recta idem ius naturæ remotiores gradus à matrimonio pariter arceat. aliqui asserunt, vt Paludanus, Durandus, Scotus, Ricardus. 4. sen. d.7. lineā rectam in infinitum connubia interdicere, vsque adeò vt Adam, qui nongentis triginta annis vixit, si viduus tunc fuisset, immò si nunc resurgeret, cum nulla possit matrimonium componere, quare Enoch, qui in fine mundi cū Elia appariturus est, cum nulla fœmina contrahere poterit, quoniam Noe, ex quo omnes trahimus originem, eius fuit soboles. hanc opinionem etiam sequitur Toletus lib. 3. cap.5. num.6. qui etiam citat Siluestrum, & hanc dicit esse opinionem communem. Caietanus.22.q.154.art. 9.& in opusculo ad Clementem septimum de cōiugio Regis Angliæ tenet, iure Diuino solum prohiberi vnum gradum in linea recta, scilicet Parētum, & natorum. Dominicus Sotus 4.sent. d. 40. q. vnica a.3. asserit, quod ius naturæ matrimonium cohibet inter auum, & nepotem, licet in infinitum huiusmodi impedimentum non progrediatur. prima pars relinquitur tanquam nota ex dicto Leuitici 18. secunda pars probatur, nam cap.vir, qui à stipite, non respuit matrimonium inter Tritauum, & Trineptem, qui quinto gradu distant, ergo &c. vlterius ius Ecclesiasticum, quo gradus consanguinitatis prohibentur, id admonuisset, quod tamen nō præstitit, sed tali iure olim fuerūt prohibiti sine vlla differentia rectæ, aut transuersalis lineæ solum sextus, aut septimus gradus, & nunc solum quartus, ergo cū Ecclesia non possit aliquid cōtra ius naturæ decernere, signum est consanguinitatem lineæ rectæ iure naturæ perinde ac transuersalis finiri: præterea consanguinitas consideratur vt radix, & fons amicitiæ, euanescit autem amicitia inter multum distantes, ergo non est, cur semper sit consanguinitas reputanda. hanc opinionem amplector ego. Circa quod dicebatur, lege scilicet Diuina prohiberi matrimonium inter consanguineos illos, qui simul conuersantur, aliter magnus concupiscentiæ aditus præberetur, est dubium, nam & species mulieris incitat ad libidinem, & tamen non impedit matrimonium. respondetur, hoc verum esse, potest tamen caueri consortium illius mulieris, conuersatio autem intra easdem ædes vitari non potest, & creberrimas illecebras, & ocasiones lapsus offert, vnde nisi interdictum esset inter domesticos matrimonium, omnes domus incæstibus sordescerent.

Hinc patet, vnde hauserint, quæ docent Henriquez lib.12.c. 9. Gutierez c. 98. Sanchez lib. 7. d.52. Valentia tom.4.d.10.q.5.p.3. Rebellus lib. 3. q.5. Perez fol.153. Suarez lib. 7. d. 42.

Qua-

Quaritur quare Barbari olim parentibus commiscebantur.

6 Respondeo dicendum, quòd non procedit ex lege naturali, quòd aliqui barbari parentibus commiscentur, sed ex concupiscentiæ ardore, qui legem naturæ in eis offuscauit. 4. sent. d. 40. a. 3. ad 2.

Quod aliqui barbari Parentibus commiscerẽtur, non procedere ex lege naturali, sed ex concupiscentiæ ardore, qui legem naturæ in eis offuscauit, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Tertulianus in apologetico. c. 9. Strabo lib. 15. Quintus Curtius lib. 7. referunt Persis huiusmodi incæstuosa connubia consueta fuisse. si hæc vera sunt, isti profectò non sunt digni, qui hominis nomine vocentur, non sunt digni, vt inter homines connumerentur, est siquidem talis consuetudo potius belluina, quam humana, immò & belluas ipsas abhorrere huiusmodi congressus fatentur Arist. & Plinius, vt iam diximus: ex ardore ergo libidinis barbari illi mouebantur ad huiusmodi concubitus, qui legem naturæ in eis offuscabat.

Quaritur, an consanguinitatis gradus matrimonium impedientes potuerint taxari ab Ecclesia, vsque ad quartum gradum.

7 Respondeo dicendum, quòd secundum tempora diuersa inuenitur consanguinitas secundum gradus diuersos matrimonium impedisse: In principio enim humani generis solus pater, & mater à matrimonio repellebantur, eo quia tunc temporis erat paucitas hominum, & oportebat propagationi humani generis maximam curam impendere, vnde non erant remouendæ nisi illæ personæ, quæ matrimonio incompetentes erant etiam quantum ad principalem matrimonij finem, qui est bonum prolis; postmodum autem multiplicato humano genere per legem Moysi plures personæ exceptæ sunt à matrimonio, quæ in vna familia cohabitare solent, quia si inter eos licitè carnalis copula esse posset, magnum incentiuum libidini præstaretur; sed alios consanguinitatis gradus lex vetus permisit, immò quodammodo præcepit, vt scilicet vnusquisque de cognatione sua vxorem acciperet, ne successionum confusio esset, quia tunc temporis cultus Diuinus per successionem generis propagabatur. sed postmodum in lege noua, quæ est lex spiritus, & amoris plures gradus consanguinitatis sunt prohibiti, quia iam per spiritualem gratiam, non per carnis originem cultus deriuatur, & multiplicatur, vnde oportet, vt homines etiã magis à carnalibus retrahantur, spiritualibus vacantes, & vt amor amplius diffundatur, & ideo antiquitus vsque ad remotiores gradus consanguinitatis matrimonium impediebatur, vt ad plures per consanguinitatem, & affinitatem naturalis amicitia permaneret, & rationabiliter vsque ad septimum gradum, tum quia vltra hoc non de facili remanebat communis radicis memoria, tum quia septiformi gratiæ Spiritus Sancti congruebat. sed postmodum circa hæc vltima tempora restrictum est Ecclesiæ interdictum vsque ad quartum gradum, quia vltra inutile, & periculosum erat gradus consanguinitatis prohibere. inutile quidem, quia ad remotiores consanguineos, quasi nullum fœdus maioris amicitiæ, quam ad extraneos habebatur charitate in multorum cordibus frigescente: periculosum autem erat, quia concupiscentia, & negligentia præualente tam numerosam consanguineorum multitudinem homines non satis obseruabant, & sic laqueus damnationis multis inijciebatur ex remotiore graduum prohibitione. satis etiam conuenienter vsque ad quartum gradum dicta prohibitio est restricta, tum quia vsque ad quartam generationem homines viuere consueuerunt, vt sic non posit consanguinitatis memoria aboleri, vnde Domin⁹ in tertiam, & quartam generationem peccata parentum se visitaturum in filijs comminatur; tum quia in qualibet generatione noua mixtio sanguinis, cuius identitas cosanguinitatem facit, fit cum sanguine alieno, & quantum admiscetur alteri, tantum receditur à primo, & quia elementa sunt quatuor, quorum quodlibet tantò est facilius miscibile, quantò est magis subtile, ideo in prima comixtione euanescit sanguinis identitas quantum ad primum elementum, quòd est subtilissimum, in secunda quantum ad secundum, in tertia quantum ad tertium, in quarta quantum ad quartum, & sic conuenienter post quartam generationem potest reiterari carnalis coniunctio. 4. sent. d. 40. a. 4. in corp.

Octuplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. secundum diuersa tempora inuenitur consanguinitas secundum gradus diuersos matrimonium impedisse. probabitur ex sequentibus conclusionibus. secũda

da conclusio. in principio humani generis Solus Pater, & Mater à matrimonio repellebantur. probatur, quia tunc temporis erat paucitas hominum, & oportebat propagationi humani generis maximam curam impendere, vnde non erant remouendæ nisi personæ illæ, quæ matrimonio inconpetentes erant etiam quantum ad principalem matrimonij finem, qui est bonum prolis. tertia conclusio. multiplicato humano genere per legem Moysi plures personæ exceptę sunt à matrimonio, quæ in vna familia habitare solent. probatur, quia si inter eos licitè carnalis copula esse posset, magnum incentiuum libidinis præstaretur. quarta conclusio. alios consanguinitatis gradus lex vetus permisit, immò quodammodo præcepit. probatur, quia tunc téporis cultus Diuinus per successionem generis propagabatur. quinta conclusio. in lege noua plures gradus consanguinitatis rectè sunt prohibiti. probatur, quia iam per spiritualem gratiam non per carnis originem cultus deriuatur, & multiplicatur, vnde oportet, vt homines etiã magis à carnalibus retrahantur spiritualibus vacantes, & vt amor amplius diffundatur. sexta conclusio. rationabiliter antiquitus impediebatur matrimonium vsque ad septimum gradum probat quia vltra hunc non de facili remanebat communis radicis memoria, tum quia septiformi gratiæ Spiritus sancti congruebat. septima conclusio. Ecclesiæ interdictum restrictum est vsque ad quartum gradum, quia vltra inutile, & periculosum erat gradus consanguinitatis prohibere. probatur, quod sit inutile, quia ad remotiores consanguineos quasi nullum fœdus maioris amicitiæ, quam ad extraneos habebatur Charitate in multorum cordibus frigescente. probatur, quod sit periculosum, quia concupiscentia, & negligentia præualente tam remotam consanguineorum multitudinem homines non satis obseruabant, & sic loqueus damnationis multis inijciebatur ex remotiore graduum prohibitione. octaua conclusio. satis conuenienter vsque ad quartum gradum dicta prohibitio est restricta. probatur, quia homo vsque ad quartam generationem viuere consueuit, vt sic consanguinitatis memoria aboleri non possit, vnde & Deus in tertiam, & quartam generationem peccata parẽtum se visitaturum in filijs minatur; tum quia homo habet quattuor humores quattuor elementis similes.

Disputat hoc in loco Dominic' Sotus, an Respublica Ciuilis, & Princeps sæcularis sub lege Euangelica facultate polleant, & iure sic cohibendi matrimonia, vt si contra eorum prohibitionis fiant, sint nulla, & concludit affirmatiuè cum limitatione tamen, dummodo scilicet adsit consensus Ecclesiæ. profectò verissima sunt. qđ autem possint Principes sæculares circa matrimonia, irritare ea, si fiant contra prohibitionem legis, deduco ex D. Thoma. 4. sent. d. 26 q. 2. art. 1. vbi ait, quod matrimonium quatenus ordinatur ad ciuiles vtilitates, qualis est amicitia, & mutuum obsequium, institutionem habet à lege ciuili, ergo poterit Princeps suis legibus huiusmodi matrimonium definire, & dirigere, quatenus tamen contractus quidem ciuilis est, non quatenus Sacramentum, quia circa sacramenta non se intromittit Princeps sæcularis: quia autem matrimonium nedum est contractus ciuilis, sed etiam sacramentum, & ad Ecclesiam incumbat de sacramentis censere, & in pertinentibus ad Regnum Cælorum Respublica ciuilis sit subiecta spirituali, ideò Princeps, siue Respublica sæcularis in causis matrimonialibus, & præcipuè in constituendis personis legitimis, vel illegitimis ab Ecclesiæ functionibus, & potestate deflectere nequit. quod disertissimis verbis explicauit Angelicus Doctor. 4. sent. d. 42. q. 2. art. 2. ad 4. vbi ait, prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonij, nisi interueniret auctoritas Ecclesiæ, quæ etiam idem interdicit. hinc patet, ad Ecclesiam pertinere iudicium discernendi, quodnam matrimonium sit legitimum, sicut iudicium decernendi de dotibus, & hæreditatibus, atque de alijs, quæ merè sæcularia sunt, ad sæculare tribunal spectat. concludamus ergo, Rempublicam ciuilem, ac sæcularem in huiusmodi legibus ferendis ita subdi Ecclesiæ, vt absque consensu Concilij, aut Papæ eas ferre nequeat; quod si Papa contradixerit, irritæ erunt prorsus, & inanes. circa primam cõclusionem remordebit scrupulus lectorem, & Ecclesiam de inconstantia arguere poterit, eo quod tanta varietate in his prohibitionibus vsa sit, cũ remanente eadem causa eundem existere effectum conueniat. sed respondetur, quod sicut variata sunt tempora, ita variari debuerunt statuta, & præsertim cum vsus necessitas, vel euidens vtilitas id exposcat, vt in littera dicitur. Pro explicatione secundæ conclusionis obserua, quod primus consanguinitatis gradus in linea recta ita est iure naturæ a matrimonio repulsus, vt nulla vnquam necessitate fuerit permissus, puta Patris cum filia, aut filij cum Matre, primus verò gradus collateralium, nempe inter fratrẽ, & sororem in primo orbis ortu propter extremam necessitatem dispensationem admisit, sed postea ita vbique prohibitus est, ac si nunquam potuisset esse permissus, vnde hæc matrimonia in primo gradu siue in recta, siue in transuersali linea post orbis initia sub nulla lege potuerunt esse firma, & valida. Pro aliarum conclusionum explicatione nota, quod in lege scripta huic gradui adhibitus fuit secundus ascendentium, & descendentium, nempe materteræ, vel amitæ cũ consobrino, vt habemus Leuitici 18. in hoc tamen secundo gradu nunc Summus Pontifex potest dispensare, secus autem in primo, siue sit in linea recta, siue transuersali; postmodum in lege Euangelica tempore D. Augustini, vt ipse docet 15. de Ciuitate Dei cap. 16. idest quadringentis annis ab orbe redempto non solum ille gradus, sed etiam secundus collateralis lineæ, nempe inter filios, & filias fratrum, qui fratrueles dicuntur, iã erat exclusus à nuptijs cõfederandis: prohibitio item fuit protelata antiquitus vsque ad

sextum,

sextum, vel septimum gradum, vt patet can. de affinitate, & can. de consanguinitate, & can. Progeniem, & can. Porrò. 35. q. 3. & can. series, & ad sedem, & reliquis, eadem causa. q. 5. huius autem prohibitionis duplex in littera affertur ratio, quarum prima est, quod cum consanguinitas tanquam fundamentum amicitiæ, & familiaritatis habeatur, vltra illos gradus nullus odor amicitiæ remanet, quia nemo potest natiuitatē quinti, vel sexti nepotis attingere, vnum enim integrum sæculum centum annorum, & eo amplius inter stipitem, & sextum, vel septimum in sobolis successione effluit. secunda ratio potius moralis est, quam litteralis, sicut illa, quæ desumitur à numero dierum septem in hebdomada, potius adaptatio quædam, quam vrgens ratio æstimanda est: nunc autem prohibitio restricta est ad quartum gradum inclusiuè; est hoc decretum Concilij Lateranensis generalis sub Innocentio tertio. c. non debet, de consang. & affinita. & hoc profectò rationabiliter factū est, quia vix euenire potest, vt Pater abnepotem, qui in quarto gradu est, agnoscat propter breuem vitæ periodum, quæ senescente mundo breuior fit in dies. alias rationes affert Pontifex, quæ etiā in littera referuntur, quæ potius congruitates sunt. qui ergo contraheret intra quartum gradum, peccaret mortaliter, & matrimonium nullum esset, consanguinitas enim in quattuor gradibus dirimit matrimonium contractum, & excomunicatus est sic scienter contrahens. Clem. 1. de consang. & affinit. & excomunicatio est latæ sent. sed Episcopalis.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 7. cap. 5. nu. 5. & alii.

Quæritur, an si modo prohiberetur quintus gradus, qui nunc sunt in illo coniuncti, essent separandi.

8 Respondeo dicendum, quòd si modo prohiberetur quintus gradus, qui nunc est concessus, illi, qui iam sunt in quinto gradu coniuncti, non essent separandi, nullum enim impedimentum matrimonio superueniens ipsum potest dirimere, & sic coniunctio, quæ prius fuit matrimonium, non efficeretur per Statutum Ecclesiæ Stuprū, & similiter si aliquis gradus concederetur, qui nunc est prohibitus, illa coniunctio non efficeretur matrimonialis ex statuto Ecclesiæ ratione primi contractus, quia possent separari, si vellent, sed tamen possent de nouo contrahere, & alia coniunctio esset. 4. sent. d. 40. a. 4. ad 6.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si modò prohiberetur quintus gradus, qui nunc concessus est, illi, qui iam sunt in quinto gradu coniuncti, nō essent separandi. probatur, quia nullum impedimentum matrimonio superueniens ipsum potest dirimere. hinc elicitur corrolarium, quod coniunctio, quæ prius fuit matrimonium, non efficeretur per statutum Ecclesiæ stuprum, vel incæstus. secunda conclusio. si aliquis gradus concederetur, qui nunc est prohibitus, illa coniunctio non efficeretur matrimonialis ex statuto Ecclesiæ ratione primi contractus. probatur, quia possent separari, si vellent, sed tamen possunt de nouo contrahere, & alia coniunctio esset.

Pro horum explicatione sciendum est, quod leges non respiciunt præterita, sed futura prospiciunt, quando ergo legislator remouet quintum, vel sextum gradum, non dispensat cum illis, qui in quinto contra Ecclesiæ interdictum contraxerant, quia illud nullum erat matrimonium; & è conuerso, si nunc quintus gradus prohiberetur, non ideò separandi essent, qui in tali gradu hucusque contraxerunt, quia prohibitio vim obtinet à tempore promulgatæ legis; & quia nullum impedimentum matrimonio superueniens dirimit illud, vt in littera dicitur. contra tamen hanc rationem est argumentum tale, postquam matrimonium fuit contractum, sed non consumatum, possunt coniuges ingredi Religionem infra duos menses, vt leges disponunt, ergo ingressus in Religionem superueniens matrimonio rato dirimit illud, ergo falsum, quod dicebat D. Thomas, quod nullum impedimentum superueniens matrimonio dirimit illud. respondetur, quod loquitur D. Thomas de impedimento superueniente matrimonio ex prohibitione Ecclesiæ proueniente, vt patet ex littera, ingressus autem in Religionem conceditur ab Ecclesia infra duos menses à matrimonio rato, sed non consumato, quia ingressus in Religionem est melius bonum, quam status coniugalis.

Quæritur, quare Ecclesia æqualiter prohibuit gradus consanguinitatis in patruis, & nepotibus.

9 Respondeo dicendum, quòd in gradibus consanguinitatis prohibendis Ecclesia præcipuè obseruat rationem amoris, & quia non est minor ratio amoris ad nepotem, quam ad patruum, sed etiam maior quanto propinquior est filio pater, quam Patri filius, vt dicitur in 8. Eth. propter hoc æqualiter prohibuit gradus consanguinitatis in patruis, & nepotibus. sed lex vetus in personis prohibendis attendit præcipuè cohabitationem contra concupiscētiam, illas personas prohibens, ad quas facilior pateret accessus propter mutuam cohabitationem, magis autem consueuit cohabitare neptis patruo, quam amita nepoti, quia filia est quasi idem cum patre, cum sit aliquid eius, sed soror non est hoc modo idem cum fratre, cum non sit ali-

quid eius, sed magis ex eodem nascitur, & ideo non erat eadem ratio prohibendi neptem, & amitam. 4. sentent. distinct. 40. art. 4. ad 7.

Duo facit D. Thomas in hoc quæsito, primò respondet quæsito vnica conclusione; secundò respondet obiectioni, quo ad primum conclusio est. Ecclesia rectè prohibuit æqualiter gradus consanguinitatis in patruis, & nepotibus. probatur, in gradibus consanguinitatis prohibendis Ecclesia præcipuè obseruat rationem amoris, sed non est minor ratio amoris ad nepotem, quam ad patruum, sed maior, quantò propinquior est filio Pater, quam Patri filius, vt dicitur. 8. Eth. ergo debuit æqualiter prohibere gradus consanguinitatis in patruis, & nepotibus. quo ad secundum obiectio est. in veteri lege aliquis prohibebatur accipere in vxorem sororem Patris sui, non tamen filiam Patrui, ergo nec modò debet aliqua prohibitio esse de nepotibus, & patruis manere. respondet, quod lex vetus in personis prohibendis attendit præcipue cohabitationem contra concupiscentiam, illas personas prohibens, ad quas facilior pateret accessus propter mutuam cohabitationem, magis autem consueuit cohabitare neptis Patruo, quam Amita Nepoti, quia filia est quasi idem cum Patre, cum sit aliquid eius, sed soror non est hoc modo idem cum fratre, cum non sit aliquid eius, sed magis ex eodem nascitur, ideò non erat eadem ratio prohibendi Neptem, & Amitam.

Pertranseo, cum nil occurrat scribendum circa hoc.

Quæritur, an possit dispensari in gradibus consanguinitatis.

10 Respondeo dicendum, quòd sicut olim matrimonia gentilium dispensabantur per leges Ciuiles, ita nunc per Statuta Ecclesiæ. 4. sentent. d. 40. a. 4.

Gradus consanguinitatis posse dispensari per Ecclesiam, docet D. Thomas in hoc quæsito, quia sicut olim matrimonia Gentilium dispensabantur per leges Ciuiles, ita nunc per statuta Ecclesiæ.

Pro explicatione huius litteræ sciendum est, quod ex istis gradibus consanguinitatis siue in linea recta, siue transuersali consideratis aliqui sunt, qui iure Diuino, & naturali sunt prohibiti à matrimonio, sicut primus gradus tam in linea recta, vt inter Patrem, & filiam, & inter filium, & Matrem, quam in linea transuersali, vt inter fratrem, & sororem; alij sunt gradus ex statuto Ecclesiæ à matrimonio exclusi, vt patet ex decreto Concilij Lateranensis sub Innocentio tertio. c. non debet, de consang. & affinit. quia autem Ecclesia, siue Papa non habet auctoritatem dispensandi super ius Diuinum, siue etiam naturæ, ideò in illis gradibus consanguinitatis, qui sunt prohibiti iure Diuino, vel naturali, non poterit dispensare; quia autem habet auctoritatẽ super ius positiuum Ecclesiasticum, ideò in gradibus prohibitis ex statuto Ecclesiastico poterit dispensare. verum hæc magis explicabuntur in verb. Dispensatio cap. 2. q. 1.

CONSCIENTIA.

1 *Conscientia dicit ordinem scientiæ ad aliquid.*
Cõscientia est applicatio sciẽtiæ ad aliquid agendũ.
Conscientia est actus.
Qua ratione dicatur conscientia testificari, ligare excusare, accusare remordere.
Aliquando conscientia dicitur sinderesis.
2 *Conscientia quibus nominibus vocetur.*
§ *Conscientia varijs nominibus vocatur ob varios effectus.*
3 *Conscientia quare dicatur aliquando spiritus.*
§ *Quæ sit diffinitio conscientiæ.*
4 *Vis conscientiæ pendet ex iudicio sinderesis.*
5 *Conscientia ligat vi præcepti Diuini.*
Ligare dicitur metaphoricè de spiritualibus.
Nullus ignorans præceptum Dei ligatur ad præceptum illud faciendum, nisi quatenus tenetur scire præceptum illud,
Si non tenetur scire præceptum, nec sciat non ligatur illo præcepto.
6 *Præceptum Dei obligat contra præceptum Prælati, & magis obligat.*
Conscientiæ ligamen est maius, quam ligamen præcepti Prælati.
Conscientia ligat, etiam existente in contrarium præcepto Prælati.
Conscientia recta simpliciter, & perfectè obligat contra præceptum Prælati.
Conscientia erronea ligat contra præceptum Prælati in indifferentibus secundum quid, & imperfectè.
§ *Quid sit conscientia recta, & erronea.*
Quæ dicantur indifferentia.
7 *Conscientia potest errare.*
8 *Quorundam opinio confutatur.*
Omnis voluntas discordans à ratione siue recta, siue errante semper est mala.
§ *Conscientia erronea obligat contra præceptum Diuinum.*
Faciens contra conscientiam erroneam quandò peccet mortaliter, & quando venialiter, & notantur scitu digna.
Agens contra conscientiam siue rectam, siue erroneam vnum tantum peccatum facit.
Quodnam sit maius peccatum, agere contra conscientiam erroneam vincibilem, an agere secundum eam, non potest statui certa regula.
9 *Omnis conscientia siue recta, siue erronea, siue in per se malis, siue in indifferentibus est obligatoria, itaut qui contra conscientiam faciat, peccet.*
§ *Conscientia tam recta, quam erronea obligat, diuersa tamen ratione, & quomodo.*
Conscientia erronea ligat, & obligat ad faciendum, quod dictat, & quomodo.
Nulla est differentia inter ligare, & obligare.

Conscien-

Conſcientia dicitur erronea dupliciter.
Sequi conſcientiam ſtat dupliciter.
10 *Non faciens, quòd conſcientia dictat, etiam ſi ſit contra legem Dei, peccat.*
Peccat etiam, ſi faciat contra legem Dei.
Iſte debet deponere conſcientiam erroneam, & tunc faciendo ſecundum legem Dei non peccat.
11 *Faciens aliquid licitum, & poſtea credens eſſe illicitum non eſt verè illicitum.*
12 *Quomodo inquinatio ſit in conſcientia.*
13 *Peccatorum nota remanent in conſcientia.*
§ *Non excuſantur hæretici putantes ſuas opiniones non eſſe hæreſes, neque contra Eccleſiam Romanam.*
14 *Conſcientia errans errore voluntario directè, vel per negligentiam non excuſat.*
Conſcientia errans errore inuoluntariò proueniente ex ignorantia alicuius circunſtantiæ abſque omni negligentia excuſat.

Quæritur, quid ſit conſcientia.

1 RESpondeo dicendum, quòd conſcientia propriè loquendo non eſt potentia, ſed actus, & hoc patet tum ex ratione nominis, tum etiam ex his, quæ ſecundum communem vſum loquendi conſcientiæ attribuuntur, cõſcientia enim ſecundum proprietatem vocabuli importat ordinem ſcientiæ ad aliquid, nam conſcientia dicitur cum alio ſcientia. applicatio autem ſcĩetiæ ad aliquid fit per aliquem actum, vnde ex iſta ratione nominis patet, quòd conſcientia ſit actus. idẽ autem apparet ex his, quæ conſcientiæ attribuuntur, dicitur enim conſcientia teſtificare, ligare, vel inſtigare, vel etiam accuſare, vel etiam remordere, ſiue reprendere, & hæc omnia conſequuntur applicationem alicuius noſtræ cognitionis, vel ſcientiæ ad ea, quæ agimus, quæ quidem applicatio fit tripliciter, vno modo ſecundum quòd recognoſcimus aliquid nos feciſſe, vel non feciſſe ſecundum illud Eccl. 7. Scit conſcientia ſua ſe crebro male dixiſſe alijs, & ſecundum hoc conſcientia dicitur teſtificari; alio modo applicatur ſecundum quòd per noſtram conſcientiam iudicamus aliquid eſſe faciendum, vel nõ faciendum, & ſecundum hoc dicitur conſcientia ligare, vel inſtigare; tertio modo applicatur ſecundum quod per conſcientiam iudicámus, quòd aliquid, quòd eſt factum, ſit benè factum, vel non ſit bene factum, & ſecundum hoc conſcientia dicitur excuſare, vel accuſare, ſeu remordere: patet autem, quòd omnia hæc conſequuntur actualem applicationem ſcientiæ ad ea, quæ agimus, vnde propriæ loquendo conſcientia nominat actum; quia tamen habitus eſt principium actus, quandoque nomen conſcientiæ attribuitur primo habitui naturali, ſcilicet Sindereſi, ſicut Hieronymus in gloſ. Ezech. primo ſindereſim conſcientiam nominat, & Baſilius naturale iudicatorium, & Damaſcen⁹ dicit, quòd eſt lux intellectus noſtri, conſuetũ enim eſt, quòd cauſæ, & effectus perinuicem nominantur. p.pri. q.79.art.13.in corp.(q.17.de verit. art.1. in corp.

Duplici concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. conſcientia propriè loquendo non eſt potentia, ſed actus. probatur dupliciter, & primò ex quid nominis; ſecundò ex tribus generibus actuum ei attributorum, ſcilicet teſtificare, ligare, remordere. primus actus eſt reſpectu præteritorum, ſecundũ reſpectu futurorum, tertius quoad benè, vel malè factum. ſecunda concluſio. conſcientia aliquando ſumitur pro habitu primo, ſcilicet ſindereſi. explicatur auctoritatibus Hieronimi, Baſilij, Damaſceni. probatur etiam, quia habitus eſt principium actus, & conſuetum eſt, vt cauſas effectuum nomine appellemus, & habitus ab actibus nuncupemus.

Circa hoc quæſitum Alexander 2.p.quæſt. 77. memb. 1. & ſequentibus eſt varius, dum aliquãdo dicit conſcientiam eſſe potentiam, & aliquãdo eſſe habitum. D. Bonauentura. 2. ſent. d. 39. art. 1. q. 1. anceps eſt in hac materia, magis tamen inclinat, quod ſit habitus in ipſo intellectu; in hanc ſententiam inclinant etiam Scotus, Gabriel. Henricus quodlib. 1. q.18. & Durandus. q. 4. aſſerunt, conſcientiam eſſe actum, ſed voluntatis. ſed dicendum à nobis eſt cum D. Thoma hoc in loco, & in quæſt. diſp. de veritate. q. 17. art.1. quod conſcientia eſt actus intellectus practici: quod ſit actus, conuincimur ex rationibus D. Thomæ in littera poſitis; quod autẽ ſit actus intellectus practici, probant diuerſa loca ſacræ ſcripturæ, quæ congregat Dominicus Bannes ad hunc locum. Pro horum maiori intelligentia ſciendum eſt, quod conſcientia quoad quid nominis nil aliud ſonat, quam cum alio ſcientia, ideſt applicatio ſcientiæ ad aliquid. conſcientia autem quoad quid rei, vt docet D. Thomas p 2. q.19. art. 5. eſt dictamen rationis, & applicatio ſcientiæ ad actum, vnde erit actus, non potentia, vel habitus; actus, inquam, intellectus practici. huius conſcientiæ dicuntur eſſe tres actus, quorum primus eſt teſtificare iuxta illud Romanorum. 2. teſtimonium reddente illis conſcientia eorum. & Rom. 9. teſtimonium mihi perhibente conſcientia &c. adeſt & illud proloquium, conſcientia mille teſtes. & talis teſtificatio eſt de facto præterito, quod recognoſcimus nos feciſſe, vel non feciſſe, quod factum vel bonum, vel malum

lum sui; secundus actus est ligare, & hic actus est in ordine ad aliquid in futuro faciendum, vel non faciendum, sicut enim, vt ait D. Thomas q. 17. de verit. art. 3. in corp. qui legatus est corporaliter, necessitatur cōsistere in loco, vbi est ligatus, & ei aufertur potestas ad alium locum diuertendi, ita conscientia obligat voluntatem ad aliquid faciendum, vel non faciendum, itaut non possit aliud sine peccato facere, vel omittere, quam illud, quod conscientia sibi faciendum, vel omittendum esse dictat secundum illud Rom. 14. omne, quod non est ex fide, peccatū est, idest omne, quod fit contra conscientiam, peccatum est; tertius actus est reprehendere, remordere, accusare, excusare, & in hoc actu consistit examinatio conscientiæ, inquantum cōscientia examinat ea, quæ iam facta, vel omissa sunt, an benè facta, vel omissa sint; & si sint nō bene facta, vel omissa, remordet, & reprehendit, secus autem, si benè facta, vel omissa fuerint. ex his omnibus patet, conscientiam esse actum, si proprie loqui uelimus; aliquando tamen sumitur communiter pro sinderesi, quæ nil aliud est, quam habitus primorum principiorum, quo assensimus primis principijs practicis, vt bonum esse sequendum, malum fugiendum; huncq; habitum collocamus in intellectu practico, & est principiū, & causa conscientiæ; & quia multoties nominamus causam ex nomine effectus, & è conuerso, causæ enim, & effectus perinuicem nominantur, ideò conscientia aliquando sumitur pro sinderesi, & è conuerso.

Quæritur, quibus nominibus vocetur conscientia.

2 Respondeo dicendum, quòd Origenes dicit, quòd conscientia est spiritus corrector, & pedagogus animæ sibi sociatus, quo separatur à malis, & adhæret bonis. 2. sent. d. 24. q. 2. a. 4.

Quod secundum originem conscientia vocetur spiritus corector, & pedagogus animæ sibi sociatus, quo separatur à malis, & adheret bonis, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Cum varij sint actus conscientiæ, ideò secundum diuersos actus diuersa etiam imponuntur ei nomina. dicitur ergo corector spiritus, quia hominem corrigit, & reprehendit, si malè agat; dicitur pedagogus, quia sicut pedagogus discipulum arcet à societate malorum, & bonis associat, ita conscientia separare quærit hominem à malis, & dictat adhærendum esse bonis. D. etiam Basilius vocat conscientiam naturale iudicatorium, quæ scilicet iudicat, quid sit faciendum, & quid omittendum, conscientia enim versatur circa conclusiones practicas particulares, quibus non solum cognoscimus, quid bonum, quid non, sed etiam in particulari iudicamus, quid nobis agendum sit, & quid non. D. etiam Damascenus vocat conscientiam lucem intellectus nostri, quo scilicet intellectus noster practicus illustratur, illuminatur in operationibus suis.

Quæritur, quare conscientia dicatur aliquando spiritus.

3 Respondeo dicendum, quòd conscientia dicitur spiritus, quia est quoddam mentis dictamen. p. pri. q. 79. a. 13. ad 1. (q. 17. de verit. a. 1. ad 8.

Quod conscientia aliquando dicitur spiritus, probat D. Thomas in hoc quæsito, quia est quoddam mentis dictamen.

Hæc est diffinitio conscientiæ, nempe quod sit dictamen quoddam rationis applicatū ad opus, dictans aliquid esse faciendum, vel fugiendum.

Quæritur, à quo dependeat vis conscientiæ.

4 Respondeo dicendum, quod tota vis conscientiæ examinantis, vel consiliantis ex iudicio sinderesis pendet. q. 17. de veritat. a. 1. ad 1.

Quod tota vis conscientiæ examinantis, vel consiliantis dependeat ex inditio sinderesis, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Pro huius litteræ explicatione obserua, quod sicut tota veritas rationis speculatiuæ pendet ex principijs primis, ita & tota vis conscientiæ examināts, vel consiliantis pendet ex inditio sinderesis, & per hoc D. Hieronimus in glos. Ezech. 1. conscientiam sinderesim nominat, inquantum scilicet ex ui eius agit.

Quæritur, an conscientia liget.

5 Respondeo dicendum, quòd conscientia proculdubio ligat. ad videndum autem quomodo liget sciendum est, quòd ligatio metaphoricè à corporalibus ad spiritualia sumpta necessitatis impositionem importat, ille enim, qui ligatus est, necessitatem habet consistendi in loco, vbi ligatus est, & aufertur ei potestas ad alia diuertendi. vnde patet, quòd ligatio non habet locum in illis, quæ ex se necessaria sunt; non enim possumus dicere ignem esse ligatum adhoc, quòd sursum feratur, quamuis necesse sit ipsum sursum ferri, sed in his tantum necessarijs ligatio locum habet, quibus ab alio necessitas imponitur. est autem duplex necessitas, quæ ab alio agēte imponi potest. vna quidem coactionis, per quam omnis absolutè necesse habet facere hoc, ad quòd determinatur ex actione agentis, alias coactio non propriè diceretur, sed magis inductio, alia verò est necessitas conditionata scilicet

ex finis appoſitione, ſicut imponitur alicui neceſſitas, vt ſi non fecerit hoc, non conſequitur ſuum præmium; prima quidem neceſsitas, quæ eſt coactionis non cadit in motibus volũtatis, ſed ſolum in corporalibus rebus, eo quod voluntas naturaliter eſt à coactione libera: ſecunda neceſſitas voluntati imponi poteſt, vt ſcilicet neceſſarium ſit hoc eligere, ſi hoc bonum debeat cõſequi, vel ſi hoc malum debeat vitare, carere enim malo in idem cõputatur cum habere bonum in talibus, vt patet per Phyloſophum in 5. Eth. Sicut autem neceſſitas coactionis imponitur rebus corporalibus per aliquam actionem, ita neceſſitas conditionata imponitur voluntati per aliquam actionem. actio autẽ, qua voluntas mouetur, eſt imperium regentis, & gubernantis. vnde Phyloſphus dicit in 5. Metaph. quòd Rex eſt principium motus per ſuum imperium. ita etiam ſe habet imperium alicuius gubernantis ad ligandum in rebus voluntarijs illo modo ligationis, qui voluntati accidere poteſt, ſicut ſe habet actio corporalis ad ligãdum res corporales neceſſitate coactionis; actio autem corporalis agentis nunquam inducit neceſſitatem in rem aliam, niſi per contactum coactionis ipſius ad rem, in quã agit, vnde nec ex imperio alicuius Regis, vel Domini ligatur aliquis, niſi imperium attingat ipſum, cui imperatur, attingit autem ipſum per ſcientiam, vnde nullus ligatur per præceptum aliquod, niſi mediante ſcientia illius præcepti, & ideo ille, qui non eſt capax notitiæ, præcepto non ligatur, nec aliquis ignorans præceptum Dei ligatur ad pręceptum faciendum, niſi quatenus tenetur ſcire præceptum, ſi autem non teneatur ſcire, nec ſciat, nullo modo ex præcepto ligatur, ſicut in corporalibus agens corporale non agit niſi per contactum, ita in ſpiritualibus præceptum non ligat, niſi per ſcientiam, & ideo ſicut eſt eadem vis, quæ tactus agit, & qua virtus agentis agit, & tactus non agit, niſi ex virtute agentis, & virtus agentis non eſt, niſi mediante tactu, ita eadem virtus eſt, qua præceptum ligat, & qua conſcientia ligat, cum præceptum non liget, niſi per virtutem ſcientiæ, nec ſcientia niſi per virtutem præcepti, vnde cum conſcientia nihil aliud ſit, quam applicatio notitiæ ad actum, conſtat, quod conſcientia ligare dicitur vi præcepti Diuini. quæſtione 17. de veritate. artic. tert. in corp.

Concluſione vnica reſpõdet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. conſcientia ligare dicitur vi præcepti Diuini. probatur, in ſpiritualibus præceptum non ligat niſi per ſcientiam, ſed conſciẽtia eſt applicatio ſcientiæ ad actum, ergo conſcientia ligare dicetur ex vi præcepti Diuini. minor patet, probatur maior ſupponendo, quod ligare metaphoricè à corporalibus ad ſpiritualia ſumptum neceſſitatis impoſitionem importat, & quod nomine neceſſitatis ſumatur neceſſitas conditionata. probatur ergo ſic, nullus ligatur per præceptum aliquod niſi mediante ſcientia illius præcepti, & ideò ille, qui non eſt capax notitiæ, præcepto non ligatur, nec aliquis ignorans præceptum Dei ligatur ad præceptum faciendum, niſi quatenus tenetur ſcire illud præceptum, ſi autem non teneatur ſcire, nec ſciat, nullo modo ex præcepto ligatur.

Quod conſcientia liget, iam explicauimus, & ita dicitur ligare, vt omne id, quod etiam in ſe bonum eſt, ſi tamen ſit contra conſcientiam, vt ſcilicet credamus eſſe malum, peccatum ſit. ſic habet gloſ. ſuper illa verba ad Rom. 14. omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

Quæritur, an conſcientia magis obliget, quàm præceptum Prælati.

6 Reſpondeo dicendum, quòd dictum eſt ſupra, quod conſcientia non ligat, niſi vi præcepti Diuini vel ſecundum legem ſcriptam, vel ſecundum legem naturæ inditam; comparare igitur ligamen conſcientiæ ad ligamen, quod eſt ex præcepto Prælati non eſt aliud, quam comparare ligamen præcepti Diuini ad ligamen præcepti Prælati. vnde cum præceptum Diuinum obliget contra præceptum prælati, & magis obliget, quam præceptum Prælati, conſcientiæ ligamen erit maius, quam ligamen præcepti Prælati, & conſcientia ligabit præcepto Prælati in contrarium exiſtente. tamen hoc diuerſimodè ſe habet in conſcientia recta, & erronea, conſcientia enim recta ſimpliciter, & perfectè contra præceptum Prælati obligat. ſimpliciter, quidem quia eius obligatio auferri nõ poteſt, vt ſine peccato deponi non poſsit talis conſcientia: perfectè autem quia conſcientia recta non ſolum hoc modo ligat, vt ille, qui eam ſequitur, peccatum non incurrat, ſed vt ille, qui eam ſequitur, ſit immunis à peccato, quantumcunque Prælati præceptum ſit in contrarium; ſed con-

ſcien-

ſcientia erronea ligat contra præceptum Prælati in indifferentibus ſecundum quid & imperfectè, ſecundum quid, quia non obligat in omnem euentum, ſed ſub conditione ſuæ durationis, poteſt enim aliquis, & debet talem conſcientiam deponere, imperfectè autem, quia ligat quantū adhoc, quòd ille, qui eam ſequitur, peccatum non incurrit, non autem quantum adhoc, quòd ille, qui eam ſequitur, peccatum euitet, cum præceptum prælati eſt in contrarium; ſi tamen ad illud indifferens præceptum Prælati obliget, in tali caſu peccat, ſiue non faciat, quia contra conſcientiam agit, ſiue faciat, quia Prælato inobediens eſt, magis autem peccat, ſi non faciat conſcientia durante, quod cōſcientia dictat, cum plus liget, quam præceptum Prælati. q.17.de verit.a.5.in corp. (2.ſent. d. 39. quæſt. 3. a. 3. ad 3.

Quintuplici concluſione reſpōdet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. conſcientiæ ligamen eſt maius, quam ligamen præcepti Prælati, & conſcientia ligabit præcepto Prælati in contrarium exiſtente. probatur, conſcientia nō ligat niſi vi præcepti Diuini vel ſecundum legē ſcriptam, vel ſecundum legem naturæ inditam, ergo conparare ligamen conſcientiæ ad ligamen, quod eſt ex præcepto Prælati, non eſt aliud, quam conparare ligamen præcepti Diuini ad ligamen præcepti Prælati, ſed præceptum Diuinum obligat contra præceptum Prælati, & magis obligat, quam præceptum Prælati, ergo conſcientiæ ligamen erit maius, quam ligamen præcepti Prælati. ſecunda concluſio. conſcientia recta ſimpliciter, & perfectè contra præceptum Prælati obligat. probatur prima pars, ſimpliciter ſcilicet, quia eius obligatio auferri non poteſt, cum ſine peccato deponi non poſſit talis conſcientia: probatur ſecunda pars, nempe perfectè, quia conſcientia perfecta non ſolum hoc modo ligat, vt ille, qui eam ſequitur, peccatum non incurrat, ſed vt ille, qui eam ſequitur, ſit immunis à peccato, quantumcunque Prælati præceptum ſit in contrarium. tertia concluſio. conſcientia erronea ligat contra præceptum Prælati in indifferentibus ſecundum quid, & imperfectè. probatur prima pars, ſcilicet ſecundum quid, quia non obligat in omnem euentum, ſed ſub conditione ſuæ durationis, poteſt enim aliquis, & debet talem conſcientiam deponere: probatur ſecunda pars, ſcilicet imperfectè, quia ligat quantum ad hoc, quod ille, qui eam ſequitur, peccatum non incurrit, non autem quantum ad hoc, quod ille, qui eam ſequitur, peccatum euitet, cum præceptum Prælati eſt in contrariū. quarta concluſio. ſi ad illud indifferrens præceptum Prælati obliget, in tali caſu peccat, ſiue nō faciat, ſiue faciat. probatur prima pars, quia contra conſcientiā agit: probatur ſecunda pars, quia Prælato inobediens eſt. quinta concluſio. magis peccat, ſi non faciat conſcientia durante, quod conſcientia dictat. probatur, quia plus ligat, quam præceptum Prælati.

Conſcientia recta eſt, quæ dictat, & iudicat, quod verum eſt, & hoc eſt, quando per verum ſillogiſmum veram ſententiam concludit, vt omne mandatum Dei eſt ſeruandum, ſed de dilectione Dei eſt mandatum, ergo ſeruandum. conſcientia erronea eſt, quæ aliquid aliter dictat, quam ſit, & hoc facit, quando per ſillogiſmum falſam concluſionem concludit, vt dicendo, omne illicitū non eſt faciendum, iurare eſt illicitum iuxta illud Math.5. nolite iurare omninò, ergo non eſt iurandum. hæc eſt conſcientia erronea, quia decipitur in intelligentia illius prępoſitionis, nolite iurare omninò, & propterea dicitur dictamen falſum rationis, quia contingit cum errore intellectus. vel ſic diffinitur, quod conſcientia erronea eſt, quæ dictat eſſe verum, quod eſt falſum, vel è conuerſo. Nunc occaſione tertiæ concluſionis agitandum eſt dubium, an conſcientia erronea plus obliget, quam præceptum Prælati, & an maius peccatum ſit agere contra talem cōſcientiam erroneam, quam contra præceptum Prælati: & difficultas intelligitur quando Prælatus præcipit aliquid, quod eſt indifferens, aut quod non eſt expreſsè peccatum, & tamen ſubdito putatur eſſe peccatum ex erronea conſcientia culpabiliter. circa hoc dubium Alexander Alenſis. p.2.q.120.memb.3. a. 2. eius diſcipulus D. Bonauentura.2.ſent. d.39. a.1. q. 3. Henricus quodlibeto.8. Dionyſius Carthuſianus. 2. ſent. d. 39.q.3. D. Antoninus. p.p.1.tit.3.c.10. parag. 3. & 4. Angelica ſumma verb. conſcientia. num. 2. Silueſter eodem verbo. q. 2. docent, conſcientiā erroneam minus obligare, quam præceptū Prælati, & conſequenter erit maius peccatum agere contra Prælati præceptum, quam contra conſcientiam erroneam. D Thomas. 2.ſent. d. 39. q. 3. art. 3. ad 3. quem ſequitur Armilla verb. conſcientia num. 1. & 2. Bartolomeus Medina. p. 2. q. 19.a. 5. docet plus obligare conſcientiam erroneam, quam præceptum Prælati, ita quod ſit maius peccatum agere contra conſcientiam, quā contra præceptum Prælati in indifferentibus. vt reſoluatur hæc controuerſia, notādum eſt, quod quæſitum eſt de indifferentibus tantum, indifferentia autem dicuntur illa, quæ puram obligationem accipiunt ex præcepto Prælati, nam ſi Prælatus id præciperet, quod eſt etiam præceptum à Deo, tunc hoc peccatum eſſet etiam cōtra Dei præceptum. obſeruandum ſecundò ex D. Thoma loco citato, quod conſcientia obligat non virtute propria, ſed virtute præcepti Diuini, non enim conſcientia dictat aliquid eſſe faciendum hac ratione quia ſibi videtur, ſed hac ratione quia à Deo præceptum eſt, vnde dicitur eſſe idem ligamen conſcientiæ, etiam erroneæ, & legis Dei à D. Thoma lect.2.cap.14.ad Rom. vnde per accidens ex virtute pręcepti Diuini obligat, inquantum dictat hoc vt præceptum à Deo, & ideò dictamen conſcientiæ plus obligat, quam

pręce-

præceptum Prælati, ſicut et præceptum Diuinũ, in cuius virtute ligat: ſicut ſi præceptum Regis non perueniret ad populum niſi mediante aliquo Principe, ſi Princeps diceret, hoc eſſe præceptum à Rege, quamuis non eſſet verum, dictum ſuum obligaret vt præceptum Regis, itaquod contemptores mererentur pænam. hæc ex D. Thoma. reſpondetur ergo ad dubium, quod conſcientia erronea plus obligat in indifferentibus, quam præceptum Prælati, & maius eſt peccatum agere contra conſcientiam, quam contra præceptum Prælati. probatur ex ſupradicto fundamento, quia conſcientia erronea non obligat hominem, quia ſibi ita videtur, ſed quia id, quod dictat, proponit tã quã præceptum à Deo, pceptũ autẽ Prelati ſolũ apprehẽdit vt prçceptũ humanũ, ſed magis obedire Deo oportet, quam hominibus, vt dicitur Act. 4. ergo cum maioris obligationis ſit præceptum Dei, quam hominis, maius peccatum eſt agere contra conſcientiam erroneam, quam contra Prælati præceptum, & ſic conſcientia erronea magis obligabit, quam præceptum Prælati. nec huic deciſioni obſtant argumenta quæ afferunt Auctores contrariæ opinionis, qui ſic primò arguunt. Prælatus præcipit poteſtate à Deo deriuata, vnde conſcientia ſubditi, quando aliquid à Prælato præcipitur, non ſolum habet ſupra ſe Prælatum ſuum, ſed etiam Deum, ergo &c. reſpõdetur ex iam dictis, quod præceptum Prælati ſolum apprehenditur vt præceptum humanum, quod autem conſcientia dictat, apprehenditur vt præceptum Diuinũ, ideò magis obligabit conſcientia, quam præceptum Prælati. ſecundò arguunt, cõſcientia quæcunque erronea poteſt exiſtentę præcepto ſuperioris deponi, quod eſt ſignum maioris eſſe obligationis, quam ſit obligatio illa, quæ ex conſcientia erronea prouenit. reſpondetur ex littera, quod ex hoc conſcientia poteſt deponi, ſequitur tantum conſcientiam erroneam obligare contra præceptum Prælati ſecundum quid, cum non obliget in omnem euentum, ſed ſub condicione ſuæ durationis. tertiò arguitur ex Dionyſio Cartuſiano. ſi vera eſt opinio D. Thomę, poſſent ſubditi etiam Religioſi ab obedientia ſuorum ſuperiorum ſe excuſare dicendo, dictamen conſcientiæ meæ dictat mihi contrarium, non audeo in hoc obedire, & ſic daretur diſcolis color excuſationis iniquæ. reſpondetur, quod D. Thomas ſupponit ignorantiam inuincibilem in ſubdito, in qua putat dictamen ſuum eſſe præceptum Diuinum; ſi autem ſit ignorantia culpabilis in ſubdito, ſic tenetur deponere conſcientiam talem, & Prælato obedire.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Vaſquez. par. 2. diſp. 61. cap. 1. Sanchez in opere Manuali lib. 1. cap. 11. Peſantius. p. 2. quæſt. 71. & alij.

Quæritur, an conſcientia poſſit errare.

7 Reſpondeo dicendum, quòd quia conſcientia importat applicationem ſcientiæ, vel notitiæ humanæ ad aliquem proprium actum, omnis autem notitia, quam homo habet, poteſt ad ſuum actum applicare, ſiue memoriam, prout homo dicitur habere conſcientiam teſtificantem, quòd fuerit aliquid, vel non fuerit, ſiue etiam ſcientiam vniuerſalem, vel particularem, per quam homo poteſt cognoſcere vtrum aliquid ſit faciendum, vel non faciendum, & ſecundum hoc conſcientia dicitur vrgere, vel impedire, manifeſtum eſt autem, quòd ſi accipiamus diuerſas hominis cognitiones, in aliqua poteſt eſſe error, & in aliqua non; in primis enim principijs naturaliter cognitis, ſiue ſint ſpeculatiua, ſiue ſint operatiua, nullus poteſt errare, ſicut in hoc omne totum eſt maius ſua parte, vel nulli iniuriam eſſe faciendam, in alijs autem humanis cognitionibus magis particularibus, ſiue pertineant ad partem ſenſitiuam, ſiue ad rationem inferiorem, quæ conſiderat humana, ſiue ad rationem ſuperiorem, quæ conſiderat Diuina, poteſt multipliciter error accidere. manifeſtum eſt autem, quòd in applicatione multarum cognitionũ ad actum peruenit error, quæcunque cognitionem fuerit erronea, ſicut patet, quod falſitas accidit in concluſione, quæcunque præmiſſarum fuerit falſa. ſic ergo licet in cognitione primorum principiorum iuris naturalis non ſit error, tamen quia in alijs principijs iuris humani, vel Diuini poteſt error accidere, ideo conſcientia hominis errare poteſt, ſicut patet, quòd hæreticus, qui habet conſcientiam nunquam iurandi, habet conſcientiam erroneam propter hoc, quod credit, omne iuramentum eſſe contra præceptum Dei, licet in hoc non erret, quod æſtimat, nihil eſſe faciendum contra præceptum Diuinum. quodlibeto. 3. artic. 26. in corp. (q. 17. de verit. artic. 2. in corp. (2. ſent. d. 39. quæſt. 3. art. 2. in corp.

Concluſione vnica reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. Conſcientia poteſt errare. probatur, conſcientia eſt applicatio ſcientiæ, vel notitiæ humanæ ad aliquem proprium actum, ſed in applicatione multarum cognitionum ad actũ accidit error, quæcumq; cognitionum fuerit erronea, ergo conſcientia poteſt errare maior patet, minor probatur, ſicut enim falſitas accidit in concluſione, quæcunque præmiſſarum fuerat falſa, ita quia in principijs iuris humani, vel Diuini poteſt error accidere, ideò in applicatione horum poterit conſcientia errare, ſicut patet de hæretico, vt in littera.

Hæc doctrina D. Thomæ ex alia ab ipso tradita.q.17. de verit.art.2.in corp. egregie explicatur, ideò ad eum locum lectorem remitto.

Quæritur, an conscientia errans obliget.

8 Respondeo dicendum, quòd aliqui distinxerunt tria genera actuum, quidam enim sunt boni ex genere, quidam sunt indifferentes, quidam sunt mali ex genere. dicunt ergo, quod si ratio, vel conscientia dicat aliquid esse faciendum, quod sit bonum ex suo genere, non est ibi error; similiter si dicat aliquid non esse faciendum, quod est malum ex suo genere, eadem enim ratione præcipiuntur bona, qua prohibentur mala, sed si ratio, vel conscientia dicat alicui, quod illa, quæ sunt secundum se mala, homo teneatur facere ex præcepto, vel quod illa, quæ sunt secundum se bona, sint prohibita, erit ratio, vel conscientia errans, & similiter si ratio, vel conscientia dicat alicui, quod id, quod est secundum se indifferens, vt leuare festucam de terra, sit prohibitũ, vel præceptum, erit ratio, vel conscientia errans, dicunt ergo quod ratio, vel conscientia errãs circa indifferentia, siue præcipiẽdo, siue prohibendo obligat, ita quod voluntas discordans à tali ratione errante erit mala, & peccatum, sed ratio, vel conscientia errans præcipiendo ea, quæ sunt per se mala, vel prohibendo ea, quæ sunt per se bona, & necessaria ad salutem, non obligat, vnde in talibus voluntas discordans à ratione, vel conscientia errante non est mala. sed hoc irrationabiliter dicitur, in indifferentibus enim voluntas discordans à ratione, vel conscientia errante, est mala aliquo modo propter obiectum, à quo bonitas, vel malicia voluntatis dependet, non autem propter obiectũ secundum sui naturam, sed secũdum, quod per accidens à ratione appræhenditur vt malum, ad faciendum, vel ad vitandum: & quia obiectum voluntatis est id, quod proponitur à ratione, ex quo aliquid proponitur à ratione, vt malum, voluntas dum in illud fertur, accipit rationẽ mali, hoc autem contingit non solum in indifferentibus, sed etiam in per se bonis, vel malis, non solum enim id, quod est indifferens potest accipere rationem boni, vel mali per accidens, sed etiam id, quod est bonum, potest accipere rationem mali, vel illud, quod est malum, rationem boni propter appræhensionem rationis, puta abstinere a fornicatione bonum quoddã est, tamen in hoc bonum non fertur voluntas, nisi secundum quod à ratione proponitur; si ergo proponatur, vt malum à ratione errante fertur in hoc ratione mali, vnde voluntas erit mala, quia vult malum, non quidem id, quod est malum per se, sed id, quod est malum per accidens propter appræhensionem rationis: & similiter credere in Christum est per se bonum, & necessarium ad salutem, sed voluntas non fertur in hoc, nisi secundum, quod à ratione proponitur, vnde si à ratione proponatur, vt malum, voluntas ferretur in hoc, vt malum, non quia illud sit malum secundum se, sed quia est malum per accidens ex appræhensione rationis, & ideo phylosophus dicit in 7. Eth. quod per se loquendo incontinens est, qui non sequitur rationem rectam, per accidens autem, qui non sequitur etiam rationem falsam, vnde dicendum, quod simpliciter omnis voluntas discordans à ratione, siue recta, siue errante semper est mala p. 2. q. 19. a. 5. in corp. (q.17. de verit. a.4. in corp. (super cap. 14. ad Rom. lect. 2. (2. sent. d.39. quæst.3. a.3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. omnis voluntas discordans à ratione, vel conscientia errante semper est mala, & consequenter conscientia erronea obligat. probatur tripliciter, & primò quia voluntas, quæ vult malum, semper est mala, sed voluntas taliter discordans à ratione, vel conscientia semper vult malum, idest aliquid sub ratione mali propter appræhensionem rationis, ergo &c. secundò quia Arist. 7. eth. docet hoc. tertiò hoc patet ex oppositæ opinionis exclusione.

D. Thomæ conclusionem, nempe conscientiam erroneam obligare, itaut peccet, qui contra eam agit, sequitur Conradus Koelim p. 2. q. 19. a. 5. Caietanus, & Bartolomeus Medina ibidem. Durandus 2. sent. d.39. q.5. D. Antoninus. p. pri. tit. 3. cap. 10. §. 5. summa Confessorum lib. 3. tit. 32. quæst. 19. Siluester verb. conscientia. q.1. Tabierna eodem verbo. §.2. Caietanus in summula verb. conscientia. Pisanella eodem verbo. num. 1. ex extraneis eam docet Alensis. p. 2. quæst. 120. memb. 3. a. 1. D. Bonauentura. 2. sent. d 39. art. 1. q.3. Thomas de Argentina 2. sent. d.39. q. vnica. art.4. Ricardus eadem dist. ar.2. q.3. Bacconus 4. sent. d 1. q.3. Dionysius Cartusianus in 4. dist. 39. q. 3. Gabriel. q. vnica. a.3. dub. 2. Angelus verb. conscientia. num. 1. Adrianus quodlibeto 2. puncto. 3. ad 5. Nauarrus in manuali prælud. 9. nu. 9. & in cap. 25. num. 280. hi omnes docent conscientiam

ſcientiam erroneam obligare, & ita obligare, inquit Caietanus, quod ſi conſcientia alicuius haberet, quod ſpuere in Eccleſia eſſet peccatum mortale, & tamen contra perſeuerantem talem conſcientiam ſpueret in Eccleſia, peccaret mortaliter, quia, quantum in ſe eſt, conſentiret in peccatum mortale formaliter; ſimiliter ſi conſcientia dictat, quod eſt veniale, & tamen facit, peccat venialiter, quia quantum eſt ex parte ſua, conſentit in peccatum veniale formaliter. hæc concluſio ſolidiſſima D. Thomæ ratione probatur, velle malum ſemper eſt malum, & peccatũ, ſed quotieſcunque voluntas diſcordat à ratione, eſt mala, ſiue ratio erret, ſiue non; ſiue erret circa ea, quæ ſunt ſecundum ſe bona, ſiue circa indifferentia, ergo &c. maior probatur, quia malitia voluntatis maximè dependet ab obiecto malo. minor etiam probatur, quia immediata regula operationum noſtrarum eſt ratio proponens id, quod agendum eſt, cum ergo voluntas aliquid vult contra id, quod proponitur à ratione, quantum in ſe eſt, vult malum, & conſequenter peccat, quia ſi ratio apprehendit aliquid vt bonum, & voluntas contrarium velit, & proſequatur faciendo malum, peccat contra dictamẽ rationis; ſi autem ratio apprehendat id vt malum, & tamen voluntas in illud fertur, erit malum, quia vult malum; & hoc verum eſt, nedum quando eſt malum per ſe, ſed etiam quando eſt malum per accidens, propter ſcilicet apprehenſionem rationis. quod his duobus exemplis explicatur à D. Thoma, quorum primum eſt, abſtinere à fornicatione bonum eſt quoddam, voluntas tamen non fertur in hoc bonum, niſi ſecundum quod à ratione proponitur, ſi ergo proponatur vt malum à ratione errante, fertur voluntas in hoc ſub ratione mali, vnde voluntas erit mala, quia vult malum, non quidem id, quod eſt malum per ſe, ſed id, quod eſt malum per accidens, propter apprehenſionem rationis. ſecundum eſt, credere in Chriſtum eſt per ſe bonum, & neceſſarium ad ſalutem, ſed voluntas non fertur in hoc niſi ſecundum quod à ratione proponitur, vnde ſi à ratione proponatur vt malum, voluntas ferretur in hoc vt malum, non quia illud ſit malum ſecundum ſe, ſed quia eſt malum per accidens, ex apprehenſione rationis. duo tamen dubia remordent me in hac materia, quorum primum eſt. nemo obligari poteſt ad id, quod eſt contra legem Dei, ſed conſcientia erronea aliquando dictat aliquid contra legem Dei, puta quod ſit mentiendum propter ſaluandam vitam hominis, ergo in tali caſu non obligabitur quis ſecundum talem conſcientiam agere, cum ſit maior auctoritas Dei, quam conſcientiæ. reſpondetur tamen, quod in hoc caſu, qui ageret contra talem conſcientiam erroneam, peccaret, quia formaliter agit contra id, quod præceptum Diuinum iudicatur, licet falsò, eſſe, dum enim conſcientia dictat mentiendum eſſe pro uita hominis, exiſtimat. hoc eſſe præceptum Diuinum, nempe mentiendum eſſe pro uita hominis, licet erret in hoc iudicio, vnde negatur minor argumenti, quia non dictat conſcientia erronea aliquid eſſe agendum contra præceptum formaliter, ſed tantum materialiter. ſecundum eſt. impoſſibile eſt peccare diligendo Deum ſuper omnia, ſed poteſt eſſe, quod conſcientia dictet, Deum non eſſe diligendum ſuper omnia, ergo ille, qui facit contra hanc cõſcientiam, non peccabit. reſpondetur, quod iſtud argumentum ſupponit vnum falſum, nempe quod conſcientia illius, qui diligit Deum ſuper omnia, poſſit dictare oppoſitum, ſicut implicantia eſt, quod aliquis Deum ſuper omnia diligat, & peccet, eo enim ipſo quod iudicat aliquid eſſe peccatum, cognoſcit, & apprehendit illud eſſe contra Dei voluntatem, & proinde faciendo illud, non poterit Deum ſuper omnia diligere, & amor iſte ſic fertur in Deum propter ſuam ſummam bonitatem, vt nihil poſſit voluntas ſibi ſimul contrarium velle. concludamus ergo, eum peccare, qui contra conſcientiam erroneam agit. quodnam autem ſit peccatum, mortale, an veniale, nunc inueſtigandum eſt; & dicimus cum Caietano in ſummula verb. conſcientia, quod ſi quis id, quod alioquin bonũ eſt, mortale eſſe putat, faciendo illud mortaliter peccabit, ſi autem putet, ſolum eſſe veniale, peccat tantum venialiter; ratio huius dicti Caietani, quem ſecutus eſt poſtea Nauarrus in manuali prælud. 9. nu. 9. eſt, quia peccatum totum in hoc naſcitur ex illo errore adeò, vt voluntas feratur in illud malum, prout apprehenditur, vt malum mortale, vel veniale, vnde qui falsò putat eſſe mortale, quantum in ipſo eſt, vult peccare mortaliter, & qui falsò putat eſſe veniale, quantum in ipſo eſt, vult peccare venialiter; hoc tamen intellige, vt verum ſit, dummodo ex ſe non ſit mortale, quia tunc, vt rectè notat Nauarrus loco citato, erit mortale, ſiquidem error ille grauitatem peccati non minuit, ſed quando Caietanus ait, peccare venialiter, ſi putet eſſe veniale, intelligitur, ſi nullum ſit ex ſe peccatum illud facere, tunc ſi ſolum putet eſſe veniale, illud faciendo peccabit tantum venialiter, quia, quantum in ipſo eſt, non amplius quã venialiter, vult tunc peccare. hic tamen aduerte, quod ſi quis in particulari non iudicet eſſe mortale, aut veniale, aut aliquid tale in ſpetie, de quo ſcire poſſit eſſe mortale, vel veniale, ſed tantum iudicet falsò eſſe malum, & illicitum in genere, tunc peccabit ſolum venialiter, ſi agat contra conſcientiam, vt docet Ludouicus Lopez p. 1. inſtruct. confeſſ. c. 3. Nauarrus loco citato, quidquid in cõtrarium afferat Sairus lib. 1. clauis regiæ cap. 3. num. 17. ſecutus Rodriquez in ſumma. p. 1. c. 71. concl. 4. Vaſquez p. 2. diſp. 59. cap. 3. ratio eſt, quia velle id, quod in genere ſolum iudicatur illicitum, non videtur eſſe grauis malitia, quia huiuſmodi voluntas continet ſe adhoc intra limites eius rationis, quæ eſt communis peccato mortali, & veniali, & conſequenter ſit imperfecta in genere mali, & ſolum conſtituit peccatum veniale. nec rationes Sairi tenentis huiuſmodi agentem contra conſcientiam peccare mortaliter aliquid con-

concludunt. prima eſt. qui ita operatur abſque alio examine, non dubitat ſe exponere periculo peccati mortalis, & velle illud committere, qualecunque ſit, & qui amat periculum, peribit in illo. reſpondetur, huiuſmodi iudicantem aliquid eſſe illicitum in genere non ſe exponere periculo peccati mortalis, nec velle illud committere, qualecunque ſit, quia loquimur de eo, qui præcisè ſe continet infra limites eius rationis, quæ poteſt eſſe communis peccato mortali, & veniali, non deſlectendo magis in vnum, quam in alterum, & hoc profectò ſonat quid imperfectu in genere mali, & dum ſiſtit in illa præciſione, non ſe exponit periculo peccandi mortaliter, nec talis præcisè ſumptus dicitur velle committere peccatum, qualecunque ſit, cum non cogitet, nec deſcendat ad ſpecies peccati, ſed præcisè ſe continet infra limites ſupradictas, ſecunda ratio eſt. qui haberet propoſitum peccandi, aut vellet eſſe malus in communi non determinando materiam aliquam peccati, proculdubio mortaliter peccaret, ergo etiam in hoc caſu &c. reſpondetur negando conſequentiam, quia propoſitum peccandi, aut velle eſſe malum ſonant peccatum mortale, qui autem iudicat in genere eſſe illicitum, ſiſtit intra limites ſupradictos, vnde non ſonat niſi quid imperfectum. obſerua tamen, quod ſiquis in vniuerſali putet rem eſſe illicitam, ſi tamen in particulari hic, & nunc non putet ſibi eſſe illicitam, faciendo non peccat contra conſcientiam erroneam, quia conſciẽtia, vt rectè ait Caietanus. p. 2. q. 19. a. 5. & tom. 1. opuſculorum in tract. 17. reſp. reſponſione. 15. quem ſequitur Nauarrus in manuali prælud 9. n. 9. & in cap. ſiquis autem de pænit. d. 7. num. 62. & 63. non ſignificat iudicium practicum in communi, ſed in particulari circa opus, quod eſt exercendum, & cum in particulari ſecundum hic, & nunc non putet ſibi eſſe illicitam, non peccabit contra conſcientiam. rurſus iam diximus totum peccatum in propoſito oriri ex illo errore, vnde ſi error ille non admittatur, vel non perſeueret, ſed quouiſmodo ceſſet, nullum erit peccatum illud facere. hinc Caietanus loco citato p. 2. q. 19. a. 5. quem ibidem ſequitur Bartolomeus Medina, & Nauarrus in cap. ſi quis autem de pænit. d. 7. num. 62. elicit, quod ſi mulier audiens à Prædicatore, quod ſit peccatum mortale vti capillis alienis, quia eſt ſimulatio, concipienſq; ex hac ratione, & auctoritate Prædicatoris talem vſum eſſe peccatum mortale, & ex alia parte vti capillis alienis vellet, & inde ratione, hinc appetitu mouente neſcit ſoluere motiua rationis erroneæ contrariæ appetitui ſuo, attamen putans abſque ſolutione rationis id ſibi licere, vtitur talibus capillis, & non peccat, quia credit hic, & nunc ſibi licere. ſi autem aliquis quærat, ad quod genus peccati reducatur peccatum contra conſcientiam commiſſum, reſpondebitur ei cum S. Thoma p. 2. q. 19. a. 5. ad 3. quem ſequitur Bartolomeus Medina ibidem dub. 4. ꝙ tale peccatum reducitur ad ſpetiem peccati, quã ratio apprehendit, quando enim ratio apprehẽdit aliquid vt malum, ſemper apprehendit illud ſub aliqua ratione mali, puta quia contrariatur præcepto Diuino, vel quia eſt ſcandalum, vel propter aliquod huiuſmodi, & tunc ad talem ſpetiem reducitur illud peccatum. & nota, quod agere contra conſcientiam ſiue rectam, ſiue erroneam erit tantum vnum peccatum, quod dico contra aliquos, qui putant, quod agens contra conſcientiam erroneam vnico tantum peccato peccat, quia eſt vna tantum deformitatis ratio, agere ſcilicet contra conſcientiam erroneam, agens verò contra conſcientiam veram duplex peccatum committit ob duplicem deformitatẽ illius actus, vnam agendo contra conſcientiam, alteram vero agendo contra præceptum, quod proponitur; ſed hoc falſum eſſe conuincitur ex hoc quod nulla virtus, aut præceptum obligat, niſi media conſcientia, & notitia, quæ eſt immediata regula noſtrarum operationum, ſiquidem conſcientia, ſiue notitia vera, ſeu falſa idem omninò eſt, ac ipſum præceptum, cum ergo non ſit diuerſa regula, ſed vna, & eadem, contra quam peccat homo, vnum tantum, & non duplex erit peccatum contra conſcientiam ſiue veram, ſiue falſam operari: ex quo ſequitur, quod contra conſcientiam peccans ſolum confiteri tenetur ſe peccaſſe, ſi peccatum mortale fuerat, non autem explicare tenetur, ſe contra conſcientiam peccaſſe, vt putauit Adrianus. 4 ſent. tract. de confeſſ. q. 4. nunc videndum eſt, quodnam ſit maius peccatum, agere contra conſcientiam erroneã vincibilem, & culpabilem, an agere ſecundum illam, & dico ſecundum Bartolomeum Medinam p. 2. q. 19. art. 5. non poſſe aſſignari certam aliquam regulam hac in re, nam aliquando contingere poteſt, quod maius peccatum ſit agere cõtra conſcientiam, quam ſecundum eam, vt cũm aliquis putat, ſe teneri admentiendum ad ſaluandam vitam proximi, tunc maius peccatũ eſt agere contra conſcientiam, quam ſecundum eam, quia in hoc caſu nõ mentiendo peccat peccato homicidij, putat enim ſe teneri hoc peccato, ſi non mentiatur, ſi autem ſequatur conſcientiam erroneam, peccat ſolum peccato mẽdacij, quod tantum eſt veniale: aliquando contingere poteſt, vt ſit minus peccatum agere contra conſcientiam, quam ſecundum illam, vt ſi quis putaret eſſe peccatum furari diuiti, vt det pauperibus, in quo caſu ſequendo conſcientiam hanc erroneam peccatum furti committit, agendo autem contra conſcientiam erit tantum veniale. vnde ſtatuitur hæc regula. ad iudicandum quãdo maius, aut minus peccatum ſit contra conſcientiam, vel ſecundum eam agere, conſideranda eſt materia, circa quam verſatur conſcientia erronea in agendo, vel non agendo, quæ nonnunquam erit in maiori ſpetie peccati ſequendo conſcientiam, aliquando vero agendo contra ipſam.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Gregorius de Valentia tom. 2. diſp. 2. q. 14. p. 4. Gabriel Vaſquez. p. 2. diſp. 59. cap. 2.

Quæri-

Quæritur, an conſcientia erronea obliget ad peccatum.

9 Reſpondeo dicendum, quod actus humanus iudicatur virtuoſus, vel vitioſus ſecundum bonum apprehenſum, in quod per ſe voluntas fertur, & non ſecundum materiale obiectum actus, ſicut ſi aliquis credens accidere patrem, occidat ſeruum, incurrit patricidij peccatum, & è contrario, ſi quis curator putans occidere ſeruum debita diligentia adhibita occidat cauſaliter patrem, immunis eſt à Patricidij crimine: ſi ergo aliquid, quod ſecundum ſe non eſt contra legem Dei, vt leuare feſtucam de terra, vel iurare apprehendatur errante conſcientia, vt contra legem exiſtens Dei, & ſic voluntas in ipſum feratur, manifeſtum eſt, quòd voluntas fertur per ſe loquendo, & formaliter in id, quod eſt contra legem Dei, materialiter autem in id, quod eſt ſecundum legem Dei, & ideò manifeſtum eſt, quod eſt ibi contemptus legis Dei, ideò neceſſe eſt, quòd ſit ibi peccatum, & ideò dicendum eſt, quod omnis conſcientia, ſiue recta, ſiue erronea, ſiue in per ſe malis, ſiue in indifferentibus eſt obligatoria, ita quod qui contra conſcientiam facit peccat. quodlibeto 3. artic. 27. in corp.

Reſpondet D. Thomas huic quæſito vnica cõcluſione, quæ eſt. omnis conſcientia ſiue recta, ſiue erronea, ſiue in per ſe malis, ſiue in indifferentibus eſt obligatoria, itaquod qui contra cõſcientiam facit, peccat. probatur, actus humanus iudicatur virtuoſus, vel vitioſus ſecundum bonum apprehenſum, in quod per ſe voluntas fertur, & non ſecundum materiale obiectum actus, vt patet de occidente ceruum, qui tamen credebat occidere Patrem, & è conuerſo, ergo ſi aliquid, quod ſecundum ſe non eſt contra legem Dei, apprehendatur errante conſcientia, vt contra legem Dei exiſtens, & ſic voluntas in ipſum ferratur, manifeſtum eſt, quod voluntas fertur per ſe, & formaliter in id, quod eſt contra legem Dei, materialiter autem in id, quod eſt ſecundum legem Dei, ergo eſt ibi contemptus legis Dei, ergo eſt ibi peccatum, ergo omnis conſcientia eſt obligatoria.

Pro explicatione concluſionis ſciendum eſt, quod dicitur conſcientia tam recta, quam erronea obligare, diuerſa tamen ratione, nam conſcientia recta eſt conformis legi Diuinæ, & vera lex eſt; conſcientia vero erronea putatur eſſe lex Dei, cum tamen non ſit, & ideò etiam ipſa obligabit, ſicut lex illius, quem puto eſſe meum Prælatum, qui tamen verè non eſt Prælatus meus, me obligat. rurſus conſcientia recta ſimpliciter obligat, erronea verò ſolum ex ſuppoſitione, quia creditur eſſe præceptum Dei, vt ſupra diximus. an autem conſcientia erronea ita obliget, vt eam ſequamur, diligentius inquirendum eſt. in quo quæſito duas inuenio opiniones, vnam Durandi. 2. ſent. d. 39. q. 5. quem ſequitur Gregorius de Valencia tom. 2. diſp. 2. q. 14. p. 4. docentis, cõſcientiam erroneam ligare, ſed non obligare. idem videtur docere D. Antoninus p. pri. tit. 3. c. 10. §. 4. & videtur eſſe ſententia D. Thomæ, qui licet p. 2. q. 19. art. 5. dicat, conſcientiam erroneam obligare, alibi tamen dicit, ligare, vt p. 2. q. 19. a. 6. & p. pri. q. 79. a. 13. vt videre eſt in ſupradictis quæſitis, & ita interpretari videtur Conradus Koelim p. 2. q. 19. a. 6. Alteram Bartolomei Medinæ. p. 2. q. 19. a. 5. & 6. qui oppoſitum docet, nempe conſcientiam erroneam ligare, & obligare ad faciendum id, quod dictat, & nullam facit differentiam inter ligare, & obligare. Medinam ſequuntur aliqui recẽtiores, & hãc ſequior ego. pro cuius explicatione ſciendum eſt, quod conſcientia dicitur erronea dupliciter, ſcilicet culpabiliter, & inculpabiliter; tunc eſt conſcientia erronea inculpabiliter, quãdo ignorantia hæc deponi nequeat, aut non debeat; tũc autem eſt conſcientia erronea culpabiliter, quãdo homo conſcientiam illam deponere poteſt, & tenetur, & conſequenter illi ad culpam imputatur, ſi ſecundum illam operetur. rurſus obſeruandum eſt, quod ſequi conſcientiam erroneam contingit dupliciter, ſcilicet poſitiuè, & negatiuè; tunc ſequitur quis eam negatiuè, quando nõ facit contrarium eius, quod conſcientia dictat; tunc ſequitur quis eam poſitiuè, quando facit, quod ea dictat. his ſtantibus dico primò, quod conſcientia erronea ex ignorantia culpabili, & vincibili ligat, & obligat, non vt quis eam ſequatur poſitiuè, ſed negatiuè, vt ſcilicet non faciat contrarium eius, quod dictat. probatur, quia aliquando conſcientia erronea proponit, vt fiat id, quod malum eſt, puta ſi quis culpabiliter putat neceſſarium eſſe mentiri, vt ſuam, vel alterius vitam conſeruet, in hoc caſu nõ tenetur quis mentiri, quia peccaret mentiendo, nullus autem tenetur ad id, quod ſi fecerit, peccatum committit, tenetur tamen ex illa conſcientia erronea non facere contrarium, adeò vt non mentiendo peccet. dico ſecundò, quod conſcientia erronea ex ignorantia inculpabili non ſolum obligat, nequis faciat contrarium, ſed etiam ſimpliciter obligat ad poſitiuam ſui obſeruationem ratione in ſuperioribus allata. nunc ſupereſt ſoluere argumenta Durandi, quorum primum eſt, conſciẽtia erronea dictat aliquando id, quod eſt malũ, & prohibitum, puta dictat non eſſe ieiunandum, & eſſe fornicandum, & huiuſmodi, & in indifferentibus dictat aliquando malum eſſe id, quod non eſt, vt quãdo dictat leuare feſtucam de terra eſſe peccatum. ſed nulla poteſt eſſe obligatio reſpectu mali, & illiciti, ergo &c. reſpondetur, ꝙ conſcientia aliquando dictat id, quod eſt malum & prohibitum materialiter, non tamen formaliter, quod enim dictat, putat, licet falsò, eſſe ſecundum

cundum legem Dei, & bonum, & non prohibitum, vnde ſi ignorantia ſit inuincibilis, excuſabitur faciens à peccato, ſi tamen ſit culpabilis, & vincibilis, imputabitur ei ad peccatum, quia poteſt deponere illam conſcientiam, & tenetur, qꝫ ſi non faciat, imputabitur ei ad culpam, ſi faciat ſecundum illam. legatur D. Thomas lect. 2. cap. 14. ad Rom. ſecundum argumentum eſt. ſola vera notitia de re obligationem non tollit, ſed magis confirmat, ſed vera notitia de re, cuius erat erronea conſcientia, contrarium dictabat, ergo conſcientia erronea prius non obligabat. reſpōdetur, quod conſcientia erronea non facit obligationem abſolutè, & re ipſa, ſed more humano obligat, nullum enim præceptum obligat niſi media apprehenſione, quæ eſt immediata regula noſtrarum operationum, vnde conſcientia recta ſuperueniens auffert obligationem, non quæ re ipſa fuit prius, ſed quæ tantum erat in apprehenſione per conſcientiam erroneam. tertiò arguit à ſimili, ſi miniſter alicuius Regis legem aliter promulgaret, quam ab eo lata ſit, proculdubio ex tali falſa legis promulgatione nemo obligatus maneret, ſed conſcientia erronea hoc modo ſe habet reſpectu legis Diuinæ, & æternæ, ergo non obligat ad id, quod ipſe aliter promulgat. reſpondetur negando maiorem, dico enim, quod lex aliter à ſeruo promulgata, quam data ſit à Rege, inducit obligationem, itaut populus teneatur ei obedire, & contemptores poſſent puniri, hæc tamen obligatio aufferretur per ſuperuenientem notitiam legis, & intentionis Regis, non quod obligatio aliqua antea eſſet re ipſa, ſed quæ ſolum erat in apprehenſione populi putantis, & exiſtimantis legem verè promulgatam fuiſſe, prout à Rege lata erat, quæ apprehenſio populum obligabat, vt eam ſeruare teneretur.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Vaſquez. p. 2. diſp. 60. cap. 2. Rodriquez in ſumma p. pri. c. 71. & alij.

Quæritur, an conſcientia dictans faciendum aliquam rem contra legem Dei obliget.

10 Reſpondeo dicendum, quòd ſi alicui dictat conſcientia, vt faciat illud, quod eſt contra legem Dei, ſi non faciat, peccat, & ſimiliter ſi faciat, peccat, quia ignorantia iuris non excuſat à peccato, niſi fortè ſit ignorantia inuincibilis, ſicut eſt in furioſis, & amentibus, quæ omninò excuſat, nec tamen ſequitur, quòd ſit perplexus ſimpliciter, ſed ſecundū quid, poteſt enim erroneam conſcientiam deponere, & tunc faciens ſecundum legem Dei non peccat; non eſt autem inconueniens, quod aliquo poſito aliquis homo ſit perplexus, ſicut Sacerdos, qui tenetur cantare, ſi ſit in peccato, peccat cantando, & non cantando, nec tamen eſt ſimpliciter perplexus, quia poteſt pænitentiam agere, & abſque peccato cantare. quodlibeto tert. artic. 27. ad 2.

Duo facit D. Thomas in hoc quæſito, primò reſpondet quæſito vnica concluſione, ſecundò reſpondet cuidam obiectioni. quoad primum eſt concluſio. ſi alicui dictat conſcientia, vt faciat illud, quod eſt contra legem Dei, ſi non faciat, peccat; & ſimiliter ſi faciat, peccat. prima pars relinquitur tanquam nota, quia facit contra conſcientiam. ſecunda pars probatur, quia ignorantia iuris non excuſat à peccato, niſi fortè ſit ignorantia inuincibilis, ſicut eſt in furioſis, & amentibus, quæ omninò excuſat. obiectio eſt, ſi ille, qui facit contra conſcientiam dictantem aliquid contra legem Dei, peccat, ſicut peccat non faciendo, ergo erit perplexus. reſpondet, quod iſte erit perplexus ſecundum quid, nō ſimpliciter; non, inquam, ſimpliciter, quia poteſt conſcientiam erroneam deponere, & tunc faciēs ſecundum legem Dei non peccat, erit tamen perplexus ſecundum quid, nec eſt inconueniens, quod aliquo poſito aliquis homo ſit perplexus. quod totum explicatur exemplo Sacerdotis exiſtentis in peccato, & obligati ad cantandum.

Perplexitas iſta in vtramq; partem arguitur profectò ex hoc, quia quidquid faciat, peccatum non euadit. ſed optimè reſpondet D. Thomas, quod iſte non eſt perplexus ſimpliciter, quia poteſt, & tenetur in hoc caſu, & euentu conſcientiam illam deponere, & conſcientiam contrariam habere, quo facto ab illa perplexitate liberatur. In omni euentu profectò homo deberet deponere conſcientiam erroneam ex ſe, vel aliorum conſilio, & ſic liberè operabitur, vt alij operantur, vt etiam obſeruat Caietanus in ſummula verb. conſcientia. erit ergo tantum perplexus ſecundum quid in hoc caſu, & iſta perplexitas aliquando poteſt contingere ex culpa ſua, ſicut quando ignorat id, quod ſcire poteſt, & tenetur. legatur circa hanc materiam D. Thomas lect. 2. ſuper cap. 14. ad Romanos.

Ex hoc loco innominato tanquam ex fonte hauſit, quæ docet Sairus lib. 1. clauis regiæ cap. 4. num. 10.

Quæritur, an conſcientia erronea ſequens faciat, vt actus præcedens bonus ſit malus.

11 Reſpondeo dicendum, quòd ſi aliquis poſt factum habeat conſcientiam erroneā, per quam credat id, quod eſt licitum à ſe factum, fuiſſe peccatum, vel quod eſt veniale, fuiſſe mortale, non propter hoc efficitur id, quod prius, vel peccatum, vel mortale, quia voluntas, & actio non informantur ex apprehenſione ſequenti, ſed ex præcedenti. Lect. 2. cap. 14. ad Romanos.

Concluſione vnica reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. ſi aliquis poſt factum habeat conſcien-

conſcientiam erroneam, per quam credat id, quod eſt licitum à ſe factum, fuiſſe peccatum, vel quod eſt veniale, fuiſſe mortale, non propter hoc efficitur id, quod prius, vel peccatū, vel mortale. probatur, quia voluntas, & actio non informatur ex apprehenſione ſequenti, ſed praecedenti.

Non immoror, cum nil occurat ſcribendum.

Quaritur, quomodo inquinatio ſit in conſcientia.

12 Reſpondeo dicendum, quòd inquinatio dicitur eſſe in conſcientia non ſicut in ſubiecto, ſed ſicut cognitum in cognitione, in quantum ſcilicet aliquis ſcit ſe eſſe inquinatum. p. pri. quæſt. 79. art. 13. ad 2. (q. 17. de verit. a. 1. ad 2. 3. 6.

Inquinationem eſſe in conſcientia non ſicut in ſubiecto, ſed ſicut cognitum in cognitione, inquantum ſcilicet aliquis ſcit, ſe eſſe inquinatum, docet D. Thomas in hoc quæſito.

Pertranſeo in hoc quæſito, cum nil occurrat.

Quaritur, an in conſcientia remaneant peccatorum notæ.

13 Reſpondeo dicendum, quòd peccatorum notæ remanent in conſcientia, quacumque vi fuerint commiſſa. q. 25. de verit. art. 5. ad 2.

Reſpondet D. Thomas huic quæſito vnica cōcluſione, quæ eſt. peccatorum notæ remanent in conſcientia, quacumque vi fuerint commiſſa.

Propero ad alia.

Quaritur, an conſcientia erronea excuſet.

14 Reſpondeo dicendum, quòd ſi ratio, vel conſcientia erret errore voluntario vel directè, vel propter negligentiam, quia eſt error circa id, quod quis ſcire tenetur, tunc talis error rationis, vel conſcientiæ non excuſat, quin voluntas concordans rationi, vel conſcientiæ ſic erranti, ſit mala, ſi autem ſit error, qui cauſat inuoluntarium prouenìens ex ignorantia alicuius circumſtantiæ abſque omni negligentia, tunc talis error rationis, vel conſcientiæ excuſat, vt voluntas concordans rationi erranti non ſit mala, puta ſi ratio errans dicat, quod homo teneatur ad vxorem alterius accedere, voluntas concordās huic rationi erranti eſt mala, eo quòd error iſte prouenit ex ignorātia legis Dei, quàm ſcire tenetur: ſi autem ratio erret in hoc, quod credat aliquam mulierem ſubmiſſam eſſe ſuam vxorem, & ea petente debitum velit eam cognoſcere, excuſatur voluntas eius, vt non ſit mala, quia error iſte ex ignorantia circunſtantiæ prouenit, quæ excuſat, & inuoluntarium cauſat. p. 2. q. 19. a. 6. in corp.

Duplici concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. ſi ratio, vel conſcientia erret errore voluntario, ſiue directe, ſiue propter negligentiam circa id, quod quis ſcire tenetur, tunc talis error rationis, vel conſciētiæ non excuſat, quin voluntas concordans ratione, vel conſcientiæ ſic erranti ſit mala. probatur, quia talis ignorantia eſt aliquo modo volita, vt declaratur in textu ex terminis. ſecunda concluſio. ſi error rationis ſit inuoluntarius proueniens ex ignorantia alicuius circōſtantiæ abſque omni negligentia, tunc talis error rationis, vel conſcientiæ excuſat, vt voluntas concordans rationi ſic erranti non ſit mala. probatur, quia talis error, & ignorantia cauſat inuoluntarium.

Ex prima concluſione colligo, hæreticos arbitrantes ſuas opiniones non eſſe hæreſes, neque contra Sanctam Catholicam Eccleſiam, immò eſſe veritates, & maximas veritates non excuſari de peccato ſuæ infidelitatis, quia ignorantia illorum eſt voluntaria, & de his, quæ ſcire tenentur, & maximè tenentur, vt etiam obſeruauit Seraphinus à Porrecta ad hunc locum. ſecunda concluſio patet ex ſupradictis. legantur ea, quæ docet D. Thomas p. 2. q. 6. a. 8.

CONSECRATIO.

1 *Conſecratio Altaris, templi, veſtium eſt ſacramentale quoddam.*

2 *Domus, in qua celebratur Euchareſtia, ſignificat Eccleſiam.*

Huiuſmodi domus iure conſecratur propter multa.

Antequam Eccleſia conſecretur, quid ſit agendum.

In neceſſitate poteſt Miſſa celebrari in domo non conſecrata de conſenſu Epiſcopi, cum Altare tamen portatili conſecrato.

Numquam Eccleſia ſine Altare conſecratur.

Altare tamen ſine Eccleſia conſecratur.

3 *Eccleſia, Altaria per conſecrationem acquirunt quandam virtutem ſpiritualem, per quam fiunt apta Diuino cultui.*

Huiuſmodi ante conſecrationem emundantur, exorcizantur.

Quidam probabiliter dicunt, quòd per ingreſſum Eccleſiæ conſecratæ remittuntur peccata venialia.

Conſecratio Eccleſiæ non iteratur.

Eccleſijs Deo conſecratis non debet iterum conſecratio adhiberi, niſi ab igne fuerint aduſtæ, aut pollutæ effuſione ſanguinis aut ſeminis.

Qui ſunt extra Eccleſiam, non poſſunt conſecrare ſupradicta.

Ligna Eccleſiæ dedicata in quos vſus debeant expendi.

Altaris Palla, Catedra, Candelabrum, &c. ſi ſint vetuſtate conſumpta, conburantur, & cineres

cineres in baptisterio, vel pariete, vel fossis proijciantur.

4 *Consecratio Regum, Monachorum, Monialium nõ est sacramentum.*

5 *Consecratio Ecclesiæ, & Altaris semper manet, vsque quo res ipsa maneat.*

6 *Consecratio Ecclesiæ, & Altaris &c. pertinet ad Episcopum.*

7 *Quare celebratur festum consecrationis Ecclesiæ.*

Quare octo diebus celebratur hoc festum.

Quæritur, an consecratio Ecclesiæ, Altaris, Vestium, &c. sit sacramentum.

1 Respondeo dicendum, quòd consecratio templi, & Altaris, & sacrarum vestium, & huiusmodi ordinantur ad sacramentum Euchareſtiæ, & ideò non sunt sacramenta, sed sacramentalia quædam. 4. sentent. d.2.q.1.a.2. ad 11. (3. p. q. 65. a.1.ad 6.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. consecrationes templi, Altaris, Sacrarum vestium non sunt sacramenta, sed sacramentalia. probatur, ordinantur ad sacramentum Euchareſtiæ, ergo sunt sacramentalia, ergo non sacramenta.

Cum hæc nihil difficultatis contineant, propero ad alia.

Quæritur, quare consecratur Ecclesia, Altare, & quid significet talis consecratio.

2 Respondeo dicendum, quod domus, in qua sacramentum Euchareſtiæ celebratur, Ecclesiam significat, sicut & Ecclesia nominatur, quæ conuenienter consecratur tum ad repræsentendam sanctificationem, quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi, tum etiam ad significandam sanctitatem, quæ requiritur in his, qui hoc sacramentum suscipere debent; per Altare autem significatur ipse Christus, de quo dicit Apostolus Hæb. Vltimo, per ipsum offerimus Hostiam laudis Deo, vnde & consecratio Altaris significat sanctitatem Christi, de qua dicitur Lucæ primo, quòd ex te nascetur, sanctum vocabitur filius Dei, vnde de consecrat. distinct. 1. dicitur. Altaria placuit non solum vnctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari, & ideò regulariter non licet celebrare hoc sacramentum, nisi in domibus consecratis. vnde sicut habetur de consecrat. distinct. 1. Nullus Præsbiter Missas celebrare præsumat, nisi in consecratis ab Episcopo locis, propter quod etiam, quia Pagani non sunt de Ecclesia, nec alij infideles, ideò eadem distinctione legitur. Ecclesiam, in qua mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet, sed si apta videtur ad consecrandum inde euulsis corporibus, & rasis parietibus, vel tignis eius loci, reædificetur; sed si hæc consecrata prius fuerit, Missas in ea celebrare licet, tamen si fideles fuerunt, qui in ea sepulti sunt. propter necessitatem tamen potest hoc Sacramentum peragi in domibus non consecratis, vel violatis, sed tamen de consensu Episcopi, vnde in eadem distinct. legitur, Missarum solemnia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit celebranda esse censemus, non tamen sine Altari portatili consecrato, vnde in eadem distinct. legitur, Concedimus, si Ecclesiæ fuerint incensæ, vel combustæ, in Capellis cum tabula consecrata Missas iterũ celebrari, quia enim Sanctitas Christi fons est totius Ecclesiasticæ Sanctitatis, ideò in necessitate sufficit ad peragendum Hoc Sacramentum Altare Sanctificatum, propter quod etiam nunquam Ecclesia sine Altari consecratur, tamen sine Ecclesia quandoque consecratur Altare cum Reliquijs Sanctorum, quorum vita abscõdita est cum Christo in Deo, vnde in eadem distinct. legitur, Placuit, vt Altaria, in quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Martiris conditæ probantur ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, euertantur. 3. par. quæst. 83. artic. 3. ad 2. & 4. (4. sentent. d.13. quæst.1. artic.2. quæstiunc. 5. in corp.

Nouem conclusionibus respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Domus, in qua celebratur Euchareſtia, significat Ecclesiam, sicut & Ecclesia nominatur, quæ conuenienter cõsecratur. probatur hæc vltima pars, quia hoc fit ad representandam sanctificationem Ecclesiæ, & sanctitatem recipientium Euchareſtiam. secunda conclusio. Per Altare significatur Christus. probatur ex Apostolo ad heb. vlt. hinc elicitur corrolarium, quod consecratio Altaris significat sanctitatem Christi. tertia conclusio. regulariter non licet celebrare sacramẽtum Euchareſtiæ nisi in domibus consecratis. probatur, de consecrat. d. 1. quarta conclusio. sanctificare non licet Ecclesiam, in qua mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur, sed si apta videtur ad consecrandum, inde euulsis corporibus, & rasis parietibus, vel tignis eius loci, reædificetur. probatur prima pars, quia pagani non sunt de

Eccle-

Ecclesia, nec alij infideles. probatur secunda pars, quia sic legitur eadem dist. quinta conclusio. si hæc consecrata prius fuerit, Missas in ea celebrare licet, si tamen fideles fuerunt, qui in ea sepulti sunt. probatur ex decreto Ecclesiæ eadem dist. septima conclusio. propter necessitatem potest Eucharestia peragi in domibus non consecratis, vel violatis, de consensu tamen Episcopi. probatur, quia sic habetur eadem distinct. Octaua conclusio. non licet Eucharestiam conficere sine Altari portatili consecrato. probatur ex eadem dist, nona conclusio, numquam Ecclesia sine Altari consecratur, Altare tamen cõsecratur sine Ecclesia cum Reliquijs Sanctorum. Probatur ex eadem dist.

Hæc ita distinctè, ac dilucidè explicantur à D. Thoma, vt lectione potius, quam expositione egeant.

Quæritur, quid consequantur per consecrationem Ecclesia, & Altaria.

3 Respondeo dicendum, quòd Ecclesia, & Altare, & alia huiusmodi inanimata cõsecrantur, non quia sint gratiæ susceptiua, sed quia ex consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur Diuino cultui, vt scilicet homines deuotionem quandam exinde percipiant, vt sint paratiores ad Diuina, nisi hoc propter irreuerentiam impediatur, vnde, & 2. Machab. 3. dicitur Verè Dei Virtus quædam est in loco. nam ipse, qui habet in cælis habitationem visitator, & adiutor loci illius est, & inde est, quod huiusmodi ante consecrationem emundantur, & exorcizantur, vt exinde Virtus inimici pellatur, & eadem ratione Ecclesiæ, quæ sanguinis effusione, aut cuiuscunque semine pollutæ fuerint, reconciliantur, quia per peccatum ibi commissum apparet ibi aliqua operatio inimici propter q; etiam in distinct. 1. legitur, Ecclesias Arianorum vbicunque inueneritis Catholicas, eas Diuinis precibus, & operibus absque vlla mora consecrate, vnde & quidam probabiliter dicunt, quod per ingressum Ecclesiæ consecratæ homo consequitur remissionem peccatorum venialium, sicut & per aspersionem aquæ benedictæ, inducentes quod in Psal. 84. dicitur. Benedixisti Domine terram tuam, remisisti iniquitatem plebis tuæ, & ideò propter Virtutem, quæ ex consecratione Ecclesiæ acquiritur, consecratio Ecclesiæ non iteratur. vnde in eadem distinct. ex Concilio Niceno legitur, Ecclesijs semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiuscunque semine pollutæ fuerint, quia sicut Infans à qualicunque Sacerdote in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti semel baptizatus non debet iterum baptizari, ita nec locus Deo dicatus est iterum consecrandus, nisi propter causas, quas superius nominauimus; si tamen fidem Sanctæ Trinitatis tenuerint, qui cõsecrauerunt, alioquin qui sunt extra Ecclesiam, consecrare non possunt, sed sicut in eadem distinct. legitur, Ecclesiæ, vel Altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur; propter hoc etiam, quod aliquam virtutem spiritualem adipiscuntur per consecrationem, in eadem distinct. statutum legitur, ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni conburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus, in laicorum autem opera non debent admitti, & ibidem legitur. Altaria, Palla, Catedra, Candelabrum, & Velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, cineres quoque eorum in baptisterio inferantur, aut in pariete, aut in fossis pauimẽtorum iactentur, ne introeuntium pedibus inquirentur. 3. p. q. 83. art. 3. ad 3.

Octo conclusionibus respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Ecclesia, & Altare, & alia huiusmodi inanimata consecrãtur, non quia sint gratiæ susceptiua, sed quia ex consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur Diuino cultui, vt scilicet homines deuotionem percipiant, & sint ad Diuina parationes. secunda conclusio. Ecclesiæ ante consecrationem emundãtur, exorcizantur, & Ecclesiæ pollutæ effusione sanguinis, vel seminis reconciliantur. probatur hęc vltima pars, quia per peccatum ibi commissum apparet ibi aliqua operatio inimici. tertia conclusio. secundum aliquos per ingressum Ecclesiæ consecratæ remittuntur peccata venialia, sicut & per aspersionem aquæ benedictæ. probatur ex Psal. 84. quarta conclusio. Ecclesiæ non iteratur consecratio. probatur ex Concilio Niceno; & à simili de Infante baptizato, qui non rebaptizatur. quinta conclusio. hoc verum est, si illi, qui consecrauerunt, tenuerint fidem Sanctissimæ Trinitatis. probatur, quia qui sunt extra Ecclesiam, consecrare non possunt; probatur etiam ex decreto Ecclesiæ, vt in littera. sexta conclusio. ligna Ecclesiæ dedicatæ nõ debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni conburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus. probatur, quia sunt consecrata; & ex decreto Ecclesiæ. septima conclusio. in laicorum opera

opera non debent admitti. probatur, quia sunt consecrata; & ex decreto Ecclesiæ. Octaua conclusio. Altaria, Palla, Catedra, Candelabrum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, cineres quoque eorum in Baptisterio inferantur, aut in pariete, aut in fossis pauimētorum iactentur &c. probatur ex eodem decreto.

Hæc ita clara sunt, vt nostro non egeant labore.

Quæritur, an consecratio Regum, Monachorum, Monialium sit sacramentum.

4 Respondeo dicendum, quòd ad quamlibet eminentiam status datur aliqua sanctificatio, cum sit ibi necessarium speciale auxilium gratiæ, sicut in consecratione Regum, & Monachorum, & Monialium, & ideò sunt actiones Hierarchicæ, & propter hoc Dionysius de eis determinat, non tamen habent rationem sacramenti, sed solum illam eminentiam, per quam homo efficitur sacrorum dispensator. 4. sent. d. 2. q. 1. a. 2. ad nonum.

Quod consecrationes Regum, Monachorum, Monialium non habeant rationem Sacramenti, sed solum illam emminentiam, per quam homo efficitur sacrorum dispensator, docet D. Thomas in hoc quæsito, quia ad quamlibet eminentiam status datur aliqua sanctificatio, cum sit ibi necessarium spetiale auxilium gratiæ.

Quod facit difficultatem in hoc loco est auctoritas D. Dionysij, qui cap. 6. de Ecclesiastic. Hierarch. enumerat inter Sacramenta Monasticam consumationem, siue consecrationem. sed respondetur, quod vocatur Monastica consecratio Sacramentum, nō quod habeat rationem Sacramenti, sed quia habet eminentiam, per quam fit sacrorum dispensator.

Quæritur, quamdiu maneat consecratio in Ecclesia, vel Altari.

5 Respondeo dicendum, quòd Ecclesiæ, vel Altaris manet consecratio, semper nisi destruatur. 3. par. quæst. 63. artic. 5. in corp. (quæst. 76. artic. 6. ad 3. (quæst. 82. artic. 8. in corp.

Ecclesiæ, vel Altaris semper manere consecrationem, nisi destruantur, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Cum Ecclesia, vel Altare dicatur consecratū, si postea Ecclesia, vel Altare destruatur, non erit amplius Ecclesia, vel Altare, & consequenter nō manebit amplius consecratio.

Quæritur, an supradictæ conserationes pertineant ad Episcopum.

6 Respondeo dicendum, quòd quia Episcopus accipit potestatem, vt agat in persona Christi super corpus eius misticum, id est super Ecclesiam, quam quidem potestatem non accipit Sacerdos in sua consecratione, licet possit eam habere ex Episcopi commissione, & ideò ea, quę non pertinent ad dispositionem corporis mystici, non reseruantur Episcopo, sicut consecratio sacramenti Eucharestiæ. Ad Episcopum verò pertinet tradere non solum populo, sed etiam Sacerdotibus ea, ex quibus possunt proprijs officijs vti, & quia benedictio chrismatis, & olei Sancti, & olei infirmorū, & aliorum, quæ consecrantur (puta Altaris, Ecclesiæ, vestium, & vasorum) præstat quamdam idoneitatem ad sacramenta perficienda, quæ pertinent ad officium Sacerdotum, ideò tales consecrationes Episcopo reseruantur tamquam Principi totius Ecclesiastici Ordinis. 3. par. quæst. 82. art. 1. ad 4.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. benedictiones Chrismatis, olei Sancti, Olei infirmorum, Altaris, Ecclesiæ, Vestium, vasorum reseruantur Episcopo. probatur, ad Episcopum pertinet tradere non solum populo, sed etiam Sacerdotibus ea, ex quibus possunt proprijs officijs vti, sed benedictiones supradictorum præstant quamdam idoneitatem ad sacramenta perficienda, quæ pertinent ad officium Sacerdotum, ergo tales consecrationes Episcopo reseruantur, tanquam Principi totius Ecclesiastici ordinis.

Non immoror circa hanc doctrinam, cum nil difficultatis obtineat.

Quare Festum consecrationis Ecclesiæ celebratur.

7 Respondeo dicendum, quòd quia consecratio Altaris repræsentat Sanctitatem Christi, consecratio autem domus Sanctitatem totius Ecclesiæ, ideò conuenientius recolitur cum Sanctitate, & solemnitate consecratio Ecclesiæ, vel Altaris, quam aliorum, quæ consecrantur, propter quod etiam octo diebus solemnitas benedictionis agitur ad significādum Beatam Resurrectionem Christi, & membrorum Ecclesiæ, nec est opus solius hominis cōsecratio Ecclesiæ, & Altaris, cū habeat spiritualem virtutem. vnde de consecrat. d. 1. dicitur solemnitates dedicationum Ecclesiarum per singulos annos solemniter sunt celebrandæ. 3. p. q. 83. a. 3. ad 4.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. conuenientius recolitur cum Sanctita-

Sanctitate, & solemnitate consecratio Ecclesiæ, vel Altaris, quam aliorum, quæ consecrantur. probatur, quia consecratio Altaris repræsentat sanctitatem Christi, consecratio autem domus sanctitatem totius Ecclesiæ. probatur etiam ex de consecrat. d. 1. vbi dicitur, solemnitates dedicationum &c. hinc elicitur corrolarium, quod octo diebus solemnitas benedictionis agitur ad significandam Beatam resurrectionem Christi.

Propero ad alia, cum nil occurrat scribendum circa hoc.

CONSENSVS.

1 *Consensus est iudicium de eo, in quod consentitur.*
Consensus pertinet ad rationem superiorem.
§ *Quomodo in actibus humanis vltimò occurrat actus ipse.*
2 *Consensus potest attribui voluntati, & rationi.*
3 *Consensus non est, nisi de his, quæ sunt ad finem.*
4 *Quando consensus sit peccatum veniale, & quando mortale.*
5 *Consensus in delectationem quando est peccatum veniale, & quando mortale.*
§ *Non peccat mortaliter maritus consentiens in delectationem de actu coniugij cum propria vxore.*
Hoc tamen verum est, nisi adsit periculum pollutionis.
Peccat tamen venialiter.
Non peccat vidua mortaliter consentiens in delectationem de opere præterito cum viro, & quomodo hoc sit verum.
Non peccat, qui consentit in delectationem in cogitatione futuri operis cum puella, quam sperat vxorem.
Consentiens in delectationem de muliere pulcra visa, vel videnda peccat venialiter, sicut peccat mortaliter, si sit de muliere amplexata, osculata.
6 *Delectatio in malum aliquod exterius est mala, etiam si non sequatur malum exterius.*
7 *Consensus in delectationem actus homicidij est peccatum mortale.*
8 *Consensus in peccatum non semper pertinet ad contemptum Diuinæ legis, sed solum quando peccatum legi Diuinæ contrariatur.*

Quæritur, quid sit consensus, & in quo sit subiectiuè.

1 RESpondeo dicendum, quòd consensus importat iudicium quoddam de eo, in quod consentitur, sicut enim ratio speculatiua iudicat, & sententiat de rebus intelligibilibus, ita ratio practica iudicat, & sententiat de agendis; est autem considerandum, quod in omni iudicio vltima sententia pertinet ad supremum iudicatorium, sicut videmus in speculatiuis, quòd vltima sententia de aliqua propositione datur per resolutionem ad prima principia, quamdiu enim remanet aliquod principium altius, adhuc per ipsum potest examinari id, de quo quæritur, vnde adhuc suspensum est iudicium, quasi nundum data finali sententia. manifestum est autem, quod actus humani regulari possunt ex regula rationis humanæ, quæ sumitur ex rebus creatis, quas naturaliter homo cognoscit, & vlterius ex regula legis Diuinæ, vnde cum regula legis Diuinæ sit superior, consequens est, vt vltima sententia, per quam iudicium finaliter terminatur, pertinet ad rationem superiorem, quæ intendit rationibus æternis, cum autem de pluribus occurrit iudicandum, finale iudicium est de eo, quod vltimo occurit, in actibus autem humanis vltimo occurrit ipse actus, præambulum autem est ipsa delectatio, quæ inducit ad actum, & ideò ad rationem superiorem propriè pertinet cõsensus in actum, ad rationem verò inferiorem, quæ habet inferius iudicium, pertinet iudicium præambulum, quòd est de delectatione. quamuis etiam, & de delectatione superior ratio iudicare possit, quia quidquid iudicio subditur inferioris, subditur etiam iudicio superioris, sed non conuertitur. p. 2. q. 74. a. 7. in corp. (quæst. 15. a. 4.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. consensus importat iuditium quoddam de eo, in quod cõsentitur. probatur à simili, sicut enim ratio speculatiua iudicat, & sententiat de rebus intelligibilibus, ita ratio practica iudicat, & sententiat de agendis. secunda conclusio. ad rationem superiorem propriè pertinet consensus in actum. probatur, in omni iuditio vltima sententia, idest finale iuditium pertinet ad supremum Iudicem, sed ratio superior est in homine supremus Iudex, & consensus in actum est finale iuditium, ergo consensus in actum propriè pertinet ad rationem superiorem. maior probatur à simili in speculatiuis. minor probatur quoad primã partem, quia ratio intendit rationibus æternis. probatur secunda pars, quia finale iuditium est de eo, quod vltimò occurrit iudicandum, & in actibus humanis vltimò occurrit ipse actus. tertia conclusio. ad rationem inferiorem, quæ habet iuditium inferius, pertinet iuditium præambulum, quod est de delectatione. hæc relinquitur tanquam nota ex terminis. quarta conclusio. ratio superior de delectatione etiam iudicare potest. probatur, quia quidquid iuditio subditur inferioris, subditur etiam iuditio superioris, sed non è conuerso.

Circa illam propositionem, in actibus humanis

nis vltimò occurrit ipse actus, dubitatur, quomodo in actibus humanis vltimò occurrat ipse actus. sensus ergo propositionis est, in actibus humanis largè sumptis vltimò occurrit actus propriè dictus. pro quorum intelligentia aduerte, quod datur cogitatio, delectatio, morosa delectatio, actus, ad quem illa tria præambula ordinantur, seu terminantur, omnia ista dicuntur actus humani, inquantum ab homine procedunt, sed vltimum horum propriè vocatur actus, quia non solum ab homine procedit, sed etiam comparatiuè ad alia tria tali vocabulo, quod importat terminum illorum, distinguitur; & loquitur de actu peccati. legatur Bartolomeus Medina, p. 2. q. 15. a. 4.

Quæritur, an consensus sit actus voluntatis, an intellectus.

2 Respondeo dicendum, quòd consentire est actus appetitiuæ virtutis non absolutè, sed cõsequens ad actum rationis deliberantis, & iudicantis. in hoc enim terminatur consensus, quia voluntas tendit in id, quod est iam ratione iudicatum. vnde consensus potest attribui, & voluntati, & rationi. p. 2. q. 74. a. 7. ad 1.

Consentire esse actum appetitiuæ Virtutis nõ absolutè, sed consequentem ad actum rationis deliberantis, & iudicantis, docet D. Thomas in hoc quæsito, quia in hoc terminatur consensus, quia voluntas tendit in id, quod est iam ratione iudicatum. hinc elicitur corrolariũ, quod consensus potest attribui voluntati, & rationi.

Quod consensus sit actus appositiuæ Virtutis, probat D. Thomas. p. 2. q. 15. a. 1.

Quæritur, de quibus sit consensus.

3 Respondeo dicendum, quòd consensus nominat applicationem appetitiui motus ad aliquid præexistens in potestate applicantis, in ordine autem agibilium primò quidem oportet sumere apprehensionem finis, deinde appetitum eorum, quæ sunt ad finem, appetitus autem in vltimum finem tendit naturaliter; vnde, & applicatio motus appetitiui in finem apprehẽsum non habet rationem consensus, sed simplicis voluntatis; de his autem, quæ sunt post vltimum finem in quantum sunt ad finem sub consilio cadunt, & sic potest esse de eis consensus, in quantum motus appetitiuus applicatur ad id, quòd ex consilio iudicatum est, motus verò appetitiuus in finem non applicatur consilio, sed magis consilium ipsi, quia consilium præsuponit appetitum finis, sed appetitus eorum, quæ sunt ad finem præsuponit determinationẽ consilij, & ideò applicatio appetitiui motus ad determinationem consilij propriè est cõsensus. vnde cum consilium non sit nisi de his, quæ sunt ad finem, consensus propriè loquendo non est, nisi de his, quæ sunt ad finem p. 2. q. 15. a. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. consensus propriè loquendo nõ est nisi de his, quæ sunt ad finem. probatur, consensus propriè dictus est applicatio appetitiui motus ad determinationum consilij, quam præsuponit, sed consilium nõ est nisi de his, quæ sunt ad finem, ergo &c. & consensus non est nisi de his, quæ sunt ad finem.

Non immoror circa hoc quæsitum, quia maiora, & vtiliora me expectant.

Quæritur, quando consensus sit peccatum mortale, & veniale.

4 Respondeo dicendum, quòd consensus in peccatũ, quòd est veniale ex genere, est veniale peccatum, & secundum hoc potest concludi, quod consensus in delectationem, quæ est de ipsa vana cogitatione fornicationis, est peccatũ veniale, sed delectatio, quæ est in ipso actu fornicationis de genere suo est peccatum mortale; sed quod ante cõsensum sit veniale peccatum tantum, hoc est per accidens, scilicet pròpter imperfectionem actus, quæ quidem imperfectio tollitur per consensum deliberatũ superuenientem, vnde ex hoc adducitur in suam naturam, vt sit peccatum mortale. p. 2. q. 74. a. 8. ad 2.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. cõsensus in peccatum, quod est veniale ex genere, est veniale peccatum. hinc elicitur corrolarium, quod consensus in delectationem, quæ est de ipsa vana cogitatione fornicationis, est peccatum veniale. secunda conclusio. delectatio, quæ est in ipso actu fornicationis, de suo genere est peccatum mortale. tertia conclusio. quod ante consensum sit peccatum veniale, est per accidẽs, scilicet propter imperfectionem actus, quæ imperfectio tollitur per consensum deliberatum superuenientem.

Hæc doctrina simul explicabitur cum doctrina sequentis articuli.

Quæritur, an consensus in delectationem sit peccatum mortale.

5 Respondeo dicendum, quòd circa hoc aliqui diuersimodè opinati sunt. quidam enim dixerunt, quod cõsensus in delectationem

tionem non est peccatum mortale, sed veniale tantùm; alij vero dixerunt, quod est peccatum mortale; & hæc opinio est communior, & verisimilior. est enim considerandum, quòd cum omnis delectatio consequatur aliquam operationem, vt dicitur in 10. Eth. Et iterum cum omnis delectatio habeat aliquod obiectum, delectatio qualibet potest comparari ad duo, scilicet ad operationem, quàm consequitur, & ad obiectum, in quo quis delectatur; contingit autem, quod aliqua operatio fit obiectum delectationis, sicut, & aliqua alia res, quia ipsa operatio potest accipi, vt bonum, & finis, in quo quis delectatus requiescit; & quandoque quidem ipsamet operatio, quàm consequitur delectatio, est obiectum delectationis, in quantum scilicet vis appetitiua, cuius est delectari, reflectitur in ipsam operationẽ, sicut in quoddam bonum, puta, cũ aliquis cogitat, & delectatur de hoc ipso, quod cogitat, in quantum sua cogitatio placet: quandoque vero delectatio consequens vnam operationem, puta cogitationem aliquam habet pro obiecto aliam operationem, quasi rem cogitatam, & tunc talis delectatio procedit ex inclinatione appetitus non quidem in cogitationem, sed in operationem cogitatam. sic igitur aliquis de fornicatione cogitans de duobus potest delectari, vno modo de ipsa cogitatione, alio modo de ipsa fornicatione cogitata, delectatio autem de cogitatione ipsa sequitur inclinationem affectus in cogitationem ipsam, cogitatio autem ipsa secundum se non est peccatum mortale, immò quandoque est veniale tantùm, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis vtiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea prædicare, vel disputare, & ideò per consequens affectio, & delectatio, quæ sic est de cogitatione fornicationis, non est de genere peccati mortalis, sed quandoque est peccatum veniale, quandoq; nullum, vnde nec consensus in talem delectationem est peccatum mortale, & secundum hoc prima opinio habet veritatem. quòd autem aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipso actu cogitato, hoc contingit ex hoc, quod affectio eius inclinata est in hunc actum, vnde quòd aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est, quam quod ipse consentiat in hoc, quod affectus suus sit inclinatus in fornicationem, nullus enim delectatur, nisi in eo, quod est conforme appetitui eius, quod autem aliquis ex deliberatione eligat, quod affectus suus conformetur his, quæ secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. vnde talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale, vt secunda opinio ponit. p.2.q.74.a.8.in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. consensus in delectationẽ de cogitatione, tanquam de obiecto, seu fine, inquo quis delectatus requiescit, non est peccatũ mortale sed quandoque veniale, vel nullum. probatur prima pars, quia delectatio de cogitatione in se tantum considerata non est de genere peccati mortalis, cogitatio enim secundum se ipsam non est peccatum mortale. probatur secunda pars, quia delectatio de cogitatione in se tantum considerata quandoq; est peccatum veniale, quandoq; nullum, cum cogitatio secundum se ipsam quandoque sit veniale, vt quando inutiliter cogitat de ea, quandoque sit nullum, vt quando vtiliter agitat de ea. secunda conclusio. consensus in delectationem de re cogitata quæ sit res secundum se peccati mortalis, est peccatum mortale. probatur, quia quod aliquis consentiat in delectationem de re cogitata secundum se mortali, hoc nihil aliud est, nisi quod ipse consentiat in hoc, quod affectus suus sit inclinatus in rem, quæ est peccatum mortale, cum nullus delectetur nisi de eo, quod est conforme effectui, seu appetitui suo, sed quod aliquis ex deliberatione eligat, quod effectus suus conformetur his, quæ secundũ se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale, ergo &c.

Pro explicatione horum duorum quæsitorum obseruanda est quædam regula generalis, nempe quod si delectatio est de opere bono, erit bona, & consensus in talem delectationẽ erit bonus; si delectatio sit de malo, erit mala, & consensus in talem delectationem erit malus; si delectatio sit de mortali, erit peccatum mortale, & consensus in talem delectationem erit peccatum mortale; Si delectatio sit de peccato veniali, erit peccatum veniale, & consensus in talem delectationem erit peccatum veniale. ex qua regula soluuntur plures obiectiones, & plures casus resoluuntur. primò sequitur, non peccare mortaliter illum maritum, qui consentit in delectationem de actu coniugij cum propria vxore siue præterito, siue futuro, quia opus ipsum est licitum, & bonum; sic docet Caietanus in summula verb. delectatio, quem sequitur Bartolomeus Medina adhunc locum, licet Siluester eodem verb. q. 2. asserat, hoc verum esse, si adest locus, & tempus, & voluntas consumandi, sed his seclusis idem est iuditium, sicut de tactibus

inpu-

inpudicis. sed standum esse cum opinione Caietani affirmo, maximè cum fuerit opinio prius D. Antonini apud Siluestrum, dummodo tamen ex tali consensu in delectationem de huiusmodi opere non sequatur periculum pollutionis, vt benè aduertit idem D. Antoninus. peccabit tamē talis maritus venialiter in huiusmodi memoria, quia caret tam necessitate, quam pietate huiusmodi delectatio. Sequitur secundò, non peccare mortaliter viduam, quæ consentit in delectationem de opere præterito cum viro, quia delectatur de opere sibi aliàs licito, vt asserit Caietanus vbi supra; quod limitatur à Siluestro verb. delectatio. q. 3. si sistat tantum in memoria de re præterita cum displicentia præsentis concupiscentiæ. sed Bartolomeus Medina loco citato asserit, deffinitionem Caietani esse veram absolutè, & simpliciter, dummodo tamen absit periculum pollutionis, & dummodo non imaginetur virū præsentē, vt delectetur, vt benè aduertit Siluester loco citato. Sequitur tertiò, non peccare illum, qui consentit in delectationem, quā habet in cogitatione futuri operis cum puella, quam sperat vxorem, sic docet Victoria, nam idem est iuditium, sicut de opere futuro cū propria vxore; hoc etiam docet idem Medina vbi supra. Sequitur quartò, consentientem in delectationem de visa muliere pulcra, vel videnda esse peccatum veniale tantum, quia videre mulierem pulcram non est nisi veniale peccatū, quando peccatum est; consentientem autem in delectationem de muliere libidinosè amplexata, vel osculata peccare mortaliter, quia huiusmodi oscula, & amplexus peccata mortalia esse constat. Sequitur quintò, quod consentiens in delectationem de cogitatione, dum scilicet occurrit aliquis subtilis modus malè operandi, ita quod cogitatio illa tanquam subtilis, aut mira, seu noua inhærens animæ parit delectationem, non peccat, vel si peccat tantum venialiter delinquit, quia, vt in littera dicitur, cogitatio secundum se non est peccatum mortale, sed potest esse veniale, sicut quando est inutilis; vel potest etiam esse nullum peccatum, sicut quādo est vtilis, puta quando est causa prædicationis, vel disputationis, aut in voce, aut in scriptis fiendæ. Si autem delectatio sit de re cogitata mala, puta fornicatione, vel furto, sic consensus in talem delectationem erit etiam mortale peccatum, vt dicit secunda conclusio. vnde concludamus, quod bonitas, vel malitia consensus in delectationem pensanda est ex obiecto, sicut ex eodem obiecto pensanda est grauitas eiusdem consensus in delectationem, puta an sit bonus, vel malus; si malus, an mortaliter, an venialiter. verum hæc magis explicabuntur verb. delectatio morosa.

Quæritur, an delectatio alicuius mali exterioris sit peccatum, etiamsi non sequatur exterius ipsum malum.

6 Respondeo dicendum, quòd delectatio, quæ habt actū exteriorē pro obiecto, non potest esse absq; complacentia exterioris actus secundum se, etiamsi non statuatur implendum propter prohibitionem alicuius superioris, vnde actus sit inordinatus, & per consequens delectatio erit inordinata. p. 2. q. 74. a. 8. ad 4.

Quod delectatio, quæ habet actum exteriorem pro obiecto, non potest esse absq; complacētia exterioris actus secundum se, etiam si non statuatur implendum propter prohibitionē alicuius superioris, docet D. Thomas in hoc quæsito. ex quo sequitur, quod si actus sit inordinatus, per consequens delectatio erit inordinata.

Hæc doctrina est responsio ad tale argumentum. exterior actus, puta fornicationis non est peccatum mortale ratione delectationis, quæ etiam inuenitur in actu matrimoniali, sed ratione inordinacionis ipsius actus, sed ille, qui consentit in delectationem, nō propter hoc consentit in deordinationem actus, ergo non videtur peccare mortaliter. responsio est ad minorem, quod qui consentit in delectationem inordinatam, cōsentit etiam in deordinationem actus.

Quæritur, an consensus in delectationem, circa homicidium sit peccatum mortale.

7 Respondeo dicendum, quòd consensus in delectationem, quæ procedit ex complacentia actus homicidij cogitati est peccatum mortale, non autem consensus in delectationem, quæ procedit ex complacentia cogitationis de homicidio. p. 2. q. 74. a. 8. ad 5.

Quod consensus in delectationem, quæ procedit ex complacentia actus homicidij cogitati est peccatum mortale, non autem consensus in delectationem, quæ procedit ex complacentia cogitationis de homicidio, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Hæc doctrina patet ex dictis, cum enim cogitatio secundum se non sit peccatum mortale, de quocunque sit talis cogitatio; nec delectatio de tali cogitatione erit peccatum mortale, & consequenter nec consensus in talem delectationem; quia autem res cogitata, puta homicidium est peccatum mortale, ideò & delectatio de tali re erit peccatum mortale, & consequenter & consensus in talem delectationem.

Quæritur, an consensus deliberatus in peccatum pertineat ad contemptum Diuinæ legis.

8 Respondeo dicendum, quòd deliberatus consensus in peccatū non semper pertinet ad contemptum legis Diuinæ, sed solum quando peccatum legi Diuinæ contrariatur. p. 2. q. 74. a. 9. ad 3.

Quod deliberatus consensus in peccatum nō sem-

ſemper pertineat ad contemptum legis Diuinæ, ſed ſolum quando peccatum legi Diuinæ contrariatur, docet D. Thomas in hoc quæſito.

Vult D.Thomas hoc in loco docere, quòd deliberatus conſenſus in peccatum mortale pertineat ad cōtemptum legis Diuinæ, quia tale peccatum mortale contrariatur legi Diuinæ, eſt enim peccatum mortale contra finem; deliberatus autem conſenſus in peccatum veniale non pertinet ad contemptum legis Diuinæ, cum nec tale peccatum veniale contrarietur legi Diuinæ, peccatum enim veniale non eſt contra, ſed præter finem.

CONSILIVM.

1 *Conſilium vnde dicatur.*
§ *Quid ſit conſilium.*
2 *Conſilium, vt dicit actum rationis inquirentis de agendis, non diuiditur contra præceptum.*
Conſilium, vt dicit perſuaſionem ad aliquid agendum, diuiditur contra præceptum.
Ex conſilio in hoc ſecundo ſenſu procedit conſcientia aliquando.
3 *Conſilia ordinantur ad præcepta, & ſecundum quod ſunt de interioribus, & de exterioribus actibus virtutum.*
Conſilia ordinantur ad præcepta, vt ſunt de actibus interioribus virtutum, ſicut ad finem.
Conſilia ordinantur ad præcepta, vt ſunt de actibus exterioribus virtutum adhoc quod tutius, & firmius conſeruenter per modum remouentis prohibens.
4 *Conſilia cadunt ſub præcepto ſecundum animi præparationem.*
5 *Opera ſupererogationis, quæ totaliter excedunt neceſſitatem ſalutis, cadunt ſub conſilio.*
In operibus ſupererogationis, quæ pertinent aliquo modo ad neceſſitatem ſalutis, quamuis non ſecundum hunc vel illum modum, determinatio modi poteſt cadere ſub præcepto Eccleſiæ, vel cuiuſcunque legislatoris.
6 *Conſilium non obligat niſi, vt tranſit in præceptum.*
7 *Tendentes ad perfectionem debent incipere ab obſeruantia conſiliorum.*
8 *Difficilius eſt obſeruare conſilia, quàm præcepta quo ad actus exteriores.*
Difficilius eſt obſeruare præcepta, quàm conſilia quo ad interiores actus.
Difficilius eſt obſeruare actus exteriores præceptorum ſine conſilijs, quàm cum conſilijs.
9 *Differentia inter præceptum, & conſilium.*
In lege noua dantur conſilia, non in veteri.
Conſilia dantur de illis, per quæ facilius conſequimur finem.
Bona pertinentia ad vſum hominis ſunt triplicis generis.
Relinquere iſta bona pertinet ad conſilia Euangelica.
In tribus conſilijs Euangelicis fundatur omnis Religio.
Tria ſunt conſilia Euangelica, ſcilicet obedientia, Caſtitas, Paupertas, omnia alia conſilia ad iſta tria reducuntur.
§ *In quo conſiſtant tria principalia conſilia Euangelica, & quando data.*
Perfectio in ſequela Chriſti conſiſtit.
Votum obedientiæ excedit omne aliud votum.
10 *Supradicta tria conſilia ſecundum ſe ſunt omnibus expedientia.*
Ex indiſpoſitione aliquorum iſta conſilia non ſunt expedientia illis.
11 *Quando ſit malum conſilium.*
12 *Ad bonitatem conſilij tria requiruntur, & quæ.*
13 *Conſilium humanum non eſt certum.*
Conſilium eſt donum.

Quæritur, vnde dicatur conſilium.

1 RESpondeo dicendum, quòd dicitur conſilium, quaſi conſedium eo, quòd multi conſident ad ſimul conferendum. p. 2. quæſt. 14. artic. 3. in corp.

Vnica concluſione reſpondet D.Thomas huic quæſito, quæ eſt. conſilium dicitur quaſi conſedium. probatur, quia multi conſident ad ſimul conferendum.

Hoc in loco explicatur quid nominis conſilij, & dicitur nomen conſilij quaſi conſedium, eo quod multi conſident ad conferendum, vnde cōſilium importat collationem inter plures habitam. quoad quid rei autem conſilium eſt inquiſitio rationis, ſic illud diffinit D. Thomas. p. 2. q. 14. art. 1. in corp. Bartolomeus Medina ibidem ſic illud diffinit, & in idem redit; Conſilium eſt deliberatio, & conſultatio de medijs accomodis ad aliquem finem. frequenter tamē vſurpatur pro ſententia, & determinatione, vnde Cicero lib. 1. de inuentione, ca. de confirmatione diffinit conſilium hoc modo, conſilium eſt alicuius rei faciendæ, vel non faciendæ excogitata ratio; & profectò conſilium, quod alicui petenti, & dubitanti datur, vt cum dicitur, conſulo ſibi, do tibi hoc conſilium, eſt ſententia, determinatio, in quo ſenſu ſumitur illud ad Eph. 1. qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. hæc etiam tradit Silueſter verb. conſilium in principio de mente D. Thomæ.

Quæritr, an conſilium diuidatur contra præceptum.

2 Reſpondeo dicendum, quòd conſilium dupliciter dicitur, quandoque enim conſilium nil aliud eſt, quam actio rationis inquirentis de agendis, & hoc modo conſilium ſe habet ad electionem, ſicut ſilogiſmus, vel quæſtio ad concluſionem, vt patet per Phyloſophum in 3. Eth. hoc autem modo acceptum conſilium non diuiditur contra præceptum, quia de his, quæ ſunt in

in præcepto, consiliamur in hunc Mundũ, vnde ex tali consilio contingit aliquem obligari; sic autem dictum consilium inuenitur in conscientia quantùm ad vnum modum applicationis, cum scilicet inquiritur de agendo. alio modo dicitur consilium persuasio, vel inductio ad aliquid agendum, non habens vim coactiuam, & sic consilium contra præceptum diuiditur, cuiusmodi sunt amicabiles exhortationes, & ex isto consilio aliquando conscientia procedit, applicatur enim aliquando etiam conscientia huius consilij ad particularem actum, sed cum conscientia non liget, nisi ex virtute eius, quòd in conscientia habetur, conscientia, quæ ex consilio sequitur, non alio modo potest obligare, quam ipsum consilium, ex quo aliquis obligatur, vt non cõtemnat, sed non impleat. quæst. 17. de verit. artic. 3. ad 2.

Data distinctione respondet D. Thomas duplici conclusione. distinctio est. consilium dicitur dupliciter. quandoque consilium nil aliud est, quam actio rationis inquirentis de agendis, & sic se habet ad electionem, sicut silogismus ad conclusionem ex Arist. 3. Eth. alio modo dicitur consilium persuasio, vel inductio ad aliquid agendum non habens vim coactiuam. prima conclusio. consilium in primo sensu non diuiditur contra præceptum. probatur, quia in his, quæ sunt in præcepto, consiliamur in hunc mundum. secunda conclusio. consilium in secundo sensu diuiditur cõtra præceptum, cuiusmodi sunt amicabiles exhortationes.

Non immoror, cum nil occurrat scribendum.

Quæritur, an consilia ordinentur ad præcepta.

3 Respondeo dicendum, quòd præcepta dantur de actibus virtutum, duplex autem est virtutis actus, scilicet interior, & exterior, & vterque actus sub legis præcepto cadit. vnde Augustinus dicit contra Faustum, quòd quia Iudæi non intelligebant homicidium nisi per interremptionem corporis humani, aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari; similiter etiam tantummodo corporalem cum fœmina illicitam cohabitationem vocari Mæchiam, quæ erat in lege prohibita, sed Dominus demonstrauit etiam interiorem concupiscentiam adhoc pertinere, vnde manifestum est, quòd etiam interiores actus virtutum sub præcepto cadunt. consilia ergo ordinantur ad præcepta, & secundũ, quòd sunt de interioribus virtutum actibus, & secundum quòd sunt de exterioribus actibus, sed diuersimodè, nam ad interiores actus virtutum ordinantur, sicut in finem, omnes enim interiores act⁹ virtutum moralium pertinent ad mentis puritatem, vt scilicet mens hominis à passionibus inordinatis, & ab exteriorum rerum cupiditate sit libera, & vlterius omnes virtutes, tàm morales, quàm Theologicæ ordinentur ad dilectionem Dei, & proximi, sed ad hæc duo omnia consilia ordinantur sicut ad finem, scilicet ad charitatem Dei, & proximi, & ad mentis puritatem, vnde dicitur in collationibus patrum, quidquid nos ad virtutem cordis potest dirigere, tota virtute sectandum est; quidquid autem ab hac retrahit, vt perniciosum, & vitium deuitandum est, pro hoc enim vniuersa agimus, atque toleramus, pro hac patria, parentes, dignitates, diuitiæ, delitiæ Mundi huius, & voluntas vniuersa contemnitur, vt scilicet puritas cordis perpetua retineatur, & postea subdit, pro hac ieiuniorum inediam, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, cœterasque virtutes debere nos suscipere nouerimus, & per illas ab vniuersis passionibus noxijs illæsas præparet cor nostrum, vt seruare possimus, & ad perfectionem charitatis istis gradibus innitendo conscendere; & hoc idem Augustinus dicit de moribus Ecclesiæ, non reijciendis, inquit, generibus ciborum, quasi pollutis, sed concupiscentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinẽdæ inuigilat omnis intentio. & ibidem dicitur, charitas præcipuè custoditur, si charitati virtus charitati sermo, charitati habitus, charitati cultus optatur. vnde Apostolus primæ ad Corinth. 7. Virginitatis consilium adhoc ordinandum docet, vt mulier innupta cogitet, quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo; & Dominus Matthæi 19. Paupertatis consilium adhoc ordinat, vt homo Deum sequatur, quòd fit per rectitudinem, & puritatẽ interioris affectus: sic ergo consilia ordinantur sicut in finem ad præcepta, secundum quòd sunt de interioribus actibus virtutum; sed secundum quod sunt de actibus exterioribus, puta non occides, non furtum facies &c. ordinantur consilia ad præcepta non sicut ad finem, non enim propter hoc homo virginitatem

nitatem seruat, vt ab adulterio abstineat, neque hoc fine aliquis suis abrenunciat, vt non furetur aliena, cum exteriora opera consiliorum sint maiora, quam exteriora opera præceptorum; ordinantur tamen ad ea, inquantum faciunt ea tutius, & firmius conseruari, qui enim sua dimittit, multò magis abstinet à rapiendis alienis. vnde & Augustinus dicit in 19. lib. contra Faustum, omnia ex hæbreorum lege commemorata Dominus commendauit, vt quid quid ex persona sua insuper loqueretur, vel ad expositionem commendãdam valeret, si quid ille obscurum posuisset, vel ad tutius conseruandum, quòd illa voluisset, & in lib. de Sermone, Domini in monte dicit, quòd dum fiunt illæ, quæ adduntur ad perfectionem, multò magis fiunt illa, quæ præmissa sunt ad inchoationem. sic ergo patet, quòd consilia ordinantur sicut ad finem ad præcepta, prout sunt de interioribus actibus virtutum, sed ad præcepta, secundum quòd sunt de exterioribus actibus, ordinantur consilia adhoc, qđ tutius, & firmius cõseruentur per modum remouentis prohibens, & primum horum est causa secundi, firma enim exteriorum actuum obseruatio causatur ex interiori affectionis benè dispositæ. quodlibeto 4. artic. 24. in corp. (2. 2. quæst. 189. artic. 1. ad tert.

Præmissa distinctione respondet D. Thomas duplici conclusione, ex quibus elicit corrolariũ. quo ad primum distinctio est. duplex est Virtutis actus, scilicet interior, & exterior, & vterque cadit sub legis præcepto, quòd probatur ex D. Augustino, vt in littera. prima conclusio. consilia ordinãtur sicut ad finem ad præcepta, prout sunt de actibus interioribus Virtutum. probatur, omnes interiores actus Virtutum moralium pertinent ad mentis puritatem, & omnes Virtutes tam morales, quam theologicæ ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi, sed ad hæc duo omnia consilia ordinantur sicut ad finem, ergo consilia ordinantur ad præcepta sicut ad finem. probatur minor ex lib. collationum Patrum, & ex D. Augustino, & ex Apostolo. 1. ad Corinth. 7. & ex auctoritate Mathei 19. secunda conclusio. consilia ordinantur ad præcepta, secundum quod sunt de actibus exterioribus, non sicut ad finem, sed inquantum faciunt ea tutius, & firmius conseruari. probatur quoad primam partem exemplo, non enim propter hoc homo Virginitatem seruat, vt ab adulterio abstineat, neque hoc fine aliquis suis abrenunciat, vt non furetur aliena, cum exteriora opera consiliorum sint maiora, quam exteriora opera præceptorũ. probatur quo ad secundam partem, quia qui sua dimittit, multò magis abstinet à rapiendis alienis, quòd auctoritate duplici Augustini confirmatur. corrolarium est. primum horum est secundi causa. probatur, quia firma exteriorum actuum obseruatio causatur ex interiori affectionis benè dispositæ.

Nihil mihi occurrit scribendum, ideò non immoror.

Quæritur, an consilia cadant sub præcepto.

4 Respondeo dicendum, quòd illa eadem, quæ sunt consilia, cadunt sub præcepto secundum animi præparationem, nullum enim consilium est perfectius, quam quòd homo tradat animam suam pro fratribus suis, & tamen hoc cadit sub præcepto secundum animi præparationem, secundum illud primæ Ioannis 3. & nos debemus pro fratribus animam ponere, & similiter dare omnia sua pauperibus cadit sub præcepto secundum animi præparationem; vt scilicet homo sit paratus hoc facere, si necessitas immineat. quodlibeto. 6. artic. 12. ad 2. & ad 1. (part. 2. quæst. 108. artic. 3. ad 2. (a. 4. ad 4. (2. 2. quæst. 40. art. 1. ad 2 (qu. 43. a. 8. ad 4. (q. 72. a. 3. in corp. (opusculo 17. cap. 6. (quodlibeto 4. a. 20.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. illa eadem, quæ sunt consilia, cadunt sub præcepto secundum animi præparationem. probatur, quia nullum cõsilium est perfectius, quam quod homo tradat animam suam pro fratribus suis, sed hoc cadit sub præcepto secundum animi præparationem, ergo &c. minor patet ex illo Ioannis 3. & nos debemus &c. probatur etiam cõclusio exemplo de dando omnia pauperibus.

Circa hoc quæsitum nihil mihi occurrit scribendum.

Quæritur, quæ opera supererogationis cadant sub præcepto, & quæ sub consilio.

5 Respondeo dicendum, quòd duplex est genus supererogationis, quoddam, quod totaliter excedit necessitatem salutis, & hoc non potest cadere sub præcepto, sed sub consilio, primæ Corinth. 7. De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do; aliud genus supererogationis est, quod aliquo modo ad necessitatem salutis pertinet, quamuis nõ secundum hunc, vel illum modum, sicut de ieiunio patet, & ideò determinatio modi in talibus potest cadere sub præcepto Ecclesiæ, vel cuiuscunq; legislatoris. 4. sent. dist. 15. q. 3. a. 1. quæstiunc. 4. ad 2.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione. distinctio est. duplex est genus supererogationis, vnum est, quod totaliter excedit necessitatem salutis, aliud est, quod aliquo modo ad necessitatem salutis pertinet, quamuis non secundum hunc, vel illũ modum. prima conclusio. primum genus supererogationis non potest cadere sub præcepto, sed sub consilio. probatur ex illo 1. ad Corinth. 7. de Virginibus &c. secunda conclusio. determinatio modi in secundo genere supererogationis potest cadere sub præcepto ecclesiæ, vel cuiuscũque legislatoris.

Nec circa hoc quæsitum occurrit aliquid scribendum.

Quæritur, an consilium obliget, & quomodo.

6 Respondeo dicendum, quòd consilium nũquam obligat nisi per hoc quòd in præceptum transit ex aliquo accidenti. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 2. quæstiunc. prima ad 3. (2. 2. q. 124. a. 3. ad 1.

Consilium numquam obligare, nisi per hoc, quod in præceptum transit ex aliquo accidenti, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Quia in hoc distinguitur præceptum à consilio, quod præceptum importat necessitatem, cõsilium autem in optione ponitur eius, cui datur, ideò consilium non obligabit, nisi in præceptum transeat. esset occasione huius doctrinæ videndum, an teneatur quis datum sibi consilium sequi sed cum egregiè resoluatur à Siluestro verb. consil. q. 1. ideò Lectorem ad eum remitto.

Quæritur, an sit incipiendum ab obseruantia consiliorum, vt ad præceptorum obseruantiam deueniamus.

7 Respondeo dicendum, quòd facilius est obseruare præcepta secundum imperfectum modum, quàm obseruare consilia, & tamen qui tendunt ad perfectam præceptorum obseruationem, oportet, quòd incipiant à consilijs, sicut à quibusdam instrumentis. quodlibeto 4. a. 24. ad 12.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. facilius est obseruare præcepta secundum imperfectum modũ, quam obseruare consilia. secunda conclusio. qui tendunt ad perfectam præceptorum obseruationem, oportet, quod incipiant à consilijs, sicut à quibusdam instrumentis.

Transeo ad alia.

Quæritur, quid sit difficilius obseruare, præceptum, an consilium.

8 Respondeo dicendum, quòd obseruatio consiliorum est difficilior, quam obseruatio præceptorum quantum ad exteriores actus, tamen obseruatio præceptorum perfecta quantùm ad interiores actus est longè difficilior, difficilius enim est deponere animi cupiditates, quam possessiones, & tamen difficilius est obseruare exteriores actus præceptorum sine consilijs, quam cum consilijs. quodlibeto 4. art. 24. ad 9.

Respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione, quarum prima est. obseruatio consiliorum est difficilior, quam obseruatio præceptorum quantum ad exteriores actus, tamen obseruatio præceptorum perfecta quantum ad interiores actus est longè difficilior. probatur, quia difficilius est deponere animi cupiditates, quam possessiones. secunda conclusio. difficilius est obseruare exteriores actus præceptorum sine consilio, quam cum consilijs.

Nec in hoc quæsito immoror.

Quæritur, an consilia Christi reducantur ad tria, scilicet Paupertatem, Obedientiam, & Castitatem.

9 Respondeo dicendum, quòd hæc est differentia inter consilium, & præceptum, quòd præceptum importat necessitatem, consilium autem in optione ponitur eius, cui datur, & ideò conuenienter in lege noua, quę est lex libertatis, supra præcepta sunt addita consilia, non autem in veteri lege, quæ erat lex seruitutis, oportet igitur, quòd præcepta nouæ legis intelligantur esse data de his, quæ sunt necessaria ad cõsequendum finem æternæ Beatitudinis, in quem lex noua immediatè introducit; cõsilia verò oportet esse de illis, per quæ melius, & expeditius potest homo consequi finem prædictum, est autem homo constitutus inter res mundi huius, & spiritualia bona, in quibus æterna Beatitudo cõsistit, ita quòd quantò plus in hæret vni eorum, tantò plus recedit ab altero, & è conuerso, qui ergo totaliter inhæret rebus huius mundi, vt in eis finem constituat habens eas quasi rationes, & regulas suorum operum, totaliter cæcidit à spiritualibus bonis, & ideò huiusmodi inordinatio tolitur per præcepta, sed quòd homo totaliter ea, quæ sunt mundi, abijciat non est necessarium ad perueniendum in finem præditum, quia potest homo vtens rebus huius mundi, dummodo in eis finem non constituat, ad Beatitudinem æternam peruenire, sed expeditius peruenict totaliter bona huius mundi abdicando, & ideò de

hoc

hoc dantur consilia Euangelij, Bona autem huius mundi, quæ pertinent ad vsum humanæ vitæ, in tribus consistunt, scilicet in Diuitijs exteriorum bonorum, quę pertinent ad concupiscentiam oculorum, & in delitijs carnis, quæ pertinent ad concupiscentiam carnis, & in honoribus, quæ pertinent ad superbiam vitæ, sicut patet primæ Ioannis 2. hæc autem tria totaliter derelinquere, secundum quòd possibile est, pertinet ad consilia Euangelica, in quibus etiam tribus fundatur omnis Religio, quæ statum perfectionis profitetur, nam diuitiæ abdicantur per paupertatem, Delitiæ carnis per perpetuam Castitatem, superbia vitæ per obedientiæ seruitutem: hæc autem simpliciter obseruata pertinent ad consilia simpliciter proposita, sed obseruatio vniuscuiusq; eorum in aliquo speciali casu pertinet ad consilium secundum quid, scilicet in casu illo, puta cum homo dat aliquam eleemosinam pauperi, quando dare non tenetur, consilium sequitur quantùm ad factum illud; similiter etiam quando aliquo tempore determinato à delectationibus carnis abstinet, vt orationibus vacet, consilium sequitur pro tempore illo; similiter etiam quando aliquis non sequitur voluntatem suam in aliquo facto, quòd licitè posset facere, consilium sequitur in illo casu, puta si benefaciat inimicis suis, quando non tenetur, vel si offensam remittat, cuius iustè posset exigere vindictam, & etiam omnia consilia particularia ad illa tria generalia, & perfecta reducuntur p. 2. q. 108. artic. 4. in corp. (3. contra gentes c. 130.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. conuenienter in lege noua supra precepta sunt addita consilia, non autem in lege veteri. probatur prima pars, quia consilium in optione ponitur eius, cui datur, & per illud homo melius potest cõsequi beatitudinẽ æternã, sed lex noua est lex libertatis, & melius introducit in æternã beatitudinem, ergo &c. probatur secunda pars, quia lex vetus est lex seruitutis, nec sic expeditè introducit in Beatitudinem illam. secunda cõclusio. consilia Euãgelica sunt perpetua paupertas, perpetua castitas, & obedientia. probatur quia consilium Euãgelicum est illud, per quod melius peruenitur ad Beatitudinem, sed ad hanc peruenitur melius abdicando totaliter, quantum possibile est, bona huius mundi, idest seruando simpliciter paupertatem, castitatem, obedientiam, ergo &c.

Vt explicetur hęc doctrina aliqua sunt obseruanda, & primò circa illam propositionẽ, quod consilium est in optione illius, cui datur, præceptum autem importat necessitatem, quod hoc docuerunt Sancti Patres disertissimis verbis, & primò D. Ambrosius epist. 82. & lib. de Viduis ait egregiè, Consilium inuitat voluntarios, præceptum verò adstringit etiam inuitos. vbi præceptum est, ibi lex, vbi consilium, ibi gratia. præceptum, vt ad naturam reuocet, consilium, vt ad gratiam prouocet. D. etiam Hieronimus lib. 1. aduersus Iouinianum, & ad Eustochium de custodia Virgini. & vbi consilium datur, offerentis arbitrium est, vbi præceptum, necessitas seruientis, sed maioris est mercedis, quod non cogitur, & offertur. Circa secundam conclusionem obserua, quod D. Thomas enumerat tria principalia consilia Euangelica, ad quæ reducuntur omnia alia consilia, & ista sunt de Castitate, Paupertate, & Obedientia. Castitas est eorum, qui se ipsos castrauerunt, vnde Tertulianus lib. 1. ad vxorem, & D. Augustinus lib. vnico de Virginitate c. 23. & 24. ait, qui se voluntarios probant spadones. Paupertas ad eos pertinet, qui semel omnia relinquunt, vt perfectè sequantur Christum exemplo Petri, & Apostolorum. Obedientiam præstant, qui, vt se ipsos plenè abnegent, non solum à cupiditatibus, verum etiam à voluntate sua prorsus auertuntur, dum eius, quem superiorem loco Christi elegerunt, voluntati se totos subijciunt. Consilium castitatis datum fuit à Christo, quando laudauit illud genus Eunuchorum, qui propter Regnum cælorum se ipsos castrauerunt, & statim subiunxit, qui potest capere, capiat, quæ vox hortantis est Domini, ait D. Hieronimus. consilium autem Paupertatis datum fuit à Christo, quando dixit, si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me. Mathei. 19. vbi aduerte ex Ferrariensi. 3. contra gentes cap. 130. ꝙ perfectio non est ipsa paupertas, sed paupertas est dispositio ad ipsam; perfectio autem consistit in sequela Christi, & ideò subiungit, veni, & sequere me. Consilium obedientiæ datum fuit à Christo in illis verbis, si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me; quæ verba, vt generaliter omnibus dicta rectè quidem accipi possunt, peculiariter tamẽ ad eos pertinent, qui pro suo modo se Christo ita conformant, vt nulla in re sui iuris esse veline, & alieno potius arbitratu viuere satagunt, dum Prælati sui, quem loco Christi sibi elegerunt, voluntatem, & imperium vltrò sequuntur. quod profectò mirandum est, dum illud velle, quod Deus mihi non aufiert, nec auferre potest, Prælatus locum tenens Dei surripit. hoc est Sacrificium Deo gratissimum, & inter omnia alia, quæ Deo offerre possit homo, acceptissimum; alij offerunt vitulos, nonnulli Arietes, aliqui alia rationis expertia, qui autem votum vouit Obedientiæ, se ipsum deuouet Deo: hoc obedientiæ votum excedit certè omne aliud votum, nam filium offerre, aut filiam, aut pecus, aut prædiũ, hoc totum extra nos est, se ipsum autem Deo of-

G 2 ferre,

ferre, & voluntatem, ac arbitrium proprię libertatis denegare, vt Deo seruiamus, hoc est perfectius, & eminentius omnibus votis, quæ Deo offerri solent. horum consiliorum obseruatores semper habuit Ecclesia. testes sint Basilius, Augustinus, Hieronimus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, & alij: Circa hanc materiam legatur Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure q. nona. a. 3.

Quæritur, an prædicta tria consilia sint omnibus expedientia.

10 Respondeo dicendum, quòd prædicta consilia, quantũ est de se, sunt omnibus expedientia, sed ex indispositione aliquorum contingit, quòd alicui expedientia non sint, quia eorum affectus ad hæc non inclinatur, & ideò Dominus consilia Euangelica proponens semper facit mentionẽ de idoneitate hominũ ad obseruãtiã consiliorum, dans.n.consilium perpetuæ paupertatis Matthæi 19. præmittit, si vis perfectus esse, & postea subdit, vade, & vende omnia, quæ habes; similiter dans consilium perpetuæ castitatis, cum dixit, sunt eunuchi, qui castrauerunt se ipsos propter Regnum Cælorum, statim subdit, qui potest capere capiat, & similiter Apostolus primæ ad Corinth. 7. præmisso consilio Virginitatis dicit, porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis inijciam. 2. 2. q. 108. a. 4. ad 1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. prædicta consilia, quantum est de se, sunt omnibus expedientia, sed ex indispositione aliquorum contingit, quod alicui expedientia non sint. probatur, quia eorum affectus ad hæc non inclinatur; hinc Christus consilia Euangelica proponens semper facit mentionem de idoneitate hominum ad obseruantiam consiliorum, vt patet Mathei. 19. &c.

Circa hũc articulum nihil occurrit scribendũ.

Quæritur, quando sit malum consilium.

11 Respondeo dicendum, quòd non est bonum consilium, siue aliquis malum finẽ in consiliando præstituat, siue etiam ad bonum finem malas vias adinueniat, sicut etiam in speculatiuis non est bona ratiocinatio, siue aliquis falsum concludat, siue etiam concludat verum ex falsis dictis, quia non vtitur conuenienti medio. 2. 2. q. 51. a. 1. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. non est bonum consilium, si aliquis malum finem in consiliando præstituat, siue etiam ad bonum finem malas vias adinueniat. probatur à simili in speculatiuis.

Non immoror circa hoc quæsitum, cum nil occurrat scribendum.

Quæritur, quot, & quæ requirantur ad bonum consilium.

12 Respondeo dicendum, quòd ad bonitatem consilij, quòd electionem præcedit, vt in 6. Eth. dicitur, tria exiguntur, vnum scilicet quod consilians præstituat sibi debitum finem, quia si aliquis ad malum finem consequendi multas efficaces vias inueniat, non dicitur bonus consiliator, secundò quòd ad finem bonum consequendum adinueniat bonum, per quòd finem consequatur, vnde si quis bonum finem consequi intẽdat per malam actionem, non est bonus consiliator, quia vt ipse dicit, sortitur finem inconuenienti modo, eo quod illud, quòd ad finem ordinat, non est proportionatum fini illi, sicut si aliquis veram conclusionem per mediũ impertinens concluderet; tertiò requiritur, vt adinueniat vtrumque in tempore conuenienti, ne sit præceps in festinando, vel etiam inutilis in tardando: sed hoc vltimum pertinet ad bonitatem consilij, secundum quod consilium in ratione inquirente, & inueniente est, alia vero ex parte rei, & consiliatoris, 2. sent. d. 40. a. 2. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cõclusione, quæ est. ad bonitatem consilij, quod electionem præcedit, tria exiguntur, scilicet debitus finis, medium bonum, & tempus conueniens ad vtrumque. probatur prima pars, quia si aliquis ad malum finem consequendum multas efficaces vias inueniat, non dicitur bonus cõsiliator. probatur secunda pars, quia si quis bonum finem per malam actionem consequi intendat, non est bonus consiliator, cũ sortiatur finẽ inconuenienti modo, & illud, quod ordinat ad finem, non sit fini proportionatum. tertia pars probatur, ne sit præceps in festinando, vel etiam inutilis in tardando. hinc elicit corrolarium, q̃ hoc vltimum pertinet ad bonitatem consilij, secundum quod consilium in ratione inquirente, & inueniente est, alia vero ex parte rei, & consiliatoris.

Ad hanc rectitudinem consilij, quod aliquis scilicet sibi debitum finem præstituat, quòd media accommoda inueniat, vt nõ faciat mala propter bona, quod eligat tempus conueniens rebus agendis, ne per diuturnitatem consilij tempus agendi transeat, perducit Eubulia, vt asserit Arist. 6. eth. cap. 10.

Quæ-

Quæritur, an consilia humana sint certa, & an consilium sit donum.

13 Respondeo dicendum, quòd quia operabilia humana contingentia sunt, & possunt deficere, ne ad finem intentum perducant, ideò certitudinem consilij attingere non est humanum, sed Diuinum, cuius est per certitudinem euentus cótingentium præuidere, & ideò oportet, quòd ad hanc certitudinem mens eleuetur supra humanum modum instinctu Spiritus Sancti, qui enim Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt, Romanorum 8. Et ideò consilium est donum. 3. sent. distinct. 34. qu. 2. art. 4. quæstiunc. 1. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. oportet quod ad certitudinem consilij mens eleuetur supra humanum modum instinctu Spiritus sancti. probatur, quia operabilia humana contingentia sunt, & possunt defficere, ne ad finem intentum perducant, ergo certitudinem consilij attingere non est humanũ, sed Diuinum, cuius est per certitudinem euentus contingentium præuidere. hinc elicitur corrolarium, quod consilium est Donum.

Nil occurrit scribendum.

CONSVETVDO.

1 *Consuetudo est altera natura.*
§ *Variæ descriptiones consuetudinis.*
2 *Consuetudo habet vim legis, legem abolet, & leges interpratatur.*
§ *Vt consuetudo vim legis habeat, quattuor requiruntur, & quæ.*
Quando consuetudo incipiat habere vim legis, & legem abolere.
Quomodo ex pluribus actibus malis possit consurgere consuetudo bona vincens legem.
Consuetudo abolet legem, etiam si in ea dicatur, non obstante quacunque consuetudine.
Duo requiruntur, vt consuetudo sit legum fida interpratatrix, & quæ.
3 *Quando lex vincat consuetudinem, & econuerso.*
§ *Quando lex dicatur abolere, & vincere consuetudinem, & è conuerso.*
4 *Plus valet consensus multitudinis liberæ ad aliquid agendum, quàm auctoritas Principis.*
Singulæ personæ non possunt condere leges; sed multitudo libera potest.
Consuetudo multitudinis non liberæ obtinet vim legis, licet non possit ipsa condere legem.
5 *Quæ sunt de iure positiuo, possunt aboleri per dissuetudinem.*
Quæ sunt de iure naturali, vel Diuino, nulla dissuetudine possunt aboleri.
6 *Consuetudo non præiudicat legi naturali quo ad prima præcepta eius.*
7 *Magis standum est consuetudini Ecclesiæ, quàm auctoritati cuiuslibet Doctoris.*

Quæritur, quid sit consuetudo.

1 Respondeo dicendum, quòd consuetudo est quasi altera natura. p. 2. q. 32. a. 2. ad 3.

Consuetudinem esse quasi alteram naturam, docet D. Thomas in hoc quæsito.

In hoc loco notandæ sunt descriptiones variæ cósuetudinis, & primò D. Isidorus sic eã describit lib. 5. etimologiarũ, cósuetudo est ius quoddam moribus institutũ, q̃ pro lege accipitur, vbi defficit lex. Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure. q. 7. a. 2. sic eam describit, consuetudo nil aliud est, quam frequentia longi temporis similiũ actuũ in aliqua Republica. legatur Siluester verb. consuetudo in principio.

Quæritur, an consuetudo possit obtinere vim legis.

2 Respondeo dicendum, quòd omnis lex proficiscitur à ratione, & voluntate legislatoris, lex quidem Diuina, & naturalis à rationabili Dei voluntate, lex autem humana à voluntate hominis ratione regulata, sicut autem ratio, & voluntas hominis manifestatur verbo in rebus agendis, ita etiam manifestatur facto, hoc enim vnusquisque eligere videtur, quòd opere implet; manifestum est autem, quod verbo humano potest & mutari lex, & etiam exponi in quantum manifestat interiorem motum, & conceptũ rationis humanæ, vnde etiam, & per actus maximè multiplicatos, qui cósuetudinem efficiunt, mutari potest lex, & exponi, & etiam aliquid causari, quod legis virtutem obtineat, in quantum scilicet per exteriores actus multiplicatur interior voluntatis motus, & rationis, & conceptis efficacissimè declaratur, cum enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis iudicio prouenire, & secundum hoc consuetudo, & habet vim legis, & legem abolet, & est legum interpretatrix p. 2. q. 97. a. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. consuetudo, & habet vim legis, & legem abolet, & est legum interpretatrix. probatur, lex à ratione, & voluntate legislatoris proficiscitur, ratio autem, & voluntas hominis non solum manifestatur verbo, sed etiã facto, hoc enim vnusquisq; eligere videtur, quod opere cóplet, sicut ergo lex verbo potest mutari, & exponi, quatenus verbum est signum conceptus

ceptus, ita per exteriores actus multiplicatos, qui consuetudinem efficiunt, mutari potest lex, & exponi, immo causari aliquid, quod vim legis obtineat, quatenus per tales actus interior voluntatis motus, & rationis cóceptus declaratur.

In conclusione D. Thomas tria docet de consuetudine, primò quod consuetudo vim legis habet, secundò quod legẽ abolet, & tertiò quod est legum interpratatrix, & singula sunt exponenda. quoad primum obserua ex Bartolomeo Medina ad hunc locum, quod ad hoc quod consuetudo vim legis obtineat, quattuor requiruntur, quorum primum est, quod id, de quo inducitur consuetudo, sit actus bonus, non autem malus, nec indifferens; debet, inquam, esse actus bonus, vt possit esse materia legis iustæ, consuetudo enim habet vim legis, ergo debet esse de ea re, de qua lex statui possit, vnde de re illicita, & indifferenti nunquam præualet consuetudo, vt vim legis obtineat. secundum est, quod consuetudo debet esse vniuersalis, & non paucorũ, vnde festa, quæ obseruantur à quibusdam, & ab alijs non obseruantur, interim dum hæc consuetudo permixta est, non habet vim legis. tertium est, quod id, quod ducitur in consuetudinem, iudicetur ab omnibus obseruatu necessarium, & non tanquam faciendum ex populi Deuotione, & affectu pio, vnde in vigilijs festorum B. Virginis, quamuis consuetum sit, vt populus abstineat à carnibus, & ieiunet, talis consuetudo non habet vim legis, excepta vigilia Assumptionis. quartum est, quod requiritur, est approbatio superioris expressa, vel interpretatiua, puta si superior puniat consuetudinis transgressores, ac si essent legis violatores. consuetudo ergo rationi consona, atque à Principe concessa vim habet legis, quin verò tantum a lege differt, quod lex scripto traditur, consuetudo verò vsu. dicitur autem à Principe concessa, quia consuetudo de se ipsa uim legis non habet, sed quatenus à Principis concessu, vel permissu dimanat, puta cum Princeps subditos, quos cohibere potest, longo temporis interuallo operari sinit, permissu suo rationem suam, & voluntatem aperit, & tunc cõsuetudo uim legis obtinet. quo ad secundum nota, quod qui in principio obsistit legibus, & illas frangit, peccat, & legum violator est, quando autem consuetudo ita inualuit, vt nullum vestigium legis remaneat, & nemo iam puniatur propter earum transgressionem, tunc profectò talis consuetudo vincit, & abolet legem, siue iustè, siue etiam iniustè introducta fuerit, vt docet Bartolomeus Medina. p. 2. q. 97 ar. 3. difficultas tota est, quando incipiat consuetudo vincere legẽ & eam abolere, aliqui dicebant, requiri tempus decem annorum, vt refert Siluester verb. consuetudo. q. 4. sed melius dicendum est cum Dominico Soto lib. 1. de iustitia, & iure. q. 7. a. 2. hoc tempus non esse iure certum, & subiungit postea, quod tunc consuetudo vim adipiscitur legis, quando communi hominum iuditio, & arbitratu peccatum esset facere contra illam. Bartolomeus Medina loco citato ait, tunc consuetudinẽ vincere, & esse sufficienter introductam, quando uiri probi, & prudentes censent esse introductam., quot autem actus requirantur, vt consuetudo dicatur abrogare legem, Angelica ait, vnum sufficere actum, sed hoc nullo modo verum est, licet etiam actus sit notorius, quia consuetudo inducitur ex frequentia actuum, quę cessat, vbi est vnicus; vlterius hoc repugnat significationi vocabuli, dicitur enim consuetudo, quasi cõmunis assuefactio; præterea ex vnico actu quantumcunque notorio non potest dici populi consensus; requiritur ergo pluralitas actuum ad inducendam consuetudinem, vt patet ex eius diffinitione, vnde vnicus actus erit principium consuetudinis, non consuetudo, sicut vnitas est principium numeri, non autem numerus. Pisanella dicebat, sufficere duos actus, sed hoc verum esse ait Siluester verbo consuetudo. q. 4. in aliquibus, non simpliciter, puta in criminibus, non autem in ciuilibus, vndè quando Episcopi reseruant sibi casum blasphemantium consuetudinariè, sufficiunt duæ vices, vt eos absoluere nõ possit Confessarius; in iudicialibus etiam sufficiunt duæ vices, & in actibus, quos populum latere non est probabile; in alijs autem non similibus prædictis duæ vices non facient consuetudinem. Dominicus Sotus loco citato ait in aliquibus sufficere duas vices, in aliquibus tres, in aliquibus decẽ, & tandem statuit regulam, quæ habetur. c. cum tanto. de consue. vbi habetur, quod nunquam consuetudo positiuo iuri præiudicium generare debet, nisi fuerit rationabilis, & legitimè præscripta, vbi aduertit, quod ideò dicitur rationabilis, quia ad hoc quod robur nanciscatur legis, habere debet condiciones bonæ legis; dicitur etiam præscripta, quia tunc consuetudo vim adipiscitur legis, quando communi hominum iuditio, & arbitratu peccatum esset facere contra illam. Siluester verb. consuetudo. q. 4. ait, quod requiritur frequentia magna, vt totus populus sciat. arguet tamen aliquis, quomodo ex pluribus actibus malis posit consurgere consuetudo bona vincens legem, clarum siquidem est, actus illos, ex quibus causatur consuetudo, esse contra legem, & consequentur malos. respondetur ex D. Thoma hoc in loco ad 2. quod consuetudo contra legem potest inchoari per actus licitos, puta in illis casibus, in quibus leges deficiunt humanæ. Dominicus Sotus lib. 1. de iustitia, & iure. q. 7. a. 2. distinguit, quod quantum ad hunc effectum, vt lex pristina antiquetur, cõsuetudo etiam illa, quæ illicitum habuit ortum, potest, licet non apud eosdem homines, tamen apud posteros, vim obtinere, sed quantum ad alterum effectum, qui est obligare, consuetudo nõ sortitur vim legis, quamdiu per actus illicitos increbuerit, quia lex debet esse æqua, & iusta. sed melius iudicio meo dicendum est cum Caietano ad hunc locum, quod absolutè consuetudo, quãdo per actus illicitos incipit, potest temporis lapsu auctoritatẽ obtinere, nec oportet, subditos posteros sollicitos esse, an licitè, vel illicitè introducta sit consuetudo, quam sine dubio licitè

inue-

inueniunt obseruari, relicta lege scripta. quid autem sit dicendum, quando in lege ponitur illa clausula, non obstante quacunque consuetudine in contrarium, an tunc consuetudo aboleat legem, paucis aperiam, nempe quod consuetudo vincit legem, abolet legem quibuscunq; verbis latam, quod probo ratione, & experientia; ratio est, quia lex quibuscũq; verbis lata potest à Principe per verba derogari, sed consuetudo approbata à Principe habet verborum vim, ergo talis consuetudo vincit legem, quibuscunq; verbis lata sit; experientia etiam id docet, nam in cap. si Episcopus. de Pœnit.& remiss. lib. 6. dicit Papa, quod nulla consuetudine introduci possit, vt quilibet sibi eligat Confessarium, & tamen Sacerdotes sæculares ex consuetudine eligebant Confessarium, quem malebãt, & hæc consuetudo inualuit, donec inprobata fuerit in Concilio Tridentino. quoad tertium nota, quod duæ cõditiones requiruntur, vt consuetudo sit fida legum interpratatrix, quarum prima est, quod sit publica, & neminẽ lateat, si enim aliquid à multis seruatur, sed in occultò, itaut ad notitiam Principis non deueniat, hæc consuetudo non est fida legum interpres. secunda est, quod Princeps formaliter, vel interpratatiuè approbet talem consuetudinem, idest quod sciat, & non puniat, etiam si delictum in iuditium feratur.

Quæritur, quando lex vincat consuetudinem, & è conuerso.

3 Respondeo dicendum, quòd leges humanæ in aliquibus casibus deficiunt. vnde possibile est quandoque præter legem agere, in casu, scilicet, in quo deficit lex, & tamen actus non erit malus, & cum talis actus multiplicatur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifestatur per consuetudinem, quod lex vlterius non est vtilis, sicut etiam manifestatur, si lex contraria verbo promulgaretur; si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex vtilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit, nisi fortè propter hoc solum inutilis lex videatur, quia non est possibile secundum consuetudinem patriæ, quæ est vnà de conditionibus legis, difficilè etenim est consuetudinem multitudinis remouere. p. 2. q. 97. a. 3. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito; quarum prima est. possibile est quandoque præter legem agere, in casu scilicet, in quo defficit lex, & tunc actus non erit malus, & cum talis actus multiplicetur, tunc faciet cõsuetudinem, & per talem consuetudinem manifestatur, quid lex vlterius non est vtilis, & sic consuetudo vincit legem. Secunda conclusio. Si adhuc ratio maneat eadem, propter quã prima lex vtilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit.

Ex hac duplici conclusione D. Thomæ habemus, quando teneamur ad obseruantiam legis, licet obstet consuetudo in contrarium, & quando non obligemur ad obseruantiam legis ratione consuetudinis in contrarium: tunc ergo obligamur ad obseruantiam legis, quando vtilitas pristina communis intenta à lege remanet, si seruetur lex, licet consuetudo sit in cõtrarium, quia tunc est corruptela potius, quam consuetudo, & tunc dicitur lex abolere, & vincere consuetudinem; quando autem vtilitas communis intenta à lege amplius non habetur ex ipsius legis obseruatione, nec potest haberi, tunc consuetudo contraria vincit, & abolet, legem. fundamentũ harum conclusionum est, quod posito fine ponuntur ea, quæ sunt ad finem, finis autem legis est communis vtilitas, propter hoc enim statuitur lex. ex quibus omnibus patet, quod consuetudo contra regularem obseruantiam non vincit legem, sed potius lex vincit consuetudinem, seu potius corruptelam, ratio est, quia adhuc remanet ex obseruantia legis vtilitas communis in Religione.

Quæritur, an consuetudo multitudinis vim legis habeat, & cuius multudinis.

4 Respondeo dicendum, quòd multitudo, in qua consuetudo introducitur duplicis conditionis esse potest, si enim sit libera multitudo, quæ possit sibi legem facere, plus est consensus totius multitudinis ad aliquid obseruandum, quod consuetudo manifestat, quàm auctoritas Principis, qui non habet potestatem condendi legẽ, nisi in quantum gerit personam multitudinis, vnde licet singulæ personæ non possent condere legem, tamen totus populus condere legem potest. Si vero multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem, vel legem à superiori potestate posita remouendi, tamen ipsa consuetudo in tali multitudine preualens obtinet vim ligis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere, ex hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit. p. 2. q. 97. a. 3. ad 3.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si multitudo sit libera, quæ possit sibi legem facere, plus est consensus totius multitudinis ad aliquod obseruãdũ, q̃ auctoritas Principis, qui nõ habet potestatẽ condendi legẽ, nisi inquantum gerit personam multitudinis. probatur ex consuetudine. hinc elicitur corrolarium, quod licet singulæ personæ non

non possint condere legem, tamen totus populus condere legem potest. secunda conclusio. si multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem, vel legem à superiori potestate positam remouendi, consuetudo tamen in tali multitudine prçualens obtinet vim legis, inquãtum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere. probatur, quia ex hoc ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit.

In hac littera vult docere D. Thomas, quod multitudo priuatorum hominum introducentiũ consuetudinem est duplicis conditionis, nam quædam est, quæ liberam constituit Rempublicam, quæ se sine Principe gubernat, & tunc mos talis multitudinis erit legis constitutio, altera est, quæ sub Rege, aut alio Principe degit, & huius multitudinis cõsuetudo non per se est lex, sed quatẽnus est interpretatio voluntatis Principis.

Quæritur, quæ possint per dissuetudinem aboleri.

5 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt de iure positiuo, per dissuetudinem abolentur, ea vero, quæ sunt à iure naturali, vel de iure Diuino, nulla dissuetudine aboleri possunt, nulla enim dissuetudine fieri potest, vt sit licitum furari, vel Mçchari. quodlibeto 2. a. 8. in corp. (p. 2. q. 72. a. 3. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ea, quæ sunt de iure positiuo, per dissuetudinem abolentur, ea vero, quæ sunt à iure naturali, vel de iure Diuino, nulla dissuetudine aboleri possunt. probatur secunda pars, quia nulla dissuetudine fieri potest, vt sit licitum furari, vel Mçchari.

Pro explicatione huius doctrinæ obseruandũ est ex D. Thoma. p. 2. q. 97. art. 3. ad 1. quod lex naturalis, & Diuina procedit à voluntate Diuina, vnde non potest mutari per consuetudinem procedentem à voluntate hominis, sed solũ per auctoritatem Diuinam mutari posset, & inde est, quod nulla consuetudo vim legis obtinere potest contra legem Diuinam, vel legem naturalem, vnde D. Isidorus in sinonimis ait, vsus auctoritati cædat, prauum vsum lex, & ratio vincat, hæc ille. & vult docere, quod in hoc discriminatur lex humana à lege naturali, & Diuina, quod lex naturalis, & Diuina à voluntate Diuina statutæ sunt, cui nulla humana voluntas, neque consuetudo obsistere valet, immò quantò consuetudo contra Diuinam legem, & naturalẽ fuerit inueteratior, tantò grauioris est causa peccati, tantum abest, vt consuetudo quidpiam vigoris detrahat illis legibus, ius autem positiuũ, siue lex humana à voluntate procedit humana, & ideò per dissuetudinem aboleri potest, quia voluntati humanæ consuetudo obsistere potest.

Quæritur, an consuetudo possit præiudicare legi naturali.

6 Respondeo dicendum, quòd consuetudo non præiudicat legi naturæ quantum ad prima præcepta ipsius, quæ sunt quasi communes animi conceptiones in speculatiuis, sed ea, quæ ex istis trahuntur, vt conclusiones, consuetudo auget, vt Tullius dicit in 2. Reth. & similiter minuit. 4. sent. d. 33. q. 1. a. 1. ad 1.

Quod consuetudo non præiudicat legi naturæ quantum ad prima pręcepta ipsius, sed ea, quç ex illis trahuntur, vt conclusiones, consuetudo auget, vt ait Tullius, & similiter minuit, docet D. Thomas in hoc quçsito.

Nihil mihi occurrit scribẽdum circa hoc quçsitum, ideò pertranseo.

Quæritur, an sit magis standum consuetudini Ecclesiæ, quam auctoritati Doctorum.

7 Respondeo dicendum, quòd maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ sẽper est in omnibus æmulanda, quia, & ipsa Doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet, vnde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscunque Doctoris, 2. 2. quæst. 10. artic. 12. in corp. (quodlibeto 2. artic. 7. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quã auctoritati vel Augustini, vel Hieronimi, vel cuiuscumq; Doctoris. probatur, quia maximam auctoritatem habet Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda. secundò quia, & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet.

Pertranseo in hoc quæsito, cum nil mihi occurrat scribendum.

CONTEMPTVS.

1 *Quid sit peccare ex contemptu.*
Frequentia ad peccandum disponit ad contemptum.
5 *Contemptus dupliciter sumitur in moralibus, & quomodo.*
Quid sit peccare ex contemptu.
Licet frequentia non sit contemptus, disponit tamen ad ipsum.
Peccare ex contemptu est peccatum mortale ex suo genere.
2 *Contemptus potest pensari ex parte contemnentis, & ex parte rei contemptç.*
Ex parte contemnentis non potest fieri comparatio inter duo genera peccatorum, ex parte rei cõtemptu

tempta grauißimum peccatum est, quo contemnitur Deus in se ipso, deinde peccatum, quo contemnitur Deus in sacramento Eucharestiæ. Tertiò peccatum, quo contemnitur Deus in suis membris: quartò peccatum, quo contemnitur Deus in suis præceptis.

Contemnere Deum in suis præceptis est commune omni peccato mortali.

3 *Contemptus Dei solum facit peccatum mortale.*

§ *Contemptus contra Deum, & proximum est peccatum mortale, & quando sit contemptus contra Deum.*

Non sequi consilia Euangelica ex contemptu est peccatum mortale.

Quando sit contemptus proximi.

Nolle aliquem consolari non est ipsum contemnere.

4 *Peccata procedentia ex contemptu actuali Dei sunt grauiora illis, qui sunt ex contemptu consequenter.*

Quæritur, quid sit contemptus, & peccare ex contemptu.

1 RESpondeo dicendum, quòd tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subijci ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendũ contra legem, vel regulam, quando autem è conuerso propter aliquam particularem causam, concupiscentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel Regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si frequenter ex eadẽ causa, vel alia simili peccatum iteretur, sicut, & Augustinus dicit in libr. de natura, & gratia, quod non omnia peccata committuntur ex contemptu superbiæ: frequentia tamen peccati dispositionem inducit ad contemptum secundum illud Prouerb. 18. Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subijci ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam. secunda conclusio. quando propter aliquam particularem causam, concupiscentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si frequenter ex eadem causa, vel alia simili peccatum iteretur. probatur ex D. Augustino, vt in littera. tertia conclusio. frequentia peccati dispositionem inducit ad contemptum probatur ex prouerb. 18. vt in littera.

Pro huius, & sequentium quæsitorum explicatione obseruandum est, quod contemptus dupliciter in moralibus sumitur, vt notat Caietanus in summula verb. contemptus, primo modo, vt est peccatum, quo aliquis spernit proximum; secundo modo, vt est causa peccati, prout dicitur vnus peccare ex contemptu, alius ex infirmitate, alius ex ignorantia. in hoc, & sequentibus quæsitis sumitur in secundo sensu. contemptus in primo sensu ex suo genere est peccatum mortale, quia est actus iniuriosus proximo, lædens, quantum in se est, mortaliter proximum, cum contemptus proximi opponatur æstimationi illius, qui ergo contemnit proximum, deprimit illius æstimationem, à qua tot bona procedunt illi, vnde quantum bonum est homini æstimari, tantum malum ei infert contemni: debet tamen esse contemptus formalis, si debet esse peccatum mortale, hoc est ex intentione contemnere proximum, idest contemnere proximum, vt spernat proximum, qui enim spernit proximum, non vt spernat, contemnit tantum materialiter, & tunc non peccat mortaliter, nisi notabiliter offendatur proximus, quia tunc actus rediret in naturam suæ formæ; potest tamen esse veniale ratione imperfectionis actus consensus, vt contingit in primis motibus, vel ratione paruitatis rei, in qua prximus spernitur, contemptus enim in parua re peccatum veniale tantum est. contemptu ergo in secundo sensu, vt scilicet est causa peccati loquuntur quæsita, non autem de contemptu in primo sensu: & aduerte ex Caietano 2. 2. q. 186. a. 9. quod peccare ex contemptu dicit duo, nempe peccatum, & causam peccati, vt frangere silentium ex contemptu, dicit fractionem silentij, quæ est actus peccati, & causam peccati, quæ est contemptus, & hoc nil aliud significat, quam actum voluntatis refutantis subijci legi, seu regulæ, vt dicitur in littera, & in summula verb. contẽptus, ait, quod est nolle subijci, cui oportet subijci; ex quo infert, quod ad peccare ex contemptu non sufficit perpetua consuetudo peccandi, sed requiritur, vt quis peccet ex tali causa, puta quia non vult subijci legi, seu regulæ, vel Prælato, qui est lex animata; vnde quãdo quis retinet in sua voluntate subiectionem ad regulam, licet ex minus bona, & indeuota voluntate, vel ex concupiscentia, vel ira inducatur ad transgreßionem eiusdem regulæ, etiamsi frequenter, ac sæpius hoc faciat, numquam talis dicetur peccare ex contemptu. cauenda tamen est huiusmodi frequentia, quia disponit ad contemptũ mortalem, sicut veniale peccatum disponit ad mortale. Peccare ex contemptu formaliter est peccatum mortale ex suo genere; est inquam peccatum, quia contra rationem est, mortale verò, quia contra dilectionem Dei, vel proximi est, dum Deo, vel eius præceptis, vel Prælato non vult subijci.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Vasquez. p. 2. disp. 102. c. 7. & disp. 158. c. 4. Salas disp. 10. sect. 8. Suarez. lib. 3. de legibus ca. 28. Lessius lib. 2. de iustitia. c. 47. Zerola

rola de pænit. c. 8. quæsit. 6. Sanchez. in summa lib. 1. c. 5.

Quæritur, an vnum peccatum procedens ex contemptu sit grauius altero.

2 Respondeo dicendum, quòd contemptus ex duplici parte mẽsurari potest, vno modo ex parte contemnentis, & sic non potest fieri comparatio vnius generis peccati ad aliud genus, sed vnius particularis peccati ad aliud, quia contingit in vno veniali peccato ex genere esse maiorem contemptum actualem, quam in vno grauissimo peccato mortali ex genere; alio modo ex parte eius, quòd contemnitur, & sic est talis ordo peccatorum, quòd illud, in quo ipse Deus in se ipso etiam contemnitur, est peccatum grauissimum, sicut peccatum infidelitatis, & blasphemiæ; & post hoc illud peccatum, in quo contemnitur Deus in sacramento; & inter alia præcipuè in sacramento Euchareſtiæ, in quo essentialiter Christus Deus, & homo cõtinetur, non tamen contemptus iste est circa Christum, vt est Deus, & homo, sed prout est in sacramento; & post peccatum illud, in quo contemnitur Deus in membris suis; & post peccatũ, in quo contemnitur Deus in præceptis suis, quod commune est omni peccato mortali. 4. senten. distinct. nona art. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito iuxta duplex membrum distinctionis, quæ est; quod contemptus ex duplici parte mẽsurari potest, vno modo ex parte contemnentis, alio modo ex parte eius, quod contemnitur. prima conclusio. si contemptus mensuretur ex parte contemnentis, sic non potest fieri comparatio vnius generis peccati ad aliud genus, sed vnius particularis peccati ad aliud. probatur, quia contingit in vno veniali peccato ex genere esse maiorem contemptum actualem, quam in vno grauissimo peccato mortali ex genere. secunda conclusio. si mensuretur contemptus ex parte eius, quod contemnitur, sic est talis ordo, quod primum locum tenet peccatum infidelitatis, & blasphemiæ, quia in his contemnitur Deus in se ipso. secundò est peccatum, in quo contemnitur Deus in sacramento, & præcipuè in sacramento Euchareſtiæ, in quo continetur essentialiter Christus, vt Deus, & homo, & contemnitur Christus, prout est in sacramento. tertiò est peccatum, in quo cõtemnitur Deus in membris suis. quarto loco est peccatum, in quo contemnitur Deus in præceptis suis, quod est commune omni peccato mortali.

Ea, quæ hoc in loco dicuntur, explicantur ex doctrina infra posita in quæsito quarto.

Quæritur, an omnis contemptus faciat peccatum mortale.

3 Respondeo dicendum, quòd non quilibet contemptus facit peccatum mortale, sed contemptus Dei solum, & per hunc solum homo auertitur à Deo, per quantamcunque autem deliberationem in peccatum veniale consentiat, non contemnit Deum, nisi fortè æstimaret peccatum illud esse contrarium præcepto Diuino. q. 15. de verit. a. 5. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est, nam quilibet cõtemptus facit peccatum mortale, sed contemptus Dei solum, & per hunc solum homo auertitur à Deo. secunda conclusio. per quantamcunque deliberationem in peccatum veniale cõsentiat quis, non contemnit Deum, nisi fortè æstimaret peccatum illud esse contrarium præcepto Diuino.

Profectò non quilibet contemptus facit peccatum mortale, cum enim exilitas materiæ excuset à mortali in quolibet genere, etiam in genere contemptus excusabit, vt apertè etiam docet Caietanus in summula verb. contemptus; solum ergo contemptus contra Deum, & consequenter etiam contra proximum (quia contemptus proximi redundat in contemptum Dei, cũ contemptus proximi sit contemptus præcepti Dei, in quo Deus contemnitur, vnde Dauid dicebat Psalm. 50. tibi soli peccaui, licet peccauerit etiam cõtra proximum) erit peccatum mortale, & tunc est contemptus contra Deum, quando nedum eius mandata ex contemptu non obseruantur, vnde rectè ait Caietanus in summula verb. contemptus, quod dicere verbum ociosum ex contemptu est peccatum mortale, quia illud verbum ociosum dicitur, vt faciat quis cõtra legem Dei, quæ inhibet verbum ociosum, sed etiam quando ex contemptu non vult quis sequi consilium Christi, puta nolle ingredi Religionẽ ex contemptu consilij Christi est peccatum mortale, quia hoc nil aliud est, quod nolle subijci Christi consilijs, vt consilijs, quod tamen est de necessitate salutis, quamuis adimplere consilia Christi sit non necessitatis, sed perfectionis; tunc autem adest contemptus proximi, quando quis nõ vult subijci ei, cui oportet subijci, & profectò etiam talis contemptus est peccatum mortale in re graui. & aduerte, quod nolle aliquem consolari non est ipsum contemnere, vnde puella, cui dictum est à Matre, vt puerum indueret, non induens illum, ne Mater habeat consolationem de induto puero, non peccat ex contemptu, sed ex indignatione, nec talis indignatio ducit illam ad contemptum, quia puella non eligit non subijci, sed non consolari, nec præterit mandatum, vt non obediat, sed vt non consoletur. Pro explicatione secundæ conclusionis obserua, quod siqu is putaret peccatum ve-

veniale, quod deliberatè facit, esse contrarium præcepto Diuino, tunc formaliter diceretur peccatum mortale, & formaliter transgredi præceptum Diuinum, & formaliter contemnere Deum, materialiter autem esse peccatum veniale, quia apprehenditur, vt peccatum contrarium præcepto Diuino. concludamus ergo, non quemlibet contemptum esse peccatum mortale, sed tantum contemptum formalem, & rei grauis.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Suarez lib. 3. de legibus. cap. 28. Lessius lib. 2. de iustitia. c. 47. Salas de legibus disp. 10. sect. 8. Sanchez in summa lib. 1. cap. 5. Valentia disp. 7. q. 5. p. 6. & alij.

Quæritur, an peccata procedentia ex actuali contemptu sint grauiora illis, quæ sunt ex contemptu tantum consequenter.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut meritum præcipuè consistit pænes Charitatem, ita demeritum præcipuè consistit pænes contemptum Dei, vnde secundum quòd aliquis Deum per actum peccati magis contemnit, secundum hoc maiorem reatum incurrit, & ideò illa peccata, quæ in actuali contemptu consistunt, sunt grauiora illis, in quibus non est contemptus, nisi ex cōsequenti, & quasi interpretatus, sicut accidit in fruitione creaturæ, per quā aliquis delectationi intendit, ex cuius intentione à præceptis Dei discedit, & sic per consequens præcipientem contemnit. 4. sent. d. 9. a. 3. quæst. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. peccata illa, quæ in actuali contemptu consistunt, sunt grauiora illis, in quibus non est contemptus, nisi ex consequenti, & quasi interpretatus, vt accidit in fruitione creaturæ &c. probatur, sicut meritum præcipue consistit pænes Charitatem, ita demeritum præcipuè consistit pænes contemptum Dei, ergo secundum quod aliquis Deum per actum peccati magis contemnit, secundum hoc maiorem reatum incurrit, ergo illa peccata, quæ in actuali contemptu consistunt, sunt grauiora illis, in quibus non est contemptus, nisi ex consequenti, & quasi interpretatus.

Vt explicetur hæc doctrina obserua, quod cōtempus actualis Dei est, quando quis transgreditur præceptum Diuinum hac intentione, quia nō vult subijci Deo, & tunc est contemptus immediatè, & directè contra Deum; tunc autem est contemptus ex consequenti contra Deum, quando quis intendit frui creatura, & ea delectari, ex quo sequitur postea contemptus Dei in suo præcepto transgresso; sicut auersio à Deo immediatè, & actualiter importatur per superbiam, per alia autem peccata ex consequenti, puta per fornicationem importatur immediatè, & directè conuersio ad creaturam, ex consequenti autem auersio à Deo, per superbiam autē directè auersio à Deo importatur; clarum est autem, quod peccatum, quod directè, & immediatè tendit in contemptum Dei, grauius est eo, quod ex consequenti importat hunc contemptum, primum .n. importat quandam specialitatē, secundum autem importat generalitatem ad omnia peccata mortalia.

CONTENTIO.

Quæritur, an contentio sit peccatum mortale?

1 Respondeo dicendum, quòd contendere est contra aliquem tendere, vnde sicut discordia contrarietatem quandam importat in voluntate, ita contentio contrarietatem quamdam importat in locutione, & propter hoc etiam cum oratio alicuius per contraria se diffundit, vocatur contentio, quæ ponitur vnus color Rethoricus à Tullio, qui dicit, contentio est, cum ex contrarijs rebus oratio efficitur, hoc pacto habet assentatio, idest adulatio iucunda principia, eadem exitus amarissimos affert. contrarietas

tas autem locutionis potest attendi dupliciter, vno modo quantum ad intentionẽ contendentis, alio modo quantùm ad modum; in intentione quidem considerandum est, vtrum aliquis contrarietur veritati, quòd est vituperabile, vel falsitati, quod est laudabile; in modo autem considerandum est, vtrum talis modus contrariandi conueueniat, & personis, & negotijs, quia hoc est laudabile, vnde Tullius dicit in 2. Reth. quod contentio est oratio alicuius ad confirmandum, & confutandũ accomodata, vel excedat conuenientiam personarum, & negotiorum, & sic contentio est vtuperabilis. Si ergo accipiatur cõtentio, secundum quòd importat impugnationem veritatis, & inordinatum modum, sic est peccatum mortale, & hoc modo diffinit Ambrosius contentionem dicens, contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris; si autem contentio dicatur impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniæ, sic contentio est laudabilis; si autem accipiatur contentio secundum quod importat impugnationẽ falsitatis cum inordinato modo sic potest esse peccatũ veniale, nisi fortè tanta inordinatio fiat in contendendo, quòd ex hoc generetur scandalum aliorum, vnde Apostolus cum dixisset secundæ ad Timoth. 2. noli verbis contendere, subdit ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audiẽtium, 2.2.q.38. a. 1. in corp. (lect. 2. super cap. 2. secundæ ad Timotheum.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Contentio, secundum quod importat impugnationem veritatis, & inordinatum modum, est peccatum mortale. secunda conclusio. si contentio accipiatur, vt est impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniæ, sic contentio est laudabilis. tertia conclusio. si accipiatur contentio, secundum qđ importat impugnationem falsitatis cum inordinato modo, sic potest esse peccatum veniale, nisi tanta inordinatio fiat in contendendo, quod ex hoc generetur scandalum.

Vt explicetur hæc doctrina, obserua, quod contentio, vt est nomẽ peccati (quod dico, quia etiam contentio est vnus color rethoricus) nil aliud est, quam contrarietas quædam in locutione, vt dicitur in littera, & sub alio vocabulo à Caietano in summula verb. contentio, dicitur pugna locutionis, sicut discordia est contrarietas quædam in voluntate; contrarietas autem talis attenditur, & quantum ad intentionem contendentis, & quantum ad modum; si ergo homo intendat impugnare veritatem cum inordinato modo, sic est peccatum mortale, vt asserit D. Thomas in prima conclusione, quam relinquit, vt notam, quia verè talis contentio est contra Charitatem, cũ Deus sit veritas, & Charitas. hic tamen obserua ex Caietano in hoc loco, quod intentio tripliciter potest ferri ad veritatem impugnandam, scilicet materialiter, formaliter, & virtualiter; tunc fertur materialiter, quando aliquis impugnat veritatem, non vt eã impugnet, sed exercitij, aut examinis, aut disputationis causa, & hoc nõ pertinet ad cõtẽtionẽ, cui9 est veritatẽ supprimere, talis autẽ impugnãs materialiter veritatem non intendit supprimere, sed illustrare, manificare veritatem; tunc formaliter inpugnatur veritas, cum aliquis cognoscit aliquam veritatem, & ad hoc tendit, vt eam impugnet; virtualiter autem impugnatur veritas, cum aliquis sic contra aliqua proposita intendit ꝓcedere, vt nõ sit sibi curæ, an vera sint, vel falsa, quæ impugnare proponit, & hæc intẽtio tantæ efficaciæ est, vt ẽt ad ipsam veritatẽ impugnandam se extendat; & impugnare veritatem his duobus modis pertinet ad contentionem, & his duobus modis est peccatum mortale. nomine autem veritatis intelligitur nedum veritas fidei, & moralis, sed etiam veritas spectans ad perfectionem intellectus, vt sunt veritates vniuersales, & veritates singulares spectantes ad bonum, vel malum proximi, vt patet in iudicio, & fama; si quis item contenderet, quod festuca non sit in terra, non peccat mortaliter propter imperfectonem materiæ, nihil enim refert, an sic, vel aliter se res habeat, sicut nec mẽdacium in huiusmodi esset periculosum propter imperfectionem materiæ; si quis etiam impugnet falsitatem cum debito modo, sic talis contentio est laudabilis: nomine autem falsitatis intelligo falsitatem realem, non putatam falsitatem, quæ tamen est realiter veritas, sicut faciunt hæretici, qui impugnant veritatem Catholicam, quam putant ex ignorantia crassa falsitatem, talis contentio tantum abest, quod sit laudabilis, quin potius est vituperabilis valdè, & huiusmodi contendentes, quod igni tradantur, dignissimi: talis contentio hæreticorum est impugnatio veritatis virtualiter, inquit Dominicus Bannes ad hunc locum, qui tamen non debuit carpere Caietanum, quod non satis explicauerit impugnationem veritatis virtualem, cum enim impugnatio veritatis virtualis fiat pluribus modis, Caietano satis fuit vnum adduxisse modum, quo virtualis explicetur contentio: si quis autem impugnat falsitatem cum indebito modo, peccabit venialiter, nisi exinde generetur scandalum trahens ad mortale, puta si daret occasionem subuersionis audientium.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Reginaldus libr. 17. n. 133. Becanus hoc loco n. 9. Toletus de 7. peccatis mortalibus. cap. 10. & alij.

Quæritur, an contentio sit filia inanis gloriæ.

2 Respondeo dicendum, quòd discordia est

est filia inanis gloriæ, eo quòd discordantium vterque in sensu proprio stat, & vnus alteri non acquiescit, proprium autem superbiæ est, & inanis gloriæ propriam excellentiam quærere, sicut autem discordantes aliqui sunt ex hoc, quòd stant in corde in proprijs, ita contendentes sunt aliqui ex hoc, quod vnusquisque verbo id, quod sibi videtur, defendit, & ideò eadem ratione ponitur contentio filia inanis gloriæ, sicut & discordiæ. 2. 2. q. 38. a. 2. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. contentio ponetur filia inanis gloriæ eadem ratione, qua discordia. probatur, quia sicut discordantes sensu stant in proprijs, ita contendentes verbo, sed proprium est superbiæ, & inanis gloriæ propriam excellētiam quęrere, ergo filia erit inanis gloriæ contentio, sicut discordia.

Quod contentio sit filia inanis gloriæ, docet D. Gregorius. 31. moralium.

Quæritur, cum quibus vitijs contentio habeat affinitatem.

3 Respondeo dicendum, quòd contentio, sicut & discordia habet affinitatem cum inuidia, quantùm ad recessum eius, à quo aliquis discordat, vel ex quo contendit, sed quantum ad id, in quo sistit ille, qui contendit, habet conuenientiam cum superbia, & inani gloria, in quantum scilicet in proprio sensu statur. 2. 2. quæst. 38. a. 2. ad 1.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. contentio, sicut & discordia habet affinitatem cum inuidia quantum ad recessum eius, à quo aliquis discordat, vel ex quo contendit. secunda conclusio. contentio quantum ad id, in quo sistit ille, qui contendit, habet conuenientiam cum superbia, & inani gloria, inquantum scilicet in proprio sensu statur.

Ex hac littera habemus, contentionem habere conuenientiam cum inuidia, & cum inani gloria respectu diuersorum; respectu termini à quo habet conuenientiam cum inuidia, respectu termini ad quem habet conuenientiam cum inani gloria, & quia in motibus terminus ad quem est potior termino à quo, & finis potior est principio, ideò contentio potius ponitur filia inanis gloriæ, quam inuidiæ. legatur D. Thomas. 2. 2. q. 37. a. 2. ad 2.

Quæritur, quando contentio in iudicio, & disputatione sit peccatum mortale.

4 Respondeo dicendum, quòd secundum completam rationem contentionis, prout est peccatum mortale, ille in iudicio contendit, qui impugnat veritatem iustitiæ, & in disputatione contendit, qui intendit impugnare veritatem Doctrinæ, & secundum hoc catholici non contendunt contra hæreticos, sed potius è conuerso: si autem accipiatur contentio in iudicio, vel disputatione secundum imperfectam rationem, scilicet secundum quòd importat quandam acrimoniam locutionis, sic non semper est peccatum mortale. 2. 2. q. 38. a. 1. ad 3.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. secundum completam rationem contentionis, prout est peccatum mortale, ille in iuditio contendit, qui impugnat veritatem iustitiæ, & in disputatione contendit, qui intendit impugnare veritatem doctrinæ. Secunda conclusio. si accipiatur contentio in iuditio, vel disputatione secundum imperfectam rationem, scilicet secundum quod importat quandam acrimoniam locutionis, sic non semper est peccatum mortale.

Pro explicatione primæ conclusionis, inquantum loquitur de contentione in disputatione, obserua ex Siluestro verb. contentio. q. 3. quòd in duobus casibus erit peccatum mortale, quorum primus est, quando est contra veritatem Deo honorificam, vel mores, vel vtiles doctrinas, puta medicinam; si tamen defendat falsitatem nulli præiudicantem, erit peccatum veniale, ait Siluester verb. contentio. q. 3. secundus est, quando disputatur publicè de materia prohibita, sicut est materia pertinens ad fidem, nisi disputetur à doctis in necessitate contra infideles, vel etiam sine necessitate cū fidelibus, quando verisimile est nullum adstantium inde effici dubium. contingit etiam peccatum mortale in contentione secundum rationem imperfectam considerata in disputatione, vt insinuat secunda conclusio, quando, vt ait Siluester loco citato, fit cum modo excessiuè indebito, vel scandalo magno, quando interueniunt contumeliæ, opprobria, & huiusmodi, quæ constat esse mortalia; si autem fiat cum aliqua inordinatione modi, erit peccatum veniale, & si fiat cum feruore aliquo, seruato modo pro loco, & persona, non erit peccatum, immò studiosum, vt ait Toletus cap. 10. de 7. peccatis mortalibus num. 6.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de septem peccatis mortalibus. cap. 10. num. 6.

CONTRAPASSVM.

Contrapassum importat æqualem recompensationem passionis ad actionem præcedentem.

Propriissimè reperitur in actionibus, & passionibus iniuriosis.

Secundario contrapassum dicitur, quando quis, qui damnum

damnum intulit alicui, in re sua damnificatur.
Tertio contrapassum dicitur in voluntarijs commutationibus, in quibus vtriusq; est actio, & passio.
In his omnibus debet fieri recompensatio secundum æqualitatem, puta passio recompensata debet esse æqualis actioni.
Quomodo ista æqualitas recompensationis attendatur.
In distributiua Iustitia non reperitur contrapassum.
Quid sit contrapassum.
Contrapassum dupliciter potest intelligi.

Quæritur, quid sit contrapassum; & in quibus inueniatur.

RESpondeo dicendum, quòd hoc, quòd dicitur Contrapassum, importat æqualem recompensationem passionis ad actionem præcedentem, quod quidem proprijssimè dicitur in passionibus, & actionibus iniuriosis, quibus aliquis personam proxmi lædit, puta si percutit, quòd repercutiatur, & hoc quidē iustum determinatur in lege exodi 21. reddet animam pro anima, oculum pro oculo &c. & quia etiam aufferre rem alterius est quoddam iniustum facere, ideò secundariò etiam in his dicitur contrapassum, prout scilicet aliquis, qui damnum intulit, in re sua etiam ipse damnificetur, & hoc etiam iustum damnum continetur in lege exodi 21. si quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit, vel vendiderit, quinq; boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue: tertiò verò transfertur nomen contrapassi ad voluntarias cōmutationes, in quibus vtriusque est actio, & passio, sed voluntarium diminuit de ratione passionis: In omnibus autem his debet fieri secundum rationem iustitiæ commutatiuæ recompensatio secundum æqualitatem, vt scilicet passio recompensata sit æqualis actioni; non autem semper esset æqualis, si idem specie aliquis pateretur, quod facit, nam primò quidem cum aliquis iniuriosè lædit alterius personam maiorem, maior est actio, quam passio eiusdem speciei, quam ipse pateretur, & ideò ille, qui percutit Principem, non solum repercutitur, sed multò grauius punitur: similiter etiam cum quis aliquem inuoluntarium in re sua damnificat, maior est actio, quam esset passio, si sibi sola res illa aufferretur, quia ipse, qui damnificauit aliū in re sua, nihil damnificaretur, & ideò punitur in hoc, quòd multiplicius restituat, quia etiam non solum damnificauit personam priuatam, sed Rempublicam eius tutelæ securitatem infringendo: similiter etiam, nec in commutationibus volūtarijs esset semper æqualis passio, si quis daret rē suam, accipiens rem alterius, quia fortè res alterius est multò maior, quam sua, & ideò oportet secundum quandam proportionatam commensurationem adæquare actionem passioni in cōmutationibus, ad quòd inuenta sunt numismata, & sic cōtrapassū est commutatiuum iustum: in distributiua autē iustitia locum non habet, quia in distributiua iustitia non attenditur æqualitas secundum proportionem rei ad rem, vel passionis ad actionem, vnde dicitur cōtrapassum, sed secundum proportionalitatem rerum ad personas. 2.2. q. 61. artic. 4. in corp.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. in actionibus iniuriosis, damnosis, commutationibus voluntarijs debet fieri secundum rationem iustitiæ commutatiuæ recompensatio secundum æqualitatem, vt scilicet passio recompensata sit æqualis actioni. hæc patet per declarationem huius nominis contrapassum; & per auctoritatem exodi 21. & 22. secūda conclusio. recompensatio nō semper erit æqualis, si aliquis pateretur idem specie, quod fecit. probatur, quia id patet ex læsione iniuriosa dignioris personæ; secundò in dānificatione proximi; tertiò in quibusdam commutationibus volūtarijs rerum in bonitate inæqualium. tertia conclusio. iustum commutatiuū secundum æqualitatem quantitatis inter actionem, & passionem est idem, quod contrapassum. hæc patet ex dictis. quarta conclusio. contrapassum non habet locum in iustitia distributiua. probatur, in iustitia distributiua non attenditur æqualitas secundum proportionem rei ad rem, neque passionis ad actionem; sed ab huiusmodi dicitur contrapassum, ergo &c.

Ad explicationem huius doctrinę nota, quod contrapassum in proposito significat, vt notat Caietanus hoc in loco, tantum damnificari, quātum damnificauit; tantum pati quantum egit; tantum soluere, quantum accepit, & huiusmodi, itaquod seruare contrapassum sit seruare iustitiam. & obserua, quod contrapassum potest dupliciter intelligi, primò secundum identitatem speciei, vt scilicet patiatur quis idem specie, quod egit, puta oculum pro oculo, dentem pro dente &c. & sic iustum commutatiuum, & contrapassum non sunt idem; secundò secundum æqualitatem quantitatis, vt scilicet tanta sit passio, quanta fuit, vel est actio, quantumcumq; diuersarum specierum, vel generum sint actio, & passio, puta pati in bonis exterioribus pro læsione illata

illata in bonis corporis, vt si percussit soluat tãtum læso, tantum Curiæ, & sic extenso contrapassi, & passionis nomine ad omnes commutationes contrapassum est idem, quod iustum cõmutatiuum.

Contritio. Cap. I.

1 *Contritio vnde dicatur.*
Contritio est dolor de peccatis cum proposito confitendi.
Contritio est dolor voluntarius, semper pro peccato puniens.
Contritio secundum Isidorum est compunctio, & humilitas mentis cum lacrimis veniens de recordatione peccati, & timore iudicij.
Contritio ex D. Augustino est dolor remittens peccatum.
Contritio ex D. Gregorio est humilitas spiritus anihilans peccatum inter spem, & timorem.
§ *Etimologia nominis contritionis, & attritionis.*
Completa diffinitio contritionis assignatur, & explicatur.
2 *Attritio non potest fieri contritio.*
§ *Attritio, & contritio differunt spetie.*
Quomodo ex attrito fiat quis contritus vi clauium.
3 *Attritio importat displicentiam imperfectam de peccatis, contritio vero perfectam.*
§ *Quinque differentiæ inter contritionem, & attritionem.*
4 *Contritio vt est actus Virtutis pænitentiæ essentialiter est displicentia mali, vt displicentia dicit actum voluntatis.*
Contritio vt est actus Virtutis, non est dolor sensitiuus, sed effectus eius.
Dolor sensitiuus importatur in contritione, vt est pars pænitentiæ Sacramenti.
§ *Contritio non est dolor sensibilis formaliter, sed potest esse causaliter.*
5 *Contritio vt dicit displicentiã voluntatis de malo, vt offensa Dei est, non potest esse nimia.*
Contritio, vt importat dolorem sensitiuum, potest esse nimia.
6 *Si contritio sumatur, vt correspondet singulis peccatis, sic debet esse maior dolor, vt est in appetitu intellectiuo, & sensitiuo, de vno peccato, quam de alio.*
Si contritio sumatur vt est de omnibus peccatis simul, sic habitualiter est maior dolor de vno peccato, quam de alio.
§ *Aduertentia quædam datur.*
Magis conterendum est de vno, quam de alio peccato contra Toletum.
7 *Contritus debet potius pati pœnam quamcunque, quam peccare.*
Contritus non tenetur descendere ad hanc, vel illam pœnam.
§ *Homo contritus tenetur potius subire quamcunque pœnam, quam peccare mortaliter, siue etiam venialiter.*
8 *Contritio secundum se considerata fuit in omni lege eodem modo.*
Contritio vt dicit ordinem ad alias pœnitentiæ partes, non fuit eodem modo semper.
9 *Dolor de peccato in habente gratiam est contritio.*
10 *Contritioni est annexum propositum confitendi.*
Homo tenetur habere propositum confitendi, quando tenetur ad confitendum.
Homo tenetur saltem conteri in articulo mortis, quando peccata occurrunt memoriæ, quando vult celebrare, si non adsit confessoris copia.
§ *Peccata occurunt memoriæ dupliciter, & quomodo.*
Deffenditur, & roboratur doctrina D. Thomæ cõtra aliquos.
Casus, in quibus tenetur homo conteri de peccatis.
Non tenetur homo ad contritionem in die festo.
Tenetur homo statim conteri, quando peccauit.
Peccatum mortale tollit meritum vitæ æternæ.
Consilium Nauarri datur testatoribus.
11 *Quantò magis in actu displicentiæ de peccato se exercet homo, tantò est melius, dummodo non impediatur ab actibus aliarum Virtutum suo tempore.*
Dolor talis debet moderatus esse, & moderatè durare.
§ *Circa quantitatem contritionis tam ex parte intensionis, quam ex parte durationis ponuntur variæ opiniones.*
Contritio dicitur magna dupliciter, & quomodo.
Detestatio peccati debet esse maxima appretiatiuè.
Non est necesse, quòd contritio sit maxima intensiuè. & quid requiratur ad contritionem.
Non est necesse, vt contritio duret longo tempore, sed sufficit, vt duret breui tempore.
12 *In contritione venialium non est propositum annexum vitandi venialia.*
Includit tamen displicentiam peccati præteriti, & infirmitatis, qua inclinatur ad peccatum veniale.
§ *In contritione de mortalibus consulendum est propositum actuale vitandi peccata in futurũ.*
Dum homo conteritur de venialibus, debet proponere abstinere a singulis venialibus.
13 *Dolor de amissione Virtutis non est essentialiter contritio, sed eius principium.*

Quæritur, quid sit contritio.

1 RESpondeo dicendum, quòd initiũ omnis peccati est superbiá, per quam homo sensui suo inhærens à mandatis Diuinis recedit, & ideò oportet, quòd illud, quod destruit peccatum, hominẽ à sensu discedere faciat, ille autẽ, qui in sensu suo perseuerat, rigidus, & durus per similitudinem vocatur, vnde, & frangi aliquis dicitur, quando à sensu suo diuellitur, sed inter fractionem, & comminutionem, siue contritionem in rebus materialibus, vnde hæc nomina ad spiritualia

tualia

tualia transferuntur, hoc intereſt, vt dicitur in 4. meteorum, quod frangi dicuntur aliqua, quando in magnas partes diuiduntur, ſed diminui, vel conteri, quãdo ad partes minimas reducitur hoc, quod in ſe ſolidum erat, & quia ad dimiſſionem peccati requiritur, quod homo totaliter affectũ peccati dimittat, per quem quandã continuitatem, & ſoliditatem in ſenſu ſuo habeat, ideò actus ille, quo peccatũ remittitur, contritio dicitur per ſimilitudinem, in qua quidẽ contritione plura poſſunt cõſiderari, ſcilicet ipſa ſubſtantia actus, modus agendi, principium, & effectus; & ſecundum hoc de contritione inueniuntur diuerſæ diffinitiones traditę, quantũ enim ad ipſam ſubſtantiam actus datur diffinitio talis, contritio eſt dolor de peccatis aſſumptis cum propoſito confitẽdi, & ſatisfaciendi, & quia actus contritionis eſt actus Virtutis, & eſt pars pænitentiæ Sacramenti, ideò manifeſtatur in prædicta diffinitione, in quantum eſt actus virtutis, & per hoc, quòd ponitur genus ipſius, ſcilicet dolor, & obiectum in hoc, quod dicit, pro peccatis, & electio, quæ requiritur ad actum Virtutis in hoc, quod dicit, aſſumptus; ſed inquantum eſt pars Sacramenti per hoc, quòd tangitur ordo ipſius ad alias partes, cùm dicit, cum propoſito confitendi &c. Alia etiam diffinitio inuenitur, quæ diffinit contritionem ſecundum quòd eſt actus Virtutis tantum, ſed additur ad prædictam diffinitionem differentia contrahens ipſum ad ſpecialem Virtutem, ſcilicet pænitentiam, dicit enim quòd pænitentia eſt dolor voluntarius ſemper pro peccato puniens, quod dolet commiſiſſe; in hoc enim quòd additur, punitio, ad ſpecialem Virtutem contrahitur. alia autem diffinitio inuenitur Iſidori, quæ talis eſt: Contritio eſt compunctio, & humilitas mẽtis cum lacrymis veniens de recordatione peccati, & timore iudicij, & hæc quidem tangit rationem nominis in hoc, quòd dicit, humilitas mentis, quia ſicut per ſuperbiam aliquis in ſenſu ſuo rigidus dicitur, ita per hoc, quod à ſenſu ſuo contritus recedit, humiliatur; tangit etiam modum exteriorem in hoc, quod dicit, cum lacrymis, & Principium cõtritionis in hoc, quod dicit, veniens de recordatione &c. Alia ſumitur ex verbis Auguſtini, quæ tangit effectum contritionis, ſcilicet contritio eſt dolor remittens peccatum. & alia ſumitur ex verbis Gregorij, quæ talis eſt. Contritio eſt humilitas ſpiritus anichilãs peccatum inter ſpem, & timorem, & hæc tangit rationem nominis in hoc, quòd dicit, quòd contritio eſt humilitas ſpiritus, & effectus eius in hoc, quòd dicit, anihilans peccatum, & originem in hoc, quòd dicit, inter ſpem, & timorem; nec ſolum ponit cauſam principalem, quæ eſt timor, ſed etiam ſecundariam, quæ eſt ſpes, ſine qua timor deſperationem facere poſſet. 4. ſent. d. 17. q. 2. a. 1. quæſtiunc. 1. in corp. (4. contragentes. cap. 72.

Sextuplici concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. non eſt inconueniens, ſi de contritione plures reperiantur diffinitiones. probatur, quia in contritione plura poſſunt cõſiderari, ſcilicet ipſa ſubſtantia actus, modus agendi, principium, & effectus, & ſecundum hæc de contritione inueniuntur diuerſæ diffinitiones traditæ. ſecunda concluſio. iſta diffinitio de contritione eſt bona, contritio eſt dolor de peccatis aſſumptus cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi. probatur, quia per hãc diffinitionem explicatur contritio, vt eſt actus Virtutis, dum ponitur genus ipſius, ſcilicet dolor; obiectum, dum dicitur, pro peccatis; electio, quæ requiritur ad actum Virtutis, dum dicitur, aſſumptus; explicatur etiam vt pars Sacramenti, quia tangitur ordo ipſius ad alias partes, cum dicitur, cum porpoſito confitendi & ſatiſfaciẽdi. tertia concluſio. recta eſt diffinitio contritionis, quam alij tradunt de ea, quatenus actus Virtutis tantum, dicentes, Pænitentia eſt dolor voluntarius ſemper pro peccato puniens, quod dolet commiſiſſe. probatur, quia hic ponitur illa particula, ſemper puniens, tanquam differentia contrahens contritionem ad ſpetialem Virtutẽ, ſcilicet Pænitentiam. quarta concluſio. rectè Iſidorus diffinit contritionem dicens, contritio eſt compunctio, & humilitas mentis cum lacrimis veniens de recordatione peccati, & timore iudicij. probatur, quia hæc tangit rationem nominis, dum dicitur, humilitas mentis; tangit modum etiam exteriorem, dum dicitur, cum lacrimis; & principium contritionis, dum dicitur, veniens de recordatione &c. quinta concluſio. recta eſt diffinitio data de contritione à D. Auguſtino, quæ eſt, Contritio eſt dolor remittens peccatum. probatur, quia in hac tangitur effectus contritionis, qui eſt remiſſio peccatorum. ſexta concluſio. recta eſt diffinitio de contritione data à D. Gregorio dicente, contritio eſt humilitas ſpiritus anihilans peccatum inter ſpem, & timorem. probatur, quia in hac tangitur ratio nominis, dum dicitur, eſt humilitas ſpiritus; effectus eius, dum dicitur, anihilans peccatum; & origo, dum dicitur, inter ſpem, & timorem, nec ſolum ponit cauſam principalem, quæ eſt timor,

timor, sed etiam secundariam, quæ est spes.

Ad explicationem huius litteræ notanda est etimologia nominis Contritionis. est ergo hoc nomen, Contritio, desumptum a materialibus, vt habemus in principio litteræ, & translatum ad spiritualia, in materialibus autem illud dicitur conteri, quod in partes minimas reducitur, sicut illud dicitur frangi, quod in partes magnas diuiditur, ita cor per similitudinem dicetur cōtritum per afflictionem, & dolorem; & sicut, vt ait Arist. 4. eth. dum res in partes grossiores franguntur, dicuntur atteri, dum verò commoliuntur, dicuntur conteri, ita dum homo imperfectè detestatur peccatum non tanquam Dei offensam, sed propter pœnas inferni, illa detestatio, quia non sufficit eradicare peccatum, dicitur attritio; quando autem perfectè dolet, ille actus, per quem nulla affectio cordis manet ad peccatum, sed omninò conuellitur, dicitur contritio; de qua contritione variæ dantur diffinitiones secundum quod varia etiam in ipsa considerantur; & si aliquis mihi obijciat, quod vnius rei est tantum vna diffinitio, respondebitur, vnius rei esse vnam tantum diffinitionem adæquatam, posse tamen esse plures inadequatas, sicut istæ sunt, quæ ita explicant vnum, quòd non alterum: vel dicetur, quod vnius rei secundū vnam rationem est vna diffinitio, secundum tamen aliam rationem considerata erit alia diffinitio; & sic est in proposito, vt patet in littera. prima ergo diffinitio est, quod cōtritio est dolor de peccatis assumptus cum proposito confitendi, & satisfaciendi: pro cuius explicatione nota, quod talis dolor importatus per contritionem non est dolor sensus, sed est detestatio peccatorum, quæ est actus voluntatis, à qua tamen detestatione oritur aliquando dolor in parte sensitiua, qui est passio, vnde talis detestatio voluntatis poterit dici dolor causaliter, quia ab ipsa dolor in sensu causatur; non est tamen hic dolor ad Virtutem Pænitentiæ necessarius, quia in Patria sancti possunt detestari peccata, licet non doleant propter plenum gaudium, quod illic existit, & lætitiā magnam; & vlterius non est in hominis, etiam viatoris potestate, vt semper eliciatur; dicitur dolor de peccatis, vt explicetur materia, circa quā versetur contritio; de quibus autem peccatis sit contritio, in sequenti capite explicabitur; quia autem contritio includit in se votum Confessionis, & satisfactionis, ideò ponitur in eius diffinitione, cum proposito &c. qua particula explicatur contritio, vt est pars Sacramenti Pœnitentiæ, sicut in prioribus particulis explicabatur cōtritio, vt virtus est. Circa diffinitionem contritionis datam à D. Isidoro, qua dicitur, quod contritio est compunctio, nota, quod compunctionis nomen metaphoricum est, & metaphora cōsistit in hoc, quod sicut ferro pungitur vulnus, vt virus exeat, sic & cor dolore pungitur, vt peccatum emittat. obserua vlterius, quod ex omnibus diffinitionibus hoc in loco traditis de contritione potest cōfici vna integra diffinitio, quæ est. contritio est detestatio peccati, quatenus offensa Dei est, cum proposito emendandi vitam, confitendique, & satisfaciendi spe veniæ diuinitus obtinendæ: dicitur, detestatio, vt explicetur, contritionem esse actum voluntatis; dicitur, detestatio peccati, vt explicetur obiectū contritionis, circa quod versatur; dicitur, quatenus offensa Dei est, vt contritio distinguatur ab attritione, qua quis dolet de peccatis, non quatenus offensæ sunt Dei, sed propter gehennæ metum; dicitur, cum proposito emendandi vitā, quia contritio est dolor de peccatis præteritis cum proposito cauendi in futurum, vt habemus ex Concilio Tridentino. sess. 14. cap. 4. dicitur, cum proposito confitendi &c. quia nisi includat hoc votum, non est contritio; dicitur, spe veniæ &c. qua explicatur causa finalis. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. sic eam diffinit, contritio animi dolor, ac detestatio est de peccato cōmisso cum proposito non peccandi de cætero.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Henriquez lib. 4. c. 13. Reginaldus lib. 5. cap. 1. Graffius. p. pri. decisionum lib. 1. c. 2. & 3. Toletus lib 3. cap. 4 & alij.

Quæritur, an Attritio possit fieri contritio.

2 Respondeo dicendum, quòd super hoc est duplex opinio, quidam enim dicunt, quod attritio fit contritio, sicut fides informis fit formata, sed hoc vt videtur, nō potest esse, quia quamuis habitus fidei informis fiat formatus, nunquam tamē actus fidei informis fit actus fidei formatæ, quia actus ille informis transit, & non manet veniente Charitate; attritio autē, & contritio non dicunt habitum, sed actum tantum, habitus enim Virtutum infusarum, qui voluntatem respiciunt, non possunt esse informes, cum Charitatem consequātur, vnde antequam gratia infundatur, nō est habitus, à quo actus contritionis postea elicitur, & sic nullo modo attritio potest fieri contritio, & hoc alia opinio dicit. 4. sent. d. 17. quæst. 2. a. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Adducta, & confutata vna opinione respondet D. Thomas vnica conclusione. opinio erat dicentium, quod attritio fit cōtritio, sicut fides informis fit formata. reprobatur, quia quamuis habitus fidei informis fiat formatus, nunquam tamen actus fidei informis fit actus fidei formatæ, quia actus ille informis transit, & non manet veniente Charitate, attritio autem, & contritio non dicunt habitum, sed actum tantum, habitus enim Virtutum infusarum, qui voluntatem respiciunt, non possunt esse informes, cum Charitatem consequantur, vnde antequam gratia infundatur, non est habitus, à quo actus contritionis postea elicitur. hinc elicitur conclusio responsiua quęsito, nempe quod attritio non potest fieri contritio.

Profectò attritio non poteſt fieri contritio, licet aliquis virtute Sacramenti de attrito fiat contritus: non poteſt, inquam, attritio fieri contritio, quia ſpetie inter ſe differunt, ſicut nec homo fieri poteſt aſinus, quia ſpetie differũt, quod autem ſpetie differant, patet, quia contritio habet pro obiecto peccatum, quatenus offenſa Dei eſt, attritio autem habet pro obiecto peccatum, ſed non quatenus offenſa Dei; & vlterius attritio poteſt procedere ex viribus naturæ, contritio autem ex virtute infuſa, nempe Pænitentiæ. poteſt tamen fieri aliquis de attrito contritus virtute Sacramenti, ideſt ille, qui accedit ad Sacramentum tantum attritus, poteſt fieri contritus, & tranſire de actu attritionis ad actum contritionis, itaquod ille, qui prius doluit de peccato propter metum genhennæ, vel alterius damni, nunc doleat de peccato, quatenus offenſa Dei, & hoc virtute Sacramenti conferentis gratiam, nunquam tamen attritio fiet contritio, vt aſſerit D. Thomas hoc in loco, quem ſequitur Dominicus Sotus. 4. ſentenr. d. 17. q. 2. artic. 5. Nauarrus in manuali cap. 1. nu. 40. licet contrarium aſſerat Scotus. 4. ſent. d. 14. q. 2. art. 1.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Valentia. tom. 4. diſp. 2. q. 8. p. 2. Henriquez lib. 4. c. 25. Suarez diſp. 5. ſect. 3. Vaſquez. q. 82. 21. 2. dub. 2. & q. 86. art. 3. dub. 8. Zerola de Pænitent. c. 6. quæſit. 2. & 3. Angles in ſuis floribus in 4. q. de contritione lib. 4. Camerota tract. 6. de contritiene dub. 2. Pitigianus. par. 2. d. 14. q. 2. ar. 6. & alij.

Quæritur, quid ſit attritio, & in quo differat à contritione.

3 Reſpondeo dicendum, quòd attritio non dicit acceſſum ad perfectã contritionem, vnde in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquo modo ſunt comminuta, ſed non perfectè, ſed contritio dicitur, quãdo omnes partes tritæ ſunt ſimul per diuiſionem ad minima, & ideò ſignificat attritio in ſpiritualibus quandam diſplicentiam de peccatis commiſſis, ſed non perfectam, contritio autem perfectam. 4. ſent. d. 17. q. 2. a. 1. quæſti. 2. ad 3.

Cõcluſione vnica reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. attritio in ſpiritualibus quandam diſplicentiam ſignificat de peccatis commiſſis, ſed non perfectam, contritio autem perfectam. probatur, quia in corporalibus etiam dicuntur attrita, quæ aliquo modo ſunt comminuta, ſed non perfectè, ſed contritio dicitur, qñ omnes partes tritæ ſunt ſimul per diuiſionem ad minima.

Nomine attritionis intelligimus diſplicentiã illam, quæ per ſe non ſufficit ad peccatum delendum, ſufficit tamen cum Sacramento. nomine verò contritionis intelligimus illam diſplicentiam, quæ per ſe ſufficit ad delendum peccatum ſine Sacramento in re ſuſcepto, & hoc inſinuant verba D. Thomæ. hinc elicimus cum Dominico Soto. 4. ſent. d. 17. q. 2. a. 5. quinq; differentias repertas inter attritionem, & contritionem, quarum prima deſumitur ex parte obiecti, nempe quod contritio eſt dolor de offenſa Dei, propter Deum, attritio vero eſt dolor de peccatis ob timorem gehennæ vel aliorum pęnarum temporalium. ſecunda differentia deſumitur ex parte cauſæ, nempe quod attritio oritur ex timore ſeruili pænarum, contritio vero ex timore filiali. tertia differentia eſt, quod attritio poteſt ex viribus naturalibus elici, quia non eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, ſed poteſt ſimul eſſe cum peccato, contritio vero naſci nequit niſi ex auxilio ſpeciali Dei ſupernaturali præueniente liberum arbitrium, & ſimul infundente habitum Pænitentiæ, ex quo actus contritionis elicitur. quarta differentia deſumitur ex parte effectus, nempe quod attritio non ſufficit hominem in gratia conſtituere, contritio verò ſua intrinſeca virtute Diuinitus recepta id efficit. quinta differentia eſt, quod attritio poteſt eſſe actus informis, contritio verò minimè, quia ſimul à Deo liberum arbitrium mouente infunditur & gratia, & Charitas.

Quæritur, qui dolor ſit contritio.

4 Reſpondeo dicendum, quòd in contritione eſt duplex dolor de peccatis, vnus in parte ſenſitiua, qui eſt paſſio, & hic non eſt eſſentialiter contritio, prout eſt actus Virtutis, ſed magis effectus ipſius, ſicut enim pænitentiæ Virtus exteriorem pænam ſuo corpori infligit ad recompenſandam offenſam, quæ in Deum commiſſa eſt officio membrorum, & ita etiam, & ipſi concupiſcibili pænam infert doloris prędicti, quia ipſa etiam ad peccatum cooperabatur, ſed tamẽ hic dolor poteſt pertinere ad contritionẽ, in quantum eſt pars Sacramenti, quia Sacramenta nõ ſolum in interioribus actibus, ſed etiã in exterioribus, & in rebus ſenſibilibus nata ſũt eſſe; alius dolor eſt in voluntate, qui nihil aliud eſt, quam diſplicentia alicuius mali ſecundum, quòd affectus voluntatis nominatur per nomina paſſionum, & ſic contritio eſt dolor per eſſentiam, & eſt actus Virtutis pænitentię. 4. ſenten. d. 17. q. 2. a. 1. quæſtiun. 2. ad 1.

Data diſtinctione reſpondet D. Thomas quæſito triplici concluſione. diſtinctio eſt, quod in contritione eſt duplex dolor de peccatis, vnus in parte ſenſitiua, qui eſt paſſio, alius dolor eſt in voluntate, qui nil aliud eſt, quam diſplicentia alicuius mali, ſecundum quod affectus voluntatis nomina-

nominatur per nomina passionum. prima conclusio. dolor in primo sensu non est essentialiter contritio, prout est actus Virtutis, sed magis effectus eius. probatur à simili, sicut enim Pœnitentiæ Virtus exteriorem pœnam suo corpori infligit ad recōpensandā offensam, quę in Deum commissa est officio membrorum, ita etiam & ipsi concupiscibili pœnam infert doloris prædicti, q̄a etiam ipsa cooperabatur ad peccatum. secunda conclusio. hic dolor potest pertinere ad contritionem, inquantum est pars sacramenti, probatur, quia sacramenta non solum in interioribus actibus, sed etiam in exterioribus, & in rebus sensibilibus nata sunt esse. tertia conclusio. contritio est essentialiter dolor in secundo sensu, & est actus Virtutis Pœnitentiæ.

Ex prima conclusione habemus, contritionem non esse dolorem illum sensibilem, qui est in parte sensitiua, & est passio, formaliter, potest tamē dici ille dolor causaliter; non est, inquam, ille dolor formaliter, quia non est virtus, contritio autem est actus virtutis; erit autem ille dolor causaliter, quia à contritione causatur in appetitu sensitiuo dolor; essentialiter ergo contritio erit displicentia mali, quæ est actus voluntatis, quæ displicentia est actus Virtutis.

Quæritur, an dolor importatus per contritionem possit esse nimius.

5 Respondeo dicendum, quòd contritio ex parte doloris, qui est in ratione, scilicet displicentię, quo peccatum displicet inquātum est offensa Dei, non potest esse nimia, sicut nec amor Charitatis, quo intēso talis displicentia intenditur, potest esse nimius, sed quantū ad dolorem sensibilem potest esse nimia, sicut etiam exterior corporis afflictio potest esse nimia; in his enim omnibus debet accipi pro mensura conseruatio subiecti, & bonæ habitudinis sufficientis ad ea, quæ agenda incumbunt, & propter hoc dicitur Romanorū 12. rationabile obsequium vestrum. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 3. quæst. 2. in corp. (q. 1. in corp. (super Psalm. 37.

Insinuata distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione. distinctio est, quod contritio potest considerari & quantum ad dolorem, qui est in ratione, scilicet displicentiam peccati &c. & quo ad dolorem sensibilem. prima conclusio. contritio ex parte doloris, qui est in ratione, non potest esse nimia. probatur à simili, sicut nec amor Charitatis, quo intenso talis displicentia intenditur, potest esse nimius. secunda conclusio. contritio quoad dolorē sensibilem potest esse nimia. probatur à simili, sicut & exterior corporis afflictio potest esse nimia; in his enim debet accipi pro mensura conseruatio subiecti, & bonæ habitudinis &c. vt in littera occasione huius litteræ esset videndum, an contritio possit aliquando esse vitiosa, sed quia hoc egimus in nostris Arcanis lib. 3. q. 33. ideò ad eum locum lectorem remitto.

Quæritur, an debeat esse maior dolor de vno peccato quam de alio.

6 Respondeo dicendum, quòd de contritione dupliciter possumus loqui, vno modo secundū, quod sigillatim singulis peccatis respondet, & sic quantum ad dolorē superioris affectus requiritur, quòd de maiori peccato quis doleat magis, quia ratio doloris est maior in vno, quā in alio, scilicet offensa Dei, ex magis enim inordinato actu Deus magis offenditur, similiter etiam cum maiori culpæ maior pœna dabitur, etiam dolor sensitiuæ partis secundum, quòd pro peccato ex electione assumitur, pœna peccati debet esse maior de maiori peccato; secundum autē, quòd ex impressione superioris appetitus innascitur in inferiori attēditur quantitas doloris secundum dispositionem partis ad recipiendam impressionem à superiori, & non secundum quantitatem peccati; alio modo potest accipi contritio secundum, quòd est simul de omnibus, sicut in actu iustificationis, & hæc quidem contritio, vel ex singulorum consideratione peccatorum procedit, & sic quamuis sit actus vnus, tamen distinctio peccatorum manet Virtute in ipso, vel ad minus habet propositum de singulis cogitandi annexum, & sic etiam habitualiter est magis de vno, quam de alio. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 3. quæst. 3. in corp. (artic. 5. quæstiunc. 3. ad 2. (d. 21. in exposit. litteræ.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione. distinctio est. de contritione dupliciter loqui possumus, vno modo secundum quod sigillatim singulis peccatis respondet, alio modo potest accipi contritio, secundum quod est simul de omnibus, vt in actu iustificationis. prima conclusio. sumendo contritionem in primo sensu debet quis de maiori peccato magis dolere dolore spectāte ad superiorem affectum. probatur, quia ratio doloris est magis in vno, quam in alio, scilicet offensa Dei, ex magis enim inordinato actu Deus magis offenditur; vlterius cum maiori culpæ maior pœna debeatur, etiam dolor sensitiuæ partis secundum quod pro peccato ex electione assumitur, pœna peccati debet esse maior de maiori peccato secūda cōclusio. loquendo de contritione in secundo sensu, sic contritio vel ex singulorum consideratione peccatorum procedit, & sic quamuis sit

actus vnus, tamen distinctio peccatorum manet virtute in ipso, vel adminus habet propositum de singulis cogitandi annexum, & sic etiam habitualiter est magis de vno quam de alio.

Hanc D. Thomæ doctrinam perpendant, qui plus peccata abhorrent, quæ honori, & humanæ æstimationi magis aduersantur, quam alia, quæ plus Deo displicent, puta quia furtum est vitium vile, ac ignobile, eos acerbius pœnitet fuisse in furto deprehensos, quam in adulterio, vel homicidio; immò sunt aliqui ita peruersi, qui asserere non verentur, mallem potius lapsum fuisse in hæresim, quam in peccatum nefandum; quia istud maiori infamia notatur, quam peccatum hæresis, licet hoc sit grauius, & Deo magis displiceat, quod profectò absurdissimum est, & peruersiuum Charitatis, quia sicut ad ordinem Charitatis spectat Deum præ omnibus creatis diligere, sic ea acerbius detestari, quæ illi magis execrabilia, & ab eo nos longius alienant; vlterius qui detestatur magis peccatum infame, quã quod magis displicet Deo, honorem, & famam suam amori Dei præfert, quod est peccatum, ex his patet male dixisse Toletum lib. 3. cap. 5. nu. 5, dum ait, hominem non teneri ad conterendum magis de vno, quam de alio peccato. quod facessit negotium est auctoritas D. Hieronimi, qui, vt elicitur ex Epistola ad Rusticum de viuendi forma, & ex Epistola ad Demetriadem de Virginitate seruanda, laudat Paulum, quod minima peccata plangeret, sicut magna, ergo non est magis dolendum de vno, quam de alio Respondetur tamen cum S. Thoma. 4. sent. d. 17. q. 2. art. 3. quæstiuncula. 3. ad 1. quod cum nõ laudat, quod grauiora non magis plangeret, sed quod perinde dolebat de minimis, ac si essent magna, quod virorum proprium est perfectorũ, nihilominus quod Ecclesiam fuisset persecutus, amarius lamentabatur, quam alia minora de hac materia legatur Siluester verb. contritio. q. 3.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Pitigianus. 2. p. d. 14. q. 3. ar. 9. concl. 4. Reginaldus lib. 5. num. 30. Valentia tom. 4. d. 7. q. 8. p. 5. Suarez. d. 4. sect. 4. Graffius lib. 1. decis. c. 4. num. 5. Pesantius in additionibus ad 3. p. q. 5. ar. 5. disp. 6. quæsito. 1. Henriquez. lib. 4. cap. 27. Toletus lib. 3. cap. 5. n. 5, & alij.

Quæritur, an contritus debeat magis subire quamcunque pœnam, quam peccare.

7 Respondeo dicendum, quòd contritus tenetur in generali velle pati magis quãcunq; pœnã, quã peccare, & hoc ideò, quia contritio nõ potest esse sine Charitate, per quã omnia dimittuntur peccata; ex Charitate enim plus homo diligit Deum, quã seipsum, peccare autem est facere contra Deum, puniri autem est aliquod pati contra seipsum, vnde Charitas hoc requirit, vt quamlibet pœnam homo contritus præelegat culpæ, sed in speciali descendere ad hanc pœnam, vel ad illam non tenetur, quin immo stultè faceret, si quis seipsum, vel aliũ sollicitaret super huiusmodi particularibus pœnis; manifestum est enim, quod sicut delectabilia plus mouent in particulari considerata, quam in communi, ita terribilia plus terrent, si in particulari considerẽtur, & aliqui sunt, qui minori tentatione non cadunt, qui fortè maiori caderent, sicut aliquis audiens adulterium non incitatur ad libidinem, sed si per considerationem descendit ad singulas illecebras magis moueretur; & similiter aliquis non refugeret pati mortem pro Christo, sed si descenderet ad considerandum singulas pœnas magis retraheretur, & ideò descendere in talibus ad singula est inducere hominem in tentationem, & prębere occasionem peccandi. quodlibeto. 1. a. 9. in corp.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. contritus tenetur in generali vellę pati magis quamcumque pœnam, quam peccare. probatur, quia contritio non potest esse sine Charitate, per quam omnia dimittuntur peccata, sed ex Charitate plus homo diligit Deum, quam seipsum, & peccare est facere contra Deum, puniri autem est aliquod pati cõtra seipsum, ergo Charitas hoc requirit, vt quãlibet pœnam homo contritus præeligat culpæ. secunda conclusio. in speciali descendere ad hãc pœnam, vel ad illam nõ tenetur, quinimmò stultè faceret, si quis seipsum, vel alium sollicitaret super huiusmodi particularibus pœnis. probatur, quia sicut delectabilia plus mouent in particulari considerata, quam in communi, vt patet de audiente de adulterio, & considerante singulas illecebras &c. ita terribilia plus terrẽt, si in particulari considerentur, vt patet de eo, qui non refugeret mortem pati pro Christo, à qua tamẽ retraheretur, si ad singulas considerandum pœnas descenderet, ergo descendere in talibus ad singula est inducere hominem in tentationem, & præbere occasionem pecccandi, ergo &c.

Quam maximè attendenda est prima conclusio, quæ nedum debet intelligi de peccato mortali, sed etiam veniali, nempe quod homo contritus tenetur magis velle pati quamcunque pœnam, quam peccare siue mortaliter, siue venialiter, quia iam supra explicauimus, quod homo ex Charitate magis tenetur diligere Deum, quam se ipsum, cum Deus sit bonum commune, & fontale principium omnium, peccatum autem fit contra Deum, puniri autem contra seipsum, & consequenter magis homo contritus tenetur pati quamcunque pœnam, quam peccare absolutè.

Quæri-

Quaritur, an contritio fuerit in omni lege eodem modo.

8 Respondeo dicendum, quòd contritio secundum, quod in se consideratur fuit semper eodẽ modo in qualibet lege; sicut enim futurum peccatum semper oportet vitare, ita semper, & de commisso dolere; sed secundũ, quod importat ordinem ad alias pænitentiæ partes, non semper fuit eodem modo, eo quod aliæ partes eodem modo non semper fuerunt, vnde nõ oportet, quod semper eodem modo fuerit propositum confitendi, & satisfaciendi, quod in diffinitione cõtritionis ponitur. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 1. quæstiunc. 2. ad 4.

Respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione, quarum prima est. contritio, secũdum quod in se consideratur, fuit semper eodem modo in qualibet lege. probatur, quia sicut futurum peccatum semper oportet vitare, ita semper & de commisso dolere. secunda conclusio. contritio, secundum quod importat ordinem ad alias Pænitentiæ partes, non semper fuit eodem modo. probatur, quia aliæ partes eodem modo non semper fuerunt. hinc elicitur corrolarium, quod non oportet, quod semper eodem modo fuerit propositum confitendi, & satisfaciendi.

Nihil mihi occurrit scribendum, ideò non immoror.

Quaritur, an omnis dolor in habente gratiam sit contritio.

9 Respondeo dicendum, quòd omnis dolor de peccato in habente gratiam est contritio. q. 28. de verit. a. 8. in corp.

Quod omnis dolor de peccato in habẽte gratiam sit contritio, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Magnum priuilegium existentis in gratia hic notatur.

Quæritur, quando homo teneatur habere propositum confitendi, & conterendi.

10 Respondeo dicendum, quòd cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis adhoc propositũ, quando ad contritionem tenetur, scilicet quando peccata memoriæ occurrunt, cum præcipuè in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione peccatum oporteat eum incurrere, sicut cum teneatur ad celebrandum, si desit copia Sacerdotis, saltem conteri tenetur, & habere propositum confitendi. 4. sent. d. 17. q. 3. a. 1. quæstiunc. 4. in corp. (q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. ad 7. & 8. (quodlibeto 4. a. 10. in corp.

Hominem teneri ad contritionem, quando peccata memoriæ occurrunt, cum præcipuè in articulo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione peccatum oporteat eum incurrere, sicut cum tenetur ad celebrandum, si desit copia Sacerdotis, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Non est difficultas, quod homo teneatur conteri, cum in articulo mortis existit, in quo agitur de æternitate siue bona, siue mala: non est etiam dubium, quod homo teneatur conteri, quando debeat celebrare, si desit copia Sacerdotis, immò quando debet quis suscipere, vel administrare aliquod Sacramentum, si aduertit, se habere conscientiam peccati mortalis, quia debet illud Sacramentum dignè administrare, vel suscipere, non dignè autem suscipit, vel administrat illud, si saltem non conteratur excepta tamen susceptione baptismi, & Pænitentiæ, ad quam sufficit attritio, cum enim sint instituta ad conferendam primam gratiam, ideò non supponunt eam in subiecto, sed eam conferunt subiecto attrito; sed difficultas est, an homo teneatur conteri, quando peccata memoriæ occurrunt pro cuius tamen explicatione obserua, quod peccata memoriæ occurrere stat dupliciter, scilicet speculatiuè; & practicè; tunc paccatum occurrit speculatiuè, quando quis de illo cogitat, vel ad tractandum de illo, vel dum accedit ad cõfessiones; tunc autẽ occurrit practicè, qñ occurrit aut tãquã opere exequẽdũ, aut sub ratione delectabilis, vt ait Petrus Paludanus, & Siluester; aut sub ratione detestabilis, vt ait idem Paludanus, Siluester, Armilla; aut obiter occurrit occasione concionis vel huiusmodi vt ait Sairus, aut occurrit memoriæ tanquam aliquid; quod operandum proponitur, inquit Toletus, & in hoc secundò sensu tantum loquimur; rursus vel peccatum est iam remissum per contritionem, vel Confessionem, & Pænitentiam, vel non est remissum non loquimur de peccatis iam remissis, cum enim iam sint remissa, non sunt amplius materia necessaria contritionis, vt etiam notat Toletus lib. 3. cap. 5. num. 1. esset tamen saluberrimum de his etiam renouare displicentiam, & dolorem, sicut saluberrimum est eadem peccata semel confessa iterum confiteri: circa hoc dubium adest D. Thomas hoc in loco asserens, teneri hominem ad contritionem de peccatis, quando memoriæ occurrunt. D. Thomam sequuntur Ricardus. 4. sent. d. 14. artic. 9. quæst. 1. Gabriel eadem dist. Paludanus. 4. sent. d. 17 q. 1. a. 3. Armilla verb. cõtritio. num. 3. Siluester verb. contritio. q. 2. Zerola de Pænitentia. cap. 7. quæsit. 14. idem etiam docet Alensis. 4. p. q. 68. memb. 2. a. 2. D. Bonauentura. Caietanus apud Armillam duo ait, quorum primũ est, quod semper peccator tenetur adhoc, vt nunquam placeat sibi peccatum, quia præceptum negatiuum obligat ad semper; secundum est, quod actu homo contera-

conteratur, non obligatur nisi in casu, & periculo mortis; in susceptione, vel administratione sacramentorum, & in quolibet actu, qui requirit hominem sine peccato; & semel in anno ex præcepto Ecclesię, non autem quandocunque occurrit memoriæ, tenetur conteri, sicut nec confiteri, nisi in proposito. Caietanum sequitur Dominicus Sotus 4. sent. d. 17. q. 2. art. 6. Sairus de Pænitentia cap. 11. num. 4. huic opinione videtur adhærere Toletus lib. 3. cap. 5. nu. 1. Suarez disp. 15. sect. 4. Vasquez. q. 86. a. 2. dub. 6. Valentia tom. 4. d. 7. q. 8. p. 4. Reginaldus lib. 5. num. 19. Pitigianus. 2. p. dist. 14. q. 2. a. 6. concl. 5. Angles in 4. 1. p. q. de contritione. ar. 5. diff. 5. Nauarrus in manuali cap. 1. num. 32. asserit saluberrimum esse consilium, vt toties concipiamus pænitudinem omnium peccatorum mortalium tam semel contritorum, quám aliorum, quoties ea nobis occurrerint, non tamen esse præceptum, quod nos obliget ad eam habendam bis spetiatim de eodē, quia Deus non iudicat bis in ipsum. Naum. 1. attamen nos asserimus cum Angelico Doctore teneri hominem ad conterendum de peccatis mortalibus, quoties memoriæ occurrunt: dixi, de peccatis mortalibus, quia ad deletionem venialium non est necessaria contritio; quod sic probo, quoties occurrit peccatum mortale memoriæ, tunc occurrit aliquod offensiuum Dei, ergo nisi detestetur illud; contemptus est Dei; vlterius cum vitæ suæ homo non possit sibi promittere momentum, vt æternæ damnationis euitet periculum, de peccatis mortalibus debet conteri, quoties memoriæ occurrerint; præterea tenetur homo non esse extra gratiam Dei, & eius amicitiam, ergo quoties memoriæ occurrerint peccata mortalia, de illis conteri tenebitur, vt per illorum detestationem in gratiam, & amicitiam Dei reuocetur, probatur sequela, quia hic adest præceptum negatiuū obligans ad semper; tertiò si quis teneatur ad restituendum aliquid alteri, tenetur statim quod recordatur satisfacere proximo læso, ergo etiam quoties peccata memoriæ occurrunt, quibus Deus læditur, tenebitur homo conteri, vt Deo satisfaciat per contritionem; adhæc quando peccata memoriæ occurrunt, vel detestatur ea homo, vel ea approbat, vel neutro modo se habet; si demus secundum, peccat; si tertium Deum contemnit, ergo obligabitur ad primum; deinde qui recordatur alicuius peccati, & de eo non conteritur, videtur interpretatiuè velle, & amare peccatum, quod profecto est peccatum, ergo dum recordatur peccati, tenetur illud detestari, ne iterum peccet. hæc tamen vera sunt, si peccata occurrant memoriæ practicè, vt dicebam, puta sub ratione detestabilis, vel delectabilis, non autem si speculatiuè solum; sicut nec tenetur quis diligere Deum, nisi de eo recordetur practicè, idest sub ratione diligibilis, vel odibilis, alioquin nullus sine mortali posset speculari de Deo, qui diligi non potest, nisi practicè consideratus. nec huic veritati obstant argumenta, quæ ab aduersarijs objiciuntur: non obstat argumentū Nauarri petitum ex illo Naum cap. 1. non iudicat bis in idipsum, quod vtique verum est de peccatis iam remissis per aliam contritionem, nos autem loquimur de peccatis non remissis; attamen loquentes etiam de peccatis alias remissis saluberrimum consilium damus, ea ad memoriam reuocare frequenter, quo melius, & iterum, atque iterum detestemur, & veluti quendam mirrhæ manipulum, idest Sanctę tristitiæ de illis faciamus sicut supra diximus, esse laudabile eadem peccata semel confessa iterum confiteri, & tamen non diceretur Deus bis iudicare in idipsum; consilium tamen est de peccatis incutientibus timorem, & metum, non autem de illis, quorum refricata momoria ad illicitam delectationem instigat, qualia sūt peccata carnis, & huiusmodi, quarū cōsultius est nō meminisse in particulari, nisi quando opus est semel illa confiteri cum debita contritione, vel quando appetitus carnis sunt mortificati per vehementem aliquam contemplationem, aut orationem, siue per abstinentiam, siue per infirmitates, quia delectabile in particulari consideratum ad sui desiderium allicit, vt ait Arist. 3. eth. & D. Thomas quodlib. 1. a. 9. vt supra vidimus, & opusculo 64. parag. sciendum. nec obstat argumentum Soti sic arguentis, vel est necessaria contritio ratione singularis præcepti Pænitentiæ, vel ratione dilectionis, quam tunc habere debet homo, vel ratione vitandi periculi consensus; non primum, quia cum præceptum contritionis sit affirmatiuum, non obligabit nisi statutis temporibus; non secundum, quia cum tunc non occurrat dilectionis præceptum (esset enim importabile, quod toties homo teneatur diligere, quoties tenetur peccatis resistere) colligitur, vt nullus sit contemptus, nullum tunc habere actum conplacentiæ, vel displicentiæ, esset namque durum asserere, quod propter id, quod nobis naturaliter contingit, qualis est peccatorum recordatio, nouo præcepto dilectionis cogeremur; non tertium, quia potest homo, quoties peccatum occurit, vel de nouo committēdum, vel iam commissum, vt eius cogitatu tunc oblectetur, cogitationem ab illo dimouere, per quod satis ei resistit, atque adeò pro tunc Deum satis diligit; non obstat, inquam, quia necessaria est contritio ratione primi, scilicet ratione præcepti Pænitentiæ, quod licet sit affirmatiuum, non est tamen purum affirmatiuum, sed habet etiam annexum præceptum negatiuum obligans ad semper, puta quod homo non sit extra gratiam, & amicitiam Dei, quod non poterit adimplere, nisi de peccatis conteratur, dum eorum meminerit. secundò respondetur, quod necessaria est contritio ratione secundi, cum enim teneatur homo non esse extra gratiam Dei, & eius amicitiam, tenebitur eum diligere tunc, cum recordatur de peccatis, conterendo de eis, & sicut non est durum, & importabile obseruare alia præcepta negatiua, ita non debet videri hoc pręceptum negatiuū durum, & importabile, puta quod teneatur non esse extra amicitiam, & gratiam Dei. nec obstant argumen-

argumenta recentiorum sic primò argumentiũ, nulla sufficienti ratione probatur, hominem teneri habere contritionem de peccatis, quoties in mentem veniunt. respondetur, sufficientissime probasse, quod homo ad hoc teneatur, vt patet intelligenti, & scienti, & quando non adesset ratio sufficiens, sufficit auctoritas omniscij D. Thomæ, qui tanti æstimatur in Ecclesia Dei, vt qui eum tenuerit, nunquam inuentus sit à veritatis tramite deuiasse, & qui eum impugnauerit, semper fuerit de veritate suspectus. secundò arguunt, quia præceptum contritionis, & pænitentiæ non est præceptum negatiuum, sed affirmatiuum, quod obligat pro certo tempore. respondetur, præceptum pænitentiæ, & contritionis non esse purè affirmatiuum, sed habere annexum etiam præceptum negatiuum, vt diximus, ideò obligabit ad semper. tertio arguunt, quia nimis durum esset obligare peccatorem ad habendam contritionem de peccatis, quoties illorum recordatur, iugum enim Christi suaue est, ad hoc argumentum iam rei ponsum est, & addimus, quod ex hoc quod iugum Christi suaue est, ideò requirit, vt semper in eius amicitia, & gratia permaneamus. concludamus ergo, hominẽ teneri ad conterendum de peccatis, quoties memoriæ occurrunt, & in alijs casibus in littera positis, quibus addimus alium ex Adriano in 4. de contritione q. 3. quem sequitur Nauarrus in manuali cap. 1. num. 31. nempe quando instat populi necessitas aliqua grandis, cui absque orationis feruore prouideri non possit. licet cõtrarium afferat Vasquez de pænit. q. 86. a. 2. dub. 6. & alij hac ratione moti, quia ex nullo iure colligitur præceptum contritionis in tali euentu obligare, cum Deus exaudiat etiam peccatores cũ fide petentes. respondetur, quod Deus exaudit peccatores cum fide formata petentes, non autem cum fide informi, tales enim peccatores non exaudit, quia extra gratiam, & amicitiam suam existunt. est alius casus positus à Toleto lib. 3. cap. 5. num. 4. vt cum aliqua grandis tentatio paratur, cui existentem in peccato probabile est succumbere, tunc tenetur talis saltem de admisso conteri peccato. si autem quis quærat, an extet præceptum contritionis in die festo. Scotus. 3. sent. d. 17. docet, hominem teneri ad contritionem in die festo. Thomistæ asserunt oppositum, nempe non teneri hominem ad contritionem in die festo, quod multis argumentis probat Dominicus Sotus. 4. sentent. distinct. 17. qu. 2. artic. 6.

Ex supradictis remanet solutum etiam illud dubium, an homo teneatur conteri, & resipisci statim quod peccauit. soluitur, inquam, hoc dubium per hoc quod præceptum singulare pænitentiæ non est purè affirmatiuum, sed annexum habet etiam præceptum negatiuum obligans ad semper, vnde sicut homo tenetur conteri de peccato, dum illius recordatur, ita tenetur ad illius pænitentiam statim quod illud perpetrauit; huic rationi accedit auctoritas D. Thomæ, qui 2. 2. q. 62. a. 8. in corp. ait, quod nec per modicũ tempus licet in peccato immorari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere secundum illud Ecclesiast. 21. quasi à facie colubri fuge peccatum; & sicut homo tenetur statim restituere, ita tenebitur statim satisfacere Deo. D. Tomam sequitur Paludanus. quibus tamen se opponit Dominicus Sotus. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 6. quem sequitur Vasquez. q. 86. a. 2. dub. 5. Reginaldus lib. 5. num. 19. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 8. Zerola de pænitentia ca. 7. quæsit. 3. & quæsit. 24. Suarez. disp. 15. sect. 4. Coninchus disp. 3. dub. 2. Toletus lib. 3. cap. 5. num. 4. moti hac ratione, homines communiter non putant se reus nouæ culpæ, si pænitentiam non agant statim post peccatũ, neque solent se de huiusmodi peccato in confessione accusare, ergo &c. respondetur, per hoc latam esse viam, que ducit ad perditionem, & multi intrant per eam arctam autẽ esse viam, quæ ducit ad vitam, & pauci intrant per eam; viri cordati, & timoratæ conscientiæ nedum statim conteruntur de peccato commisso, sed statim etiam satagunt illud confiteri, nec benè est illis, vsquequo illud confessi fuerint; & prudenter agunt, ne meritum tot bonorum operum perdant; hoc est quod prædicant concionatores prima die quadragessimæ hortantes ad conuersionem peccatores, ne tot bonorum, quæ tẽpore quadragessimæ acturi sunt, perdant meritum; & profectò nisi de peccatis suis contenrantur, nullum meritum ad vitam æternam ordinatum reperiunt; hinc merito Nauarrus in manuali cap. 26. num. 36. saluberrimum dat cõsilium volentibus testamenta condere, vt scilicet dent operam, vt in statu gratiæ testamentum faciant, quia id facientes in statu peccati mortalis nullam gratiam, nec gloriam merentur iubendo suffragia, & alia pro animabus suis fieri, quamuis postea in statum gratiæ redeant, & in eo moriantur, sicut nec ad illum effectum alia opera in peccato mortali facta prosunt. c. nihil, de consecrat. dist. 5. immò nec ad satisfactionẽ pænarum, quas in purgatorio debent luere: & subiungit, consulendum esse testatori, vt quam probabilius existimat se in statu gratiæ, qui vt plurimum videtur esse post confessionem, & cõmunionem, testamentum antea factum cum omnibus in eo contentis ratificet. viri ergo cordati, & timoratæ conscientiæ, si ex aliqua passione in peccato perseuerent, nec statim de eo conterantur, solent se accusare, recensentes quantitatem temporis, quo in eo perseuerauerunt, per quod eorum peccatum augetur: quod si cæteri homines non præstent, ipsi viderint; arguit etiam Sotus vbi supra tali pacto, & primò nemo à Sacerdotibus vsum clauium habentibus tanquam denuò peccasse reprehenditur, si non, cum primum peccauit, resipiscat, & tamen si confestim resipiscere teneretur, singulis mométis peccatum eius impænitentiæ augeretur, quod esset peccatores plus nimio culpare, præceptumque adeò tanquam rigidum nimis, & durum denotare. respondetur, quod confessarij diligentes, & zelum Dei habentes arguunt peccatores de perse-

perseuerantia in peccato, interrogant eos de quantitate temporis, vt quantitatem peccati cognoscant, quia profectò grauitas peccati ex mora augetur, nec hoc est plus nimio culpare peccatores, & denotare præceptum nimis rigidũ, & durum, cum ad solam contritionem eos obliget. secundò arguit, præceptum singulare Pænitentiæ est affirmatiuum, velut, & confessionis; præcepta autem affirmatiua obligant pro statuto tempore, quare sicut non statim confiteri obligamur, ita nec conteri. respondetur dupliciter, & primò, quod statutum tempus contritionis est tempus immediatum post peccatum perpetratum, & ideò tunc tenetur conteri. secundò respondetur, quod præceptum Pænitentiæ habet annexum etiam præceptum negatiuũ, vt diximus, ideò obligabit ad semper, præceptum autem Confessionis est purè affirmatiuum, ideò pro suo tempore obligabit: posset tamen aliquis dicere, sicut præcepto affirmatiuo contritionis est annexum hoc negatiuum præceptum, quo præcipitur, ne homo sit extra gratiam Dei, & eius amicitiam, ita præceptum affirmatiuum Confessionis. respondebitur, non esse eandem rationem de præcepto affirmatiuo contritionis, & confessionis, quia enim nullus potest esse in gratia post peccatum nisi per contritionem, ideò præceptum affirmatiuum contritionis habet annexum præceptũ negatiuum supradictum; quia autem homo post peccatum potest esse in gratia Dei absque confessione, puta per contritionem, ideò præcepto de confessione affirmatiua nõ adiungitur negatiuum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docet Pitigianus. 2. p. dist. 14. q. 2. art. 6. concl. 4. Zerola de pænitentia cap. 7. quæsito. 24. Vasquez q. 86. a. 2. dub. 9. nu. 4. Reginaldus lib. 5. num. 24. Valentia disp. 7. q. 8. p. 4. assert. 3. Angles in 4. 1. p. q. de contritione, a. 5. diff. 4. Pesantius in additionibus ad 3. p. q. 10. disp. 3. & alij.

Quæritur, an contritio debeat durare, & quomodo.

11 Respondeo dicendum, quòd hæc est conditio in actibus Virtutũ inuenta, quod non potest in eis accipi superfluũ, & diminutũ, vt in 2. eth. probatur, vndè cum contritio quantum ad id, quod est displicentia quædam in appetitu rationis, sit actus pænitentiæ Virtutis, nunquam ibi potest esse superfluum, sicut nec quantum ad intensionem, ita nec quantum ad durationem, nisi secundum, quòd actus vnius Virtutis impedit actum alterius Virtutis magis necessarium pro tempore illo, vnde quantò magis homo continuè in actu huius displicentiæ esse potest, tanto melius est, dummodo actibus aliarum Virtutum vacet suo tempore secundum, quod oportet; sed passiones possunt habere superfluũ, & diminutum, & quantũ ad intensionem, & quantum ad durationem, & ideò sicut passio doloris, quam voluntas assumit, debet esse moderatè intensa, ita debet moderatè durare, ne si nimis duret, homo in desperationem, & pusillanimitatem, & huiusmodi vitia labatur. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 4. quæstiunc. 2. & 1. in corp. (3. p. q. 84. a. 8. in corp.

Duplici conclusione respódet D. Thomas huic quæsito iuxta duplex membrum distinctionis insinuatæ, quæ est, quod in contritione duo intelliguntur, nempè displicentia de peccato, quæ est actus voluntatis, & dolor, qui est in parte sensitiua. prima conclusio. in actu contritionis, vt dicit displicentiam quandam in appetitu rationis, nunquam potest esse superfluum, sicut nec quantum ad intensionem, ita nec quantum ad durationem, nisi secundum quod actus vnius Virtutis impedit actum alterius Virtutis magis necessarium pro tempore illo. probatur. hæc est conditio in actibus Virtutum inuenta, quod nõ potest in eis accipi superfluum, & diminutum, vt in 2. eth. probatur, sed contritio, vt dicit displicentiam in appetitu rationis est actus Pænitentiæ Virtutis ergo, non potest in ea accipi superfluum nec quantũ ad intensionem, nec quantum ad durationem, hinc elicitur corrolarium, quod quantò magis homo cõtinuè in actu huius displicentiæ esse potest, tantò melius est, dummodo actibus aliarum Virtutum vacet suo tempore, secundum quod oportet. secunda conclusio. sicut passio doloris, quam voluntas assumit, quæ passio potest habere superfluum, & diminutum, & quantum ad intensionem, & quantum ad durationem, debet esse moderatè intensa, ita debet moderatè durare. probatur, ne si nimis duret, homo in desperationem, & pusillanimitatem, & huiusmodi vitia labatur.

Istud quæsitum est de quantitate contritionis, tam ex parte intensionis, quam ex parte durationis, quantum scilicet debeat esse intensa, & quantum durare debeat contritio nostra, vt si vera; in quo quæsito varias inuenio opiniones, quarum prima est Adriani q. 2. de Pænitentia, & quodlibeto. 5. a. 3. qui tenet, contritionem sic esse debere maximam, vt totus ei conatus hominis apponatur, alioquin, inquit, licet esset de offensa Dei, & propter Deum, non esset sufficiens ad delendum peccatum. Scotus. 4. sent. d. 14. q. 2. licet non summum conatum exigat, ait tamẽ, quod detestatio, antequam fiat legitima contritio, certam habere debet tam gradualem intensionem, quam extensionem, & temporalem continuationem. Toletus lib 3. num. 5. ait, adhoc vt sit vera contritio, quæ peccatum commissum remittat, solum esse necessarium peccati detestationem supra omne detestabile, quamuis non sit tam intensa, quam potest esse detestatio alicuius mali temporalis, non enim, inquit, est determinata

nata intensio actus necessaria, immò contritio vna vel remissa potest delere quodcunque peccatum, quamuis grauissimum. Nauarrus in manuali cap. 1. nu. 7. ait, quod debet esse dolor maximus, non quod debeat esse ille dolor summè intensus, sed debet esse maximus quo ad æstimationem, idest quod malit tolerasse, tolerareque omnia mala mundi; quam peccasse læthaliter. Dominicus Sotus s. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 4. ait, quod dolor, qui est essentialis contritio, nempe peccatorum detestatio, maximus esse debet appretiatiuè omnium dolorum, & nõ esse necesse, quod sit maxima intensiuè. Petrus de Palude apud Siluestrum ait, quod Deus à nobis exigit, vt sit tãtus iste dolor, & ista displicentia, quanta debet esse couplacentia Dei, quem perdimus per peccatũ; idest vt peccatum super omnia displiceat, & quod iste dolor sit maximus in genere, idest respectu mali naturæ, & pænæ, itaquod tenetur quis, si vult esse contritus, esse paratus sustinere omnem pænam in generali, licet ad hanc, vel illam in particulari descendere non teneatur, puta dicendo, sustinerem ignem, præcipitium, gehennam, & huiusmodi, antequã peccarem mortaliter, immò stultè faceret, qui se, vel alium super huiusmodi sollicitaret, vnde subdit, quod à pænitente requirendum est, si pænitet; & si non sufficienter dolet, an hoc sibi displiceat, & vellet sufficienter dolere, & hoc inquit sufficit, quia, vt benè ait Siluester, tunc est attritus, & potest absolui. Siluester verb. contritio. q. 2. ait, quod cũ mors sit vltimum terribilium secundum phylosophum, qui potius vellet mori, quam Deum offendere mortaliter, est contritus. D. Thomas hoc in loco ait, quod in displicentia nunquam potest esse superfluum nec quantum ad intensionem, nec quantum ad durationem, vnde quantò magis homo continuè in actu huius displicentiæ esse potest, tantò melius est, dummodo actibus aliarum virtutum vacet suo tempore secũdum quod oportet. vt resoluamus hoc quæsitum, sciendum est, quod hic loquimur tantũ de dolore, qui est in voluntate, qui vocatur displicentia, iste enim est essentialiter contritio, & non loquimur de dolore sensibili, qui est effectus prioris, loquimur, inquam, iuxta sensum primæ conclusionis D. Thomæ. rursus obseruandum est, quod contritio dupliciter dicitur magna, scilicet intensiuè, & appretiatiuè; tunc dicitur magna intensiuè, quando magno conatu, & feruore elicitur; tunc dicitur contritio magna appretiatiuè, quando quis magis detestatur peccatum, quam aliquod aliud malum; tunc contritio dicitur maxima, quando quis detestatur peccata super omnia mala, & super omnia detestabilia, sicut amor Dei dicitur maximus appretiatiuè, quando quis magis æstimat Deum, quam quodlibet aliud bonum, vnde qui feruentius, & intensius amat Patrem, quam Deum, dicitur magis intensiuè amare Patrem, quam Deum; qui ergo ita amat Deum, vt illum æstimat magis, quam Patrem, dicitur Deum magis appretiatiuè amare, quam Patrem, licet magis intensiuè amet Patrem. tertiò aduertendum est, quod duo hic quæsiuimus, nẽpè intẽsionem cõtritionis, & eius duratione idest quanto tempore debeat durare. his explicatis respondeo quæsito triplici conclusione, quarum prima est. displicentia, & detestatio peccati debet esse maxima appretiatiuè, quod est dutu peccator sic detestari debet peccata, vt pro nulla re mundi amplius illa committat. hæc conclusio his suadetur rationibus, quarum prima est, sicut Deus est primum bonum super omnia diligibilia, ita peccatum est summum malum inter odibilia, ergo qua ratione Deus est summè diligendus, ità peccatum est summo odio habendum, vnde dicere, quod dolor de peccatis debet esse summus appretiatiuè, est dicere, quod peccatum super omne odibile est odiendum; deinde Mathei. 10. habetur, qui diligit Patrem, aut Matrem plusquã me, non est me dignus, & qui amat animam suã, perdet eam; sensus litteralis horum verborum est, quod ob nullam rem mundi, nec propter vitam fas est peccare; immò implicãtia est in adiecto dicendo, quod liceat peccare, si enim licet; iam non est peccatum, & si peccatum est, iam non est licitum. alijs etiam rationibus hanc cõclusionem probat Sotus loco citato. secunda conclusio contra Scotum, & Adrianum est. non est necesse, quod contritio sit maxima intensiuè, nec ad eam requiritur certa intensio, sed sufficit quælibet contritio, licet remissa, dummodo sit contritio. hæc conclusio habet tres partes, & probatur quo ad singulas, & primò probatur, quod non requiratur, quod sit maxima intensiuè, quia rarus, aut nullus est dolor, qui non possit magis intendi, vt omnes sentiunt, & experientia, quæ rerum est magistra. c. quam sit, de elect. lib. 6. docet; vlterius sicut amor erga Deum debẽt esse maximus nõ quo ad intensionem, sed quo ad firmitatem, inquit Nauarrus, idest quod dilectio Dei præferenda est omni dilectioni cuiuscunque creaturæ, nec propter vllum aliam est deferenda, ita detestatio peccati debet esse maxima, nõ tamen quoad intensionem: secunda pars probatur, nempè quod ad eam nõ requiratur certa intensio, nam, vt rectè discurrit Nauarrus loco citato, non est necesse, quod omnes alios dolores superare debeat, cum non sit opus, vt damnatorum dolorem excedat, qui omnes huius sæculi dolores facilè vincit. c. fi. de Pænit dist. 7. neque quod æquari debeat dolori acerrimo, quẽ Christus Saluator noster pro nobis miseris patiens tolerauit, qui fuit maior omni alio huius sæculi dolore secundum D. Thomam 3. p. q. 46. a. 6. immò nec debet esse intensior quolibet alio dolore cuiusuis mali: probatur tertia pars, nempè quod sufficiat quælibet contritio, licet remissa, dummodo sit contritio; primò auctoritate D. Thomæ, qui in 4. sent. d. 17. q. 2. a. 5. quæstiuncula. 3. in corp. ait, quod quantumcunque paruus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat omnem culpam delet. quid clarius? secundò quia sicut peccatum mortale tepidè, & paruo conatu commissum destruit gratiam, ita contritio quamuis remissa sufficienter inducit gratiam,

& peccatum destruit; confirmatur, quia quando adest contritio, gratia adest, sed in qualibet intensione saluatur ratio contritionis, ergo in qualibet cõtritione aderit gratia, sed minimus gratiæ grad' sufficit omnia peccata à recipiente expellere, & ipsum Dei amicum constituere, iusq; ad æternam gloriam habere, ergo quælibet contritio sufficiet ad delendum peccatum quodcunq; licet maximum. & hæc contritio licet in gradu remisso dicit detestationem peccati super omne odibile, & facit, vt contritus tali contritione potius velit tolerasse, & tolerare omnia mala mundi, quam peccasse mortaliter secundum D. Thomam quodlib. 1. a. 9. & taliter contritus potius vellet mori, quam Deum offendere mortaliter, & sic benè dicunt Siluester, Paludanus, Sotus, Nauarrus. Toletus. tertia conclusio. non est necesse, vt contritio duret longo tempore, sed sufficit, vt duret breui tempore. probatur, quia actus cõtritionis, licet fiat breui tempore, immò & in instanti, est vera contritio, cum sit detestatio peccati propter Deum, ergo non est necessaria prolixitas temporis; est tamen notandum maximè corrolarium D. Thomæ, quod quantò magis homo perseuerat in actu huius displicentiæ, tantò melius est: idem dic de intensione, quod quanto contritio erit intensior, tanto erit melior quia poterit esse tanta, quod totam auferat pœnam, & vt benè ait D. Thomas in littera, in actibus Virtutum non est aliquid superfluum, ita in hoc actu Virtutis contritionis, & Pænitentiæ non erit aliquid superfluum tam ex parte intensionis, quam ex parte durationis, quia quantò contritio erit intensior, & magis durabit, tantò maiorem gradum gratiæ causabit, & maiorẽ pænam auferet, & vt dicebam, potest esse tanta, quod totam auferet pænam; ad Delenda tamen peccata, ad causandam gratiam non requiritur maximus dolor de peccatis simpliciter, sed sufficit ille dolor, qui rationem contritionis constituat, quæ ratio contritionis saluatur etiam in qualibet intensione. scrupulus tamen poterit remordere lectorem circa hoc; si ad veram contritionem sufficit quælibet actus intensio, ergo homo poterit semper cognoscere se esse in gratia, consequens est falsum, ergo & antecedens, probatur sequela, quia potest cognoscere se habere contritionem, cum quælibet actus intensio sufficiat ad veram contritionem, falsitas consequentiæ probatur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 9. respondetur tamen negando consequentiam, ad probationem negatur assumptum, non enim quis certò potest cognoscere se habere veram contritionem, licet probabiliter possit opinari se illam habere: hæc pro explicatione primæ conclusionis D. Thomæ. secunda etiam conclusio verum asserit, nisi enim passio doloris, qui est in parte sensitiua, & quam voluntas assumit, sit moderata quo ad intensionem, & durationẽ, vitiosa dicetur contritio, quia inducit in desperationem, & pusillanimitatem, & huiusmodi, sed hæc sunt à nobis explicata in nostris Arcanis lib. 3. q. 33.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Suarez. tom. 4. disp. 4. sect. 4. Coninchus disp. 2. dub. 3. Reginaldus lib. 5. num. 30. & 32. Henriquez. lib. 4. ca. 27. Bellarminus lib. 2. de Pænitentia ca. 11. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 8. p. 5. Rodriquez. cap. 48. Pitigianus. 2. p. dist. 14. q. 3. a. 9. Pesantius in additionibus ad 3. p. q. 5. a. 5. disp. 6. Toletus lib. 3. cap. 5. num. 5. & alij.

Quæritur, an in contritione venialium includatur propositum non peccandi.

12 Respondeo dicendum, quòd quia peccata mortalia sunt in potestate nostra, vt vitentur non solum singula, sed etiam omnia; venialia autem, & si singula vitari possint, non tamen omnia, quod ex infirmitate naturæ contingit, & ideò in contritione de venialibus non exigitur propositum non peccandi venialiter, sicut in contritione de mortali exigebatur, sed quod displiceat ei, & peccatum præteritum, & infirmitas, qua ad peccatum veniale inclinatur, quamuis ab eo omnino immunis esse non possit. 4. sent. d. 16. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. ad 2. (3. part. quæst. 87. artic. 1. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. in contritione de venialibus nõ exigitur propositum non peccandi venialiter, sicut in contritione de mortali, sed quod displiceat ei peccatum præteritum, & infirmitas, qua ad peccatum veniale inclinatur, quamuis ab eo immunis esse non possit. probatur, quia peccata mortalia sunt in potestate nostra, vt vitentur nõ solum singula, sed etiam omnia; venialia autem, & si singula vitari possint, nõ tamen omnia, quod ex infirmitate naturæ contingit.

Quod in contritione de mortalibus exigatur propositum non peccandi in posterum, suadet ratio, quia nemo potest Deum super omnia diligere, aut dolere de offensa Dei summè dilecti, nisi propositum habeat vitandi peccata in futurũ sed per contritionem diligitur Deus super omnia, ergo in contritione includitur propositum vitandi peccata in futurum; istud autem propositum potest esse vel explicitum, vel inplicitum; consulendum tamen esset propositum actuale, & explicitum; sicut ad contritionem sufficit propositum confitendi siue explicitum, siue implicitum, consulendum tamen est explicitum, sicut consulenda est executio proposito; in contritione autem de venialibus non exigitur propositum non peccandi venialiter, quod intellige iuxta doctrinam traditam ab eodemmet Angelico Doctore. 3. p. q. 87. a. 1. ad 1. nempè quod non requiritur, qđ homo proponat abstinere ab omnib' simpliciter requiritur tñ, quod proponat abstinere à singulis, quia in sua potestate est vi-

tare

tare singula, licet non omnia; sicut de mortalibus, debet habere propositum abstinendi à singulis, & omnibus absolutè, quia in eius situm est libertate vitare singula, & omnia peccata mortalia; vlterius inquit D. Thomas, quod homo debet habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Valentia tom. 4. disp. 7. q. 8. p. 6. Bellarminus lib. 2. de Pænitentia ca. 6. & 7. Henriquez. lib. 4. c. 24. Suarez. de Pænitentia disp. 4. sect. 3. Reginaldus lib. 5. num. 8. Pesantius in additionibus ad 3. p. q. 4. a. 5. disp. 4. dub. 6. Pitigianus. 2. p. dist. 14. q. 3. a. 4. & alij.

Quæritur, an dolor de amissione Virtutis sit contritio.

13 Respondeo dicendum, quòd ille dolor, quo quis dolet de amissione Virtutis per peccatum non est essentialiter ipsa cõtritio, sed est principium eius, sicut cum aliquis mouetur ad dolendum de aliquo propter malum, quod indè consecutus est. 4. sentent. d. 17. q. 2. artic. 2. quæstiunc. 1. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ille dolor, quo quis dolet de amissione Virtutis per peccatum, non est essentialiter ipsa contritio, sed est principium eius. probatur à simili, sicut cum aliquis mouetur ad dolendum de aliquo propter malum, quod indè consecutus est.

Cum contritio non sit de pænis, sed tantum de culpis, vt iam iam videbimus cum S. Thoma, & priuatio Virtutis sit pæna quædam, consequẽter de amissione Virtutis non erit contritio, sed poterit esse dolor, vt docet D. Thomas. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. in corp.

De quibus sit Contritio. Cap. II.

1 *Contritio non potest esse de malo pænæ.*
2 *Contritio propriè non est de peccato originali.*
Potest tamen de eo esse displicentia quædam, & dolor.
3 *Contritio est de peccato actuali.*
4 *Contritio est de peccato præterito, non autem de futuro propriè.*
De peccato futuro est cautio.
5 *Contritio non est de alienis peccatis.*
§ *Debemus dolere de peccatis aliorum.*
6 *Quod nam sit principium, & terminus contritionis.*
Contritio quo ad principium est de singulis peccatis memoriæ occurrentibus.
Contritio quo ad terminum sufficit, quod sit vna de omnibus peccatis.
§ *Regulariter tenetur homo de singulis peccatis mortalibus singulas elicere detestationes, contritiones.*
In aliquo casu sufficit vnus actus contritionis pro omnibus læthalibus peccatis.
Requiritur singulorum peccatorum recogitatio, & non sufficit confusa.
7 *Peccatum dicitur oblitum dupliciter, scilicet totaliter, vel in parte.*
Homo tenetur cogitare ad inueniendum peccatum in specie, quod iam habet in genere; quia tenetur conteri de singulis peccatis mortalibus.
Si non potest inuenire peccatum in specie, doleat de peccato, sicut habet illud in notitia, & doleat de obliuione.
Si peccatum sit omnino oblitum, conteratur homo in generali de omni offensa Dei.
Cum peccatum memoriæ occurrit, tenetur homo de illo conteri.
§ *Ad remissionem peccatorum oblitorum quid sufficiat.*
8 *Peccatum veniale quomodò non dimittatur sine contritione.*
Contritio sumitur tripliciter, scilicet actu, habitu, & medio modo.
Ad remissionem peccati venialis non sufficit contritio habitualis.
Ad remissionem peccati venials non requiritur contritio actualis.
Ad remissionem peccati venialis sufficit contritio medio modo.
§ *Causæ remissionis peccatorum recensentur.*
Quare contritio dicatur causa quasi materialis remissionis peccatorum.
9 *Contritio est causa remissionis peccatorum, & vt est actus Virtutis, & vt est pars Sacramenti pænitentiæ.*
Contritio vt pars Sacramenti est causa instrumentalis remissionis peccatorum.
Contritio vt actus Virtutis est causa materialis remissionis peccatorum.
10 *Contritio in virtute Charitatis delet culpam, & pænam.*
11 *Dolor quantumcunq; paruus, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.*
12 *Actus contritionis Virtute gratiæ corrumpit habitum vitij generatum.*
13 *Per contritionem ante confessionem, & satisfactionem aperitur Paradisus.*
Non tamen obstaculum reatus est totaliter remotum ante confessionem, & satisfactionem.
14 *Intensio contritionis potest dupliciter attendi, & vtroque modo potest esse tanta, quod delebit culpam, & pænam.*
15 *Gaudium, quod pænitens habet de dolore, non minuit sed auget displicentiam.*
16 *Contritio, quod gaudium impediat, & quod non impediat.*

Quaritur, an de malo pœna possit esse contritio.

1 RESpondeo dicendum, quòd contritio importat, vt dictum est, alicuius, & duri, & integri comminutionem, hæc autem integritas, & duritia inuenitur in malo culpæ, quia voluntas, quæ ipsis est causa in eo, qui malè agit, in suis terminis stat, nec præcepto legis cędit, & ideò huius mali displicentia contritio per similitudinem dicitur. hæc autem similitudo non potest adaptari ad malum pœnæ, quia pœna simpliciter diminutionē dicit, & ideò de malis pœnæ potest esse dolor, sed non contritio. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cōclusione, quæ est. de malis pœnæ potest esse dolor, sed non contritio. probatur, contritio importat alicuius duri, & integri comminutionē, & hæc integritas, & duritia inuenitur in malo culpæ, quia voluntas, quæ ipsius est causa in eo, qui malè agit, in suis terminis stat, nec præcepto legis cædit, & ideò huius mali displicentia contritio per similitudinem dicitur, sed hæc similitudo non potest adaptari ad malum pœnæ ergo de malo pœnæ non est contritio. probatur minor, quia pœna simpliciter diminutionem dicit.

Non immoror circa hoc quæsitum, cum nihil occurrat scribendum.

Quaritur, an contritio sit de peccato originali.

2 Respondeo dicendum, quòd quia contritio, vt dictum est, est dolor respiciens, & quodammodo comminuens voluntatis duritiem, ideò de illis solis peccatis esse potest, quæ ex duritia nostræ voluntatis in nos proueniunt; & quia peccatum originale nō nostra voluntate inductum est, sed ex vitiatæ naturæ origine contractum, ideò de ipso non potest esse contritio propriè loquendo, sed displicentia potest esse de eo, vel dolor. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. in corp.

Huic quæsito respondet D. Thomas vnica cōclusione, quæ est. de peccato originali non potest esse contritio propriè, sed displicentia, vel dolor. probatur, contritio de illis solis peccatis esse potest, quæ ex duritia nostræ voluntatis in nos proueniunt, sed peccatum orignale non nostra voluntate inductum est, sed ex vitiate naturæ origine contractum, ergo de ipso non potest esse contritio. probatur maior, quia contrio est dolor respiciens, & quodammodo comminuens voluntatis duritiam.

Cū medicina debeat esse proportionata morbo, peccatum autem originale sine nostra voluntate contractum sit, consequenter purgari nō debet per contritionem, quæ est actus voluntatis.

Quaritur, an contritio sit de peccato actuali?

3 Respondeo dicendum, quòd omnis actualis culpa ex hoc contingit, quod voluntas nostra legi Dei non cedit, vel eam transgrediendo, vel omittendo, vel pręter eam agendo; & quia durum est, quod habet potentiam, vt non facilè patiatur, ideò in omni actuali peccato duritia quædam est voluntatis, & propter hoc, si debeat peccatum curari, oportet quod per contritionem comminuentem remittatur. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. quæstiunc. 3. in corp.

Huic quæsito respondet D. Thomas vnica conclusione, quæ est. contritio est de peccato actualí. probatur, durum est, quod habet potentiā, vt non facilè patiatur, sed in omni actuali peccato duritia quædam est voluntatis, ergo si debeat peccatum curari, oportet, quod per contritionem comminuentem remittatur. probatur minor, quia omnis actualis culpa ex hoc cōtingit, q; volūtas nostra legi Dei non cædit, vel eā trāsgrediēdo, vel omittendo, vel præter eā agendo.

Pertranseo ad alia, cum circa hoc nihil occurrat scribendum.

Quaritur, an contritio sit tantum de peccato præterito, an etiam de futuro.

4 Respondeo dicendum, quòd contritio secundum suam speciem respicit tantum peccatum præteritum, sed ex consequenti respicit futurum, secundum, quòd habet aliquid de actu prudentiæ adiunctum, & non tantum in illud futurum ratione propriæ speciei mouetur; & propter hoc ille, qui conteritur, dolet de peccato præterito, & cauet futurum, sed non dicitur esse contritus de peccato futuro, sed magis cautus, & hoc est pars prudentiæ contritioni adiuncta. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ille, qui conteritur, dolet de peccato præterito, & cauet futurum. probatur, quia contritio secundum suam speciem respicit tantum peccatum præteritum, sed ex consequēti respicit futurum, secundum quod habet aliquid de actu prudentiæ adiunctum. hinc elicit corrolarium, quod contritio non dicitur de peccato futuro, sed magis cautio.

Quomodo contritio respiciat futurum ex cōsequenti, secundum quod habet aliquid de actu pruden-

prudentiæ adiunctum, explicat D. Thomas hoc in loco dicens, quod in omnibus motoribus, & mobilibus ordinatis ita est, quod motor inferior habet motum proprium, & præter hoc sequitur in aliquo motum superioris motoris, sicut patet in motu Planetarum, qui præter motus proprios sequuntur etiam motum primi mobilis; ita omnium Virtutum moralium motor est ipsa prudẽtia, quæ dicitur Auriga Virtutum, & ideò quælibet Virtus moralis cum motu proprio habet aliquid de motu prudentiæ; & cum Pænitentia sit quædam Virtus moralis, quia est pars iustitiæ, cum actu proprio consequitur prudentiæ motũ, proprius autem actus eius est in obiectum proprium, quod est peccatum commissum, & ideò eius actus principalis, qui est contritio secundũ suam speciem respicit tantum peccatum præteritum, sed ex consequenti respicit futurum ratione scilicet Prudentiæ.

Quæritur, an contritio sit de alienis peccatis.

5 Respondeo dicendum, quòd quia illud idem conteritur, quod prius durum, & integrum fuit, patet quod contritio fit in eodem, in quo peccati duritia præcessit, & sic de alienis peccatis non est contritio. 4. sentent. d. 17. quæst. 2. a. 2. quæstiunc. 5. in corp.

Cõclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. cõtritio non est de alienis peccatis. probatur, illud idẽ conteritur, quod prius durum, & integrum fuit, ergo contritio pro peccato est in eodem, in quo peccati duritia præcessit, ergo contritio non est de alienis peccatis.

Hic aduerte, quod licet non oporteat conteri de peccatis alienis, debemus tamen dolere de peccatis aliorum, non enim omnis dolor de peccato est contritio.

Quæritur, an contritio sit de singulis peccatis.

6 Respondeo dicendum, quòd contritio potest dupliciter considerari, scilicet quãtum ad sui principium, & quantum ad terminum, & dico principium contritionis cogitationem, quia quis cogitat de peccato, & dolet, & si non dolore contritionis, saltem dolore attritionis; terminus autem contritionis est, quãdo dolor ille iam gratia informatur; quantum ergo ad principium contritionis oportet, quod sit de singulis peccatis, quæ quis in memoria habet, sed quantum ad terminum sufficit, quod sit vna communis de omnibus, tunc enim ille motus agit in vi omnium dispositionum præcedentiũ. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. quæstiunc. 6. in corp. (d. 21. in expositione litteræ) d. 16. q. 3. a. 2. quæstiunc. 5. ad 3.

Data distinctione respondet D. Thomas quæsito duplici conclusione. distinctio est, quod cõtritio potest dupliciter considerari, scilicet quãtum ad sui principium, & quantum ad terminũ, & omnia explicantur in textu. prima conclusio. quantum ad principium contritionis oportet, quod sit de singulis peccatis, quæ quis in memoria habet. secunda conclusio. quantum ad terminum sufficit, quod sit vna communis de omnibus. probatur, quia tunc ille motus agit in vi omnium dispositionum præcedentium.

Sensus cõclusionum D. Thomæ est, quod quãtum ad principium contritionis, scilicet dum quis cogitat de peccatis, sufficit dolere de singulis eo ordine, quo occurrunt, vt dolores iuxta numerum peccatorum numerentur, & licet illi dolores non sint prorsus contritiones, sufficit esse attritiones; attamen in termino, idest peracta indagine, quando contritio iam est formata per gratiam, sufficit, vt sit vna contritio de omnibus, tunc enim ille motus agit in vi dispositionum omnium præcedentium. Dominicus Sotus ad hunc locum nescit capere, quomodo dolores, qui habentur in principio, possint esse attritiones, nam, inquit, aut illæ, qui indaginẽ mente inchoat suorum peccatorum, in principio veram habuit contritionem in genere de offensa Dei, aut secus; si habuit, profectò omnes detestationes sigillatim factæ sunt veræ contritiones, si verò neque in principio, neque per illarum specialem verè detestatur peccatum, tanquam offensam Dei, certè illæ detestationes, quas appellant attritiones, non sunt necessariæ, sed satis est, quod homo mente recolat peccata omnia absq; vllius displicentia, dummodo non habeat conplacentiam, & peracta indagine vnica contritione hæc omnia detestetur. respondetur tamen, quod homo, dum recolit singula sua peccata, de singulis debet dolere, saltem dolore attritionis, quia dum confitetur postea illa peccata, de attrito fit contritus, & consequenter attritiones illæ necessariæ sunt. circa hoc quæsitũ est disensio inter Thomistas, an scilicet requirantur detestationes singulorum peccatorum mortalium, an sufficiat vna pro omnibus. Dominicus Sotus. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 3. docet, requiri contritiones singulas de singulis peccatis; quando tamen tempus non suppeteret, aut commoditas non datur, & opportunitas, sufficere tunc contritionem generalem peccatorum in confuso, quatenùs sunt offensa Dei; & satis esse ad habendam contritionem singulorum specialem, dum quis ad confessionem accedit, peccata singula per tempora, & loca indagare, quibus memoriæ oblatis, contritionẽ habere dicitur illorum. Caietanus. 3. p. q. 87. a. 1. & q. 1. de contritione super eandem. 3. p. & in summula verb. contritio ait, non requiri singulas peccatorum singulorum contritiones, sed sufficere vnam respectu omnium, siue consideretur cõtritio secundum seipsam, siue in ordine ad sacramentalem confessionem, vnde quando quæritur, an de singulis sigillatim requirantur singulæ cõtritiones, hoc,

hoc, inquit, dupliciter potest intelligi, primò quod cuilibet peccato sigillatim debeatur sua propria detestatio, itaquod quot fuerunt peccata, tot oporteat esse detestationes, & satisfactiones, & hunc sensum vocat ridiculum, cum nec etiam confitendo oporteat, tot esse actus in confitendo, quot sunt peccata, quia contingit vnico actu confiteri mille fornicationes; secundò quod quodlibet peccatum terminet detestationem, seu satisfactionem, itaquod sicut in Confessione, dum peccator dicit, peccaui millies in fornicatione, iste vnius actus confessionis terminatur actualiter ad singulas mille fornicationes, ita dum peccatori displicent mille fornicationes, actualiter detestatur singulas illo vno actu, & hoc verum est loquendo de peccatis actualiter memoriæ occurrentibus, quia si postea loquamur de peccatis oblitis, sicut ista non adsunt ante mente peccatoris, ita nec actualiter terminant detestationem, seu displicentiam, sed virtualiter dicetur displicentia terminari ad oblita, & hæc sufficit respectu oblitorum, vt ait D. Thomas. 3. p. q. 82. a. 1. in corp. & hic sensus, inquit, est verus. Caietanum sequitur Nauarrus in manuali cap. 1. num. 25. & multi recentiores tum ex familia Dominicana, quam ex extraneis. Victoria de Sacramentis. num. 116. Nugnus in additionibus. q. 2. a. 6. dub. 1. concl. 1. Valentia tom. 4. d. 7. q. 8. p. 6. Suarez. de Pænit. d. 4. sect. 6. Reginaldus lib. 5. num. 51. Nauarrus in manuali cap. 1. nu. 25. Pitigianus. 2. p. d. 14. q. 3. a. 7. Zerola de Pænit. c. 7. quæsit. 19. Henriquez. lib. 4. c. 7. Ego opinionem sequor Soti tanquam veram, ac valde conformem D. Thomæ, quam prius docuerunt Paludanus, Siluester verb. contritio. q. 3 & nunc docet Coninchus. d. 2. dub. 8. dico ego, quod regulariter tenetur homo de singulis peccatis mortalibus singulis elicere detestationis, contritiones; dixi regulariter, quia in aliquo casu sufficit vnus actus contritionis pro omnibus læthalibus peccatis, vt iam iam dicemus; hoc expresse docet D. Thomas. 3. p. q. 87. a. 1. vbi ait, exigitur autem ad remissionē peccati mortalis perfectior Pænitentia, vt scilicet homo actualiter peccatū mortale commissum detestetur, quantum in ipso est, vt scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, vt singula detestetur: nec valet responsio Caietani, quod loquatur D. Thomas de remissione plena, nempe quo ad culpam, & pænam, quia ibi D. Thomas facit differentiam inter pænitentiam requisitam ad remissionem peccatorum mortalium, & pænitentiam requisitam ad remissionem peccatorum venialium, & ait, quod ad remissionem peccatorum venialium sufficit virtualis displicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, & res Diuinas, vt quidquid sibi occurreret, quod cum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se comisisse, etiam si actu de illo non cogitaret, quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem, sed necesse est, vt singula peccata mortalia detestetur. vbi clarè patet tantùm loqui de simplici remissione peccatorum tam mortalium, quam venialium; vlterius idem D. Thomas. 4. sent. d. 17. q. 2 a. 2. quæstiuncula. 3. ad 2. ait, debet homo recogitare ad inueniendum peccatum, quia de quolibet mortali peccato homo tenetur specialiter conteri. quid clarius his verbis? opinio ergo hæc, vt opinio D. Thomæ talibus comprobatur rationibus, quarum prima desumitur ex Soto, contritio est motus conuersionis auersioni contrarius, sed per quodcunque peccatum mortale fit auersio, ergo quātum est de se, quodcunque suam exigit contritionem. secundò contritionem debemus metiri grauitati peccati, sed peccata ratione suorum obiectorum, & circūstantiarum aggrauantur magis, & minus, ergo quantum est ex natura rei debet esse singulorum singularis. tertiò per quodlibet peccatum mortale fit inimicus Dei, reus pænæ æternæ, ergo quodlibet exigit propriam, & singularem detestationem. argumenta Caietani soluuntur egregiè à Soto. ideò legantur in eo solutiones. nunc restat soluere argumenta recentiorum, Nauarrus sic arguit, si de singulis peccatis mortiferis singulæ pænitudines concipiendæ essent, ergo contingeret casus, in quo quis adhuc viuens priuaretur potentia consequendi salutem æternam contra expressa sacrorum canonum testimonia in cap. 1. de Pænit. d. 7. & c. ponderet. 50. d. & contra dictum Ezechielis. 33. in quacunque hora ingemuerit peccator &c. probatur sequela, nam qui mille peccata mortalia commisisset, & solam quartam horæ victurus ægrotaret, aut ad suspendium duceretur, non posset viuens concipere de illis mille peccatis mille pænitudines ad id necessarias, quo saluaretur. respondetur, quod iste casus cum exeat regulas communes, non obstabit doctrinæ D. Thomæ, quæ vera est regulariter; in illo ergo casu sufficiet vna omnium contritio. secundò arguunt alij recentiores, si pro singulis peccatis singulæ cōtritiones requirrerentur, sequeretur contritionem fieri ex multis actibus, & singulos actus contritionis non esse actus cōtritionis iustificantis hominem, nā habens multa peccata mortalia non iustificaretur per primum actum, sed post multos actus, hoc autem nō est admittendum, cum homo iustificetur, quotiescunque contritionis actum elicit iuxta dictū Ezechielis cap. 18. respondetur negando consequentiam, nam dum multiplicantur detestationes, & actus, ex illis non dicimus consurgere vnam contritionem, sed dicimus multiplicari contritiones: ad id autem, quod tangitur, quod singuli actus contritionis non essent actus contritionis iustificantis, quod tamen est falsum, cū homo iustificetur, quotiescunq; actum contritionis elicit, respondetur hoc verum esse in proposito de actu contritionis vltimato, in cuius signū si quis doleat, & conteratur de vno peccato, & de alio non doleat, non iustificabitur per primum actum, ad remissionem, siquidem mortalium peccatorum, inquit D. Thomas, requiritur,

vt singula detestentur peccata. ergo si singula nõ sint detestata, non erunt remissa, & consequenter iustificatio facta non fuit. arguunt etiam secundò. vna aspersione multi possunt baptizari, vna absolutionis forma possunt omnia, & singula peccata deleri, ergo etiam vno contritionis actu possunt omnia peccata remitti, consequenter ad delenda singula peccata non requiruntur singulæ contritiones. respondetur, quod sicut Baptismus per aspersionem non debet fieri regulariter, sed tantum in casu necessitatis, ita in casu necessitatis, in quo scilicet non suppeteret tẽpus eliciendi tot detestationes, quot sunt peccata, sufficeret vnus actus contritionis, hoc tamen non est verum regulariter. ad id, quod tangitur de vna forma absolutionis &c. respondetur, qđ in tantum vna forma absolutionis delet omnia, & singula peccata, inquantum supponit illa singula peccata detestata, & confessa. arguunt tertiò, nullum extat præceptum Diuinum, vel naturale obligans hominem ad singulas contritiones singulorum peccatorum, ergo &c. ad hoc argumentum respondetur, quod cum præceptum Diuinum exposcat à nobis conuersionem, quæ est detestatio offensæ Dei, ex natura rei sequitur, quod debet esse cuiuscunque offensæ detestatio, & hoc volunt illa verba Ioelis. 2. conuertimini ad me in toto corde vestro, scilicet quidquid auersionis in corde est, inde expungite, hoc etiã ex alijs sacræ scripturæ locis elicit Sotus, qui ẽt dicit, in iure naturæ, antequam esset instituta confessio, hanc singulorum peccatorum detestationem fuisse requisitam, & hanc docere lumen naturale. ex his dictis liquet, quod requiritur singulorum peccatorum recogitatio, & quod nõ sufficit confusa, quia si requiruntur singulæ detestationes singulorum peccatorum, ergo etiam requiretur singulorum peccatorum recogitatio, quia sine recogitatione singulorum peccatorum non possunt esse singulæ detestationes eorum, quod dico contra Pitigianum, qui p. 2. d. 14. q. 3. a. 7. docet sufficere confusam peccatorum recogitationem, & contra alios recentiores, qui hoc idem sentiunt his rationibus moti, quia Magdalena pluribus peccatorum vinculis tenebatur, & tamen tam breui temporis spatio singula peccata non potuit in mentem reuocare, & iustificata fuit. respondetur, credibile esse, quod Magdalena recogitauerit singula mortalia peccata sua, vt posset de eis singulas detestationes elicere, & hoc præstare potuit breui tempore, cum peccata sua fuerint in genere lasciuiæ, tantum, vt puto, & cum fuerit nobilis, non est putandum, quod ita fuerint frequentia peccata, vt de singulis non potuerit breui tempore memoriam habere. secũdò siquis posita confusa peccatorum cogitatione actum contritionis eliciat, statim iustificatur, dicitur enim Ezechiel. 8. in quacunque hora &c. ergo ad iustificationem sufficere videtur confusa peccatorum recogitatio. respondetur, quod sicut ad iustificationem requiruntur singulorum peccatorum mortalium singulæ detestationes, ita requiritur singulorum peccatorum recogitatio. tertiò quia nullum extat ius naturale, aut positiuum obligans hominem ad distinctam singulorum peccatorum recogitationem, ergo &c. respondetur, ad hoc teneri illo iure, quo tenetur ad singulas singulorum peccatorum detestationes

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Coninchus disp. 2. dub. 8.

Quæritur, an de peccato oblito teneatur quis conteri.

7 Respondeo dicendum, quòd quia obliuio de aliquo potest esse dupliciter, aut ita quod totaliter ex memoria exciderit, & tunc non potest aliquis inquirere illud, aut ita quod partim à memoria exciderit, & partim maneat, sicut cum recolo me aliquid audiuisse in generali, sed nescio quid in speciali, & tunc requiro in memoriam ad recognoscendũ; & secundum hoc etiam aliquod peccatum potest esse oblitum dupliciter, aut ita quod in generali in memoria maneat, sed non in speciali, & tunc debet homo recogitare ad inueniendum peccatum, quia de quolibet mortali peccato homo tenetur specialiter conteri, si autem inuenire non possit, sufficit de eo conteri secundum, quod in notitia tenetur, & debet homo non solum de peccato, sed de obliuione eius dolere, quæ ex negligentia contingit; si autem peccatum omnino à memoria excidit, tunc ex impotentia faciendi excusatur à debito, & sufficit generalis contritio de omni eo, in quo Deum offendit; sed quando impotentia tollitur, sicut cum ad memoriam peccatum reuocatur, tunc tenetur homo specialiter conteri, sicut etiam de paupere, qui non potest soluere, quod debet, excusatur, & tamen tenetur cum primò potuerit. 4. sent. d. 17. q. 2. a. 2. quæstiunc. 3. ad 2. (q. 28. de verit. a. 5. ad 3.

Data distinctione respondet quæsito quadruplici conclusione. distinctio est. obliuio de aliquo potest esse dupliciter, aut itaquod totaliter ex memoria exciderit, aut itaquod partim à memoria exciderit, & partim maneat; sic etiam peccatum potest dici dupliciter oblitum. prima conclusio. si peccatum ita est oblitum, quod in generali in memoria maneat, sed non in spetiali, tunc debet homo recogitare ad inueniendum peccatum. probatur, quia de quolibet peccato mortali homo tenetur spetialiter conteri. secunda conclusio. si inuenire non possit, sufficit de eo conteri secundum quod in notitia tenetur; & debet homo non solum de peccato, sed de obliuione eius dolere, quæ ex negligentia contingit.

tertia

tertia conclusio. si peccatum omninò è memoria excidit, tunc ex impotentia faciendi excusatur à debito, & sufficit generalis contritio de omni eo, in quo Deum offendit. quarta conclusio. quãdo impotentia tollitur, sicut cum ad memoriam peccatum reuocatur, tunc tenetur homo specialiter conteri. probatur à simili de paupere, qui non potest soluere, quod debet, tunc enim excusatur, & tamen tenetur, cum primum poterit.

Ex ratione, qua probat primam conclusionẽ, habemus mentem D. Thomæ esse, vt singulorum peccatorum mortalium singulæ adsint detestationes, vt in præcedenti quæsito vidimus. circa tertiam cõclusionem aduertè quod ad remissionem peccatorum oblitorum nedum sufficit generalis contritio de omni eo, quo Deum offendit, sed sufficit etiam virtualis displicentia, vt docet D. Thomas. 3. p. q. 87. ar. 1. in corp.

Quæritur, an contritio requiratur ad venialis peccati remissionem.

8 Respondeo dicendum, quòd peccatum veniale non dimittitur, quamdiu voluntas manet in illo, ipsam autem recedere voluntatem ab eo, quod prius volebat, est displicere ei, quod voluit, talis autem displicentia dolor contritionis dicitur, quando est gratia informata, & ideò peccatum veniale sine contritione non dimittitur; sed sciendum, quod cõtritio potest accipi tripliciter, vel actu, vel habitu, vel medio modo; habitu quidem contritio existens non sufficit ad peccati venialis dimissionẽ, quia tunc quicunque haberet pænitentiæ Virtutis habitum, cuius actus est quælibet contritio, consecutus esset peccati venialis dimissionem, & sic peccatum veniale cum gratia esse non posset; nec iterum requiritur, quod semper sit actualis contritio, quia sequeretur, quod peccatum, quod quis in memoria, vel in cognitione nõ habet, remitti non posset; & ideò dicendũ, quod requiritur contritio medio modo, qua scilicet, etsi actu peccatum non displiceat explicitè, displicet tamen implicitè, quia ex virtute actus, quẽ agit, sequeretur displicentia explicita peccati venialis, si cogitationẽ illud ferretur 4. sent. d. 16. a. 2. quæstiunc. 2. in corp. (3. p. q. 87. artic. 1. in corp.

Qradruplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. peccatum veniale, sine contritione non dimittitur. probatur, tunc remittitur peccatum veniale, quando voluntas recedit ab eo, sed recessus voluntatis à peccato veniali est displicentia de illo, quæ displicentia est contritio, ergo sine contritione non remittitur peccatum veniale. maior probatur, quia peccatum veniale non remmittitur, quãdiu volũtas manet in illo. subiũgit postea, cõtritionem posse accipi tripliciter, slz. habitu, vel actu, vel medio modo. secũda cõclusio. cõtritio in habitu non sufficit ad peccati venialis admissionem. probatur, quia tunc quicunq; haberet Pænitentiæ Virtutis habitũ, cuius actus est quælibet contritio, consecutus fuisset peccati venialis dimissionem, & sic peccatum veniale cũ gratia esse non posset. tertia conclusio. vt remittatur peccatum veniale, non requiritur, vt sit semper actualis contritio. probatur, quia sequeretur, quod peccatũ, quod quis in memoria, vel in cogitatione non habet, remitti non posset. quarta conclusio. ad remissionem peccati venialis requiritur contritio medio modo, qua scilicet etsi actu peccatum non displiceat explicitè, displicet tamen implicitè. probatur, quia ex virtute actus, quem agit, sequeretur displicentia explicita peccati venialis, si cogitatio ad illud ferretur.

Hæc doctrina D. Thomæ explicatur per aliam traditam ab ipso. 3. p. q. 87. a. 1. in corp. vbi habet, non requiri actualem displicentiam de peccato veniali, sicut requiritur de peccato mortali; nec sufficere habitualem displicentiam, quæ habetur per habitum Charitatis, vel Pænitentiæ Virtutis, quia sic Charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum, vnde sequitur, quod requiritur quædam virtualis displicẽtia, & hãc vocat D. Thomas in littera cõtritionem medio modo, quæ virtualis displicẽtia sic explicatur ab eodem S. Thoma; puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, & res Diuinas, vt quidquid sibi occurreret, quod cum ab hoc motu retardaret displiceret ei, & doloret se comisisse, etiam si actu de illo non cogitaret.

Quæritur, an contritio, vt est actus Virtutis, & vt pars Sacramenti pænitentiæ causet remissionem peccatorum, & quomodo.

9 Respondeo dicendum, quòd contritio potest dupliciter considerari, vel inquantum est pars Sacramenti, vel inquantum est actus Virtutis, & vtroq; modo est causa remissionis peccati, sed diuersimodè, quia inquantum est pars Sacramenti primò operatur ad remissionem peccati instrumẽtaliter, sicut, & de alijs Sacramẽtis patet; inquantum autem est actus Virtutis, sic est quasi causa materialis remissionis peccati eo quod dispositio, est quasi necessitans ad iustificationem, dispositio autem reducitur ad causam materialem, si accipiatur dispositio, quæ disponit materiam ad recipiendum, secus autem est de dispositione agentis ad agendum, quia il-

la

la reducitur ad genus causæ efficientis. 4. sent.d.17.q.2.a.5.quæstiunc.1.in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito vnica conclusione. distinctio est, quod contritio potest dupliciter considerari, vel in quantum est pars Sacramenti, vel in quantum est actus Virtutis. conclusio est. contritio vtroque modo est causa remissionis peccati, sed diuersimodè. probatur, quia inquantum est pars Sacramenti, primò operatur ad remissionē peccati instrumentaliter, sicut, & alia Sacramenta; inquantum autem est actus Virtutis, sic est causa quasi materialis remissionis peccati, eo quod dispositio est quasi necessitans ad iustificationē, dispositio autem reducitur ad causam materialem, si sit ad recipiendum.

Hic oportet notare causas remissionis peccati: causa ergo efficiens principalis remissionis peccati est Deus; causa efficiens instrumentalis sunt Sacramenta, & quia contritio est pars Sacramenti Pænitentiæ, ideò, vt pars Sacramenti causat remissionem peccatorum instrumentaliter; causa quasi materialis est eadē contritio, vt actus Virtutis est, dicitur autem causa quasi materialis, quia nō est causa materialis formaliter, sed modaliter, modus autē consistit in hoc, quod sicut dispositio in materia necessitat agentem ad causandam formam in materia, ita contritio est dispositio quasi necessitans ad iustificationē, pro cuius explicatione nota ex D. Thoma. 4. sent.d.17.q.1.a.2.quæstiuncula. 3. in corp. quod duplex est necessitas, scilicet necessitas absoluta, & necessitas ex supposi.ione; loquēdo de prima necessitate non est necessarium eum recipere gratiam, qui se sufficienter ad gratiā parat, quia neque per se necessitas, secundum quam Deum necess. est esse, neque necessitas coactionis, vel prohibitionis in his, quæ Diuina voluntate fiunt, cadere potest; loquendo autem de necessitate ex suppositione Diuini propositi, quo propter beneuolentiam suæ bonitatis voluit vnicuique eā communicare secundum suam capacitatem, necessarium est, quod cuilibet materiæ præparatæ forma infundatur; non tamen eodem modo est in omnibus formis, quia formæ, quæ mediantibus secundis agentibus in materiam producuntur, necessario in materia disposita recipiuntur necessitate conditionata in conparatione ad Deum, cuius virtute cætera agētia agunt, sed necessitate absoluta per conparationem ad agentia proxima, quæ necessitate naturæ agunt propter ordinem diuinitus eis impositum, quem præterire non possunt; formæ autem, quæ immediatè à Deo inducuntur, non habent necessitatem absolutam ex parte agentis, sed quādam ex parte recipientis, sicut in perfectionibus, quæ sunt de esse naturæ, vt est anima rationalis; formæ autem, quæ non debentur naturæ, sicut gratia, & Virtutes immediatè à Deo productæ nihil habent de necessitate absoluta, sed solum de necessitate ex suppositione Diuini ordinis.

Quæritur, quomodo contritio, quæ est finita possit delere culpam, quæ est infinita.

10 Respondeo dicendum, quòd dolor cōtritionis quamuis sit finitus quantum ad intensionem sicut etiam, & pæna peccato mortali debita finita est, habet tamen infinitam Virtutem ex Charitate, qua informatur, & secundum hoc potest valere ad deletionem culpæ, & pęnæ. 4. sent.d.17. q.2.a.5.quæstiunc.2.ad 3. (quæstiunc.3. ad 1. (d.1x.q.1.a.4.quæstiunc. 1.ad 1.

Quod dolor contritionis sit finitus quantum ad intensionē, sicut est finita pæna peccato mortali debita; quod tamen habeat virtutem infinitam ex Charitate, qua informatur, docet D. Thomas in hoc quæsito. ex quo elicit corrolarium, quod talis dolor potest valere ad deletionem culpæ, & pænæ.

Hæc doctrina est responsio ad tale argumentum. dolor contritionis est finitus, sed pro peccato mortali debetur pæna infinita, ergo nunquam potest esse tanta cōtritio, quod totam pænam deleat. responsio in forma est ad maiorem, quod dolor contritionis est finitus quoad intensionem, habet tamen quandam infinitatem, quatenus procedit à Charitate, quæ cum sit Virtus Superioris ordinis, induit quandam infinitatē etiam ipsa.

Quæritur, an qualibet contritio quantumcunque parua deleat omnem culpam.

11 Respondeo dicendum, quòd contritio vt sæpè dictum est, habet duplicem dolorem, vnum rationis, qui est displicentia peccati commissi, & potest esse adeò paruus, quod non sufficiet ad rationem contritionis, vt si minus displiceret ei peccatum, quam debeat displicere seperatio à fine, sicut etiam amor potest esse ita remissus, quod non sufficiet ad rationem Charitatis; alium dolorem habet in sensu, & paruitas huius non impedit rationem cōtritionis, quia non se habet essentialiter ad contritionem, sed quasi ex accidenti ei adiungitur, & iterum non est in potestate nostra. Sic ergo dicendum, quod quantumcunque paruus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet. 4. sent.d.17.q.2.a.5. quæst.3. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas quæsito triplici conclusione distinctio est, quod contritio habet duplicem dolorem, vnum rationis, qui est displicentia peccati commissi, alium in sensu. prima conclusio. dolor, qui est displicentia rationis, potest esse adeò paruus, quod non sufficiet

sufficiet ad rationem contritionis, vt si minus displiceret ei peccatum, quã debeat displicere separatio à fine. probatur à simili, sicut etiã amor potest esse ita remissus, quod non sufficiet ad rationem Charitatis. secunda conclusio. paruitas doloris in sensu non impedit rationem contritionis. probatur, quia non se habet essentialiter ad contritionem, sed quasi ex accidenti ei adiungitur; iterum non est in potestate nostra. tertia conclusio. quantumcunque sit paruus dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.

Hæc doctrina est explicata in superiori cap. 11. ideò ad eum locum lectorem remitto.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Reginaldus lib. 5. num. 30. Henriquez lib. 4. ca. 27. Bellarminus lib. de Pænit. cap. 11. Valentia tom. 4. d. 7. q. 8. p. 5. Rodriquez ca. 48. Pitiglanus. 2. p. dist. 14. q. 3. a. 9. Pesantius in additionibus ad 3. p. q. 5. a. 5. disp. 6. Coninchus disp. 2. dub. 3. & alij.

Quaritur, an vnus actus contritionis corrumpat habitum vitij, & cuius Virtutis.

12 Respondeo dicendum, quòd licet per actum vnum simpliciter non corrumpatur habitus aquisitus, tamen actus contritionis habet, quod corrumpat habitum vitij generatum, ex Virtute gratiæ; vndè in eo, qui habuit habitum intemperantiæ, cum conteritur, nõ remanet cum Virtute temperantiæ infusa habitus intemperantiæ in ratione habitus, sed in via corruptionis quasi dispositio quædam, dispositio autem non contrariatur habitui perfecto. q. vnica de Virtutibus in communi. a. 10. ad 16.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. licet per actum vnum simpliciter non corrũpatur habitus acquisitus, tamen actus contritionis habet, quod corrumpat habitum vitij generatum ex virtute gratiæ. explicatur exemplo de habitu intemperantiæ, vt in littera.

Non immoror circa hanc doctrinam, cum nil occurrat scribendum.

Quaritur, an contritio ante confessionem, & satisfactionem deleat omnem pœnam.

13 Respondeo dicendum, quòd ante votum confessionis Paradisus clausus erat peccanti mortaliter, quamuis postea per contritionem votum confessionis importantem apertus fit, etiam ante confessionẽ actualiter factam, non tamen obstaculum reatus est totaliter remotum ante confessionem, & satisfactionem. 4. senten. d. 17. q. 3. a. 5. quæstiunc. 3. ad 2.

Quod ante votum cõfessionis Paradisus clausus erat peccanti mortaliter, quamuis postea per contritionem votum confessionis importantem apertus sit, etiam ante confessionem actualiter factam, docet D. Thomas in hoc quæsito, qui tamen subiungit, quod obstaculum reatus non est totaliter remotum ante confessionem, & satisfactionem.

Pertransco, cum nil occurrat scribendum.

Quaritur, an contritio possit tantum intendi, quod deleat culpam, & pœnam.

14 Respondeo dicendum, quòd intensio contritionis potest attendi dupliciter vno modo ex parte charitatis, quæ displicentiam causat, & sic contingit tantum intendi charitatem in actu, quod contritio indè sequens merebitur non solum culpæ amotionem, sed etiam absolutionem ab omni pœna; alio modo ex parte doloris sensibilis, quam voluntas in contritione excitat, & quia illa pœna etiam quædam est, tantum potest intendi, quod sufficiat ad deletionem pœnæ, & culpæ, 4. sent. d. 17. q. 2. a. 5. quæstiunc. 2. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione. distinctio est, quod intensio contritionis potest attendi dupliciter, vno modo ex parte charitatis, quæ displicentiã causat, alio modo ex parte doloris sensibilis, quem voluntas in contritione excitat. prima conclusio. si intensio contritionis attendatur ex parte Charitatis, sic contingit tantum intendi Charitatem in actu, quod contritio indè sequẽs merebitur non solum culpæ amotionem, sed etiã absolutionem ab omni pœna. secunda conclusio. si intensio contritionis attendatur ex parte doloris sensibilis, quem voluntas in contritione excitat, potest tantum intendi, quod sufficiat ad deletionem pœnæ, & culpæ. probatur, quia illa pœna etiam quædam est.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 3. cap. 5. nu. 6.

Quaritur, an gaudium, quod quis habet de dolore, minuat displicentiam.

15 Respondeo dicendum, quòd gaudium illud, quod de dolore pænitens habet, non minuit displicentiam, quia ei non contrariatur, sed auget secundum, quod omnis operatio augetur per propriam delectationem, vt dicitur in 10. Eth. Sicut qui delectatur in addiscendo aliquam scientiam melius addiscit, & similiter, qui gaudet de displicentia vehementius displicentiã habet, sed benè potest esse, quod illud gaudium temperet dolorem, ex ratione in par-

partem sensitiuam resultante. 4.sent.d. 17. q.2.a.3.quæstiunc.1.ad 3.

Duplici cõclusione respondet D.Thomas huic quæsito,quarum prima est. gaudium illud, quod de dolore pænitens habet, non minuit displicẽtiam, sed auget. probatur, quod non minuat, quia ei non cõtrariatur: probatur, quod augeat, quia omnis operatio augetur per propriam delectationem, vt in 10.eth. dicitur; probatur etiã à simili de eo, qui delectatur in addiscendo. secunda conclusio. bene potest esse, quod illud gaudium temperet dolorem ex ratione in partẽ sensitiuam resultante.

Quod per delectationem augeatur operatio, experientia rerum magistra testatur, vbi enim homo delectatur, totus est.

Quæritur, quod gaudium impediatur per dolorem contritionis.

16 Respondeo dicendum, quòd gaudium sæculi impeditur per dolorem contritionis, non autem gaudium,quod de Deo est, quia habet ipsum dolorem pro materia. 4. sent.d.17.q.2.a.4.quæstiunc.2.ad 1.

Respondet D.Thomas huic quæsito vnica cõclusione, quæ est. gaudium sæculi impeditur per dolorem contritionis, non autem gaudium, quod de Deo est.probatur,quia habet ipsum dolorem pro materia.

Non immoror circa hoc quæsitum cum nil occurrat scribendum.

CONTVMAX.

1 *Contumax quis dicatur.*
Excomunicatio non fertur, nisi contra contumaces.
§ *Quid nominis contumacis explicatur.*
Quid rei contumacia declaratur.
Plures sunt modi contumaciæ, qui tamen reducuntur ad tres modos positos à D.Thoma.
Contumacia est peccatum mortale.
Arguuntur à Soto Iudices, qui nihil præcipere sciunt, nisi sub pæna excomunicationis.
2 *Contumax excomunicari potest lite non contestata.*
§ *Quid sit litis contestatio, & quid ad eam requiratur.*

Quæritur, an solum contra contumaces excomunicatio ferenda sit, & in quo consistat contumacia.

1 Respondeo dicendum, quòd quia excomunicatio est grauissima pænarum, pænæ autẽ medicinæ sunt secundum phylosophum. 2.eth. cap.3.Sapientis autem medici est à leuioribus medicinis incipere, & minus periculosis, ideò excomunicatio infligi non debet etiã pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, vel non veniendo ad iudicium, vel ante terminationem iuditij sine licentia recedendo,vel determinationi non parendo; tunc enim postquam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur, & excomunicari debet à iudice iam non habente, quid contra ipsum faciat amplius. 4.sent.d.18.q.2.a.1.quæstiunc.3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito,quæ est. excommunicatio infligi nõ debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, vel non veniendo ad iuditium, vel ante terminationem iudicij sine licentia recedendo, vel determinationi non parendo; tunc enim, postquam monitus fuit, si obedire contempserit, contumax reputatur, & excommunicari debet à Iudice iam non habente, quod contra ipsum faciat amplius. probatur, quia excommunicatio est grauissima pænarum.

Contumax, vt à quid nominis exordiamur, dicitur à contumeo, quod est super verbis, aut aspectu tumere: vel dicitur à contemnendo, & dicitur in ordine ad superiorem propriè, vt est Iudex. diffinitur autem sic contumacia,quod est inobedientia voluntaria, qua quis monitionem Iudicis implere contemnit, vt dicitur ex c. 2.de dolo. & contu.& propriè consistit in non faciendo voluntariè, quod facere quis scit se debere, vt elicitur ex littera. licet autem contumacia plures habeat modos, omnes tamen reducuntur ad tres illos positos à S. Thoma in littera, quorũ primus est in non comparendo ante Iudicem, q tribus contingit modis, quorum vnus est, siquis citatus præceptoriè venire contemnit; alius est, si malitiosè se occultet, ne citetur; alius est, si citationem impedit,ne feratur ad eum.secundus est, quando citatus comparet quidem, sed sine licentia contumaciter recedit ante finem causæ. tertius est, quando non vult parere sententiæ. in prædictis autem modis aliquando est contumacia expressa, vt si quis citatus dicat Iudici, vel eius ministro, se nolle comparere, aut si recedit sine licentia;aliquando autem est tacita,vt si quis citetur, & non venit, vel si latitet, aut impedit, ne citetur. contumax ergo debet excomunicari à Iudice, cum non habeat,quid contra ipsum faciat amplius, nisi vtendo pæna omnium grauissima; ex quo elicit Caietanus in summula verb. contumacia, quod contumacia est peccatũ mortale; ex quo elicio ego, quod excomunicari non debet quis nisi propter peccatum mortale, quod alio modo curari nequeat, sic expressè volunt verba D.Thomæ, quod etiam docuit Alensis. 4. p. summæ q.21.memb. 1. ar.3. S. Bonauentura.4. d. 18. Durandus. 4 d. 18. q. 3. Dominicus Sotus 4.sent.d. 22.q. 1.a.2.Martinus Ledesma. 2. p.q. 23.a.3.cum enim excomunicatio sit grauissima. pæna. cap.corripiantur.24.q. 3. pænæ autem sint medicinales per Arist.2.eth.vnde sicut procedi-

tur in medicina corporali, sic procedi debet in excomunicatione, in medicina autem corporali procedendum est inchoando à medicinis leuioribus, & minus periculosis, ne natura nimis grauetur, postremò antem efficacioribus medicinis, ergo etiam in excomunicatione ferenda prius vtendum erit admonitionibus, comminacionibus, tanquam leuioribus medicinis, quæ si non sufficiunt ad reuocandum hominem à malo, sed contumax, & rebellis contemnat, excomunicari debet à Iudice iam non habente quòd cōtra ipsum amplius faciat; itaque quousque homo esset incorrigibilis, non esset excomunicandus: hinc exagerat Dominicus Sotus loco citato cōcl. 4. contra illos Iudices, qui nihil prorsus præcipere sciunt, nisi sub pena excomunicationis, cū tamen excomunicatio sit pæna, quæ non nisi alijs multis tentatis remedijs, & pænis deberet adhiberi, propter quod auctoritas ipsa vilescit. Dominicus Sotus. 4. sent. d. 22. q. 1. a. 2. concl. 4. legatur, & Siluester verb. contumatia in principio, & quæst. 1.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Henriquez. lib. 13. de excom. cap. 17. parag. 4. Sairus lib. 1. thesauri cap. 9. nu. 32.

Quæritur, an contumax possit excomunicari lite non contestata.

2 Respondeo dicendum, quòd denuntiatione facta contumax potest excomunicari lite non contestata. 4. sent. d. 41. a. 5. quæstiunc. 3. in corp.

Quod denunciatione facta contumax excomunicari possit lite nō contestata, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Litis contestatio secundum Siluestrum verb. lis, & litigiosus, nil aliud est, quam negotij principalis hinc inde apud Iudicem facta narratio, & subsecuta responsio siue negando, siue concedendo. quod esse intelligendum asserit Siluester, Iudice interrogante, & oreteuus secundum Panormitanum, & quod hæc fiant animo procedendi in causa, & ea intentione directè, & à proposito, & tandem per principales personas, non per aduocatos, nisi fortè principales adeò fuerint indiscretæ, vt earum defectus de licentia Iudicis suppleatur per alios, vt in c. pastoralis. de Iudic. in causa ergo separationis matrimonij contracti inter affines, vel consanguineos, de qua loquitur D. Thomas in hoc loco, potest facta denunciatione contumax excomunicari lite non contestata, in huiusmodi enim causa multa alia obseruantur peculiaria, puta, q̄ idem potest esse accusator, & testis; & quod non iuratur de calumnia, cum sit quasi causa spiritualis; & quod consanguinei admittuntur ad testificandum &c. & hoc totum est vt peccatum impediatur, quod sic in tali coniunctione esse potest, vt rectè docet D. Thomas.

CONTVMELIA.

1 *Contumelia importat dehonorationem alicuius.*
Contumelia consistit in verbis.
Contumelia impropriè consistit in factis.
§ *Quid nominis contumeliæ explicatur.*
Exacta diffinitio contumeliæ datur, & explicatur.
De ratione contumeliæ est, vt fiat in præsentia patientis illam.
2 *Verba quomodo sint damnificatiua honoris.*
3 *Differentia inter contumeliam, conuitium, & improperium.*
Conuitium est repræsentare defectus culpæ, & pænæ.
Improperium est repræsentare defectum minorationis, & indigentiæ alicuius.
§ *Contumelia est species conuitij.*
Vnde dicatur conuitium.
Grauitas maior contumeliæ non est necessario confitenda.
Contumelia in Parentes non est necessario specificanda in confessione.
4 *Differentia inter susurrores, detractores, & contumeliosos.*
§ *Contumelia, & detractio se habent sicut excedens, & excessum.*
Quo ad modum excedit contumelia, exceditur detractio.
Quoad obiectum excedit detractio secundum se.
Simpliciter, & absolutè grauius est peccatum detractio, quam contumelia.
5 *Contumelia nascitur ex ira.*
6 *Superbia disponit ad contumeliam.*
7 *Contumelia nascitur ex stultitia, & quomodo.*
8 *Contumelia magis pertinet ad iram, quàm ad odiū.*
9 *Iracundus faciliter prorumpit in contumeliam.*
10 *Contumelia formaliter est peccatum mortale.*
Contumelia materialiter est peccatum veniale.
Contumelia dicta alicui causa correctionis aliquādo est sine peccato, aliquando cum peccato veniali, aliquando cum mortali.
§ *Contumeliæ iudicandæ sunt ex proferentis intentione.*
Contumelia alia formalis, alia materialis, & quid vtraque.
Contumelia formalis, quando sit peccatū veniale.
Tutius est, vt Prælati abstineant à verbis contumeliosis in subditos.
Contumelia exercetur per scripta.
Conficiens libellos famosos peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur, & quomodo facienda restitutio.
Pænæ variæ debitæ conficientibus libellos famosos.
Inuenientes libellos famosos, & non statim eos dilacerantes, grauissimè peccant, & eisdem pænis subduntur, quibus conficientes afficiuntur.
Conficientes libellos famosos contra statum Religionis in communi habentur tanquam suspecti de hæresi.
Conficientes libellos contra ordines Prædicatorum, & Minorum sunt excomunicati à solo Papa absoluibiles.
Non sunt excomunicati de iure communi, qui libellos

bellos famosos contra aliquem particularem conficerent, licet peccent grauissimè, & teneantur ad restitutionem.

11 *Dicere conuitium leue causa loci non est peccatum aliquando.*

Aliquando potest esse cum peccato.

12 *Quando contumelia sit peccatum veniale.*

13 *Causa correctionis licet contumeliam inferre.*

14 *Habenda est patientia in his, quæ contra nos dicuntur.*

Præcepta patientiæ in præparatione animi debent esse.

Tenetur homo habere animum paratum ad sustinendas contumelias, si fuerit expediens.

Necesse est aliquando repellere contumeliam, propter bonum contumeliam inferentis, & propter bonum multorum.

§ *An sit præceptum habere semper voluntatem ferendi iniurias inferendas pro loco, & tempore, vbi varia notatu digna referuntur.*

Non licet in contumeliantem iactare conuitium falsum.

Non licet obijcere contumeliam ei, qui prius intulit, animo vindicandi.

Licitum est verbis defendere proprium honorem, siue crimen, quod obijcitur, sit verum, siue falsum, etiam si crimen, quod ego obijcio sit occultum.

Quando contumelians iactat contumeliam falsam in aliquem, licet illi dicere ad sui defensionem, Mentiris.

Contumeliosus tenetur ad restitutionem honoris, quocunque modo fiat restitutio.

Si talis restitutio non potest fieri nisi petendo veniam, petenda est.

Petere veniam ab offenso signum est magnæ humilitatis.

15 *Prouidere debentes saluti aliorum tenentur repellere infamiam, & si hoc non faciunt, peccant.*

Alij possunt sustinere infamiam.

Omnes tenentur infamiam repellere subtrahendo occasionem.

Non omnes tenentur infamiam repellere linguas detrahentium conpescendo.

§ *Quo peccato peccent illi, quibus ex officio incumbit aliorum saluti prouidere, nisi infamiam repellant.*

16 *Quomodo sit reprimenda audacia conuitiantis.*

17 *Quando sit laudabile tacere in contumelijs, & quando illicitum.*

Quæritur, an contumelia consistat in verbis.

1 Respondeo dicendum, quòd contumelia importat dehonorationem alicuius, quod quidem contingit dupliciter; cum enim honor aliquā excellentiam consequatur, vno modo aliquis alium dehonorat, cum priuat eū excellentia propterquam habebat honorē, quod quidem fit per peccata factorum; alio modo cum aliquis id, quod est contra honorē alicuius deducit in notitiam eius, & aliorum, & hoc propriè pertinet ad contumeliam, quod quidem fit per aliqua signa, sed sicut Augustinus dicit in 2. de Doctrina Christiana, omnia signa Verbis comparata paucissima sunt, verba enim inter homines obtinuerunt principatum signandi quæcunq; animo concipiuntur, & ideò contumelia propriè loquendo in verbis consistit, vndè Isidorus dicit in lib. etimologiarum, quod contumeliosus dicitur aliquis, quia velox est, & tumet verbis iniuriæ, tamen quia etiam per facta aliqua significatur aliquid, quæ in hoc, quod significant, habent vim verborum significantium, indè est, quod contumelia extenso nomine etiam in factis dicitur, vnde Romanorum primo super illud contumeliosos, superbos dicit glosa, quod contumeliosi sunt, qui dictis, vel factis contumelias, & turpia inferunt 2. 2. q. 72. a. 1. in corp.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Contumelia propriè loquendo consistit in verbis. probatur, deductio illius, quod est contra honorem alicuius, in notitiam sui, vel aliorum, quod est contumelia, fit per aliqua signa, sed verba inter alia, quæ significant, obtinent significandi principatum, ergo contumelia consistit in verbis propriè loquendo. minor probatur ex D. Augustino; probatur etiam conclusio ex D. Isidoro, vt in littera. secunda conclusio. contumelia extenso nomine etiam in factis dicitur. probatur, quia factis aliqua significantur, quæ facta in hoc, quod significant, habent vim verborum significantium; probatur etiam auctoritate glos. ad tom. 1.

Contumelia, vt à quid nominis exordiamur, dicitur à contumeo, & est quasi tota verbis tumens ex spiritu superbiæ, sicut, & contumacia, vndè contumeliosus secundum Isidorum in lib. etimologiarum dicitur aliquis, quia velox est, & tumet verbis iniuriæ, & importat contumelia principaliter dehonorationem per verba, secundariò autē per facta. si autem spectemus quid rei contumeliæ, sic diffinitur à Caietano in summula verb. contumelia, quod contumelia est, qua quis malum culpæ iniuriosè in proximum coram profert. quam diffinitionem etiam sequitur Bannes de iustitia de iure. q. 72. a. 1 dicens, quod contumelia est iniuria, qua obijcitur peccatum aliquod coram, & in præsentia eius, cui irrogatur iniuria, vt cum dicitur alicui, Fur. Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure q. 9. a. 1. ait, quod contumelia est iniuria, quæ contra honorem alterius fit. Nauarrus in manuali cap. 18. num. 10. ait, quod cōtumelia est significatio alicuius mali culpæ facta præsenti. quæ diffinitiones in idē inci-

incidunt; attamen exactam diffinitionem contumeliæ ego ex verbis D. Thomæ elicio. contumelia est, qua quis alicui honorem aufert deducendo in notitiam eius, vel aliorum aliquid, ex quo ille dehonoratur. dicitur, contumelia est, qua idest est iniuria verbis facta, cõtumelia enim propriè consistit in verbis, vnde licet possit fieri etiam factis, hoc tamen non contingit, nisi in quantum facta vim verborum obtinẽt. dicitur, qua honorem aufert, quia per contumeliam manifestatur defectus aliquis excellentiæ in altero, per quam ei honor debebatur, & hoc fit, dum obijcitur crimen, vt dicendo, fur. dicitur, deducendo in notitiam eius, vel aliorum aliquod, ex quo ille dehonoratur, quia dehonoratio potest præcipuè tribus fieri modis, vt obseruat Caietanus ad hunc locum, primò proferendo huiusmodi verba in illius præsentia; secundo litteris, & libellis, itaut ad eius notitiam perueniat; tertiò in absentia, cũ ea tñ intentione, vt talia verba iniuriosa in eius notitiam deueniant. contumelia propriè consistit in verbis iniuriosis in præsentia eius prolatis, in præsentia, inquam, vel actuali, aut saltem secundũ proferentis intentionẽ, quia licet ille, cui infertur contumelia, non semper audiat verba contumeliosa, contumeliosus tamẽ ea intentione profert verba illa, vt ad eius aures, & notitiam perueniant, & sua intentio est in faciem tale conuitium iactare, vnde rectè Caietanus ad hunc locum, & Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 9. a. 1. docent, de ratione contumeliæ esse, vt fiat in præsentia patientis illam, aut actu ipso audiente, aut saltem proferentis intentione, itaut sit animus inferentis contumeliam, vt ad illius, qui contemnitur, notitiã deducatur, actus enim morales ex intẽtione speciem sumũt. D. Thomam sequitur Caietanus, Petrus Aragona hoc in loco, Siluester, Tabiena, Armilla, Angelus, verb. contumelia. Dominicus Bannes de iustitia, & iure. q. 72. a. 1. Circa secundam cõclusionem legatur Caietanus ad hunc locum.

Ex loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Azorius. 3. p. lib. 13. c. 5. Salonius. 2. 2. q. 72. a. 1. Molina tract. 4. disp. 18. Sairus lib. 12. clauis regiæ cap. 4 nu. 2. Toletus lib. 5. cap. 9. num. 3. Valentia tom. 3. d. 5. q. 16. p. 1 Sebastianus medius de peccatis. c. tit. 4. q. 18.

Quæritur, quomodo verba possint inferre nocumentum honori alicuius.

2 Respondeo dicendum, quòd verba secundum sui essentiam, idest in qantum sunt quidam soni audibiles nullum nocumentum alteri inferunt, nisi fortè grauãdo auditum, puta cum aliquis nimis altè loquitur; inquantum verò sunt signa repræsentantia aliquid in notitia aliorum, sic possunt damna multa inferre, interquæ vnum est, quod homo damnificatur quãtum ad detrimentum honoris sui, vel reuerentiæ sibi ab alijs exhibendæ, & ideò maior est contumelia, si aliquis alicui defectum suum dicat coram multis; & tamen si sibi soli dicat, potest esse contumelia, inquantum ipse, qui loquitur iniustè contra reuerentiam audientis agit. 2. 2. q. 72. a. 1. ad 1.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. verba secundum sui essentiam nullum nocumentum alteri inferunt, nisi fortè grauando auditum. secunda conclusio. verba, inquantum sunt signa repræsentantia aliquid in notitia aliorum, possunt inferre multa damna, interquæ est detrimentum honoris sui, vel reuerentiæ ab alijs exhibendæ. hinc elicitur corrolarium, quod maior est contumelia, si aliquis alicui defectum suum dicat coram multis, attamen si dicat sibi soli, adhuc est contumelia, inquantum, qui loquitur, iniustè contra reuerentiam audientis agit.

Istæ duæ conclusiones sunt distinctio quædã, qua soluitur tale dubium, siue argumentum, cõtumelia infert nocumentum alicui, sed verba nullum nocumentum inferre videntur neque personæ, neque rebus, ergo contumelia non erit in verbis. respondetur, inquam, ad minorem, quod verba physicè sumpta nullum nocumentum inferunt, nisi grauando forsan auditum, vt patet in extollente vocem, qui auditum alterius lædit, verba tamen moraliter sumpta, & vt signa repræsentantia aliquid in notitia aliorum inferunt nocumentum, & si non personæ, & rebus, tamen honori, & æstimationi; & ita moraliter lædunt, quod vnum verbum contumeliosum plus nocet, quam gladius noceat percutientis, & talis læsio verborum maior reputatur iniuria, quam iniuria, quæ fit gladio.

Quæritur, in quo differunt contumelia, conuitium, improperium.

3 Respondeo dicendum, quòd conuitiũ, & improperium consistunt in verbis sicut & contumelia, quia per omnia hæc repræsentatur aliquis defectus alicuius in detrimentum honoris ipsius, huiusmodi autem defectus est triplex, scilicet defectus culpæ, qui repræsentatur per verba contumeliosa, & defectus generaliter culpæ, & pænæ, qui repræsentatur per conuitium, quia vitium consueuit dici non solum animæ, sed etiam corporis, vndè si quis alicui iniuriosè dicat eum esse cæcum, conuitium quidem dicit, sed non contumeliam; si quis autem dicat alteri, quod sit fur, non solum conuitium, sed etiam contumeliam infert, quandoq; verò repræsentat aliquis alicui defectum minorationis, siue indigentiæ, qui etiam derogat honori con-

ri consequenti quamcunq; excellentiam, & hoc fit per verbum improperij, quod propriè est, quando aliquis iniuriosè alteri ad memoriam reducit auxilium, quod contulit ei necessitatem patienti, vndè dicitur Eccl. 20. exigua dabit, & multa improperabit, quandoque tamen vnum istorum pro alio ponitur. 2.2.q.72.artic.1. ad 3.

Triplici cōclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Conuitium, & improperium, sicut & contumelia consistunt in verbis. probatur, quia per omnia hæc repræsentatur aliquis defectus alicuius in detrimentum honoris ipsius. secunda conclusio. conuitium, improperium, contumelia differunt in hoc, quod per contumeliosa verba repræsentatur defectus culpæ; per conuitium autem repræsentatur defectus generaliter culpæ, & pœnæ, per improperium autem, quod propriè est, quando aliquis iniuriosè alteri ad memoriam reducit auxilium, quod contulit in necessitatem patienti, vt habetur Ecclesiastici. 20. repræsentatur minorationis, siue indigentiæ defectus. probatur, siue explicatur exemplis, vt in littera. tertia conclusio. quandoque vnum istorum pro alio ponitur.

Ex hac littera habemus, contumeliam esse iniuriam de malo culpæ in præsentia factam, vt appellādo hæreticū aliquem; pro quo facit l. 1 ff. de iniur. cōuitium autem esse iniuriam de malo pœnæ, vel culpæ in præsentia factam, vt appellando aliquem furem, vel cæcum, vel stultum &c. l. si nō conuitij, C. de iniur. vndè contumelia erit species conuitij, & secundum aliquos conuitium dicitur quasi conuocium, quasi plurium coeuntes voces ad maledicta in vnum iactanda, sic Caietanus verb. conuitium in summula, sicut 4. Reg. de puerorum vociferatione legitur aduersus Eliseum inclamantium. Ascende Calue. Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure q. nona. a. 1. ait, conuitiari nil aliud esse, quam vitijs alterum cōspergere. Valla lib. 6. ait, conuitium dici à conuitando, quem enim conuitijs proscindimus, procul à nostro contubernio vitamus, quasi illū à nobis per contemptum abigentes. improperium autem esse exprobationem beneficij tempore necessitatis collati alicui: quæ tria sunt contraria honori, quia honor est exhibitio reuerentiæ in testimonium alicuius excellentiæ, maximè Virtutis secundum D. Thomam. p. 2. q. 2. art. 2. in corp. & 22. q. 63. a. 3. hinc patet, contumeliam, conuitium, improperium esse vnius speciei, quia conueniunt omnia ista tria in vna ratione formali auferendi honorem in præsentia, licet differāt secundum magis, & minus; magis autem, & minus non variant speciem, sic docet Caietanus. 22. q. 72. a. 1. Dominicus Sotus lib. 5. q. nona. ar. 1. qui tamen subiungit, quod potest tantum augeri grauitas contumeliæ, vt eius expressio de necessitate sit confessionis, vt si quem hereticum, aut proditorem, aut quid simile appellet, idipsum est in Confessione explicandum; idem docet Dominicus Bannes de iustitia, & iure. q. 72. a. 2. ego tamen puto, hanc grauitatem non esse necessario exprimendam, cum in confessione nō sint exprimenda nisi peccata, & circumstantiæ mutātes speciem, vt supra docuimus ex Concilio Tridentino, & sic soluitur argumentum Bannes aientis, esse confitendas circumstantias aggrauantes notabiliter; ex quo etiam patet, malè dixisse Molinam tract. 4. d. 21. quod contumelia illata Parentibus, vt potè habens specialem malitiam contrariam pietati Parentibus debitæ, sit necessariò exprimenda in Confessione quo ad hanc circonstantiam, puta est contumelia in Parentes, cum enim sit contumelia, nec transeat in aliam speciem, necessariò non erit confitenda. dicamus ergo, non esse necesse in confessione exprimere ipsas iniurias dicendo, appellaui adulterum, furem, stultum, illegitimum &c. sed sufficere dicere toties intuli iniuriam, siue contumeliam grauem proximo meo. circa tertiam cōclusionem obserua, quod vulgus est, quod vnum nomen accipit pro alio, vt obseruat Siluester verb. contumelia in principio; & profectò hæc nomina frequenter confunduntur, vt etiam notat Nauarrus in manuali ca. 18. n. 10.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Azorius. 3. p. lib. 23. cap. 5. dub. 1. Molina tract. 4 disp. 19. Emanuel sà verb. contumelia. num. 1. Reginaldus lib. 24. num. 102. Toletus lib. 5. cap. 9. num. 3. & alij.

Quæritur, quæ sit differentia inter contumeliosos, susurrones, & detractores.

4 Respondeo dicendum, quòd susurrones sunt, qui occultè susurrant in auribus hominum ad seminandum inter eos discordias. Eccl. 18. susurro, & bilinguis maledictus in populo, multos enim turbauit pacem habentes; detractores sunt, qui detrahunt famæ alicuius occultè, idest eo ignorante malè dicentes de eo. Eccl. 10. si mordeat serpens in silentio nihil eo minus habet, qui occultè detrahit; contumeliosi sunt, qui scilicet mala in faciem inferunt. Lectio 8. cap. 1. ad Romanos.

In hoc quæsito intēdit S. Thomas ponere differentiam inter susurrores, detractatores, contumeliosos, quæ in tribus explicatur conclusionibus, quarum prima est. susurrones sunt, qui occultè susurrant in auribus hominum ad seminandum inter eos discordias. probatur ex Eccl. 18. secunda conclusio. detractores sunt, qui detrahunt famæ alicuius occultè, idest eo ignorante malè dicentes de eo. probatur ex Eccl. 10. tertia conclusio. contumeliosi sunt, qui scilicet mala infaciem inferunt.

Pro huius litteræ explicatione obserua, contumeliam, & detractionem primò, & perse differre ex obiecto, quia contumelia est iniuria, quæ

fit

fit contra honorem alterius, detractio verò est famæ læsio, honor autem, & fama differunt, nã honor est reuerentia alicui exhibita propter aliquam excellentiam, præcipuè propter virtutẽ; fama autem, vt habetur in glo. c. vestra. de cohabit. Cleric. & mulier. est illæsæ dignitatis status vita, & moribus comprobatus, vel si velimus eũ diffinire cum Theologis, ac phylosophis dicemus, famam esse claram illam notitiam, quam alij de nobis habent, vndè potest esse honor absque fama, & è conuerso, nam exhibetur honor magnati propter sanguinis excellentiam, cuius tamen morum sinistra habetur æstimatio; è conuerso etiam priuati viri esse solent in angulis latitantes, honoribus priuati, quorum tamen vitæ clara habetur opinio. Quodnam autem grauius sit peccatum, detractio, an contumelia, dissensio est inter Sotum, & Bannes, nam Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 10. a. 2. ait contumeliam per se loquendo esse grauius peccatum detractione; Sotum sequitur Azorius 3. p. lib. 13. c. 6. dub. 3. Rebellus lib. 4. de restit. q. 1. Dominic. Bannes de iustitia, & iure. q. 72. a. 1. docet, contumeliam, & detractionem se habere sicut excedens, & excessum; quantum ad modum excedit contumelia, & exceditur detractio, quantũ ad obiectum excedit secundum se detractio; simpliciter tamen, & absolutè loquendo grauius peccatum est detractio, quam contumelia; probatur, quod contumelia excedat quantum ad modum detractionem, nam contumelia est læsio honoris, detractio verò est læsio famæ, sed læsio honoris per se fit per apertam violentiam, læsio autem famæ per se fit occultè, & secretè. ergo peiorem modum habet contumelia, quam detractio, cum iniurijs inferendis grauior modus sit violentia, quam fraus, & dolus, vlterius maior contemptus est in contumelia, quam in detractione, ergo contumelia est peior quo ad modũ detractione: secunda pars probatur, nempe quod ex parte obiecti detractio sit peior contumelia, quia detractio versatur circa famam, contumelia autem circa honorem, sed fama est nobilius bonum honore, ergo &c. tertia pars quod scilicet absolutè loquendo sit grauius peccatum detractio, quam contumelia, probatur, quia per contumeliam aufertur honor, per detractionem autem aufertur fama, & consequenter maius bonum aufertur per detractionem, quam per contumeliam, & consequenter maius damnum infertur proximo per detractionem, quam per contumeliam, & consequenter maius, & grauius peccatum simpliciter est detractio, quam contumelia, Bannes sequor etiam ego, nec obstat auctoritas D. Thomæ. 2. 2. q. 73. a. 3. ad 2. vbi ait, contumeliam esse grauius peccatũ detractione, sed respondetur D. Thomam loqui de contumelia, & detractione quo ad modum, quia statim subiungit, inquantum habet maiorem contemptum proximi. arguunt recentiores etiam hoc modo, contumelia est grauius peccatum ratione maioris inuoluntarij, cum fiat in præsentia, & læsus scienter, & inuitus patitur iniuriam, quæ sibi in præsentia infertur, detractio autem est minus graue ratione minoris inuoluntarij, cum fiat in absentia, & læsus inscienter, nec ita inuoluntariè patiatur iniuriam, sicut patitur in contumelia. respondetur, hæc se tenere ex parte modi. susurratio autem licet conueniat in materia cum detractione, quia vtraque malum de proximo occultè dicit, differunt tamẽ in fine, quia detractor intendit denigrare famam proximi, susurro autem intendit amicitiam separare, & cõsequenter susurratio etiam differt à contumelia, vt patet; hinc sequitur susurrationem esse grauius peccatum detractione, & contumelia, quia amicitia, quæ aufertur per susurrationem, maius bonum est, quam fama, & honor, quæ auferuntur per detractionem, & cõtumeliam D. Thomas 2. 2. q. 74. artic. 2.

Quaritur, à quo nascatur contumelia?

5 Respondeo dicendum, quòd Gregorius 31. moralium dicit, quod ex ira oriuntur contumeliæ, cum enim vnum peccatum possit ex diuersis oriri, ex illo tamen dicitur principalius habere originem, ex quo frequentius procedere consueuit propter propinquitatem ad finem ipsius; contumelia autem magnam habet propinquitatem ad finem iræ, qui est vindicta nulla enim vindicta est irato magis in promptu quam inferre contumeliam alteri, & ideò contumelia maximè oritur ex ira. 2. 2. q. 72. a. 4. in corp. (q. 158. a. 7. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cõclusione, quæ est. contumelia maximè oritur ex ira, probatur primò auctoritate D. Gregorij. 31. moralium. secundò probatur ratione tali, quando vnum vitium possit ex diuersis oriri, ex illo tamen principalius dicitur habere originem, ex quo frequentius procedere consueuit propter propinquitatem ad finem eius, sed contumelia habet magnam propinquitatem ad finem iræ, qui est vindicta, ergo contumelia maximè oritur ex ira, probatur minor, quia nulla vindicta est irato magis in promptu, quam inferre contumeliam alteri,

Quod contumelia maximè oriatur ex ira, patet ex nominis etimologia, dicitur enim contumelia à tumendo per quamdam animi iracundiam, vt docet D. Isidorus lib. 10. etimolog. cap. 3. siue nomen contumeliæ dicitur a contemnendo, vt dicit Vulpianus l. 1. ff. de iniurijs. qui autem contemnit alium, facilè in contumelias prorumpit.

Quaritur, an superbia disponat ad contumeliam.

6 Respondeo dicendum, quòd contumelia non ordinatur ad finem superbiæ, qui est celsitudo, & ideò non directè contumelia

lia oritur ex superbia; disponit tamen superbia ad contumeliam, in quantum illi, qui se superiores existimant facilius alios contemnunt, & iniurias eis irrogant, facilius enim irascuntur, vt potè reputãtes indignum quidquid contra eorum voluntatem agitur. 2.2.q.72.a.4.ad 1.

Duplici cõclusioné respondet D.Thomas huic quæsito, quarum prima est. contumelia directè non oritur ex superbia. probatur, quia contumelia non ordinatur ad finem superbiæ, qui est celsitudo. secunda conclusio. superbia disponit ad contumeliam, inquantum illi, qui se superiores existimant, alios facilius contemnunt, & iniurias eis irrogant. probatur, quia facilius irascuntur, vt potè reputantes indignum quidquid cõtra eorum voluntatem agitur.

Iam diximus, contumeliam dici à contemnendo secundum Vulpianum, qui autem tanquã superbus alterum contemnit, facilè contumelius euomit, & alias iniurias irrogat, vndè prouerb. 10. dicitur, vbi superbia, ibi contumeliæ, vndè contumelia etiam ex superbia oritur, & si non directè, saltem dispositiuè.

Quæritur, an contumelia oriatur ex stultitia, & quomodo.

7 Respondeo dicendum, quòd secundum phylosophum in 7.eth. ira non perfectè audit rationem, & sic iratus patitur rationis defectum, in quo conuenit cum stultitia, & propter hoc ex stultitia oritur contumelia secundum affinitatem, quam habet cum ira. 2. 2. q. 72. a. 4. ad 2.

Conclusione vnica respõdet D. Thomas huic quæsito, quæ est. contumelia oritur ex stultitia secundum affinitatem, quam habet cum ira. probatur, quia stultitia importat rationis defectũ, hunc etiam rationis defectum patitur iratus, ira enim secundum Arist. 2. eth. non perfectè audit rationem, ergo sicut contumelia oritur ex ira, ita ex stultitia.

Non immoror circa hoc quæsitum, quia nihil scribendum occurrit.

Quæritur, an contumelia pertineat magis ad iram, quam ad odium.

8 Respondeo dicendum, quòd secundum phylosophum in 2. Reth. iratus intendit manifestam offensam, quod nõ curat odiens, & ideò contumelia, quæ importat manifestam iniuriam, magis pertinet ad irã, quam ad odium. 2.2.q.72.a.4.ad 3.

D. Thomas respondet huic quæsito vnica conclusi one, quæ est. contumelia magis pertinet ad iram, quam ad odium. prabatur, quia Arist. 2. Reth. ait, quod iratus intendit manifestam offensam, quod non curat odiens, sed contumelia importat manifestam iniuriam, ergo contumelia magis pertinet ad iram, quam ad odium.

Circa hoc quæsitum nihil mihi occurrit scribendum, ideò pertranseo.

Quæritur, quisnam facilè prorumpat in verba contumeliosa.

9 Respondeo dicendum, quòd iracundus ex hoc, quod appetit vindictam, in verba contumeliosa prorumpit. p. 3. q. 72. a. 7. in corp.

Quod iracundus ex hoc quod appetit vindictam, in verba contumeliosa prorumpit, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Iam hæc doctrina supra est explicata.

Quæritur, an contumelia, seu conuitium sit peccatum mortale.

10 Respondeo dicendnm, quòd sicut supradictum est, verba inquantum sunt soni quidam non sunt in nocumentum aliorũ, sed inquantum significant aliquid: quæ quidẽ significatio ex interiori affectu procedit, & ideò in peccatis verborum maximè considerandum videtur ex quo affectu aliquis verba proferat, cum ergo conuitium, seu contumelia de sui ratione importet quandam dehonorationem, si intentio proferentis adhoc feratur, vt aliquis per verba, quæ profert, honorem alterius auferat, hoc propriè, & per se est dicere conuitium, vel contumeliam, & hoc est peccatum mortale non minus, quam furtum, vel rapina, non enim homo minus amat suum honorem, quam rem possessã; si verò aliquis verbum conuitij, vel contumeliæ alteri dixerit non tamen animo dehonorandi, sed fortè propter correctionem, vel propter aliquid huiusmodi, non dicit conuitium, vel contumeliam formaliter, & per se, sed per accidens, & materialiter, inquantum scilicet dicit id, quòd potest esse conuitium, vel contumelia, vnde hoc potest esse quandoque peccatum veniale, quandoque autem absque omni peccato, in quo tamen necessaria est discretio, vt moderatè homo talibus verbis vtatur, quia potest esse ita graue conuitium, quòd per incautelam prolatũ aufferret honorem eius, contra quem profertur, & tunc posset homo peccare mortaliter, etiam si non intenderet dehonorationem alterius, sicut etiam si aliquis in cautè alium ex ludo percutiens grauiter

ter lædat, culpa non caret. 2.2.q. 72. a. 2. in corp. (Lectio 5. cap. 15. primæ ad Corinthios.

Sextuplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. in peccatis verborum maximè considerandum videtur, ex quo affectu aliquis verba profert. probatur, quia peccata verborum non consistunt in sono, sed in significatione, cum sic tantum noceant, sed significatio ex interiori affectu procedit, ergo &c. secunda conclusio. si intentio proferentis ad hoc feratur, vt per verba, quæ profert, honorem alterius auferat, hoc propriè, & per se est dicere conuitium, vel contumeliam, & est peccatū mortale non minus, quam furtum, vel rapina. probatur, quia homo non minus amat suum honorem, quam rem possessam. tertia conclusio. si aliquis verbum conuitij, vel contumeliæ alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, sed fortè propter correctionem, vel propter aliquid huiusmodi, non dicit conuitium, vel contumeliam formaliter, & per se, sed per accidens, & materialiter. hæc de se patet. quarta conclusio. conuitium, vel contumelia per accidens sumpta potest esse peccatum veniale, quandoq; autem absque omni peccato. quinta conclusio. in conuitio per accidens, & contumelia est necessaria discretio, vt moderatè scilicet talibus verbis vtatur. probatur, quia potest esse ita graue conuitiū per incautelam prolatum, quod auferat honorem eius, contra quem profertur; sexta conclusio. quando conuitium per accidens est ita graue, vel contumelia, vt auferat honorem eius, contra quem profertur, tunc potest esse peccatū mortale, etiam si homo talia proferens non intenderet dehonorationem alterius. probatur à simili, quia etiam si aliquis incautè alium ex ludo percutiens grauiter lædat, culpa non caret.

Aliqua sunt notanda, vt explicentur supradicta, & circa primam conclusionem obserua, quod contumeliæ iudicādæ sunt ex intentione proferentis eas, sicut omnia alia peccata, quæ in verbis consistunt. ratio est, quia verba non habent rationem contumeliç quatenus soni quidam, sed quatenus sunt significantia, & exprimentia conceptum, virtutem autem significandi habent ex intentione proferentis, & consequenter ex intentione iudicandæ sunt. Pro explicatione aliarum conclusionum obseruandum est, quod contumelia, alia est formalis, & alia materialis; contumelia formalis est, quando quis ex intentione dehonorandi profert verba contumeliosa; contumelia autem materialis est, quādo quis ea verba profert non cum animo dehonorandi; contumelia formalis est peccatum mortale, quia est contra Charitatem, quia per eam intenditur ablatio honoris proximi, qui pluris æstimatur, quā res exterior, immò quam vita propria quia multi in defensionem honoris suam prodigūt vitam: ista tamen contumelia potest esse tantum peccatum veniale vel ratione inperfectionis consēsus, puta quia proferunt ex impetu iræ, & in primis motibus, in quibus plenus non adest rationis consensus; vel ratione exilitatis rei, quia scilicet proximus in minimo læditur, sicut, & furtum rei minimæ est peccatum veniale; erit etiam peccatum veniale ratione personæ, quæ contumelias euomit, eo quod parua, aut nulla fides eorum verbis adhiberi soleat, vt accidit in mulierculis, pueris, & vilibus homuncionibus, qui se inuicem contumelijs afficiunt dicendo quidquid in buccam venerit, licet possit esse peccatum mortale ex intentione nocendi, & dehonorandi notabiliter; contumelia materialis est peccatum veniale, limita tamen hoc, nisi sit ignorantia, vel negligentia crassa, vel nisi notabiliter lædatur proximus, quia tunc esset peccatum mortale, rediret enim actus in naturam suæ famæ, dum non curauit cauere à tanta proximi læsione: potest etiam aliquando esse sine peccato, vt dicitur in littera, puta quando contumelia dicitur ioco, sicut solet accidere inter amicos aliquando; & quando proferuntur causa correctionis, vt cum Prælatus corripiendo subditos, & Pater, siue Mater obiurgando filios in aliquas prorumpunt contumelias; hic enim non adest intentio lædendi honorem obiurgatorum, sed potius reducendi ipsos ad meliorem frugem sic postulante officio eorum, sic D. Paulus vocauit Galatos insensatos, & Christus discipulos stultos, & tardos, Lucæ vlt. attamen, quia hoc rarò fieri solet absque peccato, ideò D. Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 30. D. Thomas 2. 2. q. 72. a. ad 2. Caietanus ibi, & Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 9. a. 2. rectè admonent, tutius esse abstinere ab huiusmodi verbis, cum exindè potius subditi exacerbari; quam emendari soleant, & multò leuius verbera, quā huiusmodi verba suscipiant, patiantur, vt quotidiana experientia testatur: quocirca D. Thomas in littera docet, necessariam esse discretionem, vt moderatè homo talibus verbis vtatur. Conclusiones D. Thomæ sic explicatas sequuntur Caietanus hoc in loco, & in summula verb. contumelia, Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 9. a. 2. Dominicus Bannes de iustitia, & iure. q. 72. a. 2. Salon. ibidem, Sairus lib. 12. clauis regiæ cap. 4. Nauarrus in manuali cap. 18. num. 10. Armilla verb. contumelia. num. 2. Siluester eodem verb. q. 2. Tabiena eodem verb. q. 2.

Quia autem diximus contumeliæ peccatū incurri, nedum quando aliquis dehonoratur per verba, sed etiam per scripta, puta per libellos famosos, ideò aliqua dicenda sunt de huiusmodi libellis. Caietanus in summula verb. libellus famosus obseruat, huiusmodi libellos aliquando pertinere ad detractionem, aliquando verò ad contumeliam; si enim auctoris nomen occultatur, ad detractionem pertinent, si verò seipsum nominat, ad contumeliæ nequitiam spectant; conficiens ergo libellos famosos contra aliquem peccat mortaliter, & ad restitutionem famæ tenetur conficiendo alium libellum contrarium, vel canendo Palinodiam publicè, aut alio modo ad

ad arbitrium prudentis, & docti Confessarij, qui pro ratione facti, personæ, & aliarum circunstantiarum id consulere debet, quod conuenientius fieri possit; & vltra peccatum conficiens huiusmodi libellos pæna capitis puniri iubetur per leges ciuiles. L. I. Cod. de libellis famosis. per leges autem Ecclesiasticas verberatur, 5.q.1. can. qui in alterius, si libelli sint contra personas sæculares; si autem sint contra personas Ecclesiasticas excommunicari iubetur. 5. q. 1. can. quidam maligni, & can. si quis inuent. nisi illis famam, & honorem restituat, quas pænas innouauit Pius quintus in Bulla incipiente, Romani Pōtificis, & Gregorius tertius decimus in Bulla incipiente, ea est rerum. inuenientes etiam huiusmodi libellos infamatorios peccant grauissimè, nisi eos statim dilacerauerint, aut igni tradiderint, & haberi debent tanquam cooperatores, & eisdem pænis subijciuntur, vt in can. qui in alterius, & can. si quis famosum. 5. qu. 1. & habetur ex prædictis Bullis Pij quinti, & Gregorij tertij decimi: vlterius qui libellos famosos contra statum Religionis in communi conficit, suspectus est de hæresi: qui etiam conficit libellos famosos siue in vulgari siue in latino sermone, nec non cantilenas, vel Rithmas contra Religionē D.Dominici, & Religionem Minorum inspeciali, excomunicatus est, a qua non potest absolui, nisi personaliter se præsentet Sedi Apostolicæ, vt constat per constitutionem Alexandri Papæ quarti, quæ incipit, exalto, & per aliam incipientem, non sine multa, quas referunt Siluester verb. excom. 7. & excom. 48. Caietanus verb. excom. cap. 81. Bartolomeus Medina lib. 1. instruct. confess. cap. 14. parag. 35. Petrus Nauarrus lib. 2. de restitutione. p. 2. dub. 16. Salon. 2.2.q. 72. a. 2. quia autem istud priuilegium est concessum in fauorē harū duarū Religionū in cōmuni, ideò si quis conficeret libellum famosum contra aliquem Religiosum in particulari, non esset excommunicatus, licet grauissimè peccet, & ad restitutionē teneatur, vt loco citato ait Bartolomeus Medina, & post eum Salon. locis citatis, qui tamen Salon. ait, cum etiam esse excommunicatum, qui libellos famosos contra summū Pontificem, vel aliquem Cardinalem, vel aliquā ex quatuor Religionibus mendicantibus conficit per extrauagantem Pij quinti incipientem Romani Pontificis prouidentia, quæ tamen nec verbum de excomunicatione facit, licet multas alias pænas inferat contra conficientes huiusmodi libellos famosos, vndè puto non esse excomunicatos, licet grauissimè peccent. Mediolani verò in Concilio Prouinc. 5. tit. pri. Sancita est excomunicatio ipsofacto incurrendæ cōtra edētes scribentes, & diuulgantes libellos famosos.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent. Valentia tom. 3. distinct. 5. quæst. 16. par. 2. Rebellus lib. 4. de restit. quæst. 1. Reginaldus lib. 24. num. 100. Molina tractatu. 4. disput. 18.

Quæritur, quando conuitium sit, vel non sit cum peccato.

11 Respondeo dicendum, quòd ad Eutropeliam pertinet dicere aliquod leue conuitium non ad dehonorationem, vel ad contristationem eius, in quem dicitur, sed magis causa delectationis, & ioci, & hoc potest esse sine peccato, si debitæ circonstantiæ obseruentur; si verò aliquis nō reformidet contristare eum, in quem profertur huiusmodi iocosum conuitiū, dummodo alijs risum excitet, hoc est vitiosū. 2.2.q.72.a.2.ad 1.

Duplici conclusione respōdet D.Thomas huic quæsito, quarum prima est. ad Eutropeliam pertinet dicere aliquod leue conuitium, non ad dehonorationem, vel ad contristationem eius, in quem dicitur, sed magis causa delectationis, & ioci, & hoc potest esse sine peccato, si debitæ circonstantiæ obseruentur. secunda conclusio. si aliquis non reformidet contristare eum, in quem profertur huiusmodi iocosum conuitium, dummodo alijs risum prouocat, hoc est vitiosum.

Iam diximus peccata verborum pensanda esse ex intentione, si ergo dicatur aliquod leue conuitium non cum intentione dehonorandi aliquē, sed causa recreationis, ioci, & aliæ obseruentur circonstantiæ, puta loci, & temporis &c. non erit peccatum, sed actus Virtutis vocatæ Eutropelia, quæ est circa delectationes ludorum, & ad quam pertinet benè conuitiari, vt habet Arist. 4. eth. cap. 8. si autem dicatur leue conuitium in aliquē, de quo conuitiatus contristatur, & conuitians non reformidat contristare, dummodo alijs risum prouocet, est vitiosum; erit tamen veniale peccatum, vt elicimus ex Caietano verb. conuitium.

Quæritur, quando conuitium, seu contumelia sit peccatum veniale.

12 Respondeo dicendum, quòd cum peccatum conuitij, vel contumeliæ ex animo dicentis dependeat, potest contingere, quòd sit peccatum veniale, si sit leue conuitium, non multum hominem dehonestans, & proferatur ex aliqua animi leuitate, vel ex leui ira absque firmo proposito aliquem dehonestandi, puta cum aliquis intendit aliquem per huiusmodi verbum leuiter contristare 2. 2. q. 72. a. 2. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. potest contingere, quod conuitium, vel contumelia sit tantum peccatum veniale, vt si sit leue conuitium, non multum hominem dehonestans, & proferatur ex aliqua animi leuitate, vel ex leui ira absque firmo proposito aliquem dehonestandi, puta cum aliquis in-

tendit aliquem per huiusmodi verbum leuiter contristare. probatur, quia peccatum conuitij, vel contumeliæ ex animo dicentis dependet.

Iam supra diximus nomina contumeliæ, & cõuitij confundi, & vnum accipi pro alio aliquando, sicut in proposito. conuitium ergo, siue contumelia erit peccatũ veniale primò ratione paruitatis rei, exilitas enim materiæ excusat à mortali in quolibet genere; secundò ex imperfectione consensus, sicut cum profertur ex animi leuitate, & ex impetu iræ. tertiò cum infertur absq; intentione aliquem dehonorandi, & dicitur cõuitium materiale. modo supra exposito: si etiã velimus loqui de conuitio, vt distinguitur à contumelia tanquam genus à spetie, dicendum erit, quod conuitium formale, quod scilicet fit animo dehonorandi aliquem, erit peccatum mortale, quia per illud intenditur læsio honoris alterius; attamen conuitium materiale est tantum peccatum veniale, nisi actus redeat in naturam suæ formæ, vt diximus de contumelia, sicut etiam est peccatum veniale ex imperfectione consensus, & ex leuitate materiæ.

Quaritur, an liceat dicere aliquod verbum conuitiosum causa correctionis.

13 Respondeo dicendum, quòd sicut licitum est aliquem verberare, vel in rebus damnificare causa disciplinæ, ita etiam, & causa disciplinæ potest aliquis alteri, quẽ debet corrigere, verbum aliquod conuitiosum dicere, & hoc modo Dominus discipulos vocauit stultos; & Apostolus Galatas insensatos, tamen sicut dicit Augustinus in lib. sermone Domini in monte, raro, & ex magna necessitate obiurgationes sunt adhibendæ, in quibus non nobis, sed vt Domino inseruiatur, instemus. 2. 2. q.72.a.2.ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. causa disciplinæ potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod conuitiosum dicere. probatur primò à simili, quia sicut licitum est aliquem verberare, vel in rebus damnificare causa disciplinæ, ita etiam causa disciplinæ quis poterit alicui, quem debet corrigere, verbum aliquod conuitiosum dicere; secundo exemplo Christi, qui discipulos vocauit stultos; & Pauli, qui Galatas vocauit insensatos. elicit tamen corrolarium ex D. Augustino, vt in littera.

Iam supradiximus Prælatos, superiores quosque posse causa correctionis in subditos aliquod conuitium iactare, sicut Parentes in filios, attamen melius est ab his abstinere, quia experientia teste potius huiusmodi conuitia subditos, siue filios exasperant, quam corrigant, sicut eadẽ experientia teste subditi, & filij magis flectuntur lenitate, quam asperitate verborum, & huiusmodi conuitia potius ex passione, quam ex Charitate procedunt; Prælati insuper, sicut & Parẽtes plus amari debent appetere, quam timeri, vt ait D. Augustinus in regula.

Quæritur, an aliquis debeat contumelias sibi illatas sustinere.

14 Respondeo dicendum, quòd sicut patientia necessaria est in his, quæ contra nos fiunt, ita etiam in his, quæ contra nos dicuntur; præcepta autem patientiæ in his, quę contra nos fiunt sunt in præparatione animi habenda, sicut Augustinus in lib. de serm. Domini in monte exponit illud præceptum Domini, si quis percusserit te in vna maxilla, præbe ei, & aliam, vt scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit, nõ tamen semper tenetur facere actu, quia nec ipse Dominus hoc fecit, sed cum suscepisset alapam dixit, quid me cædis? vt habetur Ioannis 18. & ideò etiam circa verba contumeliosa, quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum, tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit, quandoq; tamen oportet, vt contumeliam illatam repellamus maximè propter duo, primo quidem propter bonum eius, qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet secundum illud prouerb. 27. responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur, alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas, vndè Gregorius dicit super Ezech. hom. nona, hi, quorum vita in exemplo immitationis est posita, debent, si possunt detrahentium sibi verba conpescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes benè viuere contemnant. 2. 2. q.72.a.3. in corp. (q.73.a.4. ad 1. opusculo 19. cap. 16.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Præcepta patientiæ in his, quæ contra nos fiunt, sunt in præparatione animi habenda, vt scilicet huiusmodi facere actualiter homo paratus sit, si hoc opus fuerit. probatur ex D. Augustino, vt in littera. secunda conclusio. præcepta patientiæ in his, quæ contra nos fiunt, homo non semper tenetur facere actu. probatur, quia nec Christus hoc fecit, vt patet de alapa, Ioannis. 18. tertia conclusio. circa verba contumeliosa, quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum, quod supra in conclusionibus duabus diximus. probatur, quia

tenemur habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expedierit. quarta conclusio. quandoque oportet, vt contumeliam illatam repellamus, maximè propter duo, probatur, quia bonum inferentis contumeliam, & multorum dictat hoc, vt auctoritas prouerb. & D. Gregorij docet.

Circa tertiam conclusionem mouetur dubiũ, an sit præceptum habere semper voluntatem, idest actuale propositum ferendi iniurias inferẽdas pro loco, & tempore. cui dubio respondet Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. nona. ar. 3. id non esse necessarium, nam præcepta affirmatiua sicut non obligant pro quolibet tempore ad cætera opera, ita nec ad intimos actus, sed satis est non habere propositum contrarium, & in genere proposuisse seruare mandata, nam illic virtute includitur hoc propositum: Ista præparatio animi, de qua loquitur prima conclusio, non solum est necessaria ad non vindicandas auctoritate priuata iniurias illatas, hoc enim clarum est nemini licere, sed etiam ad non resistendum vbi resistentia sine graui scandalo, & ingenti detrimento fieri nequit, & vbi ratio fidei, & boni publici sustinentiam exegerit, vt idem Sotus loco citato docet; ex quo elicitur corrolarium, quod qui habet animum paratum de quacunque iniuria se vindicaturum, & cuicunque absque delectu obstiturum, in statu est perditionis; circa quartam conclusionem dubium est, an sit licitum pro vna contumelia suscepta aliam iactare in contumeliantem, puta aliquis vocat me furem, ego appello eum sicarium, vnus notat meum genus, ego suos mores. circa quod dubiũ dico quattuor, quorum primum est, non licet in contumeliantem iactare conuitium falsum, quia esset mendacium perniciosum. sic habet Dominicus Sotus loco citato, licet Dominicus Bannes de iustitia, & iure asserat oppositum esse probabilius, idest quod tunc non sit mendacium perniciosum, nec peccatum mortale, sed tantum veniale. verum de hoc aliàs dicetur. secundum est, non licet obijcere contumeliam ei, qui prius intulit animo vindicandi, quia non licet alicui vindicare se propria auctoritate, & sicut non licet repercutere eum, qui prius percussit, ita nec iactare conuitium in eum, qui prius contumeliam intulit. tertium est, licitum est verbis defendere proprium honorem, siue crimen, quod obijcitur, sit verum siue falsum, etiam si crimen, quod ego obijcio, sit occultum. probatur, licet factis propriam tueri vitam, famam, honorem, etiamsi inde sequatur mors inuasoris, ergo etiam licet verbis defendere proprium honorem, etiam si inde sequatur dehonoratio alterius. ita Dominicus Bannes de iustitia, & iure. q. 72. a. 3. & hoc debet fieri non per modum vindictæ, sed per modũ defensæ vim vi repellendo, vt ait Dominicus Sotus de iustitia, & iure. q. nona. art. 3. quartum est, quando contumelians iactat contumeliam falsam in aliquem, licet illi dicere ad sui defensionem, Mentiris. probatur exemplo D. Bernardi, qui, cum sibi diceretur à quodam, quod esset hæreticus, respondisse fertur, Mentiris; hoc insinuare videtur Dominicus Sotus loco citato, quẽ sequitur Sairus lib. 12. clauis regiæ cap. 4. nu. 14. vbi in calce corporis articuli asserit licere alicui, vt dicat conuitianti, esse mendacem hominem, & in huius confirmationẽ patefaciat aliqua eius mendacia, vt in eo, quod alteri impingit, defringatur ei fides; quod idem est, ac dicere, Mentiris, immò aliquid plus denotat, quia dum voco illum mendacem hominem, illum noto tanquã habituatum, ac consuetudinarium mendacem, dum autem illi dico, Mentiris, illum mentitum fuisse in illo verbo, assero; licet autem apud aliquos hoc tanquam grauissima iniuria æstimetur, vt potius quodcunque aliud conuitium sustinere sint parati, quam hoc, & exindè oriantur dissensiones, rixæ, inimicitiæ capitales, verbera, mutilationes, homicidia, attamen in re non sic est, & proprium est hominum mundana potius, quam spiritualia sapere; probatur etiam ratione, quia iam supradiximus cum Bannes licere verbis proprium defendere honorem obijciendo crimen, etiam si indè sequatur dehonoratio alterius, sicut licet defendere vitam, famam, etiam si indè sequatur mors inuasoris, ergo multò magis licebit defendere honorem suum hoc verbo, Mentiris, etiamsi inde sequatur apprehensio dehonorationis in altero. Non licebit tamen vti hoc termino, quando contumelians verum obijcit crimen. mouet Caietanus ad hunc locum dubium, an contumelians teneatur petere veniam ab iniuriato, & respondet benè, quod contumeliosus ad nihil aliud tenetur quam ad restitutionem honoris, quia iniuria emendatur sufficienter per reductionem ad æqualitatem, quam facit restitutio, vndè quomodocunque ei restituit honorem, quem abstulit, vel reuerentiam exhibendo, vel aliter, satisfacit, nec ad aliud tenetur; quod expressit D. Augustinus in regula, dum ait, quicunque conuitio, vel maledicto aliquem læserit, meminerit satisfactione quam citius curare, quod fecit; quibus in verbis præcipit tantum satisfactionem, nõ autem modum satisfactionis: & verè satisfactio est in præcepto, non modus satisfactionis: quando tamen non posset aliter restitutionem facere, quam petendo veniam, petenda est. est tamen verum, quod petere veniam ab offenso signum est magnæ humilitatis, & perfectionis, & ideò inter Religiosos, in quibus abũdantior est iustitia, in vsu est petitio veniæ, in qua maxima est honoratio hominis.

Circa casus, in quibus tenetur homo repellere contumeliam, obserua, quod licet sit maximæ perfectionis æquo animo contumelias sustinere sibi illatas, patienter, & lætanter sufferre conuitia, attamen in duobus casibus homo tenetur cõtumeliam sibi illatam repellere, quorum primus est, quando hoc exigit bonum inferentis contumeliam, quando scilicet conuitiatus aduertit, quod ex eius resistentia reprimitur audacia, & insolentia euomentis verba iniuriosa, & tunc ita debet illi respondere, vt resipiscat de præterito, & caueat de futuro iuxta illud prouerb. 26. responde

ponde

ponde stulto iuxta iustitiam suam, ne sibi sapiens videatur; in hac re tamen maxima vtendum est prudentia, & vt cum Caietano ad hunc locum loquar, vnusquisq; debet seipsum ita exercere in Charitatis præceptis, vt sciat quando, & vbi oporteat vti vtroq; præcepto, responde stulto iuxta stultitiam suam ne sibi sapiens videatur; & ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris; & qui primò vti vult præcepto, attendat intra se, si ad hoc mouetur ex Charitate fraterna, quia malum proximi tolerare nō potest, vt scilicet se sapientem reputet, an mouetur potius, vt ipse respondens sapiens videatur, aut bonus, aut non malus, quia si non propter Charitatē respondet, frustra se excusat illa auctoritate; hoc idem docet D. Thomas infra. q. 16. secundus casus est, quando hoc exigit bonū multorum, quorum profectus per huiusmodi cōtumelias nobis illatas impediretur, si non responderemus, vndè quoties æstimamus nos vilius haberi ab alijs, aliosq; minus nostram doctrinam, monita, & famam habituros, si tacemus, huiusmodi detrahentibus respondere, & resistere tenemur. hinc discant Prælati, Concionatores, Doctores maximè resistere suæ doctrinæ impugnatoribus, & detrahentibus, quia si non resistant, vilescit eorum doctrina, non reputātur, nullius est profectus, quod in maximum cædit damnum Reipublicæ Christianæ.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Valentia tom.3.d.5.q.16.p.3.

Quæritur, an aliquis peccet infamiam non repellendo.

15 Respondeo dicendum, quòd vtrumque scilicet, & contemptus famæ, & appetitus potest esse laudabile, & vitiosum, fama enim non est necessaria homini propter seipsum, sed propter proximum ædificandum; appetere ergo famam propter proximum, Charitatis est, appetere verò propter seipsum, ad inanem gloriam pertinet; è conuerso contemptus famæ ratione sui ipsius, humilitatis est, ratione verò proximi, ignauia est, & crudelitas; illi ergo, quibus incumbit ex officio, vel statu perfectionis aliorum saluti prouidere, peccant, nisi infamiam propriam iuxta posse repellant; alij verò, quibus magis custodia suæ propriæ salutis imminet, possunt suæ humilitati prouidentes famam, vel infamiam contemnere; sed cum infamia dupliciter repellatur, scilicet occasionem subtrahendo, & linguas detrahentium cōpescendo, primò modo omnes tenentur infamiam vitare, alias sine scandalo actiuo transiri non posset, quod semper peccatum est, sed secundò modo non tenentur, nisi quatenus debet aliquis saluti proximorum prouidere. quodlibeto. 10.a. 13. in corp.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. illi, quibus incumbit ex officio, vel statu perfectionis aliorū saluti prouidere, peccant, nisi infamiam propriā iuxta posse repellant. probatur, quia contēptus famæ respectu aliorum ignauia est, & crudelitas. secunda conclusio. alij, quibus magis custodia suæ propriæ salutis imminet, possūtq; humilitati prouidentes famam, vel infamiam contemnere. probatur, quia contemptus famæ ratione sui ipsius humilitatis est. tertia conclusio omnes tenentur infamiam vitare occasionem subtrahendo. probatur, quia alias sine scandalo actiuo trāsiri non posset, quod semper est peccatum. quarta conclusio. vitare infamiam linguas detrahētium compescendo non tenentur, nisi quatenus debet aliquis saluti proximorum prouidere.

Ex prima conclusione addiscant Concionatores, Patres spirituales, quibus ex officio incumbit aliorum saluti prouidere, pro suo posse infamiam repellere, quod si non præstiterint, peccant peccato ignauiæ, & crudelitatis; solliciti enim esse debent in sua tuenda fama, eaq; conseruanda, ne doctrina, quam prædicant, suo fructu priuetur, dum ei fides non adhibetur, quia Doctor non reputatur, vilipenditur; ex quo sequitur etiam crudelitas in proximum, dum ei per doctrinam, cui nulla fides adhibetur, ex hoc, quod doctor contemnitur, non prouidetur; meminerint dicti D. Gregorij super Ezechiel. hom. 9. hi, quorū vita in exemplo immitationis est posita, debent, si possunt detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes benè viuere contemnunt.

Quæritur, quomodo sit reprimenda audacia contumeliantis.

16 Respondeo dicendum, quòd audaciam conuitiantis cōtumeliosi debet aliquis moderatè reprimere, scilicet propter officium Charitatis, non propter cupiditatem priuati honoris, vndè dicitur prouerb. 26. ne respondeas stulto iuxta stultitam suam, ne ei similis efficiaris. 2.2.q.72.a.3.ad 1.

Quod audatia contumeliantis sit reprimenda moderatè, scilicet propter officium Charitatis, non propter cupiditatem priuati honoris, docet D. Thomas in hoc quæsito, secundum illud prouerb. 26. ne respondeas &c.

Ex hac doctrina habemus, motiuum repellendi contumeliā, siue conuitium, debere esse Charitatem, non cupiditatem priuati honoris, vt scilicet non liuore vindictæ, sed Charitatis zelo erga proximum repellumus contumelias.

Quæri-

Quæritur, quando sit laudabile tacere in contumelijs.

17 Respondeo dicendum, quòd si aliquis hoc animo taceret, vt tacendo contumeliantem ad iracundiam prouocaret, hoc pertinet ad vindictam, sed si aliquis taceat volens dare locum iræ, hoc est laudabile, vndè dicitur Eccl. 8. non litiges cum homine linguato, & nō struas in ignem illius ligna. 2.2.q.72.a.3.ad 3.

Duplici conclusione respōdet D.Thomas huic quæsito, quarum prima est. si aliquis hoc animo taceret, vt tacendo contumeliantem ad iracundiam prouocaret, hoc pertinet ad vindictam. secunda conclusio. si aliquis taceat volens dare locum iræ, hoc est laudabile, probatur auctoritate Eccl. 8.

Pro huius litteræ explicatione sciendum est, quod si quis contumelias suas audiens eo animo taceret, vt alterum sic tacendo quasi spretum ad iracundiam magis prouocaret, grauiter peccaret peccato vindictæ ob malam intentionem, & hoc vult prima conclusio; si autem sibi consulens taceat, & Virtuti obsecundans, benefacit; & licet sciat alterum inde peius concitandum, nihil sua referre debet; hoc vult D.Chrisostomus hom. 43. in Mar. & hom. 81. tom. 2. dum ait, si vindicare vis, sile, & funestam ei dedisti plagam, & hoc vult secunda conclusio. tacere ergo debet homo ob bonum finem, scilicet ne ipse periculū incurrat peccandi ex huiusmodi verborum multiplicatione. legatur Dominicus Sotus, Petrus Aragona ad hunc locum.

CONVERSVS.

Conuersi tonduntur, & quare.
Conuersi non raduntur, & quare.
In quo distinguantur Clerici à Conuersis in capillorum detractione.

Quæritur, quare conuersi tondentur, & non radantur.

Respondeo dicendum, quòd Nazarei profitebantur perfectionem quandam in depositione comæ signantes temporalium contemptum, quamuis non in modum coronæ deponerent, sed omnino totum, quia nūdum erat tempus regalis, & perfecti Sacerdotij: & similiter etiā Conuersi tondentur propter renuntiationem temporalium; sed non raduntur quia non occupantur Diuinis mysterijs, in quibus Diuina oporteat eos mente contemplari. 4. sent. d. 24. q. 3. a. 1. quæstiunc. 1. ad 2.

Conuersos tonderi propter renuntiationem temporalium, sed non radi, quia non occupantur Diuinis misterijs, in quibus Diuina oporteat eos mente contemplari, docet D. Thomas in hoc quæsito.

In hoc est differentia inter Clericos, & laicos, quos vulgò appellamus Conuersos circa capillorum detractionem, quod Clerici defferunt Coronam, quæ fit per hoc, quod capilli raduntur à parte superiori, & inferiori; raduntur autem à parte superiori, ne eorum mens temporalibus occupationibus à contemplatione Diuinorum retardetur; ex parte etiam inferiori raduntur, ne eorum sensus temporalibus absoluantur, vt diximus verb.Clericus.q.2.Conuersi autem tonduntur solum, & à parte inferiori raduntur, vt denotetur, eos bonis renunciasse temporalibus, quæ significantur per capillos; non raduntur à parte superiori, quia Diuinis non occupantur misterijs, nec vitæ contemplatiuæ, sed actiuæ potius implicari debent.

CORPORALIA.

1 *Corporalia debent esse de panno lineo, & quare.*
§ *Corporalia non possunt esse ex tela canepea quo ad eam partem, qua continetur Calix.*
Vti corporalibus immundis est peccatum graue.
Admonitio circa hoc ad Episcopos.
2 *Quid significent ea, quæ fiunt in lineo candidando.*

Quæritur, cuius materiæ debeat esse corporale.

1 Respondeo dicendum, quòd corporale sit de pāno lineo, quo corpus Christi fuit inuolutum, vndè in epistola Syluestri Papę de Consecrat. d. 1.legitur. Consulto omnium statuimus, vt sacrificium Altaris non in sericeo panno, aut intincto quisquam celebrare Missam præsumat, sed in panno lineo ab Episcopo consecrato, sicut Corpus Christi in sindone linea, & munda sepultum fuit; competit etiam pannus lineus propter sui mūditiam ad significandam conscientiæ puritatem, & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur ad significādam Christi Passionem. 3.p.q.83.a.3. ad 7. (opusculo 58. cap. 15.

Duplici conclusione respōdet D Thomas huic quæsito, quarum prima est. Corporale sit de panno lineo, quo Corpus Christi fuit inuolutum. probatur ex Epistola Siluestri Papæ de consecrat. d. 1. Secunda conclusio. competit pannus lineus propter sui munditiam, & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur. probatur, quia per primum significatur conscientiæ puritas, & propter secundum significatur Christi Passio.

Ex prima cōclusione liquet, malè dixisse quē-

dam neotericum. tom. 1. d.4. q. vltima. p. 9. de Missæ sacrificio. num. 23. dum docet, corporalia posse esse confecta etiam ex tela canapea quo ad eam partem, qua continetur Calix; nec in cap. consultò, quod citatur in littera à D. Thoma, cōtinetur hoc, vt ipse asserit. legatur Tabiena verb. corporalia in principio. ex secunda conclusione, qua supponitur corporalia esse munda, dum dicitur, propter sui munditiam, habemus, peccare eos, qui vtuntur corporalibus immundis, & si notabiliter sint immunda, peccabunt grauiter, quia faciunt contra reuerentiam tanto Sacramēto debitam in re, quæ proximè attingit Corpus Christi. ego in quibusdam locis aliqua vidi corporalia ita immunda, vt mappas tabernariorum cōspexerim minus sordidas, nauseam mihi prouocabant, vomitum excitabant; hinc discant Episcopi, dum visitant villulas, castella, super huiusmodi inuigilare, & si inuenerint Sacerdotes curatos in hoc negligentes eos seuerè puniant, acriter castigent.

Quæritur, quid significent ea, quæ fiunt in lineo candidando.

2 Respondeo dicendum, quòd in tribus, quæ perducunt corporale lineum ad candorem intelliguntur tria, quæ faciunt ad nostram mundificationē; primò. n. lauatur, secundò torquetur tertiò exsiccatur; si quis ad suscipiendum Dominum benè mundus vult fieri, primò debet peraquam lacrimarum emundari, secundò per opera pænitentiæ torqueri, tertiò per feruorē amoris Dei à carnalium desideriorum humore siccari. opusc. 58. cap. 15.

Quod in tribus, quæ perducunt corporale lineum ad candorem, intelliguntur tria, quæ faciunt ad nostram mundificationē, docet D. Thomas in hoc quæsito. & omnia clara in littera.

Hæc potius egent lectione, quam expositione.

CORRECTIO FRATERNA.

De necessitate Correctionis Fraternæ. Cap. I.

1 *Correctio Fraterna quid sit.*
Tria sunt facienda proximo ab eo, qui illius curam habet, & quæ.
Dupliciter peccans reducitur ad viam rectitudinis, scilicet per timorem, & odium turpis, secundò per timorem, & odium tristis.
Secundus modus solum Prælatis competit.
Primus modus alijs à Prælatis conuenit.
Secundus modus non est adhibendus etiam à Prælatis, nisi quando primus locum non habet.
§ *Materia de correctione fraterna est grauissima, & necessaria, vt sciatur, & scita exerceatur.*
Differentia inter correctionem, & correptionem, & quid vtraque.
Nunc vnum pro alio sumitur.
Explicatur quid rei correctionis fraternæ.
2 *Correctio Fraterna quæ est ad emendationem delinquentis est actus Charitatis.*
Correctio, quæ est remedium peccati delinquentis, vt est in malum aliorum, est actus iustitiæ.
§ *Correctio fraterna dicitur actus Charitatis non elicitus, sed imperatus.*
Correctio fraterna est actus elicitus à misericordia.
3 *Correctio Fraterna est in præcepto.*
Præcepta negatiua obligant semper, & ad semper.
Præcepta affirmatiua obligant semper, sed non ad semper, sed pro loco, & tempore.
Correctio Fraterna est in præcepto affirmatiuo.
Correctio Fraterna cadit sub præcepto, vt est necessaria ad Fratris emendationem.
Correctio Fraterna debet fieri pro loco, & tempore.
§ *Homo tenetur ad correctionem fraternam iure Diuino, & naturali.*
Infideles tenentur ad correctionem fraternam.
Solum peccatum mortale est materia necessaria correctionis fraternæ.
Non tenetur homo ad correctionem venialium, nisi sint periculosa.
Omittens correctionem fraternam peccat mortaliter.
Quando præceptum correctionis obliget, explicatur.
4 *Præceptum correctionis reducitur ad præceptum quartum decalogi.*
5 *Omissio correctionis Fraternæ aliquando fit meritoriè, aliquando cum mortali peccato, aliquando cum peccato veniali.*
6 *Correctio pertinens ad Prælatos non est dimittenda propter turbationem eius, qui corripitur.*
Correctio non habens coactionem, sed simplicem ad monitionem debet dimitti si timetur peius de Fratre correctio.

Quæritur, quid sit correctio Fraterna.

1 Respondeo dicendum, quòd correctio Fraterna est admonitio Fratris ad emendationem delictorū Fraterna Charitate procedens; adhoc. n. quòd homo rectè gradiatur in via salutis, tria sunt ei impendenda ab eo, qui ipsius curam gerit, primo vt in finem rectum ordinetur, & quantum adhoc superior inferiorem sibi commissum dicitur dirigere; secundo vt ei cautelam adhibeat, ne à via ad finem ducente discedat, & quantum ad hoc dicitur eum regere, tertio vt si contingat eum discedere ad viam rectam reducat, & quantum adhoc dicitur ipsum corrigere, quandoq; quidem, vt rectitudo iustitiæ fiat ab eo, quando scilicet ille, qui deliquerat, emendatur ex cura sibi inpensa; quan-

quandoq; autem, vt rectitudo iustitiæ de eo fiat per pænas inflictas, etiamsi ille non corrigatur ex parte sua, sed aliquis à via rectitudinis discedens dupliciter potest ad viam rectitudinis reduci secundum phylosophum in 10.eth. vno modo per timorem turpis, aut odium ipsius, vt cum quis turpitudinem peccati abominatur, aut confusionē exindè cōsequentē, alio modo per timorem, & odium tristis, sicut cum quis propter pęnas illatas pro peccatis vel quas timet inferri, resilit à peccato, & quia iste secundus modus est cum quadam violentia, ideò correptio dicitur quasi vsque ad rectitudinem perducens, sed primus modus propriè dicitur correptio, illa enim rapi dicuntur, quæ subito auferuntur, vndè etiam sillaba corripi dicitur, quæ raptim, & quasi subito pronunciatur, & propter hoc quādo homo ex hoc solum, quod ei turpitudo peccati ostenditur, & ad meliora quis eum hortatur, ipse per se ad viā rectitudinis reuertitur, corripi dicitur, ex quo patet, quod secundus modus solis Prælatis competit quorum verba vim coactiuam habent per inflictionem pænarum, sed primus modus Pręlationis ordinem nō requirit, quamuis etiam Prælationis ordo ipsum requirat, quia secundus modus adhiberi non debet, nisi vbi primus locum non habet etiam in Prælatis, & ideò correptio quando præter ordinem Prælationis fit, vocatur Fraterna, quæ in prædicta assignatione notificatur per tria, quæ ibi ponuntur, scilicet actus ipse, cum dicit, Admonitio Fratris, Finis cum dicit, de emendatione delictorum, principium cum dicit, Fraterna Charitate procedens. 4. sent. d.19.q.2.a. 1. in corp. & ad 6. (2. 2. q. 33.a.1.3.6.in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. correctio fraterna est admonitio fratris ad emendationem delictorum fraterna Charitate procedens. probatur, in hac diffinitione notificantur tria, quæ ad correctionem requiruntur, nempe actus, finis, & principium, ergo est bona. probatur antecedens, nam actus de notatur, cum dicit, admonitio fratris; finis, cum dicitur, de emendatione delictorum; principium, cum dicit, fraterna Charitate procedens.

Materia de correctione fraterna grauissima est, & maximè necessaria, vt sciatur à fidelibus, & scita exerceatur ab ipsis. hisce temporibus ēt quid nominis correctionis ignoratur, & nullo modo à plerisque exercetur vt autem à quid nominis exordiamur, sciendum est, quod D. Augustinus lib. 1. de Ciuit. cap. 9. ponit discrimen inter correctionem, & correptionem, inter corrigere, & corripere, sic enim ait, ea ipsa tamen, quæ cum eis non perpetrant, nolunt plerumque corripere, cum fortassis possent aliquos corripiendo corrigere; & dicimus aliquem corripere, quem emendare intendimus, illos autem dicimus corrigere, quos cum effectu emendamus: sed nunc iam in vsu est, vt isti duo termini correptio, & correctio confundantur, & vnum pro alio accipiatur, & nomine correctionis intelligimus illā operationem, qua quis intendit proximum corrigere, licet non sequatur effectus; ista ergo sic diffinitur, quod est admonitio fratris ad emendationem delictorum fraterna Charitate procedens, dicitur, admonitio siue secreta, siue coram testibus; dicitur, fratris, idest proximi; dicitur, ad emendacionem, in quo denotatur finis correctionis fraternæ, scilicet emendatio peccatoris; dicitur, à Charitate procedens, quia correctio est actus Charitatis, vt in sequenti videbimus quæsito. est autem duplex correctio, vt habet D. Thomas in littera, vna, quæ vocatur directiua, & hæc est admonitio fratris de emendatione delictorum ex fraterna Charitate procedens, & pertinet ad omnes tam subditos, quam Prælatos; alia est coactiua, & hæc diffinitur, quod est punitio peccatorum à Prælato facta ad conseruationem iustitiæ, & conuenit solis Prælatis, quorum verba vim coactiuam habēt; rursus correctio fraterna est vna de septem spiritualibus eleemosinis, quæ tantò carior Deo est quam eleæmosina corporalis, quantò spirituale præualet corporali, per hanc subuenitur animæ, per illam prouidetur corpori.

Quæritur, cuius Virtutis actus sit correctio Fraterna.

2 Respondeo dicendum, & quòd correptio delinquentis est quoddam remedium, quod debet adhiberi contra peccatum alicuius, peccatum autem alicuius dupliciter considerari potest, vno quidem modo inquantum est nociuum ei, qui peccat, alio modo inquantum vergit in nocumentum aliorum, qui ex eius peccato læduntur, vel scandalizantur, & etiam inquantum est nocumentum boni communis, cuius iustitia per peccatum hominis perturbatur. Duplex ergo est correctio delinquentis, vna quidem quæ adhibet remedium peccato inquantum est quoddam malum ipsius peccantis, & ista est propriè Fraterna correctio, quæ ordinatur ad emendationem delinquentis; remouere autem malum alicuius, eiusdem rationis est sicut bonum eius procurare, procurare autem fratris bonum pertinet ad Charitatem,

dam neotericum. tom. 1. d. 4. q. vltima. p. 9. de Missæ sacrificio. num. 23. dum docet, corporalia posse esse confecta etiam ex tela canapea quo ad eam partem, qua continetur Calix; nec in cap. consultò, quod citatur in littera à D. Thoma, cõtinetur hoc, vt ipse asserit. legatur Tabiena verb. corporalia in principio. ex secunda conclusione, qua supponitur corporalia esse munda, dum dicitur, propter sui munditiam, habemus, peccare eos, qui vtuntur corporalibus immundis, & si notabiliter sint immunda, peccabunt grauiter, quia faciunt contra reuerentiam tanto Sacramẽto debitam in re, quæ proximè attingit Corpus Christi. ego in quibusdam locis aliqua vidi corporalia ita immunda, vt mappas tabernariorum cõspexerim minus sordidas, nauseam mihi prouocabant, vomitum excitabant; hinc discant Episcopi, dum visitant villulas, castella, super huiusmodi inuigilare, & si inuenerint Sacerdotes curatos in hoc negligentes eos seuerè puniant, acriter castigent.

Quæritur, quid significent ea, quæ fiunt in lineo candidando.

2 Respondeo dicendum, quòd in tribus, quæ perducunt corporale lineum ad candorem intelliguntur tria, quæ faciunt ad nostram mundificationẽ; primò. n. lauatur, secundò torquetur tertiò exsiccatur; si quis ad suscipiendum Dominum benè mundus vult fieri, primò debet per aquam lacrimarum emundari, secundò per opera pænitentiæ torqueri, tertiò per feruorẽ amoris Dei à carnalium desideriorum humore siccari. opusc. 58. cap. 15.

Quod in tribus, quæ perducunt corporale lineum ad candorem, intelliguntur tria, quæ faciunt ad nostram mundificationẽ, docet D. Thomas in hoc quæsito. & omnia clara in littera.

Hæc potius egent lectione, quam expositione.

CORRECTIO FRATERNA.

De necessitate Correctionis Fraternæ. Cap. I.

1 *Correctio Fraterna quid sit.*
Tria sunt facienda proximo ab eo, qui illius curam habet, & quæ.
Dupliciter peccans reducitur ad viam rectitudinis, scilicet per timorem, & odium turpis, secundò per timorem, & odium tristis.
Secundus modus solum Prælatis competit.
Primus modus alijs à Prælatis conuenit.
Secundus modus non est adhibendus etiam à Prælatis, nisi quando primus locum non habet.
§ *Materia de correctione fraterna est grauissima, & necessaria, vt sciatur, & scita exerceatur.*
Differentia inter correctionem, & correptionem, & quid vtraque.
Nunc vnum pro alio sumitur.
Explicatur quid rei correctionis fraternæ.
2 *Correctio Fraterna quæ est ad emendationem delinquentis est actus Charitatis.*
Correctio, quæ est remedium peccati delinquentis, vt est in malum aliorum, est actus iustitiæ.
§ *Correctio fraterna dicitur actus Charitatis non elicitus, sed imperatus.*
Correctio fraterna est actus elicitus à misericordia.
3 *Correctio Fraterna est in præcepto.*
Præcepta negatiua obligant semper, & ad semper.
Præcepta affirmatiua obligant semper, sed non ad semper, sed pro loco, & tempore.
Correctio Fraterna est in præcepto affirmatiuo.
Correctio Fraterna cadit sub præcepto, vt est necessaria ad Fratris emendationem.
Correctio Fraterna debet fieri pro loco, & tempore.
§ *Homo tenetur ad correctionem fraternam iure Diuino, & naturali.*
Infideles tenentur ad correctionem fraternam.
Solum peccatum mortale est materia necessaria correctionis fraternæ.
Non tenetur homo ad correctionem venialium, nisi sint periculosa.
Omittens correctionem fraternam peccat mortaliter.
Quando præceptum correctionis obliget, explicatur.
4 *Præceptum correctionis reducitur ad præceptum quartum decalogi.*
5 *Omissio correctionis Fraternæ aliquando fit meritoriè, aliquando cum mortali peccato, aliquando cum peccato veniali.*
6 *Correctio pertinens ad Prælatos non est dimittenda propter turbationem eius, qui corripitur.*
Correctio non habens coactionem, sed simplicem ad monitionem debet dimitti si timetur peius de Fratre correcto.

Quæritur, quid sit correctio Fraterna.

1 Respondeo dicendum, quòd correctio Fraterna est admonitio Fratris ad emendationem delictorũ Fraterna Charitate procedens; adhoc. n. quòd homo rectè gradiatur in via salutis, tria sunt ei impendenda ab eo, qui ipsius curam gerit, primo vt in finem rectum ordinetur, & quantum adhoc superior inferiorem sibi commissum dicitur dirigere; secundo vt ei cautelam adhibeat, ne à via ad finem ducente discedat, & quantum ad hoc dicitur eum regere, tertio vt si contingat eum discedere, ad viam rectam reducat, & quantum adhoc dicitur ipsum corrigere, quandoq; quidem, vt rectitudo iustitiæ fiat ab eo, quando scilicet ille, qui deliquerat, emendatur ex cura sibi inpensa; quan-

quandoq; autem, vt rectitudo iustitiæ de eo fiat per pænas inflictas, etiamsi ille non corrigatur ex parte sua, sed aliquis à via rectitudinis discedens dupliciter potest ad viam rectitudinis reduci secundum phylosophum in 10.eth. vno modo per timorem turpis, aut odium ipsius, vt cum quis turpitudinem peccati abominatur, aut confusionē exindè cōsequentē, alio modo per timorem, & odium tristis, sicut cum quis propter pęnas illatas pro peccatis vel quas timet inferri, resilit à peccato, & quia iste secundus modus est cum quadam violentia, ideò correptio dicitur quasi vsque ad rectitudinem perducens, sed primus modus propriè dicitur correptio, illa enim rapi dicuntur, quæ subito aufferuntur, vndè etiam sillaba corripi dicitur, quæ raptim, & quasi subito pronunciatur, & propter hoc quādo homo ex hoc solum, quod ei turpitudo peccati ostenditur, & ad meliora quis eum hortatur, ipse per se ad viā rectitudinis reuertitur, corripi dicitur, ex quo patet, quod secundus modus solis Prælatis competit quorum verba vim coactiuam habent per inflictionem pænarum, sed primus modus Pręlationis ordinem nō requirit, quamuis etiam Prælationis ordo ipsum requirat, quia secundus modus adhiberi non debet, nisi vbi primus locum non habet etiam in Prælatis, & ideò correptio quando præter ordinem Prælationis fit, vocatur Fraterna, quæ in prædicta assignatione notificatur per tria, quæ ibi ponuntur, scilicet actus ipse, cum dicit, Admonitio Fratris, Finis cum dicit, de emendatione delictorum, principium cum dicit, Fraterna Charitate procedens. 4. sent. d.19.q.2.a. 1. in corp. & ad 6. (2. 2. q. 33.a.1.3.6.in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. correctio fraterna est admonitio fratris ad emendationem delictorum fraterna Charitate procedens. probatur, in hac diffinitione notificantur tria, quæ ad correctionem requiruntur, nempe actus, finis, & principium, ergo est bona. probatur antecedens, nam actus denotatur, cum dicit, admonitio fratris; finis, cum dicitur, de emendatione delictorum; principium, cum dicit, fraterna Charitate procedens.

Materia de correctione fraterna grauissima est, & maximè necessaria, vt sciatur à fidelibus, & scita exerceatur ab ipsis. hisce temporibus et quid nominis correctionis ignoratur, & nullo modo à plerisque exercetur vt autem à quid nominis exordiamur, sciendum est, quod D. Augustinus lib. 1. de Ciuit. cap. 9. ponit discrimen inter correctionem, & correptionem, inter corrigere, & corripere, sic enim ait, ea ipsa tamen, quæ cum eis non perpetrant, nolunt plerumque corripere, cum fortassis possent aliquos corripiendo corrigere; & dicimus aliquem corripere, quem emendare intendimus, illos autem dicimus corrigere, quos cum effectu emendamus: sed nunc iam in vsu est, vt isti duo termini correptio, & correctio confundantur, & vnum pro alio accipiatur, & nomine correctionis intelligimus illā operationem, qua quis intendit proximum corrigere, licet non sequatur effectus; illa ergo sic diffinitur, quod est admonitio fratris ad emendationem delictorum fraterna Charitate procedens, dicitur, admonitio siue secreta, siue coram testibus; dicitur, fratris, idest proximi; dicitur, ad emendationem, in quo denotatur finis correctionis fraternæ, scilicet emendatio peccatoris; dicitur, à Charitate procedens, quia correctio est actus Charitatis, vt in sequenti videbimus quæsito. est autem duplex correctio, vt habet D. Thomas in littera, vna, quæ vocatur directiua, & hæc est admonitio fratris de emendatione delictorum ex fraterna Charitate procedens, & pertinet ad omnes tam subditos, quam Prælatos; alia est coactiua, & hæc diffinitur, quod est punitio peccatorum à Prælato facta ad conseruationem iustitiæ, & conuenit solis Prælatis, quorum verba vim coactiuam habēt; rursus correctio fraterna est vna de septem spiritualibus eleemosinis, quæ tantò carior Deo est quam eleæmosina corporalis, quantò spirituale præualet corporali, per hanc subuenitur animæ, per illam prouidetur corpori.

Quæritur, cuius Virtutis actus sit correctio Fraterna.

2 Respondeo dicendum, & quòd correptio delinquentis est quoddam remedium, quod debet adhiberi contra peccatum alicuius, peccatum autem alicuius dupliciter considerari potest, vno quidem modo inquantum est nociuum ei, qui peccat, alio modo inquantum vergit in nocumentum aliorum, qui ex eius peccato læduntur, vel scandalizantur, & etiam inquantum est nocumentum boni communis, cuius iustitia per peccatum hominis perturbatur. Duplex ergo est correctio delinquentis, vna quidem quæ adhibet remedium peccato inquantum est quoddam malum ipsius peccantis, & ista est propriè Fraterna correctio, quæ ordinatur ad emendationem delinquentis; remouere autem malum alicuius, eiusdem rationis est sicut bonum eius procurare, procurare autem fratris bonum pertinet ad Charitatem, per

per quam volumus, & operamur bonum amico, vndè etiam correctio Fraterna est actus Charitatis, quia per eam repellimus malum fratris, scilicet peccatum, cuius remotio magis pertinet ad Charitatem, quam etiam remotio exterioris damni, vel etiam corporalis nocumenti, quanto contrarium bonum Virtutis magis est affine Charitati, quam bonum corporis, vel exteriorum rerum; vndè correctio Fraterna est actus Charitatis potius, quam curatio infirmitatis corporalis, vel subuentio, qua excluditur exterior egestas; alia verò correctio est, quæ adhibet remediũ peccati delinquentes secundum quòd est in malum aliorum, & pręcipuè in nocumentum communis boni, & talis correctio est actus Virtutis iustitiæ, cuius est conseruare rectitudinẽ iustitiæ vnius ad alterum. 2.2.q.33.a.1. in corp.

Triplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. correctio fraterna propriè dicta est actus Charitatis. probatur, quia correctio fraterna est procuratio boni delinquẽtis, cum ad eius emendationem ordinetur, sed procuratio, qua bonum volumus, operamurque fratri, est actus Charitatis, ergo &c. secunda cõclusio. correctio fraterna est potior actus Charitatis, quam curatio infirmitatis corporalis, vel subuentio, qua excluditur exterior egestas. probatur, quia remotio peccati, ad quam ordinatur fraterna correctio, magis pertinet ad Charitatem, quam remotio exterioris damni, vel etiam corporalis nocumenti, cum bonum animæ sit magis affine Charitati, quam bonum corporis, vel exteriorum rerum. tertia conclusio. correctio, quæ adhibet remedium peccato delinquentis, secundum quod in nocumẽtum aliorum uergit, est actus iustitiæ. probatur, quia talis correctionis est cõseruare rectitudinem iustitiæ vnius ad alterum.

Circa primam conclusionem obserua, quod correctio fraterna dicitur actus Charitatis non elicitus, sed imperatus; est siquidem actus elicitus à misericordia, sed imperatus à Charitate, diximus enim correctionem fraternam esse vnã ex spiritualibus eleemosinis, vndè sicut eleemosina corporalis est actus elicitus à misericordia, & actus imperatus à Charitate, ita correctio fraterna, quæ est spiritualis eleemosina erit actus elicitus à misericordia, sed imperatus à Charitate. in confirmationem secundæ conclusionis adest auctoritas D. Augustini in regula, qui ait, si frater tuus vulnus habet in corpore, quod vellet occultari, dum timet secari, nonne crudeliter à te sileretur, & misericorditer indicaretur? quasi velit dicere, si succurrendo fratri in corporali periculo facis actum Charitatis, ergo multò magis præstabis actum Charitatis, si succurras proximo in spirituali vulnere.

Quæritur, an correctio Fraterna cadat sub præcepto, & quando.

3 Respondeo dicendum, quòd correctio Fraterna cadit sub præcepto, sed considerandum est, quòd sicut præcepta negatiua legis prohibent actus peccatorum, ita præcepta affirmatiua inducunt ad actus Virtutum, actus autem peccatorum sunt secundum se mali, & nullo modo benè fieri possunt, nec aliquo tempore, aut loco, quia secundum se sunt coniuncti malo fini, vt dicitur in 2. eth. & ideò præcepta negatiua obligant semper, & ad semper, sed actus Virtutem non quolibet modo fieri debent, sed obseruatis debitis circunstantijs, quæ requiruntur adhoc, quòd sint actus Virtuosi, vt scilicet fiat, vbi debet, & quando debet, & secundum quòd debet, & quia dispositio eorum, quæ sunt ad finem attenditur secundum rationem finis, in istis circunstantijs Virtuosi actus præcipuè attendenda est ratio finis, quæ est bonum virtutis, si ergo sit aliqua talis omissio alicuius circunstantiæ circa Virtuosum actum, quæ totaliter tollat bonum Virtutis, hic actus contrariatur præcepto, si autem sit defectus alicuius circunstantiæ, quæ non totaliter tollat virtutem, licet non perfectè attingat ad rationem virtutitis non est contra præceptum, vndè, & phylosophus dicit in 2. eth. quòd si parum disceditur à medio, non est contra virtutem, sed si multum discedatur, corrumpitur virtutis in suo actu, correctio autem Fraterna ordinatur ad Fratris emendationem, & ideò hoc modo cadit sub præcepto secundum, quòd est necessaria ad istum finem, non autem ita, quòd quolibet loco, vel tempore Frater delinquens corrigatur. 2.2.q.33. art. 2. in corp. (4. sent. d. 19. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. in corp. (de virtutibus. q. 3. a. 1. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. correctio fraterna cadit sub præcepto. hæc patet ex Euangelio Mathei 18. secunda conclusio. correctio fraterna cadit sub pręcepto, secundum quod est necessaria ad emendationem fratris; & dispositio eorum, quæ sunt ad finem, attenditur secundum rationem finis. tertia conclusio. correctio fraterna non cadit ita sub præcepto, quod quolibet loco, vel tempore frater delinquens corripiatur. probatur, quia correctio fraterna non est præceptum negatiuum, sed affirmatiuum, & actus Virtutum, de quibus sunt præcepta affirmatiua,

non

non quolibet modo fieri debent, sed obseruatis circunstantijs debitis, scilicet vbi debet, quando debet, & secundum quod debet.

Circa primam conclusionem obserua, hominem teneri ad correctionem fraternam iure naturali, & Diuino; tenetur, inquam, iure naturali ex illo naturæ principio, quod tibi vis fieri, alteri feceris, & vlterius tenetur homo subuenire per eleemosinam proximo in necessitate corporali, ergo multò magis tenetur subuenire proximo in spirituali necessitate per correctionem, quia necessitas spiritualis præponderat corporali; quod autem teneatur homo præcepto Diuino, probatur ex illo Lucæ 10. si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, si pænitentiam egerit, dimitte illum, & Mathei 18. si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe inter te, & ipsum solum. ex hoc quod homo obligatur ad correctionem de iure naturali, sequitur, quod non solum Christiani, verum & infideles teneantur ad correctionem fraternam, itaquod si amittant illam, peccent mortaliter, quia omnes tenentur seruare præcepta iuris naturalis, Nauarrus in manuali cap. 24. num. 12. Dominicus Bannes adhunc locum dub. 2. ex hoc quod homo obligatur ad correctionem ex iure Diuino, sequitur, omnes fideles, siue sint Prælati, siue subditi, ad correctionem fraterniam teneri; quando viderint fratrem suum peccare mortaliter, solum enim peccatum mortale est materia necessaria correctionis, non per illud solum salus proximi in periculo sit, peccatum autem veniale non est materia necessaria correctionis, quia per ipsum non amittitur gratia, nec per illud salus proximi in periculo proximo versatur, ideò non tenetur homo neque sub peccato mortali, sed nec sub veniali ad correctionem venialium, vt docet Bannes ad hunc locum dub. 3. nisi tamen venialia sint periculosa, inquit Nauarrus in manuali cap. 24. num. 12. & Bannes loco citato, quæ scilicet alijs magnum afferunt detrimentum, vel periculosa de mortali, ait Siluester loco citato, quia tunc etiam de istis esset facienda correctio fraterna; ita ergo obligat hoc præceptum, vt omissio illius sit peccatũ mortale; quia autem hoc præceptum correctionis est affirmatiuum, ideò obligabit tantum pro loco, & tempore, vt asserit tertia conclusio, & communis docet Schola Theologorum, & vt habetur in iure expressè. de hæreticis. can. cum ex iniuncto. & vide. 2. q. 1. can. si peccauerit. quando autem obliget, operosius inquirendum est, & dicendum, quod tunc hoc correctionis præceptum obligabit, quando istæ aderint conditiones, quarum prima est, quod certa debet esse cognitio peccati, idest debet ille, qui vult alium corrigere scire certò, quod corrigendus commiserit peccatum, pro quo facienda est correctio, vndè non erit relationi aliorum credẽdum, quia multoties mentiuntur, & homines, vt plurimum loquuntur passionibus ducti; certa autem cognitio tunc habebitur, quando ipse proprijs oculis viderit peccatum, vndè Dauid dicebat, Vidi præuaricentes, & tabescebam. Psalm. 118. secunda conditio est, quod tunc tenetur aliquis corrigere proximum, quãdo non adest alius magis idoneus adhoc munus, si enim adesset alius magis aptus, aut præsens esset ille, cui ex officio incumbit corrigere delinquentẽ, tunc ille non tenetur ad correctionem fraternam faciendam; si autem magis idoneus, aut ille, cui incumbit ex officio corrigere, hoc non vult præstare, tunc iste tenetur, quia tunc proximus est in necessitate spirituali, & opera illius indiget. tertia condicio est, quod tunc tenetur homo ad faciẽdam correctionem, quando habet spem emendæ, & quod correctio sua sit profutura, si enim non speretur profutura correctio, ad eam non tenetur homo, & multò minus tenebitur, si timet, eam potius esse nocituram, dum dubitat, correctionem suam esse prouocaturam ad iram eum, qui debet corrigi, sic docet Caietanus in summula verb. correctio fraterna, quẽ sequitur Nauarrus in manuali cap. 24. nu. 12. qui Caietanus etiam affert rationem, quia corrector tenet locum agentis, & corrigendus patientis, actus autem actiuorum fiunt in patiente disposito, & propterea sicut oportet correctorem non ex voluntate, sed ratione accipere tempus, & locum, & alias occupationes, & dispositiones corrigendi, ita non ex voluntate, sed ratione debet habere, si est fructuosè susceptiuus suæ correctionis; hanc doctrinam Dominicus Bannes ad hunc locum dub. 5. concl. 3. docet veram esse, quando dubium est æquale ex vtraque parte, quando autem esset certus, quod correctio non nocebit, sed poterit prodesse, tunc tenetur ad correctionem, sicut Medicus, qui certus est, quod medicina non nocebit, & poterit prodesse, tenetur dare medicinam. verum hæc magis explicabuntur infra. q. 5.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Valentia tom. 3. d. 3. q. 10. p. 2. Beccanus. 22. cap. 21. Malderus. 22. q. 33. a. 2. dub. 1. Azorius tom. 2. lib. 12. c. 15. quæsit. 7. Reginaldus lib. 4. cap. 25. num. 336. & 348. & 357. & alij.

Quæritur, ad quod præceptum Decalogi reducatur præceptum correctionis Fraternæ.

4 Respondeo dicendum, quòd omnia præcepta, quæ pertinent ad impendendum aliquod beneficium proximo reducuntur ad præceptum de honoratione parentum. 2. 2. q. 33. a. 2. ad 2.

Præceptum correctionis reduci ad præceptum de honoratione Parentum, docet D. Thomas in hoc quæsito, quia omnia præcepta, quæ pertinent ad impendendum aliquod beneficium proximo, reducuntur ad illud.

Ex hac doctrina habemus, præceptum de correctione Fraterna esse reductiuè, non autem directè in præcepto quarto Decalogi.

Quæritur, quando omissio correctionis Fraternæ sit meritoria, quando mortalis, & quando venialis.

5 Respondeo dicendum, quòd correctio Fraterna tripliciter omitti potest, vno quidem modo Meritoriè, quando ex Charitate aliquis correctionem omittit, dicit enim Augustinus in 1. de Ciuit. Dei. Si propterea quisque obiurgandis, & corripiendis malè agentibus pauit, quia opportunum tempus inquiritur, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam creditos impediant, aut aliquos infirmos præmant, atq; auertant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium Charitatis; alio modo prætermittitur Fraterna correctio cum peccato mortali, quando scilicet formidatur, vt ibi dicitur, iudicium vulgi, & carnis excruciatio, vel peremptio, dum tamen hęc ita demerentur in animo, quòd Fraternæ Charitati præponantur, & hoc videtur contingere quando aliquis præsumit de aliquo delinquente probabiliter, quòd posset eum à peccato retrahere, & tamen, propter timorem, vel cupiditatem prætermittitur: tertio modo huiusmodi omissio est peccatum veniale, quando timor, vel cupiditas tardiorem facit hominem ad corrigendum delicta fatris, non tamen ita, quòd si ei constaret, quòd Fratrem posset à peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatetem dimitteret, quibus in animo suo pręponit Charitatem Fraternam, & hoc modo quandoque viri Sancti negligunt corrigere delinquentes. 2.2.q.33.a.2.ad 3.

Triplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. correctio Fraterna potest omitti meritoriè, quando scilicet ex Charitate aliquis correctionem omittit. probatur ex D. Augustino, vt in littera. secuuda conlusio. correctio Fraterna potest omitti cũ peccato mortali, puta quando aliquis præsumit de aliquo delinquente probabiliter, quod posset eum à peccato retrahere, & tamen propter timorem, vel cupiditatem pręternittitur. probatur ex D. Augustino eodem loco, quo supra, vt in littera. tertia conclusio. correctio Fraterna potest omitti cum peccato veniali, & est quando timor, vel cupiditas tardiorem facit hominem ad corrigẽdum delicta Fratris, non tamen ita quod si ei constaret, quod Fratrem posset à peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatem dimitteret, quibns in animo suo præponit Charitatem Fraternam. probatur exemplo Sanctorum, qui quandoq; hoc modo negligunt corrigere delinquentes, vt Augustinus ait in lib. de verbis Domini serm. 16 tom. 10.

Circa hanc doctrinam obseruandũ est ex Cietano ad hunc locum pro timoratis conscientijs, quod quando correctio Fraterna omittitur, vel quia non habetur spes emendæ, vel propter respectum humanum, quia timetur, ne corrigendus offendatur, vel ne corrigens præsumptuosus putetur, vel quia credit, se non obligari in tali casu, quod ex ignorantia procedit, vel ex quacumq; causa, si hoc saluatur in præparatione animi, scilicet, quod si crederet probabiliter, quod peccatorem à mortali peccato retraheret, omnia postponeret Chatitati Fraternæ, non est peccatum mortale. ratio est, quia in tali omissione nõ tollitur ratio finis, saluatur enim intentio emendationis fratris, quam intendit Charitas, & defectus contingit in alijs circunstantijs, puta cõsideratione temporis &c. Virtutis etiam bonũ non tollitur substantialiter saluo bono, quod est ex fine vndè specificatur, quamuis defficiat in aliqua circunstantia, propter quem defectum veniale peccatum incurritur.

Quæritur, an quis debeat à correctione cessare propter timorem, ne ille fiat deterior.

6 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, duplex est correctio delinquentis, vna quidem pertinens ad Pręlatos, quę ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactiuam, & talis correctio non est dimittenda propter turbationem eius, qui corripitur, tum quia si propria spontè emendari non velit, cogendus est per pænas, vt peccata dimittat, tum etiam quia si incorrigibilis sit, per hoc prouidetur bono communi, dùm seruatur ordo iustitiæ, & vnius exemplo alij deterrentur, vndè iudex non prætermittit ferre sententiam condemnationis in peccantem propter timorem turbationis ipsius, vel etiam amicorum eius, alia verò est correctio Fraterna, cuius finis est emendatio delinquẽtis non habens coactionem, sed simplicem admonitionem, & ideò vbi probabiliter æstimatur, quòd peccator admonitionem non recipiat, sed ad peiora labatur, est ab huiusmodi correctione desistendum, quia ea, quæ sunt ad finem debent regulari secundum, quòd exigit ratio finis. 2.2.q. 33. a. 6. in corp.

Data distinctione respondet D Thomas quæsito duplici conclusione. distinctio est. quod duplex est correctio delinquentis, vna, quæ habet vim coactiuam, & ordinatur ad bonum commune, altera est, quæ non habet coactionem, sed simpli-

simplicem admonitionem, & eius finis est emendatio delinquentis. prima conclusio. correctio, quæ ordinatur ad bonum cōmune, & habet vim coactiuam, dimittenda non est propter turbationem eius, qui corripitur. probatur tripliciter, & primò quia cogendus est per pœnas, vt peccata dimittat. secundò quia prouidetur bono communi, dum seruatur ordo iustitiæ. tertiò quia vnius exemplo alij deterrentur. secunda conclusio. quādo probabiliter æstimatur, quod peccator admonitionem non recipiat, sed ad peiora labatur, est à correctione fraterna cessandum. probatur, quia ea, quæ sunt ad finem, debent regulari, secundum quod exigit ratio finis.

Ex secunda conclusione arguit Caietanus imprudentiam aliquorum, qui non cessant arguere eos, quos audiunt blasphemare, & experiuntur, quod quantò magis corrigunt eos, tantò magis deteriores fiunt, & monitiones suas non prodesse, sed potius obesse; isti malè faciunt, & eos inuolui erratis peccantium augendo indirectè eorum excessus, testatur Caietanus. in hoc, & similibus casibus omissio correctionis fraternæ meritoria est, vt supra cum D. Thoma, & D. Augustino dicebamus. occasione etiam huius secundæ conclusionis mouetur dubium, an quando quis probabiliter scit, quod si nunc corripit fratrem, ille fiat deterior, sed tamen postea tandem emendabitur, teneatur illum corripere, sed quia doctè resoluitur à Dominico Bannes, ideò ad illum lectorem remitto.

Qui possint corrigere. Cap. II.

1 *Correctio Fraterna, quæ est actus Charitatis pertinet ad quemlibet in Charitate existentem.*

Correctio Fraterna, quæ est actus iustitiæ pertinet ad Prælatos.

§ *Quando sit necessitas extrema spiritualis.*

Quando sit necessitas non extrema.

Omnis homo tenetur corrigere proximum in extrema necessitate spirituali laborantem cum periculo vitæ propriæ.

Omnis homo priuatus non tenetur exponere vitam pro salute spirituali proximi in necessitate secundi generis constituti, nec tenetur corrigere proximum cum graui periculo amittendi honorem, aut statum suum, sed poterit differre, aut omninò dimittere correctionem.

Prælati habentes curam animarum tenentur citra necessitatem primi generis in multis casibus vitam periculo exponere pro salute animæ.

Quilibet tenetur corrigere proximum in necessitate secundi generis constitutum cum aliquo dāno temporalis boni.

Prælati speciali obligatione obligantur ratione officij ad correctionem fraternam circa subditos, & tenentur ex iustitia.

Prælati in ordinibus Mendicantium tenentur sub præcepto habere specialem curam, vt Religiosi se exerceant in operibus spiritualibus misericordiæ, in doctrina, prædicatione, confessione &c.

Religiosi mendicantes tenentur speciali obligatione ad opera misericordiæ implenda, supposita tamen obedientia.

2 *Ille, qui corrigit, tenet locum superioris.*

3 *Correctio, quæ est actus iustitiæ non competit subditis respectu Prælatorum.*

Correctio, quæ est actus Charitatis competit subditis respectu Prælatorum.

Subditi debent corrigere Prælatos cum reuerentia, & mansuetudine.

4 *Prælati sunt corrigendi à subditis in occulto.*

Quando imminet periculum fidei Prælati sunt corrigendi publicè.

§ *Licitum est aliquando Prælatum publicè arguere, & quando.*

Admonitio ad Concionatores.

5 *Subditus dum corrigit Prælatum, quid intendere debeat.*

6 *In peccato existens indignus est, vt alios corrigat propter tria.*

Peccator corrigens aliquem peccantem cum humilitate non peccat.

§ *Sola administratio facta in peccato mortali in actibus sacris facit peccatum mortale nouum.*

Regulariter loquendo peccator non tenetur pænitentiam agere, vt alium corrigat.

Si proximus sit in extrema necessitate spirituali, & correctio peccatoris sit medium conueniens ad salutem animæ illius, profectò tenetur ex Charitate seipsum corrigere à peccato, saltem quo ad exterius.

7 *Corripiens ex officio in peccato mortali existens peccat.*

Existens in peccato mortali coripiens aliquem zelo Charitatis non peccat, nisi sequatur scandalum.

Subditus, & Prælatus existentes in peccato mortali etiam notorio possunt admonere deliquentem non per modum corrigentis, sed per modum rogantis.

8 *Existens in peccato veniali potest alios corrigere, nisi scandalum inde sequatur.*

Quæritur, an correctio Fraterna pertineat solum ad Prælatos.

1 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, duplex est correctio, vna quidem quæ est actus Charitatis, quæ specialiter tendit ad emendationem Fratris dilinquentis per simplicem admonitionem, & talis correccio pertinet ad quemlibet Charitatem habentem, siue sit subditus, siue Prælatus: est autem alia correctio, quæ est actus iustitiæ, per quam intenditur bonum commune, quod non solum procuratur per admonitionem Fratris, sed etiam interdum per punitionem, vt alij à peccato timentes desistant, & talis corre-

correctio pertinet ad solos Prælatos, qui non solum habent admonere, sed etiā corrigere puniendo. 2.2.quæst. 33. artic. 3. in corp.

Data distinctione respondet D.Thomas huic quæsito duplici cōclusione. distinctio est. quod duplex est correctio, vna, quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem, altera est, per quam intenditur bonum commune. prima conclusio. correctio prima pertinet ad quemlibet habentē Charitatem, siue sit Prælatus, siue subditus. probatur, quia est actus Charitatis. secunda conclusio. correctio secunda pertinet ad solos prælatos, qui non solum habent admonere, sed etiā corrigere puniendo. probatur, quia talis correctio est actus iustitiæ etiam punitiuæ, ad solos autem Prælatos pertinet iustitiam inter homines facere, ac punire &c.

Pro explicatione primæ conclusionis obserua, quod cum dicitur, correctionem, de qua loquitur prima conclusio, pertinere ad omnem habētem Charitatem, sensus est, quod pertinet ad omnem, ad quem pertinet habere Charitatem, vt ait Bannes ad hunc locum, quod est dicere, quod pertinet ad omnem hominem habentem actu, vel in potentia Charitatem, vt ait magister. Porrecta hoc in loco, alioquin si intelligatur de habente Charitatem in actu, peccator nullo modo corrigere posset, quod tamen est falsum, vt infra q. 6. videbimus cum S.Thoma; immò nullus teneretur facere correctionem, quia nullus scit, se habere actualiter Charitatem, vt probat D.Thomas.p.2.q.112.a.5. circa eandem conclusionem dubitatur, an qui tenentur corrigere, siue sint Prælati, siue subditi, teneantur hoc munus cum periculo quocunque, etiam mortis. circa hoc quæsitum. Adrianus in 9. de correctione fraterna, Caietanus in primā Canonicam Ioannis.c.3. inquiūt, quod ex ordine Charitatis vnusquisque tenetur corripere fratrem cum periculo vitæ. in hoc casu mihi distinguendum videtur, aut proximus est in extrema necessitate spiritualí, aut non; tunc est necessitas extrema spiritualis, quando proximus est in periculo moriendi in peccato mortali, ex quo sequitur æterna dānatio; tunc est necessitas non extrema, quando proximus est quidem in peccato mortali, habet tamen tempus pænitendi. rursus distinguendū est de ijs, qui tenentur ad correctionem faciendam, nam aut sunt Prælati, aut sunt subditi. his stantibus dico primò, quod omnis homo siue Prælatus, siue subditus tenetur corrigere proximum extrema necessitate spirituali laborantem cū periculo vitæ propriæ. hoc apertè docet D.Thomas.2. 2.q.26.ar.5.ad 3. vbi ait, quod cuilibet homini imminet cura proprij corporis, nō autem imminet cuilibet homini cura de salute proximi, nisi fortè in casu necessitatis, & ideò in casu, quo tenetur eius saluti prouidere, tenetur exponere proprium corpus pro salute proximi; & quæst. 44. artic. 8. ad 2. ait, quod proximum plus debemus diligere quā corpus nostrum; ôpusculo etiam 18.cap 14.ait, quod debemus magis diligere vitam spiritualem proximi, quam proprium corpus; & subdit, quod de necessitate præcepti est in articulo necessitatis ponere vitam pro salute spirituali proximi, puta si quis videat aliquem decipi ab hæreticis, tenetur illum docere, illum admonere, illi succurrere etiam cum periculo vitæ; item in 3. sent. d.29.a.8.q 2. ad 2. ait, cum scimus Fratrem posse liberari per mortem corporis à morte animi sine periculo animæ nostræ, tunc ponere animam pro fratre non est perfectionis, sed necessitatis, idest est in pcepto. dico secundò, quod omnis homo priuatus non tenetur exponere vitam propriā pro salute spirituali proximi in necessitate secundi generis constituti, immò nec tenetur corripere proximū cum graui periculo amittendi honorem, aut statum locum, sed poterit differre in aliud tempus, aut omninò dimittere correctionem. probatur, quotiescumq; vtrumq; potest saluari nempè saluis rebus proximi, & vita, & honore illius, qui debet corrigere, non tenetur quis vitam, vel honorem prodigere pro salute animæ proximi, sic autem est in proposito, quia peccator habet tempus pænitendi, & consequenter in aliud tempus poterit quis differre correctionem, & suam saluare vitam, & suum conseruare honorem. tertiò dico, quod Prælati habentes curam animarum, & maximè Episcopi tenentur citra primi generis necessitatem in multis alijs casibus vitam periculo exponere pro salute ouium. probatur ex D.Thoma 2. 2.q. 185. a. 5. in corp. vbi ait loquens de Episcopis, vbi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum tēporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ouibus; suis probatur etiam ratione, nam clarum est, quod Episcopus maiori adstringitur obligatione ponendi animam suam pro ouibus suis, quā quilibet alius, cum sit Pastor, & in sua consecratione obligetur speciali vinculo ad curam animarum, ergo in pluribus euentibus obligatur ad ponendum animam suam pro ouibus suis, quam quilibet alius, sed alij tenentur ad hoc in extrema necessitate, ergo Episcopi tenebuntur ad hoc etiā extra necessitatē extremam in multis euentibus. dico quinto, quilibet tenetur corrigere proximum in necessitate secundi generis cōstitutum cū aliquo damno temporalis damni. probatur, nam si nunquam homo teneretur pati aliquale detrimentum pro reparatione vitæ spiritualis proximi, non plus diligeret vitam spiritualem proximi, quam bona sua temporalia. ex his patet, maledixisse Henriquez.lib. 3. cap. 27. dum asserit, absolutè hominem non teneri cum periculo vitæ, vel magni damni proprij corrigere proximum; patet etiam, vndè desumpserint, quæ docent Reginaldus lib.4.cap.25.n.357. & 358. Valentia 2.2.disp.3.q.10.p.2. Malderus 2. 2 q.33.a.3. Azorius to.2.lib.2. cap. 1.quæsito. 3.

Circa

Circa eandem conclusionem dubium oritur aliud, an Prælati speciali obligatione teneantur corripere subditos loquendo de correctione in priori sensu, vt scilicet ordinatur ad bonum peculiare delinquentis. cui dubio respondẽdo dico, Prælatos speciali obligatione teneri ad correctionem Fraternam, quæ obligatio oritur ex officio ipsorum, ad cuius executionem tenẽtur ex iustitia. quod maiori obligatione teneantur ad correctionem, probatur auctoritate D. Thomæ 2.2.q.33.a.3.ad 1. cui addo rationem, nam Prælati sunt Patres spirituales, ergo maiori obligatione tenentur ea, quæ ad spiritualem salutem ordinantur, exequi. idem docent Caietanus 2.2. q.33.a.2. Adrianus in 4. in q. principali de correctione fraterna, Dominicus Bannes ad hunc locum. quod autem hæc obligatio oriatur ex illorum officio, patet, nam ante prælationem non obligabãtur, nisi sicut cæteri homines. sed elati ad prælationem magis obligantur, ergo talis maior obligatio erit ratione officij. quod autem teneantur ex iustitia illã exequi, probatur, quia Episcopi in sua consecratione obligantur speciali vinculo ad curam animarum. ergo tenebuntur ex iustitia illam exequi, vnusquisque enim tenetur proprium exequi officium ex iustitia. hinc elicitur non sufficere, vt Episcopus, qui omisit subditum suum corrigere, dicat in confessione, omisi correctionem proximi, sed necesse esse, vt exprimat, se esse Prælatum illius, quia cum ista maior obligatio oriatur ex iustitia, speciale constituit peccatum. hic tamen obseruo, quod quando dicimus Prælatos magis obligari ad correctionem, quam alios ex iustitia, non per hoc negamus, quin maior obligatio illorum non oriatur ex Charitate, & misericordia, vt docet Dominicus Sotus in relectione de sigillo memb. 2. qu. 3. concl. 3. sed asserimus, quod illa maior obligatio nõ oritur ex præcepto Charitatis in communi, sed prout coniũgitur cum præcepto iustitiæ, & fidelitatis officij debiti à Prælato ex iustitia, vt ait Bannes ad hunc locum.

Dubitatur vltimo, an Religiosi mendicantes specialiter teneantur ad correctionem fraternã, ex eorum officio, cum eorum institutio ad salutem animarum sit ordinata præcipuè, tempore D. Thomæ fuerunt quidam maleuoli, qui præsumebant dicere, quod Religionibus Mendicantium non licebat prædicare, & Confessiones audire, & quod Episcopi non poterant illis committere, vt in huiusmodi operibus se exercerent. contra quos Angelicus Doctor opusculum egregium conscripsit, quod est decimumnonum in ordine, & quod inscripsit, contra impugnantes Religionem. huic ergo dubio respondetur duplici conclusione, quarum prima est. Prælati in ordinibus Mendicantium, & præcipuè in ordine Prædicatorum tenentur sub præcepto habere specialem curam, vt Religiosi se exerceant in his operibus misericordię spiritualibus, in doctrina, Prædicatione, Confessionum auditione, & consilijs spiritualibus. probatur, quia ipsi Prælati sunt custodes legum, & obseruantiarum regularium, sed specialis obseruantia est ea, quæ spectat ad finem proprium vniuscuiusq; Religionis, ergo si finis sit salus animarum, tenentur ad media ex professione sua. secunda conclusio. Religiosi Mendicantes tenentur speciali obligatione ad opera misericordiæ implenda, supposita tamen obedientia. probatur, quia sicut Episcopi, & Curati obligantur ad ista opera ex officio, ita Religiosi ex voto suo, ergo est specialis obligatio in eis; quod diximus de Mendicantibus respectu operum spiritualium, dicẽdum est etiam de alijs Religionibus proportionabiliter respectu operum misericordiæ corporalium, quod scilicet sub peccato mortali teneantur se exercere in illis operibus; idem dicendum est de militaribus ordinibus, qui instituti noscuntur ad defensionem Christianæ Reipublicæ gladio materiali. concludamus ergo, quod Religiosi mendicantes, & præcipuè Prædicatores tenentur speciali obligatione ratione suæ professionis, & finis suæ Religionis corrigere delinquentes.

Quæritur, an corrigens teneat locum superioris.

2 Respondeo dicendum, quòd ille, qui habet sanum rationis iudicium, ex quo possit alterius delictum corrigere, quantũ adhoc est superior habendus. 2.2.q.33.a.3.ad 2.

Quod ille, qui habet sanum rationis iuditium, ex quo possit alterius delictũ corrigere, sit quantum ad hoc superior habendus, docet D. Thomas in hoc quæsito.

In hac littera vult insinuare Angelicus Doctor, quod ad esse superiorem in spiritualibus sufficit habere sanum rationis iuditium, quo possit alterius delictum corrigere, nec semper requiritur, quod sit Prælatus quo ad iurisdictionem, & dignitatem, & loquitur D. Thomas de correctione, quæ est actus Charitatis.

Quæritur, an subditi possint corrigere Prælatos delinquentes.

3 Respondeo dicendum, quòd correctio, quæ est actus iustitiæ per correctionem pænæ non competit subditis respectu Prælati, sed correctio Fraterna, quæ est actus Charitatis, pertinet ad vnumquemq; respectu cuiuslibet personæ, ad quam Charitatem debet habere, si in eo aliquid corrigibile inueniatur, actus enim ex aliquo habitu, vel potentia procedens se extendit ad omnia, quæ continentur sub obiecto illius potentiæ, vel habitus, sicut visio ad omnia, quæ continentur sub obiecto visus, sed quia actus Virtuosus debet esse moderatus debitis circunstantijs, ideò in corre-

correctione qua subditi corrigant Prælatos debet modus congruus adhiberi, vt scilicet non cum proteruia, & duritia, sed cum mansuetudine, & reuerentia corrigãtur, vndè Apostolus primæ ad Timoth. 5. seniorem ne increpaueris, sed obsecra, vt Patrem, & ideò Dionysius redarguit Demophylum Monachum, qui Sacerdotem irreuerenter correxerat, eum percutiens, & de Ecclesia eijciens. 2.2.q.33. a. 4. in corp. (4. sent. d. 19. a. 2. quæstiunc. 3. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. correctio, quæ est actus iustitiæ per corectionem pænæ, non cõpetit subditis. hæc patet de se. secunda conclusio. correctio fraterna, quæ est actus Charitatis, pertinet ad vnumquemq; respectu cuiuslibet personæ, ad quam Charitatem habere debet, si in eo aliquid corrigibile inueniatur. probatur, quia actus ex aliquo habitu, vel potentia procedens se extendit ad omnia, quæ continentur sub obiecto illius habitus, vel potentiæ, vt patet de uisione, vt in littera. tertia conclusio. in correctione, qua subditi corrigunt Prælatos, debet modus congruus adhiberi, vt scilicet non cum proteruia, & duritia, sed cum mansuetudine, & reuerentia corrigantur. probatur, quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circunstantijs, & hæ circunstantiæ in proposito sunt mansuetudo, & reuerentia, vt patet ex Apostolo, & Dionysio.

Prima conclusio est de fide. legatur Conciliũ Constatiense sess. 8. errore. 17.

Quæritur, an subditi debeant corrigere Prælatos suos secretè, an publicè.

4 Respondeo dicendũm, quòd in occulto admonere, & reuerenter potest ille, qui non est par, vndè Apost. ad Coloss. vltimo scribit de subditis, vt Prælatum suum admoneant, cum dicit, dicit Archiepiscopo, ministerium tuum imple, sciẽdum tamen est, quòd vbi immineret periculum fidei, etiam publicè essent Prælati à subditis arguendi, vndè, & Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem, Petrum publicè arguit, & sicut glos. Augustini dicit ad Galat. 2. ipse Petrus exemplum maioribus præbuit, vt sicubi fortè rectum tramitem reliquissent, non dedignentur etiam à posterioribus corrigi. 2.2.q.33.a.4. ad 2.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ille, qui non est par, potest in occultò, & reuerenter admonere. probatur ex Apostolo ad Coloss. vltimò. secunda conclusio. vbi immineret periculum fidei, etiam publicè essent Prælati à subditis arguendi. probatur exemplo Pauli, qui Petrum publicè arguit; & authoritate Augustini, vt in littera.

Ex secunda conclusione habemus, vt etiam aduertit Caietanus ad hunc locum, quod licitũ est aliquando Prælatum publicè arguere, quando scilicet Prælatus errat in fide, & eius error est perniciosus docendo illum alios; quando etiam, ait Bannes ad hunc locum, Prælatus notabiliter suis moribus populum scandalizat, sicut enim publicè destruit fidem, & Charitatem, ita publicè corrigendus est, huiusmodi enim correctio regulariter loquendo potest prodesse populo, & nihil obesse: in alijs casibus caueant Concionatores verbi Dei ab huiusmodi publicis reprehensionibus contra Prælatos, siue Ecclesiasticos, siue sæculares, sicut prudentissimè cautum est in constitutionibus fratrum Prædicatorum; non audeant os suum ponere in cælum, tunc autem os suum ponunt in cælum, quando in Prælatos Ecclesiasticos, siue sæculares imprudenter inuehũtur. obseruent Prædicatores doctrinam Caietani 3. p. q. 42. a. 2. & tunc prudentissimè suo munere functos fuisse cognoscent. Priscis temporibus nostris aliqui in sugestis omnia audent in suis reprehensionibus: non agunt personam delectam, contra Prælatos, contra Religiosos spiritu vanitatis, & ambitionis, aut inuidiæ, & æmulationis potius, quam spiritu Dei, & zelo boni communis acti, & ducti in tot reprehensiones feruntur, vt potius populum scãdalizent, quam ædificent; publicè sunt tantum arguendi Prælati, quando peccatum eorum esset perniciosum fidei, & in notabile caderet scandalum aliorum; quod expressis verbis docuit D. Thomas. 3. p. q. 42. a. 2. in corp. vbi ait, quia salus multitudinis est præferenda paci quorumcunque singularium hominum, ideò quando aliqui sua peruersitate multitudinis salutem impediunt, non est timenda eorum offensio à Prædicatore, vel Doctore ad hoc quod multitudinis saluti prouideat.

Quæritur, quid intendere debeat subditus, dum corrigit Prælatum suum.

5 Respondeo dicendum, quòd cum aliquis Prælatum Charitatiuè monet, non propter hoc se maiorem existimat, sed auxilium impartitur ei, qui quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur, vt Aug. dicit in regula. 2.2.q. 33. a. 4. ad 3.

Quòd dum subditus aliquis Prælatum charitatiuè admonet, non per hoc se maiorem, seu meliorem existimet, sed quod auxilium impartitur ei, qui quantò in loco superiori, tantò in periculo maiori versatur, vt ait Augustinus, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Non immoror, cum nil mihi occurrat scribendum.

Quæri-

Quæritur, an peccator possit alios corrigere.

6 Respondeo dicendum, quòd correctio delinquentis pertinet ad aliquem in quãtum viget in eo rectum iuditium rationis, peccatum autem non tollit totum bonum naturæ, quin remaneat in peccante aliud de recto iuditio rationis, & secundum hoc potest sibi competere in subditis delictum arguere, sed tamen per peccatum præcedens impedimentum quoddam huic correctioni affertur propter tria, primò quidem quia ex peccato præcedenti indignus redditur, vt alium corrigat, & præcipuè si maius peccatum comisit, non est dignus, vt alium corrigat de minori peccato, vndè super illud, Math. 7. quid vides festucam &c. dicit Hieronymus, de his loquitur, qui cum mortali crimine detineantur obnoxij, minora peccata Fratribus non concedunt; secundò redditur indebita correctio propter scandalum, quòd sequitur ex correctione, si peccatum corripientis sit manifestum, quia videtur, quòd ille, qui corrigit, non corrigat ex Charitate, sed magis ad ostentationem, vndè super illud Math. 7. quomodo dicis Fratri tuo &c. exponit Chrisostomus, in quo proposito puta ex Charitate, vt salues proximum tuũ non quia te ipsum ante saluares; vis ergo non alios saluare, sed per bonam doctrinam malos actus cælare, & scientiæ laudes ab hominibus quærere. tertiò modo propter superbiam corripientis, inquãtum scilicet aliquis propria peccata paruipendens, se ipsũ proximo præfert in corde suo, peccata eius austera seueritate diudicans, ac si ipse esset iustus vnde Augustinus dicit in lib. de sermone Domini in monte, accusare vitia, officium est bonorũ virorum, & beneuolorũ, quòd cum mali faciunt alienas partes agunt, & ideò sicut Augustinus dicit in eodem, cogitemus cum aliquem reprehendere nos necessitas cogit, vtrum tale sit vitium, quòd nunquam habuimus, & tunc cogitemus, nos homines esse, & habere potuisse, vel tale, quòd aliquando habuimus, & iam nõ habemus, & tunc tangat memoriam communis fragilitas, vt illam correctionem nõ odium, sed misericordia præcedat; si autem inueniremus nos in eodem vitio esse, non obiurgemus, sed congemiscamus, & ad æqualiter conandum inuitemus; ex his ergo patet, quòd si peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec sibi nouam condemnationem acquirit, licet per hoc, vel in conscientia Fratris, vel saltem sua pro peccato præterito condemnabilem se esse ostendat. 2.2.q.33. a.5. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. peccatori, secundum quod viget in eo rectum iuditium rationis, potest competere in alijs delictum arguere. probatur, quia correctio delinquentis pertinet ad aliquem, inquantum viget in eo rectum iuditium, rationis, sed in peccatore remanet aliquid de recto iuditio rationis, ergo &c. probatur minor, quia peccatum non tollit totum bonum naturæ. secunda conclusio. Per peccatum præcedẽs impedimentum quoddam huic correctioni affertur propter tria, primò quia ex peccato præcedenti fit indignus, vt alium corrigat, & maximè si maius peccatum comisit; secundò quia scandalizat; tertiò quia superbit; quæ omnia singulis auctoritatibus sanctorum probãtur. tertia conclusio. si peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec sibi nouam condẽnationem acquirit, licet per hoc vel in conscientia fratris, vel saltem sua pro peccato præterito condemnabilem se esse ostendat.

Circa primam conclusionem obserua, quod sola administratio facta in peccato mortali in actibus Sacris, quales sunt actus Sacramentales, facit nouum peccatum mortale, vt asserit Caietanus hoc in loco, & in quodlib. & cum correctio Fraterna non sit actus sacer, ideò corrigere in peccato mortali non erit peccatum mortale, immò nec peccatum veniale. hinc discant peccatores, vt non sint pusillanimes propter testimonium malæ conscientiæ ad faciendam correctionem, quia si ex pusillanimitate illam omittant, aliquando erit peccatum mortale, vt ait Dominicus Bannes ad hunc locum, & ratio id suadet, quia ex hoc solũ, qđ aliquis est peccator, non eximitur ab obligatione aliorum præceptorum; licebit tamen cessare ad tempus ab huiusmodi correctione, puta quando non est periculum in mora. Vtrum autem teneatur peccator pænitentiam agere, quando sperat, quod sua pænitentia corrigetur Frater, dicendum erit cum Dominico Soto in relectione de sigillo memb. 2. q.3. concl. 6. quod peccator non tenetur agere pænitentiam, vt alium corrigat regulariter loquendo; dicitur autem, regulariter loquendo, quia, vt ait Dominicus Bannes ad hunc locum, si peccatum, quo irretitus est peccator, sit scandalosum, tenetur cessare ab illo saltem exterius, vt corrigat Fratrem, quem scandalizat, rationẽ affert, quia non scandalizare est præceptum negatiuum, quod obligat pro semper, præceptum autem correctionis est affirmatiuum, quod supponimus tunc obligare, ergo tenebitur aufferre scandalum, vt corrigat Fratrem. si autem aliquis vlterius quærat, an quando peccatum non est scanda-

scandalosum, sed tamen scitur à Fratre, qui debet corrigi, & peccator est moraliter certus, quod si corrigendus sciat, ipsum pænitentiam egisse, quod corrigetur à suo peccato, tunc teneatur cessare à peccato, & pænitentiam agere; respondebitur, quod si proximus sit in extrema necessitate spirituali, & correctio peccatoris sit mediũ conueniens ad salutem animæ illius, profectò tenetur ex Charitate seipsum corrigere à peccato, saltem quoad exterius, ratio est, quia vnusquisq; tenetur diligere bonum spirituale proximi magis, quam suam vitam corporalem, quando fuerit in extrema necessitate; ergo multò magis tenebitur se priuare illo commodo, & delectatione, ne frater pereat in æternum; si autem proximus non sit in extrema necessitate spirituali, non tenetur peccator conteri de suo peccato, nec cessare à peccato exteriori ex vi præcepti correctionis; quod non teneatur interius pæniteri, patet, quia illa pænitentia est occulta; quod etiam non teneatur cessare à peccato exteriori, suadetur, quia aliàs omnes, qui peccarent exteriori opere, committerent etiam peccatum omissionis præcepti de correctione fraterna, nisi statim cessarent, vt se habiles redderent ad corrigendum alios peccatores, qui habent notitiam peccati aliorum.

Quæritur, an existens in peccato mortali peccet alios corrigendo.

7 Respondeo dicendum, quòd duplicer aliquis corripere potest, vno modo ex officio, sicut Prælati corripiunt, & sic videtur, quòd ille, qui est in simili peccato, vel maiori, non potest alium corripere, quia quandocunq; aliquis indignè vtitur officio suo, peccat, ille autem, qui est in mortali peccato etiam occulto indignè vtitur officio Prælationis, vndè peccat corripiendo, vel quidquid aliud proprij officij exequatur, alio modo aliquis corripit ex zelo Charitatis, non vt Ecclesiæ minister, & tunc in correptione non potest esse peccatum, nisi ratione scandali, quòd non consurgit, nisi de peccato notorio, vndè siue Prælatus, siue subditus etiam in peccato notorio existens aliquem peccare viderit, potest eum admonere non per modũ corripientis, sed per modum rogantis, vt exẽplo suo non incitetur ad malum. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 2. quæst. 2. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas duplici conclusione. distinctio est, quod dupliciter aliquis corripere potest, vno modo ex officio, alio modo ex zelo charitatis prima. conclusio. ille, qui est in simili peccato, vel maiori, non potest ex officio alium corripere. probatur, quia quandocunque aliquis indignè vtitur officio suo, peccat, sed ille, qui est in peccato mortali, etiam occulto, indignè vtitur officio Prælationis, ergo peccat corripiendo, vel quidquid aliud proprij officij exequendo. secunda conclusio. qui est in peccato corripiens ex zelo Charitatis non peccat, nisi ratione scandali, quod non consurgit nisi de peccato notorio. hinc elicitur corrolariũ, quod si Prælatus, siue subditus etiam in peccato notorio existens aliquem peccare viderit, potest eum admonere non per modum corripientis, sed per modum rogantis. probatur, vt exemplo suo non incitetur ad malum.

Circa distinctionem nota, quod eadem est cũ illa, quæ ab alijs datur, nempe quod dupliciter contingit aliquem corripere, vno modo auctoritatiuè, vt Iudex, & Prælatus, alio modo fraternaliter ex Charitate, & misericordia. circa primã conclusionem est dubium ad hominem. Nam D. Thomas hoc in loco apertè docet, quod Prælatus corrigens in peccato mortali peccat, quia vtitur indignè officio suo, in 2.2. autem q. 60. ar. 2. ad 3. ait indistinctè de Iudice, quod si propter officium tenetur iudicare peccator, potest iudicare cum humilitate, absque quod incurrat nouã damnationis causam, quamuis se damnabilem ostendat alios iudicando. Paludanus tenet cũ D. Thoma in hoc loco, quod scilicet Prælatus Ecclesiasticus corripiens alium in peccato peccet mortaliter, quia est suspensus coram Deo, ad qđ facit. 2. q. 7. qui nec. & de consecrat. d. 5. c. fi. Paludanum sequitur Siluester verb. correctio. q. 16. Caietanus autem 2.2. q. 60. art. 2. quem sequitur Dominicus Bannes 2.2. q. 33. art. 5. docet, quod Prælatus spiritualis vtens officio suo in his, quæ non ordinis, sed iurisdictionis sunt quamuis sit in peccato mortali, non peccat, saltem mortaliter, per se loquendo, quod ideò dicit, vt euitet id, quod est per accidens, puta scãdalum, si peccatum sit manifestum. quod profectò est tenendum, nam supradiximus cum S. Thoma, quod peccatum non tollit totum bonum naturæ, quin remaneat in peccante aliquid de recto iuditio rationis, & secundum hoc potest sibi competere in subditis delictum arguere, idest nõ tollit peccatum rationem corrigendi, scilicet rectum iuditium; vlterius diximus cum Dominico Bannes, quod peccator non debet esse pusillanimis in facienda correctione propter testimoniũ malæ conscientiæ, quia ex hac pusillanimitate solet omitti correctio fraterna, quod non semper fit sine peccato mortali, & hoc si verum est de priuato peccatore, multò magis debet verificari de peccatore Prælato, cui ex officio incumbit super gregem sibi commissum inuigilare. sed quid dicendum erit ad auctoritatem D. Thomæ hoc in loco, dicendum erit, & respondendum, quod hoc in loco loquitur ad mentem aliorum, vt ait Caietanus 2.2. q. 60. ar. 2. in re autem locutus est ad mentem propriam. ad rationem allatam in hoc textu dicitur, quod indignè vti officio stat dupliciter, scilicet priuatiuè, & contrariè; qui vtitur officio suo in peccato mortali, vtitur eo indignè priuatiuè, non tamen contrariè; priuatiuè, inquam, quia est priuatus conditione, quam natus

natus est habere, vt Prælatus spiritualis officio dignè fungatur, non autem aliquid contrarium recto iudicio, quod est ratio corrigendi, vt diximus agit. ad decretalem dicitur, quod loquitur de ministro potestatis ordinis, minister .n. Dei, & Ecclesiæ ad actũ sanctæ potestatis ordinis,quẽ nullus sine consecratione habere potest, debet esse sanctus; non autem loquitur de potestate iurisdictionis,de qua in hoc loco sermo est.

Quæritur, an existens in peccato veniali peccet corrigendo.

8 Respondeo dicendum, quòd peccatum veniale nõ reddit aliquem indgnum executione officij,sicut peccatum mortale,nec ita natum est scandalizare, quia ab eis nullus inuenitur immunis, & ideò existens in peccato veniali non peccat, etiam si de eodem corripiat, nisi probabiliter ex correptione scandalum sequi videatur, & de hoc peccato scilicet veniali dicitur Ioãnis primò, si dixerimus, quòd peccatum non habemus,nos ipsos seducimus. 4.sent. d.19.q.2.a.2.quæstiunc.2. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. existens in peccato veniali nõ peccat, etiamsi de eodem corripiat, nisi probabiliter ex correptione scandalum sequi videatur. probatur, quia peccatum veniale non reddit aliquem indignum executione officij, sicut peccatum mortale;nec ita natum est scandalizare, quia ab illis nullus immunis inuenitur.

Hoc etiam in loco D.Thomas loquitur ad mẽtem aliorum, dum ait, peccatum mortale reddere hominem indignum executione officij sui, iam enim diximus,quod peccatum mortale reddit solum hominem indignum vsu potestatis ordinis, non autem potestatis Iurisdictionis, quæ reperitur in Prælato,ideò Prelatus quamuis existens in peccato mortali poterit corripere subditos,nec per hoc peccabit mortaliter per se loquendo, licet per accidens, idest ratione scandali possit peccatum incurrere mortale; multò minus peccabit,si corripiat in peccato veniali.

Qui corrigi debent. Cap. III.

1 *Prælati magis debent corrigere sibi subditos.*
5 *Prælati duplici iure tenentur ad correctionem fraternam.*
2 *Peccatores non sunt quærendi, vt corrigantur.*
5 *An Prælatus teneatur explorare vitam subditi, vt eum corrigat, & multa notantur scitu digna ex Caietano, & Bannes.*
3 *An quid sit vtilis correctio.*
4 *Prædestinatis prodest correctio.*
Nulli, quamdiu viuit subtrahenda est Correctio Fraterna.

Quæritur, quos Prælati magis debeant corrigere.

1 Respondeo dicendum,quòd in correctione Fraterna, quæ ad omnes pertinet grauior est cura Prælatorum, vt dicit Augustinus in primo de Ciuit. Dei sicut enim temporalia beneficia potius debet aliquis exhibere illis, quorũ curam temporalem habent, ita etiam beneficia spiritualia puta correctionem, doctrinam,& alia huiusmodi magis debet exhibere illis, qui sunt suæ curæ spirituali cõmissi. 2.2.q.33.a.3. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Prælati magis debent corrigere subditos suos. probatur, quia in correctione fraterna grauior est cura Prælatorum, qui sicut beneficia temporalia potius debent exhibere his,quorum curam temporalem habent,ita et beneficia spiritualia,inter quæ est correctio fraterna,vt ait Augustinus.

Prælatus duplici iure tenetur ad subditorum correctionem, primò iure communi, quo omnes homines tenentur ad correctionem, & iure officij sui; si tamen huiusmodi opus misericordiæ prætermittat, duplici non maculatur peccato, licet grauius peccet, quam singularis homo,sicut existens in sacris, si labatur in peccatum carnis, duplici non inficitur macula ex hoc quod transgreditur præceptum Dei,& contra votum faciat, vel contra duplex votum agat, nempè in professione, & in susceptione primi ordinis sacri emissum,licet grauius peccet.

Quæritur, an sint quærendi peccatores, vt corrigantur.

2 Respondeo dicendum, quòd illa beneficia, quæ non debentur certæ personæ, sed communiter omnibus proximis siue sint corporalia, siue spiritualia non oportet nos quærere, quibus impendamus, sed sufficit, quòd impendamus eis, qui nobis occurrunt, hac enim quasi pro quadam sorte habendum est, vt Augustinus dicit in primo de Doctrina Christiana, & propter hoc dicit in lib.de verbis Domini,quod admonet nos Dominus noster non negligere inuicem peccata nostra, non quærendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas, alioquin efficeremur exploratores vitæ aliorum contra id, quòd dicitur prouerb. 24. ne quæras impietatem in domo iusti,& non vastes requiem eius, vndè patet, quod nec Religiosos oportet exire claustrum ad corrigendum delinquentes. 2.2.q.33.a.2. ad 4.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. illa beneficia, quæ non debentur certæ personæ, sed communiter omnibus proximis, siue sint corporalia, siue spiritualia, non oportet nos quærere, quibus impendamus, sed sufficit, quod impendamus eis, qui nobis occurrunt. probatur, quia hoc quasi pro quadam sorte habendum est, vt ait Augustinus, vt in littera. hinc elicitur corrolarium, quod non oportet, vt Religiosi exeant claustrum ad corrigendum delinquentes.

Circa hanc doctrinam est dubium, an Prælati teneantur inquirere, & explorare vitam subditorum ad corrigendum eos fraternaliter. huic dubio respondet Caietanus triplici conclusione, quarum prima est. non consonat rationi, vt fact° quis Prælatus teneatur ad inquirendum pro correctione fraterna, quia hoc esset nouum præceptum, ad quod prius non tenebatur, quod tamen non per se spectat ad Prælationis officium, sed ad communem hominum statum. hanc conclusionem probat tali ratione, quoniam præceptum eleemosinæ non solum præsuponit indigẽtiam proximi, sed notitiam illius indigentiæ, itaut præceptum eleemosinæ consistat in hoc, da indigenti noto, & non in hoc quod quærat quis notitiam indigentis; & hinc colligit secundam cõclusionem, nempe quod quantũ est ex vi istius præcepti neque subditus, neque Prælatus tenetur quærere indigentes; tertia conclusio. si occurrat aliquis indigens correctione, magis tenetur Prælatus ad correctionem illius, quam subditus, sicut magis tenetur ad non scandalizandum; non tamen vult Caietanus diffinire, quomodo Prælatus ex præcepto officij sui teneatur ad notitiam quærendam de peccatis subditorũ, vt eos corrigat propter se ipsos, vel commune bonum; dicit tamen, quod vt Prælatus faciat officium suum, sufficit vigilantia, & custodia, ad quam Prælatus communiter tenetur, & secundũ occurrentes casus iuxta signa alicuius particularis inquirere, si correctione opus est, ad quod maxima opus est prudentia, ne multa suspicio præcipitem, & exosum Prælatum reddat, nec incuria multiplicationem pariat peccatorum occultorum in iuditio, idest in foro exteriori, vt ait Dominicus Bannes 2. 2. q. 33. a. 3. dub. 2. hæc enim inquisitio, quæ ad peccatoris emendationem ordinatur, non videtur scientificè determinanda, sed prudentiæ, quæ circa particularia versatur, relinquitur considerare, qualiter, & quando, & cuius quærendum est peccatum sanandum. Dominicus Bannes loco citato laudat hanc doctrinam Caietani tanquam sciẽtificam, & multa discretione, & prudentia plenam, quã etiam quattuor explicat ipse cõclusionibus, quarum prima est. Prælatus, quatenus frater est, nulla ratione tenetur inquirere, & inuestigare, quomodo viuant subditi sibi ad corrigendum illos præcepto Euangelico, ratio est, quia considerata solum ratione fraternitatis omnes sumus æquales, constat autem non omnes teneri ad huiusmodi diligentiam adhibendam, ergo neque Prælatus, quatenus frater est; secunda conclusio est. eis, qui non sunt Patres, vel Prælati, non est licitum inquirere vitam fratris, vt eum corrigant fraternaliter, quam probat dicto Augustini in textu citato. tertia conclusio. Prælatus, inquãtum Pater est spiritualis, potest, immò vt Prælatus debet, & tenetur aliquando inquirere vitã filiorum, & subditorum ad corrigendum illos propter bonum ipsorum ex præcepto correctionis fraternæ, quatenus coniungitur cum officio paterno, immò & cum officio Prælati. ratio est, quia præceptum correctionis fraternæ obligat vnumquemque facere hanc eleemosinam spiritualem secundum possibilitatem diuitiarum spiritualium, quas quisque possidet, quibus conuenienter, & prudenter potest succurrere spirituali miseriæ proximi, sicut præceptũ de eleemosina corporali in multis casibus magis obligat ditiorem, quod minus diuitem, & cum Prælatus, in eo quod Prælatus, & Pater, sit frater diues, & potentior ad commodè exercendum correctionem fraternam, tenebitur in multis casibus illã exercere, vtendo, in quibus vti licet, auctoritate Patris, & Prælati, vt commodius, & efficacius fiat huiusmodi correctio; Patri ergo, & Iudici licitũ est inquirere de vita filiorum, & subditorum per media spiritualia, quæ prudentia dictabit, & cũ illa media fuerint conueniẽtia ad correctionem fraternam, tenebitur Prælatus illa remedia adhibere, quia vtitur iure suo, quibus medijs si alius vteretur, peccaret vsurpando officium alienum, & iniuriam faciendo proximo, quem parat corrigere. quarta conclusio: Media, quæ Prælati possunt, & debent adhibere in ordine ad correctionem fraternam, debent esse proportionata fini, erunt autem proportionata, si non excesserint officium Prælati, & Patris, & fuerint conuenientia, vt frater corrigatur. ex quo sequitur, quod Prælatus potest ponere vigiles, & custodes in locis communibus, & publicis, vt explorent, quæ ibi fiunt, & sibi narrent, & ex huiusmodi notitia licitum erit ei procedere ad correctionem fraternam, si defectus singularis personæ sibi subditæ inuenerit. vlterius Prælatus in Religione poterit ponere zelatores in publicis officinis Conuentus, vt si quid correctione dignũm viderint, sibi denuncient, vt fraternaliter corrigat, quem inuenerit delinquẽtem: his autem vijs, seu remedijs vti non licet alteri particulari, quod si iste particularis aliter fecerit, potius erit communis pacis perturbator, quam Euangelicus corrector fratrum suorum, & de huiusmodi particularibus loquitur D. Thomas hoc in loco, & D. Augustinus citatus in littera, dum dicũt, quod non oportet nos quærere, quibus impendamus beneficia communia spiritualia, interquæ est correctio fraterna, & quod non debemus esse exploratores vitæ aliorum.

Quæritur, ad quid sit vtilis correctio Fraterna.

3 Respondeo dicendum, quòd correctio vtilis

vtilis est, vt ex dolore correctionis voluntas regenerationis oriatur, si tamen qui corripitur filius est promissionis, vt strepitu correctionis forinsecus intonante, aut flagellante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur, & velle, vt Augustinus dicit in lib. de correptione, & gratia, ideò ergo necessaria est correctio, quia voluntas hominis requiritur adhoc, quòd à peccato abstineat, sed tamen correctio non est sufficiens sine Dei auxilio, vndè Eccl. 7. considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille dexpexerit. p.2.q.109.a.8. ad 2.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. correctio vtilis est, vt ex dolore correctionis voluntas regenerationis oriatur, si tamen, qui corripitur, filius est promissionis. probatur ex D. Augustino tom. 7. lib. de correptione, & gratia cap. 6. secunda conclusio. correctio est necessaria, vt homo non peccet. probatur, quia voluntas hominis requiritur adhoc quod à peccato abstineat. tertia cõclusio. correctio non est sufficiens sine Dei auxilio. probatur ex Eccl. 7.

Quod correctio sit vtilis, & necessaria medio Dei auxilio, experientia rerum magistra docet, dum cernimus aliquos peccatores correctos resipiscere, à malo declinare, prosequi bonum, viam perditionis odire, per semitam salutis incedere, quibus non defuisset obstinatio, & perseuerãtia in malo, si defecisset correctio.

Quæritur, quibus prosit correctio Fraterna.

4 Respondeo dicendum, quòd correctio, qua Fratres corrigimus effectum habet in prædestinatis, non in reprobatis, sed nulli, quamdiu viuit hic, subtrahendum est correptionis beneficium, quia non possumus prædestinatos distinguere à reprobatis, vt Augustinus dicit in lib. de correptione, & gratia. 2.2.q.83.a.7. ad 3.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est, correctio, qua fratres corrigimus, effectum habet in prædestinatis, nõ in reprobatis. secunda conclusio. nulli quamdiu viuit hic, subtrahendum est correptionis beneficium. probatur, quia non possumus prædestinatos distinguere à reprobatis, vt ait Augustinus in littera.

Percipiant primã conclusionẽ, qui corrigi renuũt, correctores despiciũt, odiunt, insequuntur,

De modo faciendi correctionem Fraternam. Cap. IV.

1 *Inductio debet præcedere publicam denunciationẽ.*

§ *Ordo correctionis fraternæ est in præcepto legis naturæ.*

Quando ordo correctionis fraternæ sit seruandus.

2 *Frater delinquens debet corrigi semel, aut pluries secretò, quamdiù habetur spes de eius emendatione.*

Quando non est spes emendationis sunt inducendi testes, si hoc proficiat ad emendationẽ fratris.

Si non proficeret hoc ad emendationem, relinquenda est correctio.

§ *Ordo correctionis fraternæ ponitur, & exponitur.*

3 *Propter tria sunt inducendi testes.*

§ *Ex Dominico Bannes ad quæ possint adhiberi testes.*

Potest quis adhibere gradatim testes, sed ad hoc non tenetur.

An crimen possit dici Prælato tanquam priuatæ personæ non adhibitis prius testibus.

4 *Si peccatum proximi iam est notum denunciandum est ei, qui habet potestatem corrigendi.*

Si nondum notum factum est, sed est in via, vt fiat notum, denunciandum est potestatem habenti corrigendi.

Si peccatum sit occultum considerandum est vtrum probabiliter sit speranda emendatio fratris.

Quomodo cognoscendum sit, an emendatio fratris sit futura.

Si emendatio speratur, corrigatur delinquens, & differatur denunciatio.

Quando non sit differenda denunciatio, etiam si peccatum sit occultum.

Si non speratur emendatio, & peccatum non sit infectiuũ alterius, nec damnificatiuum, differatur denunciatio, sed tantum admoneatur peccans.

Si peccatum sit infectiuum aliorum, est denunciandum Prælato.

Fama vnius est negligenda, vt innocentia, & fama multitudinis conseruetur.

Si peccatum sit in damnum corporale, considerandum est, quòd damnum sit maius, an famæ, an rei corporalis, & maiori damno, prouidendum est.

5 *Quando proximus potest corrigi per alium, non debet eius peccatum denunciari Prælato.*

Si sit melius denunciare Prælato, denuncietur ei peccatum.

In hoc casu non est denunciare Ecclesiæ, & quare.

Propter diuersas conditiones Prælatorum, & subditorum non potest in hoc dari regula generalis.

Hoc tenendum est, quòd in his seruanda est Charitas, & quòd melius videtur esse faciendum est.

Si subditus in denunciando Prælato peccatum proximi non seruat Charitatem, peccat mortaliter.

6 *Peccata procedentia ex ignorantia, & infirmitate sunt leuiter corrigenda.*

Peccata procedentia ex malitia sunt acriter corrigenda.

7 *Præceptum factum à Prælato, vel vni, vel pluribus de reuelando peccato alterius, vt corrigat ipsum, debet intelligi sanè, & quomodo.*

Si Prælatus præcipiat contra ordinem à Christo institutum, peccat, nec subditus debet obedire ei, & si obediat, peccat.

§ *Aduer-*

§ *Aduertentia ad Prælatos.*
Edicta Inquisitorum quomodo intelligenda.
8 *Peccata publica publicè sunt arguenda.*
Si peccata sunt occulta, corrigenda sunt secundum modum datum à Christo.
Si peccatum occultum est in damnũ spirituale, vel corporale aliorum, statim est denunciandum.
Si tamen per admonitionem secretam speratur emendatio, debet denunciatio dimitti.
Si peccatum sit secretum, ita emendetur, vt fama conseruetur.
Fama conseruanda est multiplici ratione.
Conscientia præferenda est famæ.
De necessitate præcepti est, vt secreta admonitio præcedat denunciationem.
§ *Quid sit peccatum publicum, & secretum.*
Dantur plures gradus secreti peccati, & qui.
Quando sit facienda, & quando non sit facienda correctio de peccato occulto.
Tenetur Clericus denunciare proditionem Ciuitatis, rapinam paratam, ex qua denunciatione scit certò, quod sequetur sanguinis effusio, nec incurrit irregularitatem, & cum quibus limitationibus hoc sit verum.
Quot, & quæ requirantur, vt præmittatur correctio fraterna in peccato hæresis.
Vir pius, & ignarus ex ignorantia errans prius est admonendus, quam Iudici denunciandus.
Quomodo edicta Inquisitorum, quibus præcipitur, vt statim peccatum hæresis &c. denuncietur S. Officio, sint intelligenda.

Quæritur, ad testium inductio debeat præcedere publicam denunciationem.

1 RE spondeo dicendũm, quòd quia de vno extremo, ad aliud extremum conuenienter transitur per medium, in correctione autem Fraterna Dominus voluit, quod principium esset occultum, dùm Frater corriperet fratrem inter se, & ipsum solum, finem autem voluit esse publicum, vt scilicet Ecclesiæ denunciaretur, & ideò conuenienter in medio ponitur testium inductio, vt primò paucis indicetur peccatum fratris, qui possint prodesse, & non obesse, vt saltem sic sine multitudinis infamia emendetur. 2. 2. q. 33. a. 8. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. conuenienter in medio correctionis Fraternę ponitur testium inductio, vt primo paucis indicetur peccatum fratris, qui possunt prodesse, & non obesse, vt saltem sic sine multitudinis infamia emẽdetur. probatur, quia Dominus in correctione Fraterna voluit principium occultum, finem autem publicum, sed de vno extremo ad aliud conuenienter trãsitur per medium, ergo &c.

Hoc in loco describitur ordo seruãdus in correctione Fraterna, vt scilicet proximus delinquens primò admoneatur, secundò inducantur testes, & tertiò denuncietur Ecclesiæ, vt enim optimè discurrit Caietanus ad hunc locum, duplex remedium statutum est contra peccatum, inquantum nocet ipsi peccanti, primum remedium consumabile a quocunque est secreta monitio, secundum autem consumabile à solo Prælato est medicinalis punitio propter ipsum sanãdum, vt vel coactus pæna emendetur à primo autem ad vltimum peruenitur per medium scilicet testium adhibitionem, iste ordo non est sub pręcepto nouo superposito legis naturæ, quia communis est sententia Theologorum, quod in lege noua non sunt nobis Diuina præcepta imposita præter præcepta de Sacramentis recipiendis; iste ergo ordo erit in pręcepto legis naturę, sicut dilectio inimicorum, & huiusmodi similia præcepta quę Christus expressit in Euangelio; quod sic deduco nam omnes tenentur ex pręcepto naturę eripere proximum à miseria peccati, quæ maxima est, per medium magis suaue, & absque minori detrimento proximi, quo fuerit possibile, dummodo efficax secundum se videatur, sed ordo descriptus à Christo est talis secundum se consideratus, ergo ille ordo cadit sub præcepto naturali per se loquendo. minor probatur, non enim maior suauitas imaginari potest, & minus incommudum erga proximum, quam quod ego solus suauiter admoneam illum, & corrigam, deindè si non se correxerit, vt adhibeam vnum, vel duos testes, quod medium licet sit durum, rationabile tamen est, vt proximus potius aliquantum patiatur pudorem, dummodo resipiscat, quam quod pereat in suo peccato, & tandẽ, si adhuc velit persistere in malitia sua, & spes sit salutis illius, procedendũ erit ad medium acerbius, vt scilicet peccatum illius denuncietur superiori tanquam Patri: iste profectò ordo est optimus secundum rationem naturalem. hic tamẽ obserua, quod iste ordo descriptus in Euangelio non est ita præceptus, vt in omni euentu seruandus sit, sed solum quando recta ratio id dictauerit, quod seruando singulos gradus procedendi est spes subueniendi miseriæ proximi; nam præceptum correctionis est affirmatiuum, quod obligat statutis temporibus à prudentia determinãdis, quæ prudentia respicit media conuenientia ad finem, vndè si prudentia dictat, quod tali tẽpore correctio mea sit nocitura proximo, non erit à me exercenda, quia tunc non erit medium conueniens fini, qui est salus proximi; quæ etiam prudentia aliquando dictabit incipiendum esse à secundo gradu relicto primo, & aliquando incipiendum esse à tertio gradu relictis duobus primis, & tunc seruandum erit, quod prudentia dictat, vt si sciam, quod admonitio secreta erit superflua, vel etiam nocitura, & secũdus gradus erit vtilis, tunc relicta admonitione secreta debeo admonere proximum coram testibus; si etiã sciam secundum gradum forè inutilem, & potius nociturum, debeo incipere à tertio gradu; rursus prudẽtia aliquando dictat post primum gradum

dum non esse procedendum ad secundum, vel tertium, quia propter experientiam in primo gradu acceptam constat, quod proximus non corrigetur, sed deterior fiet; immò aliquando erit cessandum omninò à correctione, vt supradiximus cum S. Thoma. ex his patet, quod quãdo primus gradus potest prodesse fratri, & incipitur correctio à secũdo, peccatũ est mortale, qa primò facit contra ordinem statutum à Christo, secundò quia infamat proximum apud alterum absque necessitate; idem dicendum est propter easdem rationes, quando correctio incipitur à tertio gradu relictis duobus primis. circa hanc materiam præter D. Thomam hoc in loco per totum legatur Dominicus Sotus in releɛt. de tegendo secretum memb. 2 quæsito 4 concl. 3. dub. 3. Adrianus in 4. de correctione fraterna. q. pænult. Petrus Nauarrus lib. 2. de rest. cap. 2. p. 2. dub. 11. Dominicus Bannes 2. 2. q. 33. a. 8. dub. 2.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Valentia tom. 4. d. 3. q. 10. p. 5. & alij.

Quæritur, quomodo sit intelligendus ordo Fraternæ correctionis.

2 Respondeo dicendum, quòd quidam sic intellexerunt ordinem fraternæ correctionis esse seruandum, vt primò Frater sit in secreto corripiendus, & si audierit benè quidem, si autem non audierit, si peccatum sit omnino occultum, dicebant non esse vlterius procedendum, si autem incipit iã ad notitiam plurium deuenire aliquibus indicijs, debet vlterius procedi secundum, quòd Dominus mandat, sed hoc est contra id, quòd Augustinus dicit in regula, quòd peccatum fratris non debet occultari, ne putrescat in corde, & ideò aliter dicendũ est, quòd post admonitionem secretam semel, vel pluries factam, quamdiu spes probabiliter habetur de correctione, per secretam admonitionem procedendum est, ex quo autẽ probabiliter iam cognoscere possumus, quòd secreta admonitio non valet, procedendum est vlterius quantumcunq; sit peccatum occultum ad testium inductionem, nisi fortè probabiliter æstimaretur, quòd hoc ad emendationem fratris non proficeret, sed exindè deterior redderetur, quia propter hoc est totaliter à correctione cessandum. 2. 2. q. 33. a. 8. ad 1. (4. sent. d. 19. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1. in corp.

Adducta, & confutata vna opinione respondet D. Thomas huic quæsito vnica conclusione. opinio erat dicentium, quod frater est corripiẽdus secretò, & si audierit, benè quidem, si autem non audierit, & peccatum sit omninò occultum, non est vlterius procedendum, si autem incipit in notitiam aliquorum deuenire, procedẽdum est vlterius. confutatur hæc opinio per D. Augustinum, vt in littera. conclusio est. post admonitionem secretam semel, vel pluries factã, quamdiu spes probabiliter habetur de correctione, per secretam admonitionem procedendum est; si autem secreta admonitio non valet, procedendum est vlterius ad testium inductionem, licet peccatum sit occultum, nisi fortè probabiliter existimaretur, quod hoc ad emendationem fratris non proficeret, sed potius exindè deterior fieret, tunc enim esset totaliter à correctione cessandum.

Opinionem confutatam à D. Thoma sequitur Durandus, qui etiam respondet auctoritati D. Augustini, sed Caietanus ad hunc locũ D. Thomam tuetur, & rationi Durandi respondet. circa ordinem fraternæ correctionis obserua, quod correctio fraterna facienda est eo ordine, quem præscripsit Christus in Euangelio, & est talis. primò peccator debet secretò moneri, corripe eum inter te, & ipsum solum, inquit Christus Mathei 18. quod tamen intelligendum est, si peccatum sit occultum; secundò debet corrigi coram testibus, si priuata, & secreta monitio non profuit, si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos testes; tertiò denunciandus est Prælato, quoties correctio non profuit obseruatis duobus primis modis; quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, inquit Christus; postremò si neque Ecclesiam audierit, sit sibi sicut ethnicus, & publicanus. circa quem ordinem nota, quod in correctione per testes facienda curandum est, vt peccatoris fama, quam minimum fieri potest, lædatur, vndè si peccator per vnius testis inductionẽ trahitur ad emendationem, vnicus tantum testis adhibendus est, vt docet D. Hieronimus, nec hoc obstat dicto Christi inquientis, in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum, ergo, inquiet aliquis, saltem duo testes sunt adhibendi. non obstat, inquam, quia dum corrigens adhibet alterum testem, iam sunt duo testes, corrigens enim est testis, vndè dicitur Mathei 18. ante verba prædicta, adhibe tecum adhuc vnũ, vel duos, subiungit postea, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum. vlterius nota, quod si post testium inductionem probabiliter creditur, quod peccator cernens se denunciatum deterior efficietur, cessandum est à denunciatione, ratio est, quia cum procedere in criminibus corrigendis ordinetur ad emendationem peccatoris, vt ad finem, vt habemus ex D Augustino in regula, & extra, de accusationibus. cap. super his. ex fine autem desumenda est ratio eorum, quæ sunt ad finem, vndè si non speratur emendatio peccatoris ex tali denunciatione, sed potius timetur, quod peior indè euadet, abstinendum est à denunciatione; similiter si post denunciationem probabiliter constet, quod si conuincatur, ibit in perditionem, Iudex non debet procedere ad cõuincendum hominem talem, dummodo tamen, vt rectè ait Caietanus in hoc loco, peccatum sit tale, quod sibi soli noceat, secus autem, si peccatum

catum esset in aliorum nocumentum, vel periculum, quia tunc non ipsius solius habenda est ratio.

Quaeritur, quare testes inducantur.

3 Respondeo dicendum, quòd testes possunt induci propter tria, vno modo ad ostendendum, quòd hoc sit peccatum, de quo aliquis arguitur, vt Hieronymus dicit: secundò modo ad conuincendum de actu, si actus iteratur, vt Augustinus dicit in regula: tertiò modo ad testificandum, quòd frater admonens fecit, quòd in se fuit, vt Chrisostomus dicit. 2.2.q.33.a. 8. ad 3. 4. sent. d. 19. q.2.a.3.quaestiunc. 2. in corp.

Quod testes possunt induci propter tria, quorum primum desumitur ex D.Hieronimo, secuundum ex D. Augustino, tertium ex D. Chrisostomo, docet D. Thomas in hoc loco, & omnia patent.

D.Hieronimus in Mathei cap.18.ait inducendos esse testes ad ostendendum esse peccatum, de quo aliquis arguitur, si fortè negat esse peccatum. D. Augustinus in regula ait, testes adhibendos esse ad conuincendum ipsum peccatorē de actu peccati, si ipsum actum iterare contenderit. D. Chrisostomus hom. 61. in Matheum inquit, adducendos esse testes ad testificandum coram Praelato quod admonens fecit, quod in se erat prius corrigendo fratrem. Petrus Nauarrus lib.2.de rest.cap.4.ait, vtendum esse testibus, vt & ipsi correctionis munere fungantur, & terrorem, aut pudorem inijciant delinquēti, vt à peccato retrahatur; quibus subiungit Dominicus Bannes. 2.2.q.33.a.8.dub. 3. quod ad illa omnia possunt adhiberi testes, quae possunt conducere ad correctionem fratris dummodò non publicè infametur, nisi in casu, quo publicatio delicti esset vtilis bono communi, in casu scilicet, quo esset licitum accusare iudicialiter. haec omnia probantur ex diffinitione correctionis fraternae, quae est spiritualis eleemosina ad miseriam spiritualem subleuandam destinata. si autem aliquis quaerat, an ille, qui corripuit coram testibus, teneatur adhuc gradatim alios testes adhibere, si repetitione testium speret fore, vt delinquens reducatur ad emendacionem vitae. respondebitur, posse gradatim testes adhibere, sed adhoc non teneri. quod possit, probatur, quia per hanc viam speratur peccatoris emendatio, quae finis est correctionis; quod autem adhoc non teneatur, suadetur, quia correctionis ordinem sufficienter seruauit iuxta Euangelij praescriptum. an autem aliquando possit peccatoris crimen dici Praelato tanquam priuatae personae non adhibitis prius testibus, dissensio est inter Doctores, quorum aliqui affirmant, alij negant, sed tu dic cum D.Thoma. 2. 2. q.33.art.8. ad 4. exponente verba D. Augustini in regula dicentis, prius Praeposito debet ostendi, nempè quod prius dicatur Praelato, quam testibus, secundum quod Praelatus est singularis quaedam persona, quae magis potest prodesse, quam alij, non autem quod dicatur ei tanquam Ecclesiae. contra tamen hanc veritatem arguit quidam modernus tom.2.disp. 3. q. 4.p.vltimo.nu.15.primò quia sine causa non est recedendum ab ordine praescripto in Euangelio. respondetur, quod dum manifestatur crimen Praelato, vt personae singulari, non receditur à tali ordine. secundò arguit, quia delinquēs magis aegrè ferre consueuit suum crimen aperiri Superiori, quam alijs hominibus inferioris condicionis. respondetur, quod delinquens magis aegrè fert aperiri suum crimen superiori, vt Iudici, non vt priuatae personae. secundò dicitur, quod licet magis aegrè ferat peccator crimen suū aperiri superiori, quam alteri inferioris conditionis, quia tamen ille superior potest magis prodesse, illi poterit manifestari prius, quam testibus, licet hoc aegrè ferat delinquens.

Quaeritur, quando sit, vel non sit differenda denunciatio.

4 Respondeo dicendum, quòd in peccatis denunciandis considerandum, est vtrū peccatum sit omnino occultum, aut ad notitiam aliorum deuenerit, aut in prompta sit, vt deueniat, si autem peccatum iam ad notitiam aliorum deuenerit, tunc debet denunciari ei, qui habet potestatem corrigendi, vt qui sunt scandalizati de culpa, aedificentur de paena; si autem in publicum nondum deuenit, sed est in via deuenendi, tunc etiam denunciandū est, vt scandalo futuro occurratur, si autem sit omnino occultum, tunc considerandum est vtrum emendatio peccantis expectari probabiliter possit, aut non quòd quidem facilè aduerti potuerit, si consideretur, vtrum aliquis ex electione, vel passione peccauerit, siue ex malitia, vel infirmitate, quòd idem est, quòd quidem perpendi potest ex conditione peccantis, & ex iteratione actus, quia si aliquis frequenter, & quasi improhibitè sine fraeno in aliquod peccatum lapsus est, signum est, quòd ex malitia, vel electione peccat, & non facilè emendatur, si autem semel occasione peccandi oblata in peccatum ruit, & postea tristitiam, & verecundiam de peccato ostēderit, signum est, quòd sit peccatum ex passione, vel ex infirmitate, & quòd de facili emendetur: si ergo emendatio spetetur, debet admonitio praecedere, & denunciatio differri quousq; videatur quomodo emendatur peccator, nisi fortè immineret

mineret occasio similis in peccatum ruẽdi, quam tamen declinare non vellet admonitus, tunc enim deberet Prælato denunciari, ne in præcipitium iret, si autem non speretur emendatio, tunc considerãdum est, an illud peccatum sit infectiuum aliorum, sicut est hæresis, vel fornicatio, vel aliquid huiusmodi, aut etiam cædat in aliquod damnum alterius, sicut furtũ, vel homicidium, & huiusmodi; si enim non cædat in damnum alterius, nec sit infectiuum peccatum, tunc potest denunciatio differri, quousq; videatur admonitionis effectus, præcipuè si emendationem promittit, si autem est infectiuum aliorum, debet denunciari Prælato, vt gregi suo caueat, sicut enim dicit Hieronymus, quæ misericordia est, parcere vni, & multos in descrimen adducere? polluitur populus ex vno peccatore, sicut ex vna oue morbida vniuersus Grex; semper enim bonum multorum debet præferri bono vnius, vndè etiam fama vnius negligi debet, vt innocentia, vel fama multitudinis conseruetur; si autem vergat in damnum corporale alterius, debet fieri comparatio illius damni ad damnum famæ illius, & illi damno, quòd præponderat, obuiandũ magis. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1. ad 2. (quoblibeto 11. a. 12. 13. in corp.

Data distinctione cum subdiuisione duplici respondet D. Thomas huic quęsito sextuplici cõclusione. distinctio est, quod peccatum aut est occultum, aut ad notitiam aliorum deuenit, aut in promptu est, vt deueniat; rursus si peccatum est occultum, aut emendatio peccantis speratur, aut non; rursus si speratur emendatio peccantis, aut peccatum est infectiuum aliorum, aut cædit in damnum aliquod alterius, aut non. prima cõclusio. si peccatum iam ad notitiam aliorum deuenit, denunciari debet ei, qui habet potestatem corrigendi. probatur, vt qui sunt scandalizati de culpa, ædificentur de pœna. secunda conclusio. si peccatum in publicum nũdum deuenit, sed est in via deueniendi, tunc etiam est denunciandum. probatur, vt futuro scandalo occurratur. tertia conclusio. si peccatum sit occultũ, & emendatio peccantis speratur, debet admonitio præcedere, & denunciatio differri quousque videatur, quomodo emendetur peccator, nisi fortè immineret occasio similis in peccatum ruendi, quam tamen declinare non vellet admonitus, tunc enim deberet Prælato denunciari, ne in pręcipitium iret. quarta conclusio. si non speretur emendatio, & peccatum non sit infectiuum aliorum, nec cædat in damnum alterius, potest denunciatio differri quousque videatur admonitionis effectus, præcipuè si emendationem promittit. quinta conclusio. si peccatum est infectiuum aliorum, debet denuntiari Prælato probatur dupliciter, & primò vt gregi suo caueat, quod cõfirmatur ex D. Hieronimo, secundò quia bonum multorum debet præferri bono vnius. sexta conclusio. si peccatum vergat in damnum corporale alterius, debet fieri comparatio illius damni ad damnum famæ illius, & illi damno, quod præponderat, obuiandum magis.

Ista doctrina explicabitur infra q̃sito octauo.

Quæritur, an statim, cum quis scit fratrem suum peccasse, debeat denunciare Prælato.

5 Respondeo dicendum, quòd in his distinguendum est de conditionibus subditi, & Prælati, nam si ego scio, quòd frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denunciare Prælato, si autẽ videtur quòd melius fiat per Prælatum, & Prælatus nihilominus sit pius, discretus, & spiritualis, non habens rancorem, seu odium aduersus illum subditum, tunc licitè potest hoc denunciare sibi, & tunc non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei, sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi, & emendã; sed quia propter conditiones diuersas Prælatorum, & subditorum non potest in hoc dari generale iudicium, quia aliquando Prælatus, vel mouetur ad odium aduersus subditũ, vel subditus non benè ferret verba Prælati, ideò tenendum est hoc pro regula, quòd in omnibus istis semper seruanda est Charitas, & quòd melius, & magis expedire videtur, & si hoc intendat, scilicet emendam proximi, seruet quantum potest, bonum Charitatis, tunc denunciando non peccat, si vero denunciet cuicunq; personæ hoc ex malitia, & vt proximus confundatur, vel deprimatur, tunc denuncians, siue accusans peccat mortaliter: quodlibeto. 11. a. 13. in corp. (quodlibeto. 1. a. 16. ad 1.

Conclusione sextuplici respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si ego scio, quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denunciare Prælato. secunda cõclusio. si videatur, quod melius fiat per Prælatum pium, discretum, spiritualem, non habentem rancorem, seu odium aduersus subditum, tunc licitè hoc potest denunciare sibi. tertia conclusio. tunc non dicit Ecclesiæ. probatur, quia non dicit ei sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi, & emendam. quarta conclusio. non potest in hoc dari generale iudicium. probatur, quia sunt diuersæ conditiones Prælatorũ, Prælatus enim aliquando mouetur ad odium

aduersus subditum, vel subditus non benè ferret verba Prælati. quinta conclusio. in omnibus istis semper seruanda est Charitas, & quod melius, & magis expedire videtur, & sic hoc intendat, scilicet emendam proximi, seruet, quantum potest, bonum Charitatis, tunc denunciando non peccat. sexta conclusio. si denunciet cuicunque personæ hoc ex malitia, & vt proximus cōfundatur, vel deprimatur, tunc denuntians, siue accusans peccat mortaliter.

Prima conclusio vera est, hoc enim postulat ordo correctionis fraternę præscriptus à Christo in Euangelio, vt primò admoneatur delinquens secretò, per quam admonitionem si emendetur, non est vlterius procedendum, quia iam habetur finis correctionis fraternæ, qui est emendatio peccatoris. secunda conclusio etiã vera est, nam supradiximus, posse peccatum manifestari immediatè ipsi Prælato, vt personæ particulari magis proficienti ad emendationem peccatoris, vt asserit D. Augustinus in regula, prius Præposito debet ostendi, quod glosatur à S. Thoma, tanquã personæ particulari magis proficienti.

Quæritur, an correctio quantum ad admonitionem secretam debeat esse dura.

6 Respondeo dicendum, quòd secundum Gregorium in pastorali, nonnulla peccata sunt leuiter corrigenda, nam cum non malitia, sed ignorantia sola, vel infirmitate delinquitur, necesse est, vt magno moderamine ipsa delicti correptio temperetur, nonnulla autem sunt vehementur increpanda, vt cum culpa ab actore non agnoscitur, quanti sit ponderis, ab increpantis ore sentiatur, & cum quis sibi malum, quòd perpetrauit leuigat, hoc cōtra se grauiter ex corripientis asperitate pertimescat, & quamuis ille loquatur de correptione, quæ Prælatis competit, tamē etiam in correptione, quæ ab alijs fit, hoc etiam est obseruandum, quamuis Fraterna correptio semper magis debeat ad lenitatem accedere, quia non ex auctoritate officij, sed ex Charitatis affectu exhibetur. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Conclusione quadruplici respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est ex D. Gregorio in pastorali par. 2. cap. 10. nonnulla peccata sunt leuiter corrigenda. probatur, nam cum non malitia, sed ignorantia sola, vel infirmitate delinquitur, necesse est, vt magno moderamine ipsa delicti correptio temperetur. secunda conclusio. nonnulla sunt vehementer increpanda. probatur, quia cum culpa ab actore non cognoscitur quanti sit ponderis, ab increpantis ore sentiatur; & vlterius cum quis sibi malum, quod perpetrauit, leuigat, hoc contra se grauiter ex corripientis asperitate pertimescat. tertia conclusio. licet D. Gregorius loquatur de correptione, quæ Prælatis cōpetit, tamen etiã in correptione, quæ ab alijs fit, hoc etiam est obseruandum. quarta conclusio. fraterna correptio semper magis debet ad lenitatem accedere. probatur, quia non ex auctoritate officij, sed ex Charitatis affectu exhibetur.

Ex prima, & secunda conclusione patet, quomodo intelligenda sint varia dicta sacrę scripturæ, & Sanctorum, dum aliqua eorum velint, admonitionem esse duram, & aliqua leuem; ad Galatas enim 6. legitur, vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis; D. etiam Augustinus super psalm. 140. ait, corripiat iustus in misericordia, & arguat; è contra Mathei. 3. habemus, & Lucæ. 3. Ioannem Baptistam dixisse, genimina viperarum &c. & Titi. 1. dicitur, argue illos durè.

Quæritur, quomodo intelligenda sint præcepta Prælatorum, qui volunt sibi reuelari peccatum corrigendum.

7 Respondeo dicendum, quòd quando Prælatus præcipit, vt sibi dicatur, quodquis sciuerit corrigendum, intelligendū est præceptum sanè, saluo ordine Fraternæ correctionis, siue præceptum fiat communiter ad omnes, siue ad aliquem specialiter, sed si Prælatus expræssè præciperet contra hunc ordinem à Domino institutum, & ipse peccaret præcipiens, & ei obediens, quasi contra præceptum Domini agens, vndè non esset ei obediendū, quia Prælatus non est iudex iudiciorum occultorum, sed solus Deus, vndè non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis, nisi inquantum per aliqua indicia manifestantur, puta per infamiam, vel per aliquas suspitiones, in quibus casibus potest Prælatus præcipere eodem modo, sicut, & iudex sæcularis, vel Ecclesiasticus potest exigere iuramentum de veritate dicenda. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 5. (quodlibet. 1. artic. 6.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. quando Prælatus præcipit, vt sibi dicatur, quod quis sciuerit corrigendum, intelligendum est præceptum sanè saluo ordine Fraternæ correctionis, siue præceptum sit communiter ad omnes, siue ad aliquem specialiter. secunda conlusio. si Prælatus expresè præciperet contra hunc ordinem à Domino institutum, peccaret ipse præcipiens, & obediens contra præceptum Domini agens, vndè non esset ei obediendū. probatur, quia Prælatus non est Iudex Iudiciorum occultorum, sed solus Deus, vndè non habet potestatē præcipiēdi

di aliquid super occultis, nisi in quantum per aliqua indicia manifestantur &c.

Conclusiones has aduertant rigidi Prælati, & discretti superiores, qui in visitatione monasteriorum præcipiunt sibi manifestari defectus subditorum distinctè, res enim ita se habet, quod si defectus sint occulti, prius sunt secretò admonendi delinquentes iuxta ordinē à Christo præscriptum, & qui hos defectus occultos Prælato immediatè reuelant, peccant tanquam transgressores præcepti Christi, Prælati etiā peccant, si contra hos procedant, quia vtuntur potestate, quam non habent, super occultis, quorum nō est iudex Prælatus, quia soli Deo iudicanda relinquuntur, vndè non erit eis obediendum contra præceptum Domini secundum illud ait. 5. obedire oportet Deo magis, quam hominibus; & huiusmodi præcepta Prælatorum de reuelandis peccatis fratrum intelligi debent sanè, scilicet sano modo, idest saluo ordine correctionis Fraternæ, vt post D.Thomam docuerunt Adrianus in 4. de correct. Fraterna. q. penult. in resp. ad 3. Dominicus Sotus in relect. de secret. mēb. 2. q. 4. concl. 3. dub. 3. Nauarrus in manuali cap. 18. num. 40. & cap. 24. num. 14. & cap. 25. num. 26. Siluester verb. correctio. q. 7. Petrus Nauarrus lib. 2. de rest. cap. 4 par. 2. dub. 11. Bartolomeus Medina lib. 1. instruct. confess. cap. 14. parag. 16. Dominicus Bannes 2.2. q 33. a. 8. dub. 2. ad 7. idem docet Albertus magnus in 4 d. 19. a. 21. nec huic veritati obstant edicta à Patribus Inquisitionibus publicata, in quibus præcipitur, etiam sub pœna excomunicationis, vt delicta, quæ in ipsis edictis continentur, statim referant, & denuncient, quia huiusmodi edicta, præcepta debent intelligi sano modo, idest saluo ordine correctinis fraternæ, sicut diffusius in sequenti quæsito videbimus. admonendus erit ergo prius delinquens secretò, quod si non se correxerit, adhibendi sunt duo testes, quod si nec per hoc se correxerit, dicendum erit Prælato; & quod diximus de præceptis communiter factis, dicēdum etiam erit de præceptis spacialiter alicui factis. hæc si rectè considerentur. & practicentur, scrupuli multi è cordibus tollētur plurimorum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Valentia tom. 2. d. 3. q. 10. p. 7. dub. 3.

Quæritur, an de necessitate præcepti secreta admonitio debeat præcedere denunciatione.

8 Respondeo dicendum, quòd circa publicam denunciationem peccatorum distinguendum est, aut enim peccata sunt publica, aut sunt occulta; si quidem sunt publica, non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccauit, vt melior fiat, sed etiam alijs, in quorum notitiam deuenit, vt non scandalizentur, & ideò talia peccata sunt publicè arguenda secundum illud Apostoli primæ ad Timoth. 5. peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant, quòd intelligitur de peccatis publicis, vt Augustinus dicit in lib. de verbis Domini; si vero sint peccata occulta, sic videtur habere locum, quòd Dominus dicit, si peccauerit in te frater tuus, quando enim te offendit publicè coram alijs, iam non solum in te peccat; sed etiam in alios, quos turbat, sed quia etiam in occultis peccatis potest parari proximorum offensa, ideò adhuc videtur distinguendum esse quædam enim peccata occulta sunt, quæ sunt in nocumentū proximorū, vel corporale, vel spirituale, puta si aliquis occultè tractet, quomodo Ciuitas tradatur hostibus, vel si hæreticus priuatim homines à fide auertat; & quia ille, qui sic occultè peccat, non solum in se peccat, sed etiā in alios, oportet statim procedere ad denunciationem, vt huiusmodi nocumentum impediatur, nisi fortè aliquis firmiter existimaret, quòd statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire, quædam vero peccata sunt, quæ solum sunt in malum peccantis, & eius, in quem peccatur, vel quia à peccante solum læditur, vel saltem ex sola notitia, & tunc ad hoc solum tenēdum est, vt fratri peccanti subueniatur, & sicut medicus corporalis sanitatem ægroto confert, si potest sine alicuius membri abscisione; si autem non potest, abscindit membrum minus necessarium, vt vita totius conseruetur, ita etiam ille, qui studet emendationi fratris, debet, si potest, sic emendare fratrem quantū ad conscientiā, vt fama eius conseruetur, quæ quidem est vtilis, primò quidem, & ipsi peccanti non solum in temporalibus, in quibus quantū ad multa homo patitur detrimentū amissa fama, sed etiam quantū ad spiritualia, quia prætimore infamiæ multi à peccato retrahuntur, vndè quando se infamatos conspiciunt, irrefrenatè peccant, vndè Hieronymus dicit corripiendus est seorsum frater, ne si semel pudorem, vel verecundiam amiserit, permaneat in peccato; secundò debet conseruari fama fratris peccantis, tum quia vno infamato alij infamantur secundum illud Augustini in epistola ad plebem Hipponensem. cum de aliquibus, qui Sanctum nomē profitentur aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel

veri instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur, tum etiam quia ex peccato vnius publicato, alij prouocantur ad peccandum. Sed quia conscientia præferenda est famæ voluit Dominus, vt saltem cum dispendio famæ, fratris cõscientia per publicam denunciationem à peccato liberetur, vndè patet, quòd potest esse de necessitate præcepti, quòd secreta admonitio publicam denunciationem præcedat. 2.2.q.33.a.7.in corp.& ad 3.(4. sent.d.19.q.2.a.3.quæstiunc.1.ad 2.

Præmissa distinctione cum subdiuisione respondet D.Thomas quæsito sextuplici conclusione. distinctio est, aut peccata sunt occulta, aut publica. rursus peccata occulta, aut sunt in nocumentum corporale, vel spirituale proximorũ, aut sunt solum in malum peccantis, & eius, in quem peccatur. prima conclusio. peccata publica sunt publicè arguenda. probatur dupliciter, & primò, quia tunc non est tantum adhibendũ remedium ei, qui peccauit, vt melior fiat, sed etiam alijs, in quorum notitiam deuenit, vt non scandalizentur. secundò probatur ex D. Paulo. 1. ad Thimoth. 5. secunda conclusio. si peccata sint occulta, sic tamen, vt ex eis paretur offensa proximorum corporalis, vel spiritualis, vt est proditio Ciuitatis, & hæresis, tunc oportet statim procedere ad denuntiationem, vt huiusmodi nocumentũ impediatur. probatur, quia quãdo ex peccatis occultis imminet periculũ multitudinis corporale, vel spirituale, non habet ibi locum verba Domini de correct. Mathei 18. cum frater sic occultè peccans non solum in te peccet, sed etiam in alios. tertia conclusio. si peccata sunt sic occulta, vt solum sint in malum peccantis, & eius, in quem peccatur, tunc attendendum est huic ad hoc solum, vt fratri peccanti subueniatur. hæc relinquitur tanquam nota ex illo Mathei 18. si peccauerit in te &c. quarta conclusio. studens emendationi fratris debet, si potest, sic emendare fratrem quantum ad conscientiam, vt fama eius conseruetur. probatur exemplo medici corporalis, vt in littera; & quia fama vtilis est ipsi peccanti tam in ordine ad corporalia, quam ad spiritualia, quod probatur auctoritate D. Hieronimi; & quia vno infamato alij infamãtur, quod probatur ex D.Augustino; & quia ex peccato vnius publicato alij prouocantur ad peccandum. quinta conclusio. voluit Dominus, vt saltem cum dispendio famæ fratris conscientia per publicam denunciationem à peccato liberetur. probatur, quia conscientia præferenda est famæ. sexta conclusio. potest esse de necessitate præcepti, quod secreta admonitio publicam denunciationem præcedat. hæc patet ex tertia, & quarta conclusionibus, cum scilicet & peccata sunt præcisè occulta, & conscientia fratris potest sanari sine læsione aliqua famæ.

Vt explicetur hæc doctrina aliqua sunt obseruanda, & primò videndum est, quid sit peccatum publicum, & quid secretum. peccatum publicum explicatur per duas propositiones, vnam negatiuam, affirmatiuam alteram; negatiua est. si peccatum à tribus, vel quattuor sit cognitum, non dicitur publicum. ita explicat Pontifex. c. quæsiuisti. & habet Adrianus in 4. in tract. de correct. fraterna. & elicitur ex Caietano. 2.2.q.33.a. 7.ad 5. affirmatiua est. peccatum simpliciter dicitur publicum, quando quis de eo est conuictus in iuditio, aut quod communiter fertur in aliqua vicinia, aut communitate, aut collegio, aut cuius est publica infamia. legatur Dominicus Sotus in relect. de ratione tegendi, & detegendi secretum memb. 2. q.6.dub. 3. è contrario verò secretum simpliciter peccatũ dicetur illud, quod non est publicum simpliciter: nota tamen ex Dominico Bannes hoc in loco dub. 6. quod dantur plures gradus secreti peccati, quorum primus est, quando solus Deus, & ipse peccator scit, quòd peccauit; ad quem gradum reducitur peccatum plurium, qui sunt complices in eodem crimine, tale enim peccatum est sicut vnius peccatum; quod tamen limitat idem Dominicus Bannes, dummodo non sint tot numero, vt moraliter loquendo non possit occultari; secundus gradus est, quando multi committunt delictum, & vnus, qui non comisit, nouit, aut vidit illorum delictum; tertius gradus est, quando duo, vel tres, aut quatuor cognoscunt delictũ, itaut illorũ testimonium sit sufficiens si opus fuerit, in iuditio. quando peccatũ est secretum in primò gradu, tunc nõ est facienda correctio Fraterna, in Confessione tamen Sacerdos poterit tamquam vices gerens Dei peccatorem corrigere; quando autem sunt multi cõplices delicti, si vnus illorum resipiscat, poterit alios corrigere, & ad pænitentiam adhortari; & in hoc primo gradu correctionis sistere, nec tenetur procedere ad secundum, & tertium gradum correctionis, quia non tenetur se infamare, & prodere se testibus, & Prælato, præcipuè cum ipse sit emendatus; quando autẽ peccatum sit occultum in secundo gradu, tunc poterit fieri correctio fraterna ab illo vno, qui scit peccatum, non tamen poterit delinquentem accusare, quia vnus tantum est, qui delictum nouit; quando peccatum est occultum, & secretum tertio modo, tunc habet locum correctio fraterna secundum ordinem à Christo præscriptum. rursus obserua, quod quando peccatum est publicũ, & dignum, quod in iuditio denuncietur, antequã tamen denuncietur, debet præmitti correctio fraterna, quando spes est, quod peccator resipiscet, & pænitentiam aget, quamuis ordo in Euãgelio descriptus per illos singulos gradus locum non habeat, quia crimen iam factum est publicũ, itaquod post admonitionem secretam poterit denunciari prætermisso secundo gradu correctionis; quando autem spes non est Pænitentiæ, & emendationis, poterit statim denunciari possunt etiam, vt in littera dicitur ex D. Paulo peccata peccata publicè argui.

Circa exemplum datum à D. Thoma de proditione Ciuitatis mouet dubium Caietanus, an Cleri-

Clericus teneatur denunciare proditionem Ciuitatis, vel occisionem, rapinam præparatam, ex qua denunciatione scit certò, quod sequetur effusio sanguinis, & consequenter irregularitas. cui dubio respondet optimè, & subtiliter ipse, quem ferè de verbo ad verbum sequitur Dominicus Bannes hoc in loco dub. 7. tu respondeas paucis, nempe quod in hoc casu tenetur Clericus denunciare, nec incurritur irregularitas, eo quod ius Ecclesiasticum excipit istum casum, dummodo fiat protestatio, quod solum intenditur cautela leuitatis, proximi, vt habetur in c. Prælatis. de homicid. lib. 6. si tamen Clericus nõ possit aliter succurrere proximo, vel Reipublicæ periclitanti, nisi reuelet præparationem, & præparantem.

Circa peccatum hæresis occultum, sed aliorũ infectiuum obserua benè, quod etiam in hoc peccato hæresis facienda est correctio fraterna hæretico; si spes est emendationis, & vt verbis D. Thomæ vtar, nisi fortè aliquis firmiter æstimaret, quod statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire, vt etiam post eum docuit Nauarrus consil. 4. de accusat. vt tamen obseruat Seraphinus à Porrecta hoc in loco, illud verbum (forte) raritatem casus admonitionis secretæ potius, quam consilium talis admonitionis in illo casu designat, ac si diceret, nisi quod tamen rarissimum est, & ferè nunquam eueniet &c. rursus nota, quod ad correctionem præmittendam in hoc casu non sufficit, vt quis probabiliter existimet, sed firmiter debet æstimare; rursus non sufficit, quod aliquis firmiter æstimet, quod aliquando, sed debet æstimare, quod statim; præterea non sufficit quod aliquis firmiter æstimet, quod posset de possibili impedire, sed hoc totum simul requiritur necessariò, scilicet quod ille aliquis firmiter æstimet, quod statim poterit de facto actualiter impedire, quæ omnia simul, & coniunctim rarissimè accidunt. si postea nõ adsit hæc spes emendationis, statim denuntiandum est hoc peccatum hæresis, licet occultum, vt in littera dicitur, quia est nimis nociuum. subiungam tamẽ vnum, quod si sit aliquis vir pius, & simplex, qui ex mera ignorantia probabiliter præsumatur errare, prius erit admonendus, quam Iudicibus denuntietur, quia cum sit pius, speranda est emendatio; cum sit simplex, pertinatia non est præsumenda; cum sit ignarus, æstimandus est habilis, vt instruatur. dictis tamen obstant Edicta publicata à PP. Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, quibus præcipiunt sub pœna excomunicationis, vt scientes delicta, quæ ibi recensentur, quæ in genere hæresis tantum sunt (ad hoc enim puniendum tantum se extendit pot[...]tas Inquisitorum) statim denuncient S. Offic[...], ergo non erit in aliquo casu præmittenda correctio fraterna de peccato hæresis, sed tale peccatum statim erit denuntiandum Inquisitoribus. respondetur tamen cum S. Thoma. 2. 2. q. 33. a. 7. ad 5. quem sequitur Adrianus in 4. de correctione fraterna. q. penult. Dominicus Sotus in relect. de secreto memb. 2. q. 4. concl. 3. dub. 3. Nauarrus in manuali cap. 18. num. 40. & cap. 25. num. 46. Dominicus Bannes. 2. 2. q. 33. a. 8. dub. 2. ad 7. Sairus lib. 11. clauis regiæ cap. 4. num. 19. quod huiusmodi præcepta debent intelligi sanè, idest saluo ordine correctionis fraternæ, siue præcepta sint generaliter ad omnes, siue ad aliquem specialiter, aliàs non est eis obediendum, quia obedire oportet Deo magis, quam hominibus act. 5. & consequenter non incurritur excomunicatio; cum ergo Christus præcipiat præmittendam esse correctionem fraternam ad denuntiationem, si spes sit emendationis, hoc etiã in peccato hæresis erit obseruandum. pro cuius maiori explicatione nota, quod ius naturæ Diuinum, & ius Ecclesiæ ita se habent, quod sicut gratia perficit naturam, & non destruit illam; ita ius Ecclesiasticum perficit ius Diuinum, & nõ destruit illud vndè sicut nullum præceptum Diuinum est contra præcepta iuris naturæ, ita nullum præceptum Ecclesiæ est contra præceptum iuris Diuini, ius autem Diuinum exigit, vt delinquens prius secreto admoneatur, quam Prælato denuntietur, consequenter etiam præceptum Ecclesiasticum debet hoc intendere, aliter esset iuris Diuini destructiuum; quando ergo Inquisitores præcipiunt, vt peccatum hæresis denuncietur statim, hoc intelligi debet seruato ordine correctionis fraternæ modo explicato. præcipitur autem, vt statim deferant, quia, vt ait Dominicus Bannes loco citato, delicta, quæ ad tribunal Sanctæ Inquisitionis pertinent, multa attentione, & consultatione præmissa existimantur boni cõis Christianæ Reipubl. destructiua; vel dicamus, huiusmodi delicta statim deferenda esse ad Tribunal Sancti Officij, quoties non sit spes emẽdationis delinquentis.

CREDERE.

1 *Quid sit credere.*

§ *Dupliciter sumitur assensio, & quomodo sumatur in diffinitione Credere.*

Cogitare sumitur dupliciter, & quomodo sumatur in diffinitione Credere.

Diffinitio Credere explicatur.

2 *Credere est actus intellectus.*

Quid sit credere Deum, Deo, & in Deum.

§ *Quid sit credere Deo, credere Deum, & credere in Deum.*

Supradicti actus dicuntur diuersi actus fidei, licet verè sint idem actus, quia iste actus habet diuersam relationem ad fidei obiectum.

Dicuntur vnus actus formaliter, plures virtualiter, & quomodo.

Soli iusti credunt in Deum perfectè, peccatores autem imperfectè.

Demon licet credat Deum, Deo, non tamen in Deũ.

Peccatores verè credunt in Deum, sed imperfectè.

3 *Necesse est homini credere aliqua supra rationem.*

4 *Necesse est homini credere aliqua, quæ possunt probari propter tria.*

5 *Homo tenetur credere explicitè articulus fidei, qui sunt prima credibilia.*

Alia

Quæritur, quid sit credere.

1 Respondeo dicendum, quòd credere est cum assensu cogitare. 2. 2. q. 2. a. 1. in corp.

Quod credere sit cum assensu cogitare, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Hoc in loco traditur diffinitio credere, & credere est cum assensu cogitare. pro cuius explicatione nota, quod assensio sumitur dupliciter, primò latè pro quolibet iuditio intellectus, siue sit opinionis, siue fidei humanæ, siue scientiæ; secũdò presse pro iuditio intellectus constanti, & firmo, & in hoc sensu sumitur in diffinitione Credere. obserua secundò, quod cogitare sumitur etiam dupliciter, scilicet communiter pro qualicunque actuali consideratione intellectus; & propriè pro consideratione intellectus, quæ est cum quadam inquisitione, antequam perueniatur ad perfectionem intellectus per certitudinẽ visionis, & dicitur motus animi deliberantis nundum perfecti per plenam visionem veritatis; & in hoc sensu sumitur in diffinitione Credere, itaquod Credere nil aliud est, quam firmiter adhærere ex imperio voluntatis rei per intellectũ inquisitæ. & per primam particulam credens cõuenit cum sciente, & intelligente, differt tamen à dubitante, suspicante, & opinante, & credente per fidem humanam, fides enim humana non assentitur cum tanta certitudine, & firmitate, sicut facit fides infusa, quia illa innititur auctoritati humanæ, cui potest subesse falsum, hæc autem innititur Auctoritati Diuinæ, cui non potest subesse falsum; dubitans, etiam, suspicians, & opinans actum intellectus firmum, & constantem non habent. circa secundam particulam obserua, quod inquisitio in diffinitione Credere posita non est inquisitio rationis naturalis demonstrãtis id, quod creditur, sed est inquisitio quædam eorum, per quæ inducitur homo ad credendum, puta quia sunt dicta à Deo, & miraculis sunt cõfirmata, vt ait D. Thomas hoc in loco ad 1. contra tamen hanc diffinitionem Credere, est argumentum tale, Propheta cum prophetizat, cum assensione iudicat, non enim videt, quod prophetizat, & tamen ille actus non est actus credẽdi, ergo illa diffinitio conuenit alteri à diffinito, nempe prophetiæ. respondetur ex Dominico Bannes in hoc loco, quod per accidens est ad rationem prophetiæ quòd non videatur, quod prophetizatur, Christus enim fuit verus propheta, & tamen videbat perfectè, quæ prophetabat; est autem per se respectu assensionis fidei, vt non videatur, quod creditur. secundò respondetur, quod prophetia est cum cogitatione, & assensione per modum passionis trãseuntis, D. enim Thomas. 2. 2. q. 171. art. 1. probat, quod lumen propheticum non inest intellectui prophetæ per modum formæ permanentis, nec est habitus, sed per modum cuiusdam passionis, vel impressionis trãseuntis, assensio autem fidei est per lumen habituale per modum permanentis.

Quæritur, quid sit credere Deum, Deo, in Deum.

2 Respondeo dicendum, quòd cum credere ad intellectum pertineat, prout est à vo-

à voluntate motus ad assentiendum, potest obiectum fidei accipi, vel ex parte ipsius intellectus, vel ex parte ipsius voluntatis intellectum mouentis, si quidem ex parte intellectus, sic in subiecto fidei duo possunt cōsiderari, quorum vnum est materiale obiectum fidei, & sic ponitur actus fidei credere Deū, quia nihil proponitur nobis ad credendum, nisi secundum, quòd ad Deum pertinet; aliud autem est formalis ratio obiecti, quòd est sicut medium, propter quòd tali credibili assentitur, & sic proponitur actus fidei credere Deo, quia formale obiectum fidei est veritas prima, cui inhæret homo, vt propter eam creditis assentiat; si vero consideretur tertiò modo obiectum fidei secundum, quòd intellectus est motus à voluntate, sic ponitur actus fidei credere in Deum, veritas enim prima ad voluntatem refertur secūdum, quòd habet rationem finis. 2. 2. q. 2. a. 2. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. actus fidei, vt dicit obiectum materiale fidei, explicatur per hoc, quod dicitur, credere Deū. probatur, quia nihil proponitur nobis ad credendum, nisi secundum, quod ad Deum pertinet, & consquenter primum, quod creditur, est hoc, scilicet, q Deus sit. secunda conclusio. actus fidei, vt dicit formalem rationem obiecti fidei, idest medium, propter, quod tali credibili assentitur, explicatur per hoc, quod dicimus, credere Deo. probatur, quia formale obiectum fidei est veritas prima, cui inhæret homo, vt propter eam creditis assentiat. tertia conclusio, actus fidei, vt est ab intellictu moto à voluntate, explicatur per hoc, quod dicimus, credere in Deum. probatur, quia veritas prima ad voluntatem refertur, secundum, quod habet rationem finis.

D. Augustinus tract. 29. super Ioannem, & serm. 91. de verbis Domini, & super psalm. 77. quem sequitur Albertus scientia Magnus in suo compendio Theologiæ lib. 1. cap. 1. sic explicat tres istos actos fidei, quod credere Deum est credere ipsum esse; credere Deo est credere verbis eius; credere in Deum est credendo Deum amare, & amando in eum ire, ac membris eius incorporari; dicuntur autē tres actus fidei, non quod sint diuersi actus fidei, cum sint vnus, & idem actus, sed quia iste actus habet diuersam relationem ad fidei obiectum, vt ait D. Thomas hoc in loco ad primum. cui tamen doctrinæ contradicit Durandus. 3. sent. d. 23. q. 4. a. 3. inquiens, quod licet credere Deum, & credere Deo sint vnus actus, credere tamen in Deum sunt duo actus, quia à duobus est habitibus, scilicet fide, & Charitate, & significat credendo, amando ire in Deum. Caietanus tamen egregiè deffendit D. Thomam inquiens, quod credere in Deum est vnus numero secundum rem actus fidei à Charitate imperatus, quamuis à multis proueniat habitibus, est enim actus elicitus ab habitu fidei, & est imperatus à Charitate, sicut & ieiunare est actus elicitus à temperātia, & imperatus à Charitate, siue obedientia, vndè actus secundum rem non multiplicatur ad multiplicationē principiorum; quia autem actus vnus secundum rem est elicitus ab vno habitu, & imperatus ab alio habitu, ideò multiplex est secundum relationem ad multos habitus, & obiecti rationes, ideò multi actus apparent, & in multos actus resoluitur eius ratio, seu expositio, vndè breuiter respondendo dicetur actus multiplex, non multi, vnus actus formaliter multiplex virtualiter, cū claudat in se vim plurium actuum. Circa tertium actum, scilicet credere in Deum, nota, quòd soli homines iusti credunt in Deum perfectè, quia soli homines iusti sunt in Charitate, credere autem in Deum est actus fidei formatæ per Charitatem, & consequenter soli iusti credunt in Deū perfectè; è conuerso autem, quia peccatores sunt sine Charitate, ideò peccatores fideles credunt in Deum imperfectè; quamuis autem fideles peccatores imperfectè credant in Deum, attamen possunt dici verè credere in Deum ad differentiam Dæmonis, qui licet credat Deum, & Deo, non tamen credit in Deum. hoc docet Caietanus super Ioannem cap. 12. quem sequitur Dominicus Bannes hoc in loco; ratio etiam id suadet, legimus enim Ioannis 12. verum tamen ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Phariseos non confitebantur, dilexerūt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei, ex quomodo Ioannes dicit peccatores existentes in peccato mortali credidisse in Deum; vlterius fides informis intrinsicè, & essentialiter includit ordinem ad voluntatem, fides enim formata, & informis eiusdem sunt speciei, sed fides formata habet intrinsecum ordinem ad voluntatem, ergo & fides informis, sed peccatores habent veram fidem, & propriam, ergo per illam mouentur ex voluntate ad obiectum creditum; præterea peccatores habent veram spem, ergo credentes tendunt in Deum, in quem sperant tanquam per eum consecuturi vitam æternam, ergo credentes propriè mouētur in Deum; probatur etiam alia ratione à Dominico Bannes in hoc loco, ad quem lectorem remittimus concludamus ergo contra Luterum asserentem peccatores nullo modo habere fidem, sed se habere vt Dæmones, quod peccatores, licet perfectè nō credant in Deum, credunt tamen in Deum imperfectè, & verè dicuntur credere in Deum.

Quæritur, an necesse sit homini credere aliqua supra rationem.

3 Respondeo dicendum, quòd perfectio rationalis creaturæ non solum consistit in eo, quòd ei competit secundum suam natu-

naturam, sed in eo etiam, quòd ei attribuitur ex quadam supernaturali Dei visione, ad quam quidem visionem homo pertingere non potest, nisi per modum addiscentis à Deo Doctore secundum illud Ioannis 6. omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me; huius autem disciplinæ fit homo particeps non statim, sed successiuè secundum modum suæ naturæ, omnis autē talis addiscens oportet, quòd credat adhoc, quòd ad perfectam scientiam perueniat, sicut etiam phylosophus dicit, quòd oportet addiscentem credere, vndè adhoc, quòd homo perueniat ad perfectam rationem Beatitudinis præexigitur, quòd credat Deo, tamquam discipulus Doctori docēti. 2.2.quæst.2.artic.3. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cōclusione, quæ est, ad hoc quod homo perueniat ad perfectam visionem Beatitudinis, præexigitur, quod credat Deo tanquam discipulus Magistro docenti. probatur, quia necessario præexigitur peruenturo ad perfectam Beatitudinē, vt homo addiscat à Deo modum, quo illuc peruenire possit, sed addiscentem oportet credere, si vult peruenire ad scientiam à docente propositam, ergo &c.

Litteram hanc D. Thomæ examinant, & explicant Caietanus, & Dominicus Bannes proponendo, & soluendo quedā dubia, ideò ad ipsos lectorem remitto, cum ad moralem Theologiā parum proficiant.

Quæritur, an sit necessarium credere aliqua, quæ probari possunt.

4 Respondeo dicendum, quòd necessarium est homini accipere per modum fidei non solum ea, quæ sunt supra rationem, sed etiam ea, quæ per rationem cognosci possunt, & hoc propter tria, primò quidē, vt citius homo ad Veritatis Diuinæ cognitionem perueniat, scientia enim, ad quam pertinet probare Deum esse, & alia huiusmodi de Deo, vltimo hominibus addiscenda proponitur presuppositis multis alijs scientijs, & sic non nisi post multum tempus vitæ suæ homo ad Dei cognitionem perueniret; secundò, vt cognitio Dei sit communior, multi enim in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinē ingenij, vel propter alias occupationes, & necessitates temporalis vitæ, vel etiam propter torporem addiscēdi, qui omnino à Dei cognitione fraudarentur, nisi proponerentur eis Diuina per modum fidei; tertiò modo propter certitudinem, ratio enim humana in rebus Diuinis est multum deficiens, cuius signum est quia phylosophi de rebus humanis naturali inuestigatione perscrutātes in multis errauerunt, & sibi ipsis contraria senserunt, vt ergo esset indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo oportuit, quòd Diuina eis per modum fidei traderentur, quasi à Deo dicta, qui mentiri non potest. 2. 2. quæst. 2. artic. 4. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. necessarium est homini accipere per modum fidei ea quæ per rationem cognosci possunt. probatur quia sic citius homo ad veritatis Diuinæ cognitionem perueniet; & cognitio Dei erit communior; & propter certitudinem. primum probatur ex ordine doctrinæ Metaphysicæ, quæ tractat de Deo. secundū probatur ex non profectu multorum propter multa in studio. tertium probatur ex erroribus, & controuersijs phylosophorum.

Non immoror circa hoc quæsitum, cum nil occurrat scribendum.

Quæritur, quid homo teneatur credere explicitè, & implicitè.

5 Respondeo dicendum, quòd fidei obiectum per se est id, per quòd homo beatus efficitur, per accidens autem, aut secundario se habent ad obiectū Virtutis omnia, quæ in Sacra scriptura Diuinitus tradita continentur, sicut quòd Abraam habuit duos filios; quòd Dauid fuit filius Isai, & alia huiusmodi, quantum ergo ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut, & tenetur habere fidem; quantum autem ad alia credibilia non tenetur homo explicitè credere, sed solum implicitè, vel in præparatione animi, inquantum paratus est credere quidquid Diuina scriptura cōtinet, sed tunc solum huiusmodi tenetur explicitè credere, quando hoc ei constiterit in Doctrina fidei contineri. 2.2. q. 2. a. 5. in corp. (3. sent. d. 25. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. & 2. in corp.

Conclusione triplici respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. quantū ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut, & tenetur habere fidem. probatur, quia prima credibilia sunt proprium, ac per se obiectum fidei, per quod homo beatus efficitur. secunda conclusio. quantū ad alia credibilia non tenetur homo explicitè credere, sed solum implicitè, vel in præparatione animi

animi, inquatum paratus est credere quidquid Diuina scriptura continet. probatur, quia huiusmodi credibilia secundariò se habent ad obiectum fidei. tertia conclusio. tunc solum huiusmodi credibilia tenetur explicitè credere, quãdo hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri. hæc relinquitur tanquam nota.

Vt explicetur hæc doctrina nota, quod tunc dicimur credere explicitè aliqua, quando illis actualiter consideratis assentimus; tunc autem dicimur aliqua implicitè credere, quando eis assentimus, in quibus alia credibilia continentur, licet ista alia à nobis actualiter non considerentur; isti duo termini implicitum, & explicitum desumuntur à rebus corporalibus, in quibus illud, quod est intus vas, vel operimentum dicitur propriè esse implicitum, & implicitè cõtineri in illo, quando autem per se videtur ex illo extractum, dicitur propriè explicitum, idest explicitè apparere; ita in proposito quando aliquis credit aliquem articulum fidei peculiarẽ, puta Verbum Dei esse humanatum pro nobis, illum particulariter considerans, & ei firmiter assentiens, dicitur credere explicitè, quãdo autem credit fidem Ecclesiæ esse veram, & credit quidquid credit Ecclesia nullum actualiter cõsiderans articulum fidei peculiarem, dicitur credere implicitè; articulos ergo fidei tenetur homo scire explicitè, cum isti per se sint obiectum fidei, per quod homo Beatus efficitur, inquit D. Thomas, vbi Caietanus aduertit, quod Sanctus Thomas adæquat obiectum per se fidei obiecto Beatifico, ita quod ea, quæ principaliter hic credimus, sunt illa, quæ in Patria visuros speramus; verum de hoc in quæsito octauo latior erit sermo. aliquis tamen scrupulo agitabitur, quomodo scilicet fidei obiectum per se sit id, per quod homo beatus efficitur, cum in Beatis non sit fides, vt docet D. Thomas. p. 2. q.67.a.3. & 5. in corp. & alibi respondetur tamen, quod licet fides non remanent in Beatis, quo ad habitum, remanet tamen quoad effectũ, vt docet Petrus Bergomensis in suis concordantijs dub. 607.

Quæritur, an maiores homines teneantur habere maiorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere.

6 Respondeo dicendum, quòd explicatio credendorum fit per reuelationem Diuinam, credibilia, enim naturalem rationem excedunt, reuelatio autem Diuina ordine quodam ad inferiores peruenit per superiores, sicut ad homines per Angelos, & ad inferiores Angelus per superiores, vt patet per Dionysium in cælesti Hierarchia, & ideò pari ratione explicatio fidei oportet, quòd perueniat ad inferiores homines per maiores, & ideò sicut superiores Angeli, qui inferiores illuminant, habent pleniorem notitiam de rebus Diuinis, quã inferiores, vt dicit Dionysius 12. cap. cælestis Hierarchiæ, ita etiã superiores homines, ad quos pertinet alios credere, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere. 2. 2. q. 2. a. 6. in corp. (3. sent. d. 25. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quę est. maiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere. probatur, quia per maiores homines peruenit explicatio fidei ad minores, hoc enim ordine procedit reuelatio Diuina sicut etiam per Angelos superiores illumiuantur inferiores ex D. Dionysio, ergo sicut Angeli superiores habent pleniorem notitiam de rebus Diuinis, quam inferiores, ita, & homines maiores &c.

Ad explicationẽ huius pulcherrimæ, ac subtilissimæ doctrinæ nota, quod nomine maiorum hominum non intelliguntur ætate grandiores, vel alio simili modo, sed nomine maiorum intelliguntur illi, quibus ex officio incumbit docere fidem, siue habeant hoc officium ex gradu, vt Sacerdotes; siue ex ministerio, vt Prædicatores, & Doctores; siue ex approbata reuelatione, vt Prophetæ; per minores autem intelliguntur illi, quibus non incumbit ex officio alios de fide docere, sed potius instrui indigent, illi, inquam, qui non habent regulare nisi se ipsos iuxta disciplinam à maioribus acceptam.

Quæritur, an necesse sit misterium Incarnationis credere explicitè.

7 Respondeo dicendum, quòd misterium incarnationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes, diuersimodè tamen secundum diuersitatem temporum, & personarum, nã ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi incarnatione secundum, quòd ordinabatur ad consumationem gloriæ, non autem secundum quòd ordinabatur ad liberationem à peccato per Passionem, & resurrectionem, quia homo non fuit præscius peccati futuri, videtur autẽ incarnationis Christi præscius fuisse per hoc quòd dixit propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit vxori suæ, habetur Genesis 2. & hoc Apostolus ad Ephesios. 5. dicit Sacramentum magnum esse in Christo, & Ecclesia, quòd quidem Sacramentum non est credibile primum hominem ignorasse: post peccatum autem fuit explicitè creditum misterium incarnationis Christi non solum quantum ad incarnationem, sed

etiam quantum ad Passionem, & resurrectionem, quibus humanum genus à peccato, & morte liberatur, aliter enim non præfiguraſſent Christi Passionem quibusdam sacrificijs, & ante legem, & sub lege, quorum quidem sacrificiorum significatum explicitè maiores cognoscebant, minores autem sub velamine illorum sacrificiorum, credentes ea diuinitus esse dispoſita de Christo venturo, quodammodo habebant velatā cognitionem, & sicut supradictum est, ea, quæ ad misteria Christi pertinent tanto difficilius cognouerunt, quanto Christo remotiores fuerunt, & tā to facilius cognouerunt, quanto Christo propinquiores fuerunt: post tempus autem gratiæ reuelatæ tàm maiores, quàm minores tenentur habere fidem explicitā de misterijs Christi, præcipuè quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur, & publicè proponuntur, sicut sunt articuli incarnationis; alias autem subtiles cōsiderationes circa incarnationis articulos tenentur aliqui magis, vel minus explicitè credere secundum, quòd conuenit statui, & officio vniuscuiusque. 2. 2. q. 2. a. 7. in corp.

Quintuplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. misterium incarnationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes, diuersimodè tamen secundum diuersitatem temporum, & personarum. probatur prima pars, quia illud propriè, & per se pertinet ad obiectum fidei, per quod homo Beatitudinem consequitur, sed via hominibus veniendi ad Beatitudinem est misterium Incarnationis, & Passionis Christi ex act. 4. ergo &c. secunda pars probabitur per sequentes conclusiones. secunda conclusio. ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi incarnatione secundum quod ordinabatur ad consumationem gloriæ, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem à peccato per Passionem, & Resurrectionem. probatur, quià homo non fuit præscius futuri peccati, videtur autem præscius fuisse incarnationis Christi per hoc quod dixit, propter hoc &c vt in littera. tertia conclusio. post peccatum fuit explicitè creditum misterium Incarnationis Christi, non solū quantum ad incarnationem, sed etiam quantum ad Passionem, & Resurrectionem; quibus humanum genus à peccato, & morte liberatur probatur, quia aliter non præfiguraſſent Christi Passionem quibusdam sacrificijs & ante legem, & sub lege, quorum sacrificiorum significatio explicitè Maiores cognoscebant, Minores autem sub velamine illorum sacrificiorum credentes ea Diuinitus esse dispoſita de Christo venturo quodāmodo habebant velatam cognitionem. quarta conclusio. post tempus Gratiæ reuelatæ tam Maiores, quam Minores tenentur habere fidem explicitam de misterijs Christi, præcipuè quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur, & publicè proponuntur, sicut sunt articuli Incarnationis. probatur, quia ea, quæ ad misteria Christi pertinent, tantò distinctius cognouerunt, quanto Christo propinquiores fuerunt. quinta conclusio. alias subtiles considerationes circa Incarnationis articulos tenentur aliqui magis, vel minus explicitè credere, secundum quod conuenit statui, & officio vniuscuiusque.

Circa rationem primæ conclusionis mouetur dubium ad hominem D. Thomam, nam supra quæsito quinto aiebat, quod fidei obiectum per se est illud, per quod homo beatus efficitur, in hoc loco autem ait, misterium Incarnationis perse pertinere ad obiectum fidei, ex quibus cōficitur tale argumentum, id, per quod homo beatus efficitur, est solus Deus, quatenus est Trinus, & Vnus, vt habemus ex D. Thoma. p. p. q. 12. a. 8. ad 4. ergo misterium Incarnationis non pertinet per se ad obiectum fidei. cui dubio respondet Caietanus 2. 2. q. 2. a. 5. & Dominicus Bannes hoc in loco, leguntur ipsi, cum hæc potius ad speculatiuam pertineant Theologicam, quam ad moralem. circa secundæ conclusionis rationem est dubium, quod erat temporibus meis Achilles cuiusdam Patris ordinis Minorum de obseruantia amantissimi mei contra opinionem D Thomæ ducentis, quod si Adam non peccasset, Verbum Incarnatum non fuisset, in hac siquidem ratione dicitur, quod Adam non fuit præscius peccati futuri, licet videatur præscius fuisse Incarnationis Christi, ex quo sic arguebat, si Adam fuit præscius Incarnationis Verbi, & non fuit præscius peccati futuri, ergo Deus Incarnatus fuisset, etiam si Adam non peccasset. facilis tamen est responsio negando consequentiam, quia Adam fuit reuelatus effectus, & non fuit reuelata causa, fuit reuelata Incarnatio, non fuit reuelata causa Incarnationis, nempe peccatum, & consequenter ista consequentia, effectus Incarnationis cognitus est Ab Adam futurus, ergo etiam si non sit futura causa, erit ille effectus, nulla est.

Quæritur, an sit necesse credere explicitè misterium Trinitatis.

8 Respondeo dicendum, quòd misterium incarnationis Christi explicitè credi non potest sine fide Trinitatis, quia in misterio incarnationis Christi hoc continetur, quòd filius Dei carnem assumpserit, quòd per gratiam Spiritus Sancti mundum renouauerit, & iterum quòd de Spiritu sancto conceptus fuerit, & ideò eodem modo, quo misterium incarnationis Christi ante Christum fuit explicitè creditum à maioribus, implicitè autem, & quasi obumbratè à mi-

à minoribus, ita etiam, & Misterium Trinitatis, & ideò etiam post tempus gratiæ diuulgatæ tenentur omnes ad explicitè credendum misterium Trinitatis, & omnes, qui ranascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per inuocationem Trinitatis secundum illud Mathei vltimò. euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. 2.2.q.2.a.4. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. eodem modo, quo misterium Incarnationis Christi ante Christum fuit explicite creditum à maioribus, implicitè autem, & quasi obumbratè à minoribus, ita etiam & misterium Trinitatis. probatur, quia misterium Incarnationis Christi explicitè credi non potest sine fide Trinitatis, quod probatur ex conceptione Christi, ac renouatione mundi per Spiritum Sanctum, & ex assumptione carnis à filio Dei. secunda conclusio. post tempus Gratiæ diuulgatæ tenentur omnes ad explicitè credendum misterium Trinitatis. probatur, quia signum euidentissimum de hoc est baptizari in nomine explicitè Trinitatis.

Iam supra exposuimus quid sit credere explicitè, & quid sit credere implicitè, siue quid sit fides explicita, & quid sit fides implicita; fides explicita alicuius rei dicitur, quæ terminatur expresè ad illam rem, fides autem implicita dicitur alicuius rei, quæ non immediatè ad illam expresè terminatur, sed ad aliud in quo continetur illa res, sicut in causa, & in genere; in hoc ergo quæsito habemus omnes teneri ad habendum fidem explicitam Trinitatis, sicut & primorum credibilium, quæ sunt articuli fidei, ista autem omnia continentur in Symbolo Apostolorũ; ex quo patet quemlibet Christi fidelem teneri ad sciendum explicitè Symbolum Apostolicum, non ita quod teneatur fidelis scire verba illa præcisè, nec articulos ibi contentos eo ordine, quo ibi collocantur, sed dico teneri scire substantiam illorum articulorum, puta Deum vnum in essentia, Trinum in personis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Creatorem, Saluatorem, & Glorificatorem, Christi Incarnationem, Natiuitatem, Mortem, Resurrectionem, Ascensionem, aduentum iudicij, Remissionem peccatorum, Carnis Resurrectionem, & huiusmodi, & quicunque hæc ignorat; peccat mortaliter secundũ communem sententiam, nec ignorantia excusatur, non enim viuere Christianè quis potest absque horum cognitione; & ita tenentur scire explicitè huiusmodi articulos fidei, quod oppositum asserere, nempe quod non teneatur Christi fidelis scire explicitè articulos fidei, sed quod satis sit credere, quod sancta credit Ecclesia, est hæresis damnata ab Inquisitoribus Aragoniæ ex præcepto Summi Pontificis. direct. Inquisit. 2.p. q. 10. hær. 8. deploranda profectò est calamitas nostræ ætatis, inqua cognoui ego aliquos barbaros ita rudes, & ignaros circa rudimenta fidei, vt nec verbum proferre de huiusmodi articulis sciuerint, & ita incapaces in addiscendo, vt nihil de eis memoriæ mandare, & retinere valeant, cum tamen circa sæcularia, & mundana ita eorum vigeret memoriâ, vt etiam minimorum à multis annis transactorum recordarentur, & hoc prouenicbat, quia in tenera ætate horum articulorum cognitionem negligebant, frequentare scholas doctrinæ Christianæ renuebant; aduertant ergo Curati, ne in hoc sint negligentes, & Confessarij studeant examinare pænitentes, immò adhoc tenentur ex officio, si probabiliter iudicant, siue dubitent pænitentes nescire articulos fidei, horum siquidem cognitio omnibus est necessaria, licet vt diximus cum S. Thoma supra, in Episcopis, & sapientioribus explicatior fides requiratur, vt pote fidei defensoribus; & declaratoribus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 4. cap. 2. num. 10. Azorius lib. 8. cap. 6.

Quæritur, an fuerit necessarium semper omnibus credere Deum esse, & eum esse remuneratorem.

9 Respondeo dicendum, quòd explicitè credere de Deo quia est, & quia inquirentibus se remunerator est, omni tempore, & quo ad omnes necessarium fuit, non tamen est sufficiens omni tempore, & quo ad omnes. 2.2.q.2.a.8. ad 1. (3. sent. d.25. q. 2.a.2. quæstiunc. 4. ad 1. (4. sent. d.6. q.2. a. 2. quæstiunc. 1. in corp. (q. 14. de verit. a. 11. in corp.

Quod explicitè credere de Deo, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est, omni tẽpore, & quo ad omnes ad necessarium fuerit, docet D. Thomas in hoc quæsito, subiungit tamẽ, quod non est sufficiens omni tẽpore, & quo ad omnes.

Pertranseo, cum circa hoc nihil occurrat scribendum.

Quæritur, an omnes teneantur scire explicare articulos fidei.

10 Respondeo dicendum, quòd explicare articulos fidei contingit dupliciter, vno modo quantum ad ipsorum articulorum substantiam, secundum quòd ipsos articulos distinctè scit, alio modo quantum ad ea, quæ in articulis continentur implicitè, quod quidem contingit, dum homo scit ea, quæ ex articulis consequuntur, & vim veritatis ipsorum articulorum, per quam possunt deffendi ab omni impugnatione: ad primam quidem explicationem tota-

lem tenentur omnes, qui habent officium docendi fidem, siue ex gradu dignitatis, sicut Sacerdos, siue ex reuelatione sicut prophetæ, siue ex ministerio sicut Doctores, & Prædicatores, non autem alij, quibus non incumbit officium docēdi fidem, quia cum ipsi non habeant nisi se ipsos regulare, sufficit eis illos articulos cognoscere, per quos possint propriam intentionem dirigere in finem vltimum; ad secundam autem explicationem articulorum non tenetur aliquis totaliter, vt sciat omnia explicare, quæ in articulis de salute continentur, quia hoc non potest esse, nisi in Patria, vbi ipsa articulorum veritas plenè videbitur. 3. sentent. d. 25. q. 2. artic. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas duplici conclusione. distinctio est, quod explicare articulos fidei contingit dupliciter, vno modo quantum ad ipsam articulorum substantiam, alio modo quantum ad ea, quæ ex articulis consequuntur, & vim veritatis ipsorum articulorum, per quam possunt deffendi ab omni impugnatione. prima conclusio, ad primam explicationem totalem tenentur omnes, qui habent officiū docendi fidem, siue ex gradu dignitatis, siue ex reuelatione, siue ex ministerio, non autem alij. prima pars relinquitur, vt nota. secunda pars probatur, quia cum ipsi non habeant nisi seipsos regulare, sufficit eis illos articulos cognoscere, per quos possint propriam intentionem dirigere in finem vltimum. secunda conclusio. ad secundam explicationem articulorum non tenetur aliquis totaliter, vt sciat omnia explicare, quæ in articulis de salute continentur. probatur, quia hoc non potest esse nisi in Patria, vbi ipsa articulorum veritas plenè videbitur.

Hæc doctrina explicatur per aliam traditam in quæsito sexto, ideò videas illam cum adnotationibus nostris.

Quæritur, quod nam sit primum credibile.

11 Respondeo dicendum, quod Deum esse est primum, & principale inter omnia credibilia. 2. 2. q. 16. a. 1. in corp.

Quod Deum esse sit primū, & principale inter omnia credibilia, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Pro hac doctrina legatur D. Thomas 2. 2. q. 1. a. 7. in corp.

Quæritur, an peccet cogitans de articulis fidei, & de Bonitate Dei, si actu non credat, & amet Deum.

12 Respondeo dicendum, quod non peccat quicunq; cogitans articulos fidei non mouetur actu fidei, & quicunque cogitans Dei bonitatem non mouetur actu Charitatis, quia aliquando speculatiuè tantum potest aliquis considerare, vt in disputationibus accidit, & tamen non mouetur aliquo actu voluntatis ad id, quod speculatur. opusculo 9. quæst. 89.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. non peccat quicunq; cogitans articulos fidei non mouetur actu fidei, & quicunq; cogitans Dei bonitatem non mouetur actu Charitatis. probatur, quia aliquando speculatiuè tantum potest aliquis considerare, vt in disputationibus accidit, & tamen non mouetur aliquo actu voluntatis ad id, quod speculatur.

Non immoror circa hanc doctrinam, cum nil scribendum occurrat.

Quæritur, an simplices sint interrogandi de subtilitatibus fidei.

13 Respondeo dicendum, quod simplices non sunt examinandi de subtilitatibus fidei, nisi quando habetur suspicio, quod sint ab hæreticis deprauati, qui in his, quæ ad subtilitatem fidei pertinent, solent fidem simplicium deprauare, si tamen inueniuntur non pertinaciter peruersæ Doctrinæ adhærere, si in talibus ex simplicitate deficiant, non eis imputatur. 2. 2. quæst. 2. artic. 6. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. simplices non sunt examinādi de subtilitatibus fidei, nisi quādo habetur suspicio, quod sint ab hæreticis deprauati, qui in his, quæ ad subtilitatem fidei pertinent, solent fidem simplicium deprauare. secunda conclusio. si tamen inueniuntur non pertinaciter peruersæ doctrinæ adhærere, si in talibus ex simplicitate defficiant, non eis imputatur.

Circa secundam conclusionem obserua, quod pertinacia, quæ importat consensum in errorem in fide agnita veritate, facit hæreticum errantē, vndè errans sine pertinacia hęreticus censendus non est, neque forsan peccaret mortaliter, ideò in littera dicitur rectè, quod non imputatur eis, scilicet ad peccatum hæresis.

Quæritur, an actus fidei possit esse meritorius.

14 Respōdeo dicendum, quod quia actus nostri sunt meritorij, inquantum procedunt ex libero arbitrio moto à Deo per gratiam, vndè omnis actus humanus, qui subijcitur libero arbitrio, si sit relatus in Deum, potest meritorius esse, ipsum autem credere est actus intellectus assentientis veritati Diuinæ ex imperio volun-

tatis

tatis motæ à Deo per gratiam, & sic subiacet libero arbitrio in ordine ad Deum, vndè actus fidei potest esse meritorius. 2.2. q. 2. art. 9. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. actus fidei potest esse meritorius. probatur, quia omnis actus humanus, qui subijcitur libero arbitrio, si sit relatus in Deum, potest meritorius esse, sed ipsum credere subiacet libero arbitrio in ordine ad Deum, ergo credere, qui est actus fidei, potest esse meritorius. maior probatur; quia actus nostri sunt meritorij, inquantum procedunt ex libero arbitrio mota à Deo per Gratiam, minor probatur, quia credere est actus intellectus assentientis veritati Diuinæ ex imperio voluntatis motæ per gratiã.

Conclusio D. Thomæ est certa secundum fidẽ, & oppositum eius est hæresis manifesta, quod ex multis sacræ scripturæ testimonijs probat Dominicus Bannes, qui etiam vocat rationem D. Thomæ, qua probat conclusionem, demonstrationem Thologicam, cui possumus addere aliam, nam ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 16. habemus, quod homo meretur vitam æternam per bona opera facta ex Charitate, sed qui credit, facit bonum opus ex Charitate, ergo meretur vitam æternam.

Quæritur, an ratio humana minuat meritum?

15 Respondeo dicendum, quod sicut dictum est actus fidei potest esse meritorius, inquantum subiacet voluntati non solum quantum ad vsum, sed etiam quantum ad assensum, ratio autem humana inducta ad ea, quæ sunt fidei, dupliciter se potest habere ad voluntatem credentis, vno quidẽ modo sicut præcedens, puta cum aliquis, aut non haberet voluntatem, aut non haberet promptam voluntatem ad credendum, nisi ratio humana induceretur, & sic ratio humana inducta diminuit meritum fidei, sicut etiam passio præcedens electionem in Virtutibus moralibus diminuit laudem virtuosi actus, sicut enim homo actus moralium Virtutum debet exercere propter iuditium rationis, non propter passionem, ita credere debet homo ea, quæ sunt fidei, non propter rationem humanam, sed propter auctoritatem Diuinam: alio modo ratio humana potest se habere ad voluntatem credentis consequenter, cum enim homo habet promptam voluntatem ad credendum, diligit veritatem creditam, & super eam excogitat, & amplectitur, si quas rationes adhoc inuenire potest, & quantum adhoc ratio humana non excludit meritum fidei, sed est signum maioris meriti, sic etiam passio consequens in Virtutibus moralibus est signum promptioris voluntatis, & hoc significatur Ioannis 4. vbi Samaritani ad mulierem, per quam ratio humana figuratur, dixerunt, iam non propter tuam loquelam credimus. 2.2. q. 2. a. 10. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione. distinctio est. ratio humana inducta ad ea, quæ sunt fidei, dupliciter se potest habere ad voluntatem credentis, vno modo sicut præcedens, alio modo sicut consequens. prima conclusio. ratio humana vt præcedens voluntatem credentis, vt cum quis aut nõ habet voluntatem, aut non habet promptam voluntatem ad credendum, nisi quia ratione inducitur, diminuit meritum fidei. probatur à simili, sicut enim homo actus Virtutum moralium debet exercere propter iuditium rationis, non propter passionem, ita credere debet homo ea, quæ sunt fidei, non propter rationem humanam, sed propter auctoritatem Diuinam. secunda cõclusio. ratio humana vt consequens voluntatem credentis non excludit meritum fidei, sed est signum maioris meriti. probatur, quia sic etiam passio consequens in virtutibus moralibus est signum promptioris voluntatis.

Circa primam conclusionem adest Caietanus. 3. p. quæst. 38. art. 1. qui ait, quod ratio demonstratiua tollit omninò meritum fidei, sed ratio topica, siue indicia quælibet per miracola, seu reuelatio Diuina, vel Angelorum, vel hominum, dummodo talis reuelatio non faciat euidentiã, minuit meritum fidei circa illud obiectum, quãuis non soluat. Durandus etiam 3. sent. d. 24. q. 3. sentit, quod ratio demonstratiua tollit totum meritum fidei, ratio autem topica non tollit, nec minuit meritum fidei, quia non tollit difficultatem, nec libertatem, itaquod isti duo Doctores conueniunt in primo dicto, quòd etiam eadem ratione probant, sed differunt in secundo dicto. Caietanus enim ait, quod ratio topica minuit, sed non tollit meritum, Durandus autem ait, quod ratio topica nec tollit, nec minuit meritum fidei. vterque profectò est contra D. Thomam, qui duo dicit, quorum primum habetur in corpore, quod ratio præcedens voluntatem credẽtis, itaquod quis aut non habet voluntatem, aut non habet promptam voluntatem ad credendũ, nisi quia ratione inducitur, diminuit meritum fidei, secundum habetur in responsione ad primum, vbi ait, quod quando homo habet voluntatem credendi ea, quæ sunt fidei, ex sola auctoritate Diuina, etiam si habeat rationem demonstratiuam ad aliquid eorum, puta adhoc quod est Deum esse, non propter hoc tollitur, vel diminuitur meritum fidei. argumenta Durandi, & Caietani soluuntur à Dominico Bannes hoc in loco, ideò ad illum fiat reuersus. circa secundã conclusionem obserua, quod ex hoc quod Doctores per rationes, & demonstrationes suas tollunt impedimenta fidei, opus faciunt maximè

mè pium, & maximè meritorium, cui etiam speciale præmium correspondebit iuxta illud Eccl. 24. qui elucidant me, vitam æternam habebunt. discant ergo Doctores nulli parcere labori pro elucidanda, & tuenda fide, vt tanto potiantur præmio.

Quæritur, an non credentes sint peiores Dæmonibus, & quomodo.

16 Respondeo dicendum, quòd illi, qui non credunt, peiores sunt, quã Dæmones, cum Dæmones credant, & contremiscant & peiores sunt ex specie operis, sed non quantum ad effectum, nam Dæmonibus displicet hoc, quòd credunt, nec etiam est tanta nequitia voluntatis in homine, qui non credit, quanta in Dæmone, qui odit, quòd credit. Ecc.2.c.5.ad Galatas.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. illi, qui non credunt, peiores sunt, quam Dæmones. probatur, quia Dæmones credunt, & contremiscunt. secunda conclusio. peiores sunt ex spetie operis, sed non quantum ad effectum. probatur secunda pars dupliciter, & primò quia Dæmonibus displicet hoc, quod credunt. secundò, quia nec est tanta nequitia voluntatis in homine, qui nõ credit, quanta in Dæmone, qui odit, quod credit.

Propero ad alia, cum circa hanc doctrinam nil occurrat scribendum.

CRIMEN.

1 *Triplex modus procedendi in criminibus scilicet per denunciationem, per inquisitionem, per accusationem.*
Denunciationem debet præcedere correctio Fraterna.
Inquisitionem debet præcedere infamia.
Accusationem præcedit inscriptio, qua accusans se obligat ad pænam talionis.
In inquisitione, & accusatione intenditur pæna peccantis.
Quando proceditur per accusationem, & inquisitionem Prælatus potest præcepto veritatem exigere, & subditi tenentur obedire.
Si procedatur per viam simplicis denunciationis, non tenetur subditus obedire Prælato præcipienti reuelare peccatum secretum Fratris non seruato ordine correctionis Fraternæ.
Peccaret subditus, si reuelaret peccatum Prælato præcipienti.
Peccat etiam Prælatus hoc præcipiens.
5 *Multiplex descrimen inter accusationem, denunciationem, & Inquisitionem.*
2 *Quis sit criminator, & in quo differat à detractore, & susurrone.*

Quæritur, quot modis possit procedi in criminibus, & quid in illis obseruandum sit.

1 Respondeo dicendum, quòd in criminibus triplex est modus procedendi, vnus per denunciationẽ, alius per inquisitionem, alius per accusationem; In via ergo denunciationis intẽditur correctio delinquentis, & ideò secũdum præceptum Domini Mathei 18. debet præcedere Fraterna correctio, vt scilicet corripias eum inter te, & ipsum solum, quòd si non audierit, coram duobus, vel tribus testibus, & vltimò dicatur Ecclesiæ; Charitatis enim est, vt aliquis parcat Fratri, quantum potest, vnde prius debet niti, vt corrigat conscientiam Fratris seruata forma solitariè admonendo, & postmodum coram duobus, vel tribus; tandem negligenda est fama, vt emendatur conscientia, & dicendum est Ecclesiæ, in quo etiam processu consulitur conscientiæ, nã peccator si à principio videret se publicatum, amitteret verecundiam, & obstinatior fieret ad peccandum. In inquisitione vero debet præcedere infamia. In accusatione vero debet pręcedere inscriptio, *per quam ipse obligat se ad talionem. In inquisitione*, & accusatione intenditur pęna peccantis propter multitudinis bonum; si ergo appareat accusator, qui se obliget ad talionem, potest Prælatus præcepto veritatis confessionem exigere, sicut, & Iudex Ecclesiasticus iuramentum; & similiter si præcedat infamia potest Prælatus præcepto veritatem exquirere, & subditi tenentur obedire: si autem procedatur per viã simplicis denunciationis, non tenetur Religiosus Prælato præcipenti culpam Fratris reuelare, nisi præcedente monitione cũ videat incorrectum, immo magis peccaret, si ad præceptum Prælati reuelaret, quia plus tenetũr obedire Euangelio, quã Prælato, & multo magis Prælatus peccaret, si subditum induceret ad peruertendum ordinem Euangelij. quodlibeto. 1. a. 16.

Nouem conclusionibus respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. triplex est modus procedendi, vnus per denunciationem, alius per Inquisitionem, alius per accusationem. secunda conclusio. in denunciatione debet præcedere fraterna correctio secundum ordinem præscriptum à Christo Mathei 18. probatur dupliciter, & primò quia in denunciatione intenditur correctio delinquentis. secundò quia Charitatis est, vt aliquis parcat fratri quantum potest, ergo præcedere debet correctio fraterna secundum ordinem à Christo præscriptum. tertia conclu-

conclusio. in Inquisitione debet præcedere infamia. quarta conclusio. in accusatione debet præcedere inscriptio, per quam ipse se obligat ad talionem. quinta conclusio. in inquisitione, & accusatione intenditur pœna peccantis. probatur, quia multitudinis bonum hoc exigit. sexta conclusio. si appareat accusator, qui se obliget ad talionem, potest Prælatus præcepto veritatis confessionem exigere, sicut & Iudex Ecclesiasticus iuramentum. septima conclusio. si præcedat infamia, potest Prælatus præcepto veritatem exquirere, & subditi tenentur obedire. octaua cõclusio. si procedatur per viam simplicis denunciationis, non tenetur Religiosus obedire Prælato præcipienti culpam fratris reuelare, nisi præcedente monitione, cum viderit incorectum, immò magis peccaret, si ad præceptum Prælati reuelaret. probatur hæc secunda pars, quia plus tenetur obedire Euangelio, quam Prælato. nona conclusio. multò magis Prælatus peccaret, si subditum induceret aduertendum ordinem Euangelij.

De his tribus vijs est titulus in Decretalibus, de accusationibus, Inquisitionibus &c. legatur C. super his, & ca. Inquisitionis. legatur titulus de Iudicijs. C. nouit ille. multiplex autem differẽtia reperitur inter istas tres vias, quarum prima est, quod accusatio secundum leges humanas debet fieri in scriptis, quia vt dicitur in littera, accusans in scriptis se obligat ad pœnam talionis, Denunciatio vero non debet fieri in scriptis, inquisitio autem exercetur à Iudice ex officio suo, quando præcessit infamia publica alicuius criminis. secunda differentia est, quod accusatio obligat accusatorem, vt probet, quod accusat, aliter puniendus erit pœna talionis, Denunciatio verò, siue depositio criminis non obligat ad probationem. tertia differentia est, quod accusator non potest esse testis contra illum, quem accusat, in eo delicto quod accusat, quod ideo dico, quia in alio crimine, de quo fuit accusatus ab alio, potest esse testis, sed denunciator potest esse testis in eo, quod denunciat, vt praxis Sancti Officij probat. & habetur in c. in omni de testibus, & habetur ex Euangelio, in quo dicitur, adhibe tecũ vnum, vel duos testes, vt in ore duorum &c. scilicet tuo, & eius, quem vocasti. quarta differentia est ex fine, nam accusatio, & inquisitio per se ordinantur ad bonum commune, finis enim accusationis, & inquisitionis est vindicatio publica iustitiæ, vt cæteri timorem habeant, vt ait D. Thomas, denunciatio verò potest esse, & per se ordinari ad bonum fratris, ad quòd ordinabatur correctio singularis secreta. hic tamen obserua, quod denunciatio etiam potest ordinari ad bonum commune, etiam si denunciator non accuset, vt puta si quis denunciet Iudici, quod aliquis laborat infamia publica, & qua denunciatione Iudex mouetur ad generalem inquisitionem, vt cognoscat, an sit verum, quod denunciator dixerat. cætera, quæ de Denunciatione dicuntur in calce quæsiti, sunt à nobis explicata supra in materia de correctione fraterna.

Quæritur, in quo differat Criminator à detractore, & susurrone.

2 Respondeo dicendum, quòd criminator differt à susurrone, & à detractore, quia criminator est, qui publicè crimina alijs imponit, vel accusando, vel conuitiando quod non pertinet ad detractorem, & susurronem. 2.2.q.74.a.1. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. criminator differt à susurrone, & Detractore. probatur, quia criminator est, qui publicè crimina alijs imponit, vel accusando, vel conuitiando, quod non pertinet ad detractorẽ, & susurronem.

Differentia ergo inter criminatorem, detractorem, & susurronem consistit in hoc, quòd criminator publicè crimen imponit alijs, vel accusando, vel conuitiando; detractor autem intendit occultè denigrare famam proximi; susurro autem intendit separare amicitiam, vt docet D. Thomas 2.2. q. 74.a.1. in corp.

CRVDELITAS.

1 *Crudelitas vndè dicatur.*
§ *Quid importet crudelitas.*
2 *Crudelitas importat excessum in puniendo.*
Saui, & feri, qui dicantur.
3 *Crudelitas opponitur directè Clementiæ.*
4 *Austeritas animi pertinet ad crudelitatem.*
§ *Crudelitas est peccatum mortale.*
5 *Credulitas differt à sæuitia, & feritate.*
§ *Sæuitia, seu feritas est mortale peccatum.*

Quæritur, vndè dicatur credulitas.

1 Respondeo dicendum, quòd nomẽ credulitatis à cruditate sũptum esse videtur, sicut autem ea, quæ sunt cocta, & digesta solent habere suauẽ, & dulcem saporem, ita illa, quæ sunt cruda habent horribilem, & asperum. 2. 2. q.159.a. 1. in corp.

Quod nomen crudelitatis sit desumptũ à cruditate, quæ facit saporem horribilem & asperũ, sicut cocta habent suauem, & dulcem saporem, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ex hoc quod crudelitas desumitur à cruditate, sequitur, quod crudelitas importet quamdã animi asperitatem, per quam est quis promptus ad augendas pœnas, huic etimologiæ se opponit Martinus duplici medio, quibus respondet Caietanus hoc in loco.

Quæritur, quid sit crudelitas.

2 Respondeo dicendum, quòd crudelitas importat excessum in puniendo, vndè dicit Seneca in 2. de clementia, quòd crudeles

les vocantur, qui puniendi causam habent, modum tamen non habent, qui autem in pænis hominum propter se delectãtur etiam sine causa, possunt dici sæui, vel feri, quasi affectum humanum non habẽtes, ex quo naturaliter homo diligit hominem. 2. 2. q. 157. a. 1. ad 3.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. crudelitas importat excessum in puniendo. probatur ex Seneca in 2 de Clementia, vt in littera. secunda cõclusio. sæui, vel feri dicuntur, qui in pænis hominum propter se delectãtur etiam sine causa. probatur, quia sunt tanquam non habentes affectum humanum, ex quo naturaliter homo diligit hominem.

Differentia formalis inter crudeles, & feros quòd crudeles sunt, qui puniendi causam habent, modum non habent; feri autem nec causam, nec modum habent in puniendo, quasi sint feræ, & bestiæ, quæ rationis expertes sunt.

Quæritur, cui virtuti opponatur Crudelitas.

3 Respondeo dicendum, quòd directè crudelitas Clementiæ opponitur. 2. 2. q. 159. a. 1. in corp.

Crudelitatem directè opponi Clementiæ, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Cum crudelitas importet animi asperitatem, Clementia autem importet quamdam animi lenitatem, siue dulcedinem, hinc sequitur, crudelitatem directè opponi Clementiæ; illa est accessiua pænarum, ista diminutiua, ergò directè opposita. si autem arguat ad hominem D. Thomã, qui in 2. 2. q. 108. artic. 1. ad 3. ait, crudelitatem opponi vindicationi, legat Caietanum hoc in loco, & satisfiet ei.

Quæritur, an ad crudelitatem pertineat austeritas animi.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut ipsa dulcedo affectus, ex qua homo adhoc inclinatur, vt diminuat pænas, pertinet ad Clementiam, ita super excessus pænarum quãtum ad austeritatem animi, per quam aliquis fit promptus ad pænas augendas, pertinet ad crudelitatem. 2. 2. q. 159. art. 1. ad 1.

Vnica conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quæ est. super excessus pænarum quantum ad austeritatem animi, per quem aliquis fit promptus ad pænas augendas, pertinet ad crudelitatem, sicut dulcedo affectus, ex qua homo ad hoc inclinatur, vt diminuat pænas, pertinet ad Clementiam.

Ex hac doctrina habemus, crudelitatem ex diametro opponi Clementiæ; & crudelitatem esse peccatum mortale, cum crudelis peccet manifestè contra proximum plus puniendo, quam mereatur, vltra malam dispositionem proprij animi, qua se ipsum fædat crudelitate, vt rectè ait Caietanus in summula verb. crudelitas.

Quæritur, in quo differat crudelitas à sæuitia, & feritate.

5 Respondeo dicendum, quòd nomen sæuitiæ, & feritatis à similitudine ferarum accipitur, quæ etiam dicuntur sæuæ, huiusmodi enim animalia nocent hominibus, vt ex eorum corporibus pascantur nõ ex aliqua iustitiæ causa, cuius consideratio pertinet ad solam rationem, & ideò propriè loquendo feritas, vel sæuitia dicitur secundum quam aliquis in pænis inferendis non considerat aliquam culpam eius, qui punitur, sed solum hoc, quòd delectatur in hominum cruciatu, & sic patet, quòd continetur sub bestialitate, nam talis delectatio non est humana, sed bestialis proueniens, vel ex mala consuetudine, vel corruptione naturæ, sicut & aliæ huiusmodi bestiales affectiones, sed crudelitas non solum attendit culpam in eo, qui punitur, sed excedit modum in puniendo, & ideò crudelitas differt à sæuitia, siue feritate, sicut malitia humana à Bestialitate, vt dicitur 7. eth. 2. 2. q. 159. a. 2. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cõclusione, quæ est. crudelitas differt à sæuitia, siue feritate, sicut malitia humana à bestialitate. probatur, quia feritas, vel sæuitia propriè dicitur secundum quam in pænis inferendis non considerat quis aliquam culpam eius, qui punitur, sed solum hoc quod delectatur in hominum cruciatu, quod bestijs conuenit, crudelitas autem culpam attendit in eo, qui punitur, sed excedit modum in puniendo, attendere autem culpam est hominis, ergo crudelitas differt à sæuitia, siue feritate.

Contra id, quod dicit D. Thomas, quod crudelitas importat inflictionem pænæ ex culpa & contra diffinitionem sæuitiæ, seu feritatis mouet singula argumenta ex Martino Caietanus, quæ etiam optimè soluit, vndè tu ea in illo legas. tãtùm obseruo, quòd si crudelitas, quæ habet causam, sed non modum puniẽdi, est peccatum mortale, multò magis sæuitia, seu feritas, quæ nec causam. nec modum attendit in puniendo, erit peccatum mortale.

CVLPA.

1 *Ratio culpæ in quo constat.*
§ *Culpa originalis non est voluntaria in contrahentibus eam.*
Fuit tamen voluntaria in primo Parente.

2 *Culpa*

2 *Culpa mortalis tollit gratiam.*
Quædam culpa est contra rationem.
Quædam contra naturam.
Quædam culpa est crimen.
Quædam culpa est Blasphemia.
3 *Culpa propter se est vitanda, non ratione pœnæ.*
4 *Per culpam mortalem perfectè est separatio à Deo.*
Per peccatum veniale imperfectè.
Remissio culpæ per quid fiat.
5 *Per Baptismum, & martirium fit totalis remissio culpæ, & pœnæ.*

Quæritur, in quo consistat ratio culpæ.

1 RESpondeo dicendum, quòd ratio culpæ consistit in voluntaria recessione à Deo. 2.2.q. 34.a.2. in corp.

Rationem culpæ consistere in voluntaria recessione à Deo docet D. Thomas in hoc quæsito. Hic S. Thomas loquitur de culpa actuali, non originali, quæ non est voluntaria in contrahentibus ipsam, licet voluntaria fuerit in primo Parente, inquo erat culpa personalis; culpa ergo actualis est voluntaria, procedens scilicet à voluntate peccaminosa; loquitur etiam de mortali culpa, ista enim importat auersionem, siue recessionem à Deo, non sic autē de peccato veniali.

Quæritur, quid sit culpa mortalis, & quotuplex sit genus culparum.

2 Respondeo dicēdum, quòd culpa mortalis est, quæ gratiam tollit, per quam est vita animæ, & sic omnis culpa mortalis est contra gratiam, sed quædam est contra rationem, vt periurium, quædam etiam cōtra naturam, vt sodomia, quædam autem est crimen, quæ est digna accusatione in iuditio, quædam autem est blasphemia, quæ est impositio alicuius falsi in Deum, vel ei subtrahendo, quòd inest, vel attribuendo, quod non inest. 4. sent. d. 14. in expositione litteræ.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. culpa mortalis est, quæ gratiam tollit, per quam est vita animæ. hinc elicitur corrolarium, quod omnis culpa mortalis est contra Gratiam. secunda conclusio. quædā est contra rationem, vt periurium; quædam contra naturam, vt sodomia; quædam est digna accusatione in iuditio; quædam est blasphemia in Deum.

Hic aduerte multa, primò descriptionem culpæ mortalis, quod scilicet sit illa, quæ tollit gratiam, ad differentiam peccati venialis, quæ gratiam non auffert. secundò quod Gratia dicitur vita animæ, scilicet vita spiritualis, vndè existens in peccato mortali dicetur mortuus spiritualiter, quia amisit vitam spiritualem, nempe Gratiam. tertio dicitur, quod omnis culpa mortalis est contra Gratiam, ex quo sequitur, quod culpa mortalis non possit stare cum Gratia, quia vnum expellit aliud. quartò dicitur, quod periurium sit contra rationem, quia ratio dictat, vt non vocemus Deum in testem falsi. quinto dicitur sodomia culpa contra naturam, quia non seruatur debitus sexus. sextò dicitur, quòd datur quædam culpa digna accusatione in iuditio, vt est culpa, quæ est in nocumentum Reipublicę, vel spirituale, vt est hæresis, vel corporale, vt furtū, homicidium, & huiusmodi. septimò dicitur quædam culpa blasphemia in Deum, quæ blasphemia est impositio alicuius falsi in Deum, vel subtrahēdo quod inest, vel attribuendo, quod non inest, & hæc est diffinitio blasphemiæ.

Quæritur, an culpa sit propter se vitanda.

3 Respondeo dicendum, quòd culpa est propter se vitanda etiam si nulla pœna sequeretur, vndè virtuosus plus culpam, quam pœnam fugit, ad quem oportet mēsurare actus aliorum hominum, vt pylosophus in 3. eth. dicit. 2. sentent. d. 37. artic. 2. ad 4.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, culpa est propter se vitanda, et si nulla pœna sequeretur. probatur, quia Virtuosus plus culpam, quam pœnam fugit. hinc elicitur corrolarium, quod scilicet oportet mensurare actus aliorum hominum ad Virtuosum, vt ait Arist. 3. eth.

Quam distent à cōsortio virtuosi hominis illi, qui abstinent à peccatis potius timore pœnæ, quam erubescentia culpæ; qui enim culpam euitare contendit, quia culpa est, hoc præstare ex amore filiali, & reuerentiali in Deum euidens signum est; qui autem refugit peccata propter timorē pœnæ, hoc procedere à timore seruili constans est.

Quæritur, per quid fiat remissio culpæ.

4 Respondeo dicendum, quòd remissio culpæ fit per coniunctionem hominis ad Deum, à quo aliqualiter separat culpa, sed hæc separatio perfectè quidem fit per peccatum mortale, imperfectè autem per peccatum veniale. nam per peccatū mortale mens omnino à Deo auertitur, vt potè contra Charitatem agens, per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne promptè in Deum feratur. 3. p. q. 87. a. 1. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito conclusione duplici, quarum prima est. remissio culpæ fit per coniunctionem hominis ad Deum, à quo aliqualiter separat culpa. secunda conclusio. hæc separatio perfectè fit per peccatum mortale, im-

perfectè autem per peccatum veniale. probatur, per peccatum mortale mēs omnino à Deo auertitur, vt potè contra Charitatem agens, per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne promptè in Deum feratur.

Circa primam conclusionem obserua, quod intantum remissio culpæ dicitur fieri per coniunctionem hominis ad Deum, inquantum culpa deletur per Gratiam, secundum quam anima cōiungitur Deo. circa secundam conclusionem, & eius rationē obserua diffinitionem peccati mortalis, nempe quod peccatum mortale est contra Charitatem, sicut peccatum veniale est præter Charitatem, idest peccatum mortale est contra finem, peccatum autem veniale est contra media ad finem, & per peccatum veniale retardatur, tepescit affectus, siue Charitas in Deum.

Quæritur, per quid fiat totalis remissio culpæ, & pœnæ.

5 Respondeo dicendum, quòd nullus peruenit ad vitam æternam nisi absolutus ab omni culpa, & reatu pœnæ, quæ quidem vniuersalis absolutio fit in perceptione Baptismi, & in martyrio, propter quòd dicitur, quòd in martyrio omnia Sacramenta Baptismi complentur, scilicet quātum ad plenam liberationem à culpa, & pœna. 3.p.q.68.art.2. ad 2.

Quod vniuersalis absolutio ab omni culpa, & reatu pœnę fit in perceptione Baptismi, & in Martirio, docet D. Thomas in hoc quæsito, propter quod dicitur, quod in Martirio omnia Sacramēta Baptismi conplentur, scilicet quantum ad plenam liberationem à culpa, & pœna.

Quod plena absolutio ab omni culpa, & reatu pœnæ fiat per Baptismum, iam supra exposuimus verb. Baptismus cap. 9. quæsit. 2. quod etiam hoc fiat in Martirio, videbitur infra verb. Martiriū. quæst. 2.

CVLTVS.

1 *Quid sit cultus Dei.*
2 *Eusebia, & Theosebia debetur Deo.*
3 *Cultus Diuinus ad tria ordinatur.*
4 *Euchareſtia, Ordo, & Baptismus pertinent ad cultum Dei.*
5 *Sacramenta noua legis ad duo ordinantur, & quæ.*
5 *Cultus Dei est duplex scilicet interior, & exterior.*
Cultus Dei exterior ordinatur ad interiorem.
In quo consistat cultus interior Dei.
Cultus exterior diuersimodè reperitur in diuersis statibus.
6 *Ad quid præcipuè ordinatur cultus exterior Dei.*
7 *Cultus Dei exterior præcipitur in tertio præcepto Decalogi.*
8 *A cultu Dei interiori impediuntur homines per peccata.*
A cultu exteriori impediebantur olim per quasdā corporales immunditias.
9 *Cultus exterior perniciosus quis sit.*
Duobus modis contingit esse perniciosum cultum Dei exteriorem, scilicet ex parte rei significatæ, & ex parte colentis.
10 *Secundum quantitatem absolutam non potest esse aliquod superfluum in cultu Diuino.*
Quod nam sit superfluum in cultu Diuino exteriori secundum quantitatem proportionis.

Quæritur, quid sit cultus Dei.

1 Respondeo dicendum, quòd omnis cultus Dei est quædam fidei protestatio. 4. sent. d. 13. q. 2. art. 1. ad 4.

Quod omnis cultus Dei sit quædam fidei protestatio, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Non occurrit aliquid scribendum, ideò ad alia propero.

Quæritur, qui cultus debeatur Deo.

2 Respondeo dicendum, quòd quia specialis honor debetur Deo tanquam primò omnium principio, etiam specialis ratio cultus ei debetur, quæ Græco nomine vocatur Eusebia, vel Theosebia, vt patet per Augustinum 10. de Ciuit. Dei. 2.2.q.81.a.1. ad 4.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. specialis ratio cultus Deo debetur, quæ greco nomine vocatur Eusebia, vel Theosebia. probatur ex D. Augustino 10. de Ciuit. Dei. secundò probatur ratione tali, quia specialis honor debetur Deo tanquam primo omnium principio, ergo etiam specialis cultus &c.

Hæc iam explicata sunt in verb. Adoratio q. 8.

Quæritur, ad quid ordinetur cultus Diuinus.

3 Respondeo dicendum, quòd ordinatur primò Diuinus cultus ad reuerentiam Deo exihendam; secundò ordinatur ad hoc, quod homo instruatur à Deo, quem colit; tertiò ordinatur Diuinus cultus ad quandam directionem humanorum actuū secundum instituta Dei, qui colitur. 2.2.q. 92.a.2. in corp.

Ad tria ordinari Diuinum cultum, docet D. Thomas in hoc quæsito, nempe ad reuerentiam Deo exhibendam, ad instructionem hominis à Deo, & ad directionem humanorum actuum secundum instituta Dei.

Non immoror in hoc quæsito, quia nihil occurrit scribendum.

Quæritur, quomodo aliqua Sacramenta pertineant ad cultum Dei.

4 Respondeo dicendum, quòd pertinet ali-

aliquod Sacramentum ad Diuinum cultũ tripliciter, vno modo per modum ipsius actionis, alio modo per modum agentis, tertiò modo per modum recipientis; per modum quidem ipsius actionis pertinet ad Diuinum cultum Eucharestia, in qua principaliter Diuinus cultus consistit, inquantum est Ecclesiæ Sacrificium: ad agẽtes in Sacrificijs pertinet Sacramentũ Ordinis, quia per hoc Sacramentum deputantur homines ad Sacramenta alijs tradenda; sed ad recipientes pertinet Sacramentum Baptismi, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiæ Sacramenta, vndè Baptismus dicitur esse Ianua omnium Sacramentorum. 3.p.q.63. art. 6. in corp.

Data distinctione trimebri respondet D. Thomas huic quæsito triplici conclusione. distinctio est. aliquod sacramentum pertinet ad Diuinum cultum tripliciter, vno modo per modum ipsius rationis, alio modo per modum agentis, tertio modo per modum recipientis. prima conclusio. per modum actionis pertinet, ad Diuinum cultum Eucharestia. probatur, quia in ea principaliter Diuinus cultus consistit, inquantum est Ecclesiæ Sacrificium. secunda conclusio. ad agentes in sacrificijs pertinet sacramentum ordinis. probatur, quia per hoc Sacramentum deputantur homines ad Sacramenta alijs tradenda. tertia conclusio. ad recipientes pertinet Sacramentum Baptismi. probatur, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiæ Sacramenta, hinc elicitur corrolariũ, quod Baptismus dicitur esse ianua omnium Sacramentorum.

Ad explicationem huius litteræ obserua ex D. Thoma, quod sacramenta nouæ legis ad duo ordinantur, scilicet in remedium peccati, & ad cultum Diuinum, est autem omnibus Sacramentis commune, quod per ea exhibetur aliquod remedium contra peccatum per hoc quod gratiam conferunt, non autem omnia Sacramenta ordinantur directè ad Diuinum cultum, sicut patet de Pænitentia, per quam homo liberatur à peccato, non autem per hoc sacramentum exhibetur homini aliquid de nouo pertinens ad Diuinum cultum, sed restituitur in pristinum statũ; sed quæ ordinantur ad Diuinum cultum sunt Baptismus, Confirmatio, Ordo, & Eucharestia.

Quæritur, quotuplex sit cultus Dei.

5 Respondeo dicendum, quòd est duplex cultus Dei, interior, & exterior, cum enim homo sit compositus ex anima, & corpore, vtrumque debet applicari ad colendum Deum, vt scilicet anima colat interiori cultu, & corpus exteriori, vndè dicitur in Psalm. 83. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum, & sicut corpus ordinatur in Deum per animam, ita cultus exterior ordinatur ad interiorem cultum, consistit autem interior cultus in hoc, quod anima coniungatur Deo per intellectum, & affectum, & ideò secundum, quòd diuersimodè intellectus, & affectus colentis Deo rectè coniungitur, secundum hoc diuersimodè exterioris actus hominis ad cultũ Dei applicãtur; in statu enim futuræ Beatitudinis intellectus humanus ipsam Diuinam veritatem in se ipsa intuebitur, & ideò exterior cultus non consistet in aliqua figura, sed solũ in laude Dei, quę procedit ex interiori cognitione, & affectione secundum illud Isaiæ 51. gudium, & lætitia inuenientur in ea, gratiarũ actio, & vox laudis: in statu autem præsẽtis vitę nõ possumus Diuinam veritatem in se ipsa intueri, sed oportet, quod radius Diuinæ veritatis nobis illucescat sub aliquibus sensibilibus figuris, sicut Dionysius dicit primo cap. cælestis Hierarchiæ, diuersimodè tñ secundum diuersum statum cognitionis humanæ, in veteri etenim lege neque ipsa Diuina veritas in se ipsa manifesta erat, neque etiam adhuc propalata erat via adhoc perueniendi, sicut Apostolus dicit ad heb. 7. & ideò oportebat exteriorem cultũ veteris legis non solum esse figuratiuum futuræ veritatis manifestandæ in Patria, sed etiam esse figuratiuam Christi, qui est via ducens ad illam Patriæ veritatem; sed in statu nouę legis hęc via iam est reuelata, vndè hanc præfigurari non oportet, sicut futuram, sed commemorari oportet per modum præteriti, vel præsentis, sed solum oportet præfigurari futuram veritatẽ gloriæ nundum reuelãtam; & hoc est, quod Apostolus dicit ad heb. 10. vmbram habet lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, vmbra enim minus est, quã imago, tanquam imago pertineat ad nouam legem vmbra vero ad veterem. p. 2. q.91.a.2.in corp. (q.102.a.5. ad 4.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito quadruplici conclusione. distinctio est. duplex est cultus Dei, scilicet interior, & exterior, vt scilicet anima colat interiori cultu, & corpus exteriori. prima conclusio. Anima, & corpus hominis debent applicari ad colendum Deum, sed anima cultu interiori, corpus vero exteriori. probatur, quia homo est compositus ex anima, & corpore; probatur etiam ex psalm. 83. secunda conclusio. cultus exterior ordinatur ad interiorem cultum. probatur, quia corpus

ordinatur in Deum per animam. tertia conclusio. in statu futuræ Beatitudinis cultus exterior non consistet in aliqua figura, sed solum in laude Dei procedente ex interiori cognitione, & affectione. probatur, quia in statu futuræ Beatitudinis intellectus humanus Diuinam veritatem in se ipsa intuebitur. quarta conclusio. oportebat exteriorem cultum veteris legis non solum esse figuratiuum futuræ veritatis manifestandæ in Patria, sed etiam esse figuratiuum Christi, qui est via ducens ad illam Patriæ veritatem. probatur, quia oportet in præsentis vitæ statu, quod radius Diuinæ veritatis nobis illucescat sub aliquibus sensibilibus figuris secūdum Dionysium, & in veteri lege neque Diuina Patriæ veritas in se ipsa erat manifesta, neque adhuc erat propalata via, idest Christus, per quam perueniremus ad illam veritatem.

Circa primam, & secundam conclusionem aliqua tetigimus supra verb. Adoratio. q. 2. quibus addimus, quod qui non ordinat saltem virtualiter cultum exteriorem ad interiorem, vt dicit secunda conclusio, erit hipocrita, & de illo poterit dici illud Mathei 15. populus hic labijs me honorat, cor autem coram longè est à me; sine causa autem colunt me. ex tertia conclusione habemus, quod in Patria erit cultus Dei exterior, nam erit ibi, & corpus.

Quæritur, ad quid præcipuè ordinetur cultus Dei exterior.

6 Respondeo dicendum, quòd totus exterior cultus Dei adhoc præcipuè ordinatur, vt homines Deum in reuerentia habeant. p. 2. q. 102. a. 4. in corp.

Quod totus exterior cultus Dei ad hoc præcipuè ordinetur, vt homines Deum in reuerentia habeant, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Nihil mihi scribēdum occurrit circa hoc quæsitum, ideò non immoror.

Quæritur, quo præcepto Decalogi præcipiatur exterior Dei cultus.

7 Respondeo dicendum, quòd quia præcepta Decalogi sunt quasi quædam prima, & communia legis principia, ideò in tertiò pręcepto Decalogi pręcipitur exterior Dei cultus sub signo communis beneficij, quod pertinet ad homines, scilicet ad repræsentandū opus creationis mundi. 2. 2. q. 122. art. 4. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. in tertio præcepto decaloghi præcipitur exterior Dei cultus sub signo cōmunis beneficij, quod pertinet ad homines, scilicet ad representandum opus Creationis mundi.

Ex hac doctrina habemus malè dixisse Scotū, dum voluit hominem teneri in die festo contritionem habere de peccatis, quæ habet; cum .n. præceptum tertium decalogi sit de cultu exteriori, nempe de cessatione ab operibus seruilibus, quę significat, & representat quietem à creatione mundi, & contritio sit actus interior, ad huiusmodi contritionem profectò homo non tenetur.

Quæritur, per quid homines impediantur à cultu Dei.

8 Respondeo dicendum, quòd à cultu spirituali impediuntur homines per peccata, quibus homines pollui dicebantur, sicut per idolatriam, & homicidium, per adulteria, & incestus, & ab istis pollutionibus purificabantur homines per aliqua sacrificia, vel cōmuniter oblata pro tota multitudine, vel etiam pro peccatis singulorum, non quod sacrificia illa carnalia haberent ex se ipsis virtutem expiandi peccatum, sed quia significabant expiationem peccatorum futuram per Christum, cuius partecipes erant etiam antiqui protestantes fidē Redemptoris in figuris sacrificiorum, à cultu vero exteriori impediebantur homines per quasdam immunditias corporales. p. 2. q. 102. a. 5. ad 4.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. à cultu spirituali impediuntur homines per peccata, quibus homines pollui dicebantur, sicut per idolatriā, homicidium &c. secunda conclusio. ab istis pollutionibus purificabantur homines per aliqua sacrificia vel communiter oblata pro tota multitudine, vel etiam pro peccatis singulorum, non qđ sacrificia illa carnalia haberēt ex se ipsis virtutem expiandi peccatum, sed quia significabāt expiationem peccatorum futuram per Christū, cuius participes erant etiam antiqui protestantes fidem Redemptoris in figuris sacrificiorum. tertia conclusio. à cultu exteriori impediebantur homines per quasdam immunditias corporales.

Profectò per idolatriam, homicidium, & huiusmodi crimina impeditur cultus spiritualis, qui in dilectione Dei consistit, cum huiusmodi crimina sint mortalia, & consequenter sint contra Charitatem.

Quæritur, an in cultu Dei exteriori possit esse aliquid pernitiosum.

9 Respondeo dicendum, quòd sicut Augustinus dicit in libro contra mendacium, Mendaciū maximè perniciosum est, quod fit in his, quæ ad Christianam Religionem pertinent, est autem mendacium, cum aliquis exterius significat contrarium veritati, sicut autem significatur aliquid verbo,

bo, ita etiam significatur aliquid facto, & in tali significatione facti consistit exterior Religionis cultus, & ideò si per cultum exteriorem aliquid falsum significatur, erit cultus perniciosus; hoc autem contingit dupliciter, vno quidem modo ex parte rei significatæ, à qua discordat significatio cultus, & hoc modo tempore nouæ legis peractis iam misterijs perniciosum est vti cæremonijs veteris legis, quibus Christi misteria figurabantur futura, sicut etiam perniciosum esset, si quis non confiteretur Christum esse passum; alio modo potest contingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis, & hoc præcipuè in cultu cõmuni, qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiæ, sicut enim falsarius esset, qui aliqua pponeret ex parte alicuius, quæ non essent ei commissa, ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum Diuina auctoritate ab Ecclesia constitutum, vndè Ambrosius dicit, indignus est, qui aliter celebrat misteriũ, quam Christus tradidit, & propter hoc etiam glosa dicit ad Coloss. 2. quòd superstitio est quando traditioni humanæ Religionis nomen applicatur. 2.2.q.93. a. 1. in corp.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ex parte rei significatæ perniciosum est tempore legis, per actis iã Christi misterijs, vti cæremonijs veteris legis, quibus Christi misteria figurabãtur futura. probatur, quia simile est, ac si quis nunc confiteretur Christum non esse passum, quod est apertè perniciosum. secunda conclusio. ex parte colentis vitium falsitatis incurrit ille, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum Diuina auctoritate ab Ecclesia institutum, & in Ecclesia consuetũ. probatur, quia assimilatur nuncio illi, qui aliqua proponeret ex parte alicuius, quæ non sunt ei commissa, qui vtique esset falsarius.

Ex hac doctrina habemus vsum cæremoniarũ veteris legis, quibus Christi misteria figurabantur futura, nunc esse mortiferum, cum D. Thomas hunc vocet perniciosum, vt etiam obseruauit Caietanus hoc in loco, qui etiam mouet dubium de ritu Iudæorũ, quomodo in eo inueniatur mendacij ratio, cuius solutionem lege apud eum.

Quæritur, an in cultu Dei possit esse aliquid superfluum.

10 Respondeo dicendum, quòd aliquid dicitur superfluum dupliciter, vno modo secundum absolutam quantitatem, & secundum hoc non potest esse aliquid superfluum in Diuino cultu, quia nihil potest homo facere, quod non sit minus eo, quod Deo debet, alio modo potest esse aliquid superfluum secundum quantitatẽ proportionis, quia scilicet non est fini proportionatum, finis autem Diuini cultus est, vt homo Deo det gloriã, & ei se subijciat mente, & corpore, & ideò quidquid homo faciat, quod pertinet ad Dei gloriam, & ad hoc, quòd mens hominis Deo subijciatur, & etiam corpus per moderatã refrænationem concupiscentiarum secundum Dei, & Ecclesiæ ordinationem, & consuetudinẽ eorũ, quibus homo conuiuit, nõ est superfluum in Diuino cultu; si autem aliquid sit, quod quantum est de se non pertinet ad Dei gloriã, neq; adhoc, quòd mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentiæ moderatè refrænentur, aut etiã si præter Dei, & Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinem communem, quæ secundum Augustinum pro lege habenda est, totum hoc reputandum est superfluum, & superstitiosum, quia in exterioribus solũ consistens ad interiorem Dei cultum non pertinet, vndè Augustinus in libro de vera Religione inducit, quod dicitur Lucæ 17. regnum Dei intra uos est, loquitur contra superstitiosos, qui scilicet exterioribus principalem curam impendunt. 2.2. q. 93. art. 2. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas quæsito duplici conclusione iuxta duplex membrum distinctionis, quæ est. aliquid dicitur superfluũ dupliciter, vno modo secundum absolutam quãtitatem, alio modo secundum quantitatem proportionis, quia scilicet non est fini proportionatum. prima conclusio. secundum absolutã quãtitatem non potest esse aliquid superfluum in Diuino cultu. probatur, quia nihil potest facere homo, quod non sit minus eo, quod Deo debet. secunda conclusio. secundum quantitatem porportionis potest aliquid esse superfluum in cultu Diuino, puta si aliquid fit, quod, quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neq; ad hoc quod mens hominis feratur in Deum; aut quod carnis concupiscentiæ inordinatæ refrenentur; aut etiã si fit præter Dei, & Ecclesiæ institutionem, vel consuetudinem communem, quæ secundum Augustinum pro lege habenda est; totum hoc reputandum est superfluum, & superstitiosum. probatur, quia in exterioribus solum consistens, ad interiorem Dei cultum non pertinet, vt patet ex Augustino, vt in littera.

In hoc, & præcedenti quæsito duo culpabilia in cultu veri Dei explicantur, nempe falsitas, & superfluitas; in primò quæsito declarotor falsitas in hoc quæsito superfluitas; cõtra quæ duo adest

illud

illud Ioannis 4. oportet Deum adorare in spiritu, & veritate, quo in loco datur intelligi, quod in ipso actu Diuini cultus requiritur veritas, & cõmensuratio, seu proportio ad spiritum, quæ proportio tollitur per superfluitatem. pro cuius maiori explicatione nota, quod cum exterior cultus ad interiorem ordinetur, si aliquis fiat cultus exterior, qui ad interiorem non ordinetur, superfluus dicitur, ad interiorem autem cultum Dei non rectè ordinatur, quod præter Ecclesiæ institutionem, aut consuetudinem fit, vndè talis cultus superfluitatis vitio non caret; quod vitium dicitur à Caietano hoc in loco peccatum veniale communiter, nisi tamen adsit contempus Ecclesiasticæ disciplinæ, aut interioris cultus; est tamẽ peccatum veniale graue, quia continetur infra latitudinem superstitionis, quæ Diuino opponitur cultui, omne autem peccatum in his, quæ Dei sunt, magnum esse constat, & graue.

CVPIDITAS.

1 *Quæ sit cupiditas mortalis, & quæ venialis.*
2 *Quando res proximi concupiscitur sine ratione, est peccatum mortale.*
Quando res proximi concupiscitur rationabiliter; est peccatum veniale.
§ *Concupiscens rationabiliter rem proximi peccat venialiter, quo ad modum, & quomodo.*
3 *Cupiditas, vt est speciale peccatum, est radix omnium malorum.*
Quomodo cupiditas Diuitiarum sit radix omnium peccatorum.
§ *Cupidi Diuitiarum describuntur.*
Auarus quomodo habeat animam venalem.

Quæritur, quotuplex sit cupiditas, & quæ sit mortalis, & quæ venialis.

1 REspondeo dicendum, quòd duplex est cupiditas, vna quidẽ, qua finis in creaturis cõstituitur, & hæc mortificat totaliter Charitatem, cum sit venenum ipsius, vt Augustinus dicit, & hæc facit, quòd Deus minus ametur, scilicet quã debet amari ex Charitate, non quidem Charitatem diminuendo, sed eam totaliter tollendo, & sic intelligendum est, quod dicitur, minus te amat, qui tecum aliquid amat, subdit enim, quod nõ propter te amat, quod non contingit in peccato veniali, sed solũ in mortali, quod enim amatur in peccato veniali, propter Deum amatur habitu, etsi non actu; est autem alia cupiditas venialis peccati, quæ semper diminuitur per Charitatem, sed tamen talis cupiditas Charitatem diminuere non potest. 2.2.q.24.a.10. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. cupiditas, qua finis in creaturis constituitur, mortificat totaliter Charitatem, & est peccatum mortale. probatur, quia est venenum Charitatis, quod probatur ex Augustino, vt in littera. secunda conclusio. alia est cupiditas venialis peccati, quæ semper diminuitur per Charitatem, sed tamen talis cupiditas Charitatẽ diminuere non potest.

Circa illam propositionem in littera assumptam, quod in peccato veniali amatur, propter Deum amatur habitu, & si non actu, mouet dubium Caietanus hoc in loco, quod & egregiè soluit, ideò ad eum lectorem remitto.

Quæritur, quando cupiditas sit mortalis, & venialis.

2 Respondeo dicendum, quòd cupiditas tunc est peccatum mortale, quando sine ratione concupiscitur res proximi, sed quando rationabiliter, veniale. opusculo 4. cap. 24.

Quod cupiditas tunc sit peccatum mortale, quando sine ratione concupiscitur res proximi, tunc autem esse peccatum veniale, quando rationabiliter concupiscitur eadem res proximi, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Circa hanc litteram oritur dubium, quomodo possit esse peccatum veniale, quando res proximi concupiscitur rationabiliter, si enim rationabiliter res concupiscitur, ergo tunc nullum est peccatum. respondetur, quod peccatum veniale erit in modo cõcupiscendi, quia scilicet nimis ardenter, vel huiusmodi.

Quæritur, an cupiditas sit radix omnium peccatorum.

3 Respondeo dicendum, quòd secundum quosdam cupiditas tripliciter dicitur vno modo prout est appetitus inordinatus diuitiarum, & sic est speciale peccatum, alio modo secundum, quod significat inordinatum appetitum cuiusque boni temporalis, & sic est genus omnis peccati, nam in omni peccato est inordinata conuersio ad commutabile bonum; tertiò modo sumitur, prout significat quandam inclinationem naturæ corruptæ ad bona corruptibilia inordinatè appetenda, & sic dicunt cupiditatem esse radicem omnium peccatorum ad similitudinem radicis arboris, quæ ex terra trahit alimentum, sic enim ex amore rerum temporalium omne peccatũ procedit, & hæc quidem quamuis vera sint, non tamen videntur esse secundum intentionem Apostoli, qui dixit cupiditatem esse radicem omnium peccatorum, manifestè enim ibi loquitur contra eos, qui cum velint

velint diuites fieri, incidunt in tentationẽ, & laqueum Diaboli, eo quod radix omniũ malorum est cupiditas, vndè manifestum est, quod loquitur de cupiditate secundũ, quòd est appetitus inordinatus diuitiarũ, & secundum hoc dicendum est, quòd cupiditas secundum, quod est speciale peccatum, dicitur radix omnium peccatorum ad similitudinem radicis arboris, quæ alimẽtum præstat toti arbori, videmus enim, quod per diuitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcunq; peccatum, & adhibendi desiderium cuiuscunque peccati, eo quod ad habenda quæcunq; temporalia bona potest homo per pecuniã iuuari secundum, quòd dicitur Eccl. 10. pecuniæ obediunt omnia, & secundum hoc patet, quod cupiditas Diuitiarum est radix omnium peccatorũ. p.2.q.84. a. 1. in corp. (q. 82.a.4. ad 3. (p.2.q.24.a.10. ad 2. (q. 119.a.2. ad 1. (2.sent.d.5.q.1.a.3. ad 1. (d. 22.q. 1.a.1.ad 5. (d.42.q.2.a.3. ad 1. (q. 8. de malo a.1.ad 1. (q.13.a.1. in corp. (Ecc. 4. cap. 11. primæ ad Corinthias. Lectio 2. cap. 6. primæ ad Timotheum.

Allata, & confutata vna opinione respondet D. Thomas huic quæsito vnica conclusione. opinio erat quorumdam distinguentium triplicem modum cupiditatis, vt in littera. hanc opinionem ait esse ueram, sed non conformè intentioni Apostoli inquientis, cupiditatem esse radicem omnium peccatorum. conclusio est. cupiditas, secundum quod est speciale peccatum, idest cupiditas diuitiarum, est radix omnium peccatorum ad similitudinem radicis arboris. probatur, quia sicut radix arboris præstat alimentum toti arbori, ita per diuitias inordinatè appetitas homo acquirit facultatem perpetrandi quodcunq; peccatum, & adipiscendi desiderium cuiuscunq; peccati, vt patet ex Eccl. 10.

Quod cupiditas diuitiarum sit radix omnium peccatorum, experientia rerum magistra docet, cernimus enim cupidos diuitiarum omnium esse sentinam vitiorum, superbiæ, inanis gloriæ, luxuriæ, gulæ, iræ, inuidiæ, & accidiæ, vndè meritò D. Paulus. 1. ad Timoth. vlt. dicebat, qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum; & perditionem, radix enim omnium malorum est cupiditas quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis, idest inquinauerunt se sceleribus multis, vndè & Poeta aiebat.

Quid non mortalia pectora cogis.
Auri sacra fames?

& Ecclesias. 10. dicitur Auaro nihil est scelestius, nihil est iniquius, quam amare pecuniam, habet enim animam suam venalem, & in vita sua proiecit intima sua; dicitur autem auarus habere animam suam venalem, quia auarus paratus est obedire omni sibi offerenti pecunias ad omne malum patrandum, bonumq; fugiendum; & tam est detestabile studium pecuniæ, quòd à vera fide, & Religione abducit homines, vt ait Paulus loco citato, vndè Salomõ inquiebat prouerb. 30. mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus? litteram D. Thomæ contra Durandũ egregiè defendunt Caietanus, & Bartolomeus Medina hoc in loco.

CVRA ANIMARVM.

1 *Prælatus dicitur simpliciter habere curã alterius.*
Vnusquisq; secundum quid habet curam alterius.
2 *Diaconus quomodo possit habere curam animarum?*
§ *Diaconus non potest dispensare Corpus Christi, & quare.*
3 *Tria sunt facienda ab habente curam animarum: vt subditi in viam salutis reducantur, & qua.*
4 *Diaconi, & Præsbiteri habentes curam animarum non sunt in statu perfectionis, nec ratione ordinis, nec ratione curæ.*
Habentes curam animarum possunt eam relinquere, & transire ad Religionem absque licentia Episcopi.
Archidiaconus absq; licentia Episcopi potest relinquere Archidiaconatum, & Parochiam.
Episcopi sine auctoritate Papæ non possunt relinquere Episcopatum.
Non omnes Prælati, sed tantum Episcopi sunt in statu perfectionis.
§ *Quæ vota perpetua possit dispensare Episcopus.*
Quæ sint vota perpetua per se, & quæ per accidens.

Quæritur, quot modis contingit habere curam animarum.

1 REspondeo dicendum, quòd curam alicuius aliquis simpliciter habere potest, & secundum quid; simpliciter quidem curam alicuius habet, cuius dispositioni totum regimen vitæ ipsius subditur, quia prouidentia, & cura respiciunt ordinem ad finem, ad quem homo per totam vitam suam intẽdat, & sic curam alterius non habet aliquis nisi Prælatus, qui habet propter hoc super subditum imperium; sed secundum quid quantum ad aliquid, vt ad subueniendum in aliquo particulari casu quilibet habet curam alterius, quia vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Lectio 17. & secundum Apostolum primæ Corinth. 11. per se inuicem sollicita sunt membra. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. ad 2.

Data

Data distinctione respondet D. Thomas duplici cóclusione. distinctio est, quod curã alicui aliquis potest habere dupliciter, scilicet simpliciter, & secundum quid, simpliciter quidem curam alicuius habet, cuius dispositioni totum regimẽ vitæ ipsius subditur; secundum quid autem, idest quantum ad aliquid, vt ad subueniendum in aliquo particulari casu. prima conclusio. solus Prælatus habet curam alterius simpliciter, probatur, quia prouidentia, & Cura respiciunt ordinẽ ad finem, ad quem homo per totam vitam suam intendat, & hæc cura habetur per Prælatum, qui habet propter hoc super subditum imperium. secunda conclusio. quilibet habet Curam alterius secundum quid. probatur, quia vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Eccl. 17. & Paulus aiebat, per se inuicem sollicita sunt membra.

Ex secunda conclusione habemus, quemlibet teneri ad correctionẽ fraternã faciẽdã, quia quilibet tenetur curã gerere alterius, qui delinquit.

Quæritur, quomodo Diaconus possit habere curam animarum.

2 Respondeo dicendum, quòd Diaconus potest habere curam animarum quantum ad ea, quæ iurisdictionis sunt, sed non quãtum ad ea, quæ sunt ordinis. 4. sent. d. 13. q. 1. a. 3. quæstiunc. 2. ad 2.

Diaconum posse habere curam animarũ quantum ad ea, quæ iurisdictionis sunt, sed non quantum ad ea, quæ sunt ordinis, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ex hac doctrina habemus Diaconum non posse dipensare Corpus Christi, quia non habet curam animarum quãtum ad ea, quæ sunt Ordinis, & hoc expressè habetur cap. non oportet. dist. q. 3. licet autem ei competat dispensare ex officio sanguinem Christi, sicut legitur de B. Laurentio, quod ei fuerit commissa dispensatio Dominici sanguinis, non tamen ei competit dispensatio Corporis, quia huiusmodi dispensatio Corporis non potest fieri, nisi illud tãgat ille qui dispensat, Diaconus autẽ nõ potest tãgere Corpus Christi, cum non habeat manus sacratas, sanguis autem continetur in vase. verum de hoc latior erit sermo in verb. Diaconus. q. 7.

Quæritur, quot, & quæ sint facienda ab eo, qui curam alterius habet.

3 Respondeo dicendum, quòd adhoc, quòd homo rectè gradiatur in via salutis, tria sunt ei impendenda ab eo, qui ipsius curam gerit, primò, vt in finem rectum ordinetur, & quantum adhoc dicitur superior inferiorem sibi commissum dirigere: secundò, vt ei cautelam adhibeat, ne à via ad finem ducente discedat, & quantum adhoc dicitur eum regere: tertiò, vt si contingat eum discedere, quòd ad viam rectã reducat, & quantum adhoc dicitur ipsum corrigere, quandoque quidem, vt rectitudo iustitiæ fiat ab eo, quando scilicet ille, qui deliquerat, emendatur ex cura sibi impensa, quandoque autem, vt rectitudo iustitiæ de eo fiat per pænas inflictas, etiam si ille non corrigatur ex parte sua. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 1. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Tria sunt impendenda homini ab eo, qui ipsius gerit curam, vt rectè gradiatur in via salutis, scilicet dirigere, regere, corrigere ipsum. probatur, quia primò homo debet in finem rectum ordinari, & sic dicitur superior inferiorem dirigere. secundò cautela adhibenda est, ne à via ad finem ducente discedat, & quantum adhoc dicitur regere. tertiò, vt reducat eũ ad viam rectam, si contingat ab ea discedere, & quantum adhoc dicitur corrigere.

Non immoror circa hanc doctrinam, cum de se clara sit.

Quæritur, an curam animarum habentes, & Prælati omnes sint in statu perfectionis.

4 Respondeo dicendum, quòd in *Præsbyteris*, & Diaconibus curam habentibus animarum duo possunt considerari, scilicet ordo, & cura, ordo autem ipse ordinatur ad quosdam actus in Diuinis officijs, per hoc autem, quòd aliqui suscipiunt Sacrum ordinem accipiunt potestatem quosdam Sacros actus perficiendi, non autem obligantur ex hoc ipso ad ea, quę sunt perfectionis, nisi quantum apud occidentalem Ecclesiã in susceptione Sacri ordinis emittitur continentiæ votũ, quòd est vnum eorum, quæ ad perfectionem pertinent, vndè patet, quòd ex hoc, quòd aliquis accipit Sacrum ordinem non ponitur simpliciter in statu perfectionis, quamuis interior perfectio adhoc requiratur, qđ aliquis dignè huiusmodi actus excerceat; similiter etiam nec ex parte curę, quam suscipiunt ponuntur in statu perfectionis, non enim obligãtur ex hoc ipso vinculo perpetuo voti adhoc, quòd curam animarum retineant, sed possunt eam deserere, vel transeundo ad Religionem etiam absque licentia Episcopi, vt habetur in Decretis 19. q. 2. & etiam cum licentia Episcopi potest aliquis Archidiaconus Archidiaconatũ, vel Parochiam dimittere, & simplicem præbendam accipere sine cura, quòd nullo modo liceret, si esset in statu perfectionis, nemo enim manum mittens ad aratrũ, &

& respiciens retro, aptus est regno Dei, vt dicitur Lucæ quinto Episcopi autem quia, sunt in statu perfectionis non nisi auctoritate Summi Pontificis, ad quem etiam solum pertinet in votis perpetuis dispensare possunt Episcopalem curam deserere, & ex certis causis vndè manifestum est, quod non omnes Prælati sunt in statu perfectionis, sed soli Episcopi. 2. 2. q. 184. artic. 6. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito triplici conclusioue. distinctio est. quod in Presbyteris, & Diaconibus curam habentibus animarum duo possunt considerari, scilicet ordo, & cura. prima conclusio. ex hoc quod aliquis accipit sacrum ordinem, non ponitur simpliciter in statu perfectionis, quamuis interior perfectio ad hoc requiratur, quod aliquis dignè huiusmodi actus exerceat. probatur prima pars, quia per hoc quod aliqui suscipiunt sacrum ordinem, non obligantur ad ea, quæ sunt perfectionis, nisi ad castitatem in occidentali Ecclesia. secunda pars patet. secunda conclusio. Clerici ex parte curæ, quam suspiciunt, non ponuntur in statu perfectionis. probatur, quia non obligantur Presbyteri Curati vinculo perpetui voti ad hoc quod curam animarum retineāt, sed possunt eam deserere transeundo ad Religionem, etiam absque licentia Episcopi, vt habetur in Decretis, & Archidiaconus potest cum licentia Episcopi dimittere Archidiaconatum, vel Parochiam, & simplicem præbendam suscipere sine cura, quod nullo modo liceret, si esset in statu perfectionis, nemo enim mittens manum suam ad aratrū &c. tertia conclusio. non omnes Prælati sunt in statu perfectionis, sed soli Episcopi. secunda pars probatur prima existente cura, quia Episcopi soli ad curam animarum perpetuo voto obligant se cū quadam solemnitate, vnde non nisi auctoritate Summi Pontificis votum perpetuum dispensantis possunt Episcopi curam ouium deserere.

Doctrinam D. Thomæ, qua probat secundam conclusionē tuetur strenuè. Caietanus in hoc loco contra Henricum de Gandauo, ideò ad ipsum recurre: circa quod dicebat in ratione tertiæ conclusionis D. Thomas, quod solus Papa dispēsat in votis perpetuis. scrupulus me remordet, quia de facto Ecclesiæ habet consuetudo nullo cōtradicente, quod etiam Episcopi in votis perpetuis orationum, ieiuniorum, & peregrinationum, eleemosinarum dispensant, vel ea commutant. respondetur, quod D. Thomas loquitur de votis perpetuis per se, non autem de votis perpetuis per accidens; vota perpetua primi generis a solo Papa sunt dispēsabilia, vota autem perpetua secundi generis etiam sunt ab Episcopo dispensabilia, & huiusmodi sunt vota, de quibus fit mentio in dubio. pro quorum explicatione nota, quod illa dicūtur vota perpetua per se, quæ simpliciter, & per se prolata perpetua subintelliguntur, vt votum Castitatis, Religionis, & huiusmodi, hæc enim vota perpetuò obligant, licēt sint prolata absque perpetuitatis prolatione, sic enim habet communis intellectus Ecclesiæ; illa autem vota, quæ absolutè, & simpliciter prolata non subintelliguntur perpetua, sed de eis requirendum restat quandoque; an habeant perpetuitatem, vel non, dicuntur perpetua per accidens, & talia sunt vota orationis, ieiunij, & huiusmodi.

CVRIOSITAS.

Quæritur, an circa intellectiuam cognitionem possit esse curiositas.

1 RESpondeo dicendum, quòd aliter est iudicandum de ipsa cognitione

ne veritatis, & aliter de appetitu, & studio veritatis cognoscendæ, ipsa enim veritatis cognitio per se loquendo bona est, potest autem per accidens esse mala ratione scilicet alicuius consequentis, vel inquantum scilicet aliquis de cognitione veritatis superbit secundum illud primæ ad Corinth 8. scientia inflat, vel inquantum homo vtitur cognitione veritatis ad peccandum; sed ipse appetitus, vel studium cognoscendæ veritatis potest habere rectitudinem, vel peruersitatem, vno quidem modo prout aliquis tendit suo studio in cognitionem veritatis, prout per accidens iungitur ei malum, sicut illi, qui studènt ad scientiam veritatis, vt indè superbiant, vndè Augustinus dicit in lib. de moribus Eccles. sunt, qui desertis virtutibus, & nescientes, quid sit Deus, & quanta sit maestas semper eodemmet modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si vniuersam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè, intentissimèque perquirant; vndè tanta superbia gignitur, vt in ipso cælo, de quo sæpè disputant, sibimet habitare videantur, similiter etiam illi, qui student adinuenire aliquid ad peccandum, vitiosum studium habent secundum illud Hieremiæ nono, docuerunt linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt; alio modo potest esse vitium ex ipsa inordinatione appetitus, & studij ad discendam veritatem, & hoc quadrupliciter, vno modo inquantum per studiũ minus vtile trahuntur à studio, quòd eis ex necessitate incumbit, vndè Hieronymus dicit, Sacerdotes omissis Euangelijs, & prophetis videmus comedias legere, vel amatoria bucolicorum versuum verba cãtare, alio modo inquantum studet aliquis addiscere ab eo, à quo non licet, sicut patet de his, qui aliqua futura à Dæmonibus perquirunt, quæ est superstitiosa curiositas, vndè Augustinus dicit in lib. de vera Religione, nescio an phylosophi impedirentur à fide vitio curiositatis in percunctandis Dæmonibus; tertiò quando homo appetit cognoscere veritatem circa creaturas non referendo ad debitum finẽ, scilicet ad cognitionem Dei, vndè Augustinus dicit in lib. de vera Religione, quòd in consideratione creaturam nõ est vana, & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia, & semper manentia faciendus; quartò modo inquantum aliquis studet ad cognoscendam veritatem supra proprij ingenij facultatem, quia per hoc homines de facili in errores labuntur, vndè dicitur Eccl. 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus, & postea sequitur, multos enim supplantauit suspectio eorum, & in vanitate detinuit sensus eorum. 2.2.q.167.a.1. in corp.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito iuxta duplex membrum distinctionis, dat, nempe quod aliter est iudicandum de ipsa cognitione Veritatis, & aliter de appetitu, & studio Veritatis cognoscendæ. prima conclusio est. cognitio veritatis per se loquendo bona est, potest autem esse mala ratione scilicet alicuius consequentis. prima pars patet; probatur secunda pars, quia potest esse mala vel ratione superbiæ, vel ratione vsus cognitionis ad peccandum, vt in littera. secunda conclusio. appetitus vel studium cognoscendæ veritatis potest habere rectitudinem, vel peruersitatem. probatur, quia talis appetitus, vel studium potest sex modis fieri vitiosus, vt in textu, & per oppositum *sex modis* virtuosus.

Curiositas est inordinatus appetitus cognitionis siue intellectiuæ, siue sensitiuæ, siue interioris, siue exterioris, in hoc loco sumitur tantum pro inordinato appetitu intellectiuæ cognitionis. sex modis committitur hoc vitium curiositatis in cognitione intellectiua, inquit D. Thomas hoc in loco, primò inquantum quis indè superbit. secũdò inquantum quis ea vtitur ad peccandum, tertiò inquantum inde retrahitur à studio sibi necessario incumbente. quartò inquantum studet quis discere, à quo non licet, vt futura à Dæmonibus, quintò inquantum cognitionẽ creaturæ ad finem debitum non refert, idest cognitionem Dei, tanquam in finem vltimum, non autem proximum, vt exponit Caietanus hoc in loco, cognitio enim creaturæ secundum rationem rectam habet pro proximo fine se ipsam, nec aliqua lege iubemur habere Deum pro fine proximo speculationis creaturarum, sextò inquantum aliquis studet supra ingenij proprij facultatem. curiositas siue intellectiua, siue sensitiua est peccatum, quia plus, quam recta ratio dictat, appetitum cognoscendi pertrahit, si tamen nudè accipiatur, non est mortale peccatum, inquit Caietanus in summula verb. curiositas, sed ex adiuncto potest esse mortale; quãdo autem sit mortalis, infra dicetur; semper tamen est peccatum saltem veniale, inquit Nauarrus in manuali cap. 23. num. 24.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de septem peccatis mortalibus. cap. 12.

Quæritur,

Quæritur, an in scientia humanorum sit aliquid noxiæ curiositatis.

2 Respondeo dicendum, quòd scire quantum in se est nunquam malum est, & per consequens, nec addiscere, quia cuius generatio est mala, ipsum est malum, sed per accidens contingit esse malum in sciendo, vel addiscendo, siue considerando hoc autem accidens potest accidere, vel ex parte cognoscibilis, vel ex parte cognoscentis; ex parte cognoscentis est duplex accidens, vnum est, quando propter occupationem in studio alicuius scientiæ impeditur ab executione officij, ad quod tenetur, sicut si iudex propter studium Geometriæ desisteret à causis expediendis, vel Sacerdos à confessionibus audiendis, quando eas audire tenetur, aliud est, quãdo propter delectationem in aliqua scientia veniret in contemptum alicuius, quod reuereri oportet, sicut de Hieronymo accidit, quia tantum delectabatur in ornatu verborum Tulij, quòd dissipiebat ei incultus sermo prophetarum, vt ipse dicit; sicut etiam accidit illis, qui tantum inhærent rationibus humanis, quòd à fide discedunt, & eam impugnant: ex parte vero cognoscibilis est triplex accidens, vnum est quando cognoscibile de facili ad malum inclinat, & præterea in se paruæ vtilitatis est, & propter hoc prohibitæ sunt scientiæ magicæ, ne homo in exercitium earum labatur; aliud est quando cognoscibile est supra potentiam cognoscentis; tertium est, quando in se nullius vtilitatis est, sicut facta contingentia hominum, vndè, & curiosi dicuntur, qui sunt scrutatores conscietiarum proximi. In omnibus autem istis tribus contingit, quòd illud, ꝙ est vni curiosum, non est curiosum alteri, quia aliquod est supra vnius intellectum, quod non est supra intellectum alterius, aliquid etiam est vtile vni, quod non est vtile alteri, aliquid etiam facilè in peccatum præcipitat vnum, quod non præcipitat alterum. 3. sent. d. 35. q. 2. a. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. scire, quantum in se est, nunquam malum est, & per consequens nec addiscere. probatur, quia cuius generatio est mala, ipsum est malum. secunda conclusio. per accidens contingit esse malum in sciendo, vel addiscendo, siue considerando ex parte addiscentis, & hoc dupliciter, primò quando propter occupationem in studio alicuius sciẽtiæ impeditũr quis ab executione officij debiti; secundò quando propter delectationem in aliqua scientia veniret in contemptum alicuius, quod reuereri oportet. hæc exemplis explicantur in littera. tertia conclusio. ex parte cognoscibilis est triplex accidens primò quando cognoscibile de facili ad malum inclinat, & in se est paruæ vtilitatis; secundò quando cognoscibile excedit potentiam cognoscentis; tertiò quando nullius est in se vtilitatis. quarta conclusio. in omnibus istis tribus modis contingit, quod illud, quod est vni curiosum, non est curiosum alteri. probatur, quia aliquid est supra vnius intellectum, quod non est supra intellectum alterius; aliquid etiam est vtile vni, quod non est vtile alteri; aliquid etiam facilè præcipitat in peccatum vnum, quod non præcipitat alterum.

Attẽde quàm ordinatè procedat D. Thomas in hoc quæsito, in quo primò ait, quod scire secũdum se non est malum, & Caietanus in summula verb. curiositas aiebat, Curiositatem siue intellectiuam, siue sensitiuam nudè acceptam non esse peccatum mortale; idem asserit Armilla eodem verbo. secundò ait, quòd per accidens potest esse malum insciendo, vel addiscendo, quod explicans Caietanus ait, quod scire potest esse malũ ratione adiuncti. tertiò distinguit, quod illud accidens vel est ex parte cognoscentis, vel ex parte cognoscibilis; ex parte cognoscentis duplex accidens potest occurrere, quorum primũ est, quando propter occupationem in studio alicuius scientiæ impeditur quis ab executione officij, ad quod tenetur, quod explicat exemplo Iudicis, & Confessarij, qui ex occupatione studij alicuius scientiæ desistunt ab officijs suis, Iudex à causis expediendis, & Sacerdos à Confessionibus audiendis; ad quos reduci possunt, qui propter inordinatum studiũ relinquunt ea, quæ sunt Religionis, contra quos inuehit B. Vmbertus quondam Religionis meæ Generalis magister in expositione regulæ D Augustini cap. 134. item reduci possunt illi Clerici, qui propter curiositates Poetarum &c. non vacant scripturis, & Canonibus, quos tenentur scire. facit cap. nonne. dist. 37. secundum accidens ex parte cognoscentis est quando propter delectationem in aliqua scientia veniret quis in contemptum alicuius, quod reuereri oportet, quod explicat exemplo Hieronimi, qui ita delectabatur in ornatu verbarum Tullij, quod dissipiebat ei incultus sermo prophetarum, & exemplo illorum, qui ita inhærent rationibus humanis, quod à fide discedunt, & eam impugnant, vndè scientia inducit ad hæresim iuxta illud 1. ad Timoth. 6. quam scilicet scientiam profitentes circa fidem exciderunt; ad hos reduci possunt illi, qui ex scientia superbiunt iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 8. scientia inflat, & illi, qui scientia indignantur cõtra alios, quos despiciunt. Ecclesiast. 1. in multa sapientia multa indignatio; item illi, de quibus loquitur Bernardus, quidam scire volunt, vt sciant, & ambitiositas est, quidam autem, vt sciantur, & vanitas est, quidam, vt ditentur, & cupiditas est;

item illi, qui sic illaqueantur dulcedine quadam scientiæ, quod omnia alia prætermittunt, licet meliora. ex parte cognoscibilis triplex accidens occurrit, quorum primum est, quando cognoscibile de facili ad malum inclinat, & in se est paruę vtilitatis, vt est cognoscibile per scientias magicas, istud omne inclinat hominem ad exercitium earum; contra horum studiosum potest adduci illud Senecæ, quid te torques, & maceras circa illam quæstionem, quam subtilius erat cōtempsisse, quam soluisse; secundum est, quando cognoscibile est supra potentiam cognoscentis, quod scilicet potius est admirandum, quam inuestigandum; contra huius studiosos insurgit B. Vmbertus in expositione Regulæ D. Augustini cap. 135. tertium est, quādo cognoscibile nullius est vtilitatis, sicut facta contingentia hominum, explorare siquidem acta aliorum inane, & maxime vituperabile est, & odiosum. verum de hoc infra dicetur.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de septem peccatis mortalibus cap. 12. num. 6. 7. 8.

Quæritur, an studium Phylosophiæ sit licitum.

3 Respondeo dicendum, quòd studium phylosophiæ secundum se est licitum, & laudabile propter veritatem, quam phylosophi perceperunt Deo illis reuelante, vt dicitur ad Rom. 1. sed quia quidam phylosophia abvtuntur ad fidei impugnationem, ideò Apostolus dicit ad Colos. 2. videte, nequis vos decipiat per phylosophiam, & inanem scientiam secundum traditionem hominum, & non secundum Christum, & Dionysius dicit in epistola ad Policarpum de quibusdam phylosophis, quòd Diuinis non sanctè contra Diuina vtuntur per sapientiam Dei tentantes expellere Diuinam venerationem. 2. 2. q. 167. a. 1. ad 3.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. studium phylosophiæ secundum se est licitum, & laudabile. probatur ex veritate, quam Philosophi perceperunt Deo illis reuelāte, vt dicitur ad Rom. 1. secunda conclusio. illicitum est abuti studio phylosophyæ ad fidei impugnationem. probatur, quia D. Paulus admonet Collossenses, ne decipiantur per huiusmodi studij abusum dicens, ne quis vos decipiat &c. & de talibus abutentibus loquitur D. Dionysius &c. Sensus duarum conclusionum est, quod studium phylosophiæ secundum se est bonum, & licitum, vt ait prima conclusio; secundum autem abusum aliquorum est malum, & in hoc sensu loquitur secunda conclusio: studium ergo phylosophyæ secundum se est bonum, & licitum, & vtile ad multa, iuuat enim ad fidei defensionem, sicut enim hæretici, & pagani impugnant fidem, ita & quidam per phylosophiam secundum illud D. Pauli ad Colos. 2. videte, nequis vos decipiat per phylosophiam, & innanem fallaciam, sicut autem non potest quis se deffendere à fallacijs, qui nihil nouit de illis, ita nec à talibus Phylosophantibus, qui nihil nouit de phylophia; hinc est, quod Iulianus Apostata legem contra Christianos tulit, vt legitur in Ecclesiastica historia, ne liberales artes audirent: secundò iuuat ad conuincendum errores Phylosophorum, Augustinus siquidem in libro de Ciuitate Dei ostendit, quòd Plato, & Porphirius quædam dixerunt, per quæ error eorum de resurrectione corporis conuincitur, Plato enim dicebat, animas sine corporibus non posse in æternum viuere, Porfirius aiebat, animam purgatissimam, cum redibit ad Patrem nunquam ad hæc mundi mala redituram esse; ex quibus sequitur, quod anima redibit ad corpus, sed non miserum, quod docet fides de resurrectione: iuuat tertiò studium phylosophiæ ad intelligentiam scripturarum, plurima enim sunt in textu, in glosis, in originalibus Sanctorum, quæ impossibile est intelligere sine aliqua scientia phylosophica. quartò iuuat ad fidei corroborationem, hinc est, quod Angelicus noster Doctor ferè semper vtitur in sua Theologia auctoritate Phylosophorum, & præcipuè *Arist.* vt ostendat Theologiam nostram non repugnare phylosophiæ, sed per eam corroborari: quintò iuuat ad acumen ingenij; quo sacram percipiamus scripturam, ferrum enim ferro acuitur: sextò iuuat ad decorē Ordinis, sunt enim multi Religiosi, qui contemnuntur, quia sunt ignari. septimò iuuat ad cōtemptum scientiæ phylosophicæ, multi enim, qui non nouerunt ea, quæ sunt apud phylosophos, reputant ea maiora, quam sint, postquam autem ea nouerunt, non sapiunt eis in comparationem ad Theologiam.

Quæritur, an vitium curiositatis sit circa sensitiuam cognitionem.

4 Respondeo dicendum, quòd apponere studium circa sensibila cognoscenda dupliciter potest esse vitiosum, vno modo inquantum cognitio sensitiua non ordinatur in aliquod vtile sed potius auertit hominem ab vtili consideratione; vndè Augustinus dicit in 10. Confessionum currentem post leporem non inspecto cum in circo fit, at vero in agro si casu transeam auertit me fortassis ab aliqua magna cogitatione, atq; ad se conuertit illa venatio, & nisi iam mihi demonstrata infirmitate mea, cito admoneas, vanus hebesco: alio modo inquantum cognitio sensitiua ordinatur ad aliquid noxium, sicut inspectio mulieris ordinatur ad concupiscendum, & diligens inquisitio eorum, quæ ab alijs fiunt, ordinatur ad detrahendum,

dum, si quis autem cognitioni sensibilium intendit ordinatè propter necessitatem sustendandæ naturę, vel propter studium intelligēdæ veritatis, est virtuosa studiositas circa sensibilem cognitionem. 2.2. q. 167. art. 2. in corp.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. apponere studium circa sensibilia cognoscenda potest tripliciter esse vitiosum. probatur, quia cognitio sensitiua aliquando non ordinatur in aliquod vtile, aliquando auertit hominem ab aliqua vtili cogitatione, aliquando ordinatur ad aliquod noxium, quæ singula explicantur in textu. secunda conclusio. siquis cognitionem sensibilium intendit ordinare propter necessitatem sustentandæ naturæ, vel propter studium intelligendæ veritatis, est virtuosa studiositas circa sensibilem cognitionem. probatur, quia sensitiua cognitio ad illa duo secundum se ordinatur.

Curiositas non ordinata ad aliquod vtile, vel auertens hominem ab aliqua vtili cogitatione est peccatum veniale, & tunc est, quando desiderantur sciri res, quæ sunt inutiles scienti, quæ nec ad propriam, nec ad proximorum vtilitatem, nec ad Dei honorem faciunt, vt aduertit Toletus lib. de septem peccatis mortalibus cap. 12. n. 7. quando autem curiositas ordinatur ad aliquid noxium, quod scilicet est occasio peccandi, est peccatum; & si est occasio, vel periculum mortalis peccati, tunc erit peccatum mortale, si verò periculum est peccati venialis, erit veniale, vt si vir vellet videre fœminam nudam, vel eius pudenda, vel è conuerso si fœmina vellet videre hominem nudum, vel eius pudenda, credens, aut credere debens ex illo aspectu tali loco, & tempore habito consensum iri actui, aut delectationi mortali, aut pollutionem secuturam, peccaret mortaliter, sicut peccaret etiam mortaliter ille, qui cognoscens se multum procliuem ad luxuriā, & ex industria vult videre animalia aliqua inter se coeuntia, quia exponit se periculo probabili mortalis peccati; quamuis si non esset tantum periculum, esset veniale; idem dic de legentibus libros inhonestos iuxta mentem D. Isidori cap. ideò. 37. dist. D. Antonini. 2. p. tit. 3. cap. 7. parag. 2. Siluester verb. Curiositas. q. 3. septem ponit casus, quibus peccatum incurritur læthale in curiositate intellectiua, & sensitiua simul, quorum primus est quantum ad finem, vt si ordinetur ad finem, qui sit peccatum mortale; secundus est quātum ad eos, à quibus vult cognoscere, puta à Dæmone, vel ab alijs, à quibus prohibetur sub præcepto. 26. qu. 1. illud. tertius est quantum ad ea, quæ volumus cognoscere, quæ sunt prohibita, vt velle ex proposito audire peccatum eius, qui cōfitetur alteri, scire incantationes, diuinationes, & huiusmodi; quartus est quantum ad cognitū, seu visum, cuius visio est videnti periculosa probabiliter de mortali, vt diximus de volente videre bestias coeuntes, pudenda, maximè alieni sexus, quintus casus est quantum ad ea, quæ propter curiositatem omittuntur, vt si quis omittat necessaria ad suum officium, vt intendat Poetis. facit can. nonne. & cap. vnico. 37. dist. sextus est quantum ad modum, quia propter cognitionem nanciscendam exercet prohibita, & superstitiosa, aut patitur prohibita, vt tactus impudicos; septimus casus est quantum ad scandalum, quod inde paratur proximo, qui inducitur ad mortale, puta ad detrahendum, aut aliquid huiusmodi. legatur Nauarrus in Manuali cap. 23. à num. 25. vsque ad 31. inclusiuè. Armilla verb. curiositas per totum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de septem peccatis mortalibus cap. 12. à n. 7. vsque ad nonum inclusiuè.

Quæritur, an sit licitum inquirere facta aliorum.

5 Respondeo dicendum, quòd prospicere facta aliorū, vel inquirere bono animo, vel ad vtilitatem propriam, vt scilicet homo ex bonis operibus proximi prouocetur ad melius, vel etiam ad vtilitatem illius, vt scilicet corrigatur, si quid ab eo agitur vitiosè secundum regulam Charitatis, & debitum officij, est laudabile secundum illud ad heb. 10. considerate vos inuicem in prouocationem Charitatis, & bonorum operum, sed, quòd aliquis intēdat ad consideranda vitia proximorum ad dispiciendum, vel detrahendū, vel saltem inutiliter inquietandum est vitiosū; vndè dicitur prouerb. 24. ne insidieris, quærens impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius. 2.2. q. 167. a. 2. ad 3.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. prospicere facta aliorum, vel inquirere bono animo, vel ad vtilitatem propriam, vel ad vtilitatem illorum, & laudabile. probatur ex D. Paulo ad heb. 10. secunda cōclusio. si aliquis intendat ad consideranda vitia proximorum ad despiciendum, vel detrahendū, vel saltem inutiliter inquiendum, est vitiosum. probatur ex prouerb. 24.

Quæritur, an quid ordinetur inquisitio factorum proximi.

Respondeo dicendum sicut verbo. Detractio.

Has obseruent conclusiones exploratores vitæ alienæ, & tunc cognoscent, an moueantur ex zelo, vel potius ex odio, vel inuidia.

Quæritur, an circa omnes sensus sit curiositas.

6 Respondeo dicendum, quòd circa delectationem cognitionis omnium sensuum est curiositas, & vocatur concupiscentia ocul-

oculorum, quia oculi sunt ad cognoscendum in sensibus principales; vndè omnia sensibila videri dicuntur, vt Augustinus dicit in 10. lib. confessionum, & sicut Augustinus ibidem subdit ex hoc euidentius discernitur quid voluptatis, quid curiositatis agatur persensus, quid voluptas pulcra, suauia, canora, sapida, lenia scrutatur; curiositas autem etiam his contraria tentandi causa non ad subeundam molestiā, sed experiendi, noscendiq; libidinem. 2.2. q.167.a.2. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. circa delectationem cognitionis omnium sensuum est curiositas, & vocatur cōcupiscentia oculorū. probatur hæc secunda pars, quia oculi sunt ad cognoscendū in sensibus principales, & omnia sensibilia videri dicuntur ex D. Augustino.

Visus dicitur curiosus, cum diuersa visibilia intueri delectatur, aut cum ea, quæ sunt prohibita, vult videre; Gustus curiosus dicetur, cum diuersitate gustabilium vtitur; tactus erit curiosus, cū in varijs tangendis, vel quæ sunt prohibita tangere delectatur; auditus erit curiosus, cum appetit audire, quæ sibi non licent, aut si licent, ad varia audibilia distrahitur, odoratus erit curiosus, cum varietate odorum delectatur, aut odore sibi prohibito vtitur.

Quæritur, quomodo inspectio spectaculorum reddatur vitiosa.

7 Respondeo dicendum, quòd inspectio spectaculorum vitiosa redditur inquātum per hoc homo fit pronus ad vitia, vel lasciuiæ, vel crudelitatis per ea, quę ibi reprę-sentantur; vndè Chrisostomus dicit, quòd adulteras inuerecundas constituunt tales inspectiones. 2.2.q.167.a.2. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. inspectio spectaculorum vitiosa redditur, inquantum per hoc homo fit pronus ad vitia vel lasciuiæ, vel crudelitatis per ea, quæ ibi representantur. probatur ex D. Chrisostomo hom.6. in Matheum tom.2.

Circa hanc doctrinam obseruat Caietanus, quòd representatio præcisè sumpta non est peccatum, quia naturaliter animum delectat representatio vt ait Arist. potest tamen esse peccatum quo ad representata, puta si sint luxuriosa, crudelia, quia sunt inductiua ad peccatum, sicut si sint pia, & religiosa, prouocant ad deuotionem, pietatem, & Religionem: & licet aliquis intersit huiusmodi representationibus causa delectationis tantū, quæ ex representatione sola causatur, non excusatur tamen à peccato, quia saltem dat exteriori actu operam rei illicitæ, scilicet delectabili præsentiæ de indecentibus; præsentia si quidem illa exterior ex sua natura communiter fit ad delectandum animum non sola representatione, sed de representatis; præter hoc ratione scandali, & mali exempli peccant grauius viri graues, grauissimè autem Clerici, Religiosi, Sacerdotes, Pontifices. hinc consilium dat Caietanus, quod nullus etiam inuitatus deberet accedere ad videnda huiusmodi spectacula indecentia præcognita; si tamen futuræ indecentiæ nescius se ibi inuenerit, nec exire possit, imitetur Alipium, claudendo oculos, vt sic, & seipsum seruet, & quantum in se est, alios hoc facto moneat.

CVSTODIRE.

In die prosperitatis se debet homo custodire à diuitijs in tribus, & quibus.

Homo debet se custodire in nocte aduersitatis tria considerando, & quæ.

Quæritur, quomodo se debeat homo custodire in prosperitatibus, & aduersitatibus.

RESpondeo dicendum, quòd homo debet se custodire in die prosperitatis à diuitijs, primò ne eas eligat, considerando earum vilitatem, Philip. 3. quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum detrimenta; secundò ne in eis confidat considerando earum vanitatem Eccl. 2. vidi in omnibus vanitatem; tertiò ne de eis superbiat considerando earum imminentem aduersitatem Eccl. 11. in die bonorum ne immemor sis malorum; item debet se custodire in nocte aduersitatis, primò considerando percutientis affectum prouerb. 3. disciplinā Patris fili mi ne abijcias, ne deficias cum ab eo coriperis; secundò considerando percussi Christi exemplū heb. 12. recogitate eum, qui talē sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum cōtradictionem; tertiò considerando percussionis fructum 2. Corinth. 4. id enim, quòd in pręsēti est momentaneū, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitatem æternā gloriæ pondus operatur in nobis. super cap. 21. Isaiæ.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. homo debet se custodire in die prosperitatis à diuitijs, primò ne eas eligat considerando earum vilitatem, secundò ne in eis confidat considerando earum vanitatē, tertiò ne de eis superbiat considerando earum imminentem aduersitatem. probatur singula singulis auctoritatibus sacræ scripturæ. secunda cōclusio. homo debet se custodire in nocte aduersitatis primò considerando percutientis affectū, secundò considerando percussi Christi exemplum, tertiò considerando percussionis fructum. probantur singulis auctoritatibus sacræ scripturæ singula.

Pri-

Primam conclusionem meditentur pecuniarum, diuitiarum cupidi. secundā conclusionem aduertant tribulati, & vexati.

DAMNVM.

De illis, qui tenentur restituere damna. Cap. I.

1 Dare occasionem damni alicui est illicitum.
2 Nouem genera personarum tenentur restituere damna.
Iubens consentiens participans non obstans, is ad quem fit recursus semper tenentur ad restitutionem.
Alij non obligant, nisi in certis casibus, & quibus.
Quando principalis restituit, alij non tenentur ad restitutionem.

Quaritur, an sit illicitum dare alicui occasionem damni.

1 RESpondeo dicendum, quòd dare alicui occasionem periculi, vel damni semper est illicitum. 2.2. quæst. 77. artic. 3. in corp.

Semper esse illicitam dare alicui occasionem periculi, vel damni, docet Angelicus Doctor in hoc quæsito.

Hæc doctrina explicabitur infra verb. Venditio. cap. 1. q. 4.

Quaritur, quid nam sint, qui teneantur ad restitutionem.

2 Respondeo dicendum, quòd quidam versus dantur de illis, qui tenentur ad restitutionem tales.

Iussio, consilium, consensus, Palpo, reuersus;
Participans, mutus non obstans, non manifestans.

Sed tantum quinq; istorum sunt, quæ ad restitutionem semper obligant, quorum primum est iussio, quando aliquis iubet aliquem deprædari, aliàs Tyranni non tenerentur ad restitutionem; secundum est consensus ad rapinam perpetrandam in eo fine quo rapina fieri non poterat; tertium est recursus, quando scilicet aliquis receptator latronum est, & eis patrociniū præstat; quartum est participatio, quando aliquis latroni se sociat ad spoliandum, & partem spoliarum accipit: quintum est non obstans, cum scilicet ex officio obstare tenetur, vt Principes terræ, qui iustitiā seruare debent, si nō obstant, cum obstare possint, ad restitutionem tenentur; in alijs autem causis enumeratis non obligatur semper quis ad restitutionem, nisi in certis casibus, quando probabiliter credit, quòd consiliū suū fuit efficax, & quòd aliàs iniusta ablatio commissa non fuisset; similiter etiam non omnis Palpo, idest adulator ad restitutionem tenetur, sed ille, qui adulādo ad aufferendum incitat dicens, hoc signum strenuitatis esse; similiter etiam mutus dicitur, qui ex officio reclamare tenetur, & non reclamat, nec tunc semper tenetur ad restitutionem, nisi operetur, vt fiat iniusta ablatio, sed debet reducere eum, qui obstulit vt reddat similiter etiam non omnis, qui non manifestat, tenetur ad restitutionem, sed ille, qui pro latrocinio celat, & particeps est lucri, in omnibus autem his, si principalis restituit, alij deobligantur à debito restitutionis. 4. sent. d. 15. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 3. in corp. (2. 2. q. 62. art. 7. in corp.

Triplici conclusione respōdet D Thomas huic quæsito, quarum prima est. nouem sunt genera personarum, quæ tenentur ad restitutionem, quæ duobus explicantur versibus, vt in littera. secunda conclusio. quinque istorum semper obligantur ad restitutionem, nempe Iussio, consensus, recursus, participans, nō obstans, quæ omnia explicantur in littera. tertia conclusio. cætera genera personarum non obligā ur semper ad restitutionem, sed in certis tantum casibus, quæ etiā omnia explicantur in textu.

Quomodo hæc nouem genera personarum teneantur ad restitutionem, explicabitur in verb. Restitutio. cap. 2. q. 2.

Quorum damnorum sit facienda restitutio. Cap. II.

1 In damnis circa bona fortuna est facienda restitutio.
In Damno circa Virginitatem, vel circa membra abscisa &c. facienda est restitutio secundum arbitrium boni viri.
5 In quibus non potest fieri recompensatio æquiualens, sufficit recompensatio possibilis secundum arbitrium boni viri.
2 Damnificans aliquem in agro seminato non tenetur restituere totum fructum, qui possit prouenire ex illo agro.
Tenetur in hoc casu restituere tantum, quantum ager ille seminatus valeret consideratis causis, quæ possunt seminum fructus impedire.
Non reddens debitum suo tempore non tenetur restituere quantum lucrari potuisset, sed lucrum, secundum æstimationem lucri, quod consueuit euenire

euenire consideratis labore, & infortunijs &c.

5 *Quando aufferatur aliquid alicui impediendo, ne consequatur illud, quod erat in via habendi, non debet recompensari ex æquo, sed tenetur aliquā recompensationem facere secundum condicionem personarum, negotiorum &c.*

3 *Impediens aliquem, ne consequatur prabendam malo animo, tenetur ad restitutionem damni secundum arbitrium boni viri.*

Impediens aliquem, ne consequatur prabendam bono animo, non tenetur ad restitutionem damni.

5 *Impediens indignum, ne consequatur prabendam, non dicitur facere iniustè.*

4 *Manifestans malitiam alicuius ei, qui habet corrigere &c. seruato ordine Charitatis non tenetur ad restitutionem famæ illius.*

Manifestans malitiam alicuius malo animo tenetur ad restitutionem famæ.

1 *Modus restituendi famam alterius.*

Quaritur de quibus damnis restitutio, sit facienda.

1 Respondeo dicendum, quòd restitutio principaliter inuenta est in dānis, quę inferūtur in rebus fortunæ, quæ restitui possunt; in ablatione autem Virginitatis, vel abscisione membri alcuius, quæ non possunt ad simile bonum restitui, debet fieri restitutio, qualis possibilis est, scilicet ad arbitrium bonorum. 4. sent.d.15.q.1.a.5.quæstiunc.2.ad 2.

Conclusione vnica respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. In ablatione Virginitatis, vel abscisione membri debet fieri restitutio, qualis possibilis est, scilicet ad arbitrium bonorū. probatur dupliciter, & primò quia hæc non possunt ad simile bonum restitui. secundò quia restitutio principaliter inuenta est in damnis, quæ inferuntur In rebus fortunæ.

Pro explicatione conclusionis obseruandū est ex D. Thoma 2.2 q.62.a.2. ad 1. quod in his, in quibus non potest recompensari æquiualens, sufficit, quod recompensetur, quod possibile est, sicut patet de honoribus, qui sunt ad Deum, & Parentes, vt Aristoteles ait in 8.eth. & ideò quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est, vt cum aliquis alicui abstulit membrum, vel Virginitatem, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore considerata condicione vniuscuiusq; personæ secundum arbitrium boni viri.

Quaritur, an damnificans aliquem in seminibus teneatur ad restitutionem totius fructus.

2 Respondeo dicendum, quòd ille, qui suffodit semina non tenetur ad tantum, quantum agri fructus valituri erant, sed quantum ager sic seminatus valere consueuit, quia multis de causis potest impediri agrorum fructus, & similiter dicendum est de eo, cui debitum non restituitur suo tempore, quia non tenetur restituere tantum, quantum lucrari potuisset, sed secundum æstimationem lucri, quod accidere consueuit pensato labore, & infortunijs etiā, quæ in lucro accidere aliàs possent, quia lucrum non causatur tantum ex pecunia, sed ex industria, & labore. 4 sent.d.15.q.1.a.5. quæstiunc.2.ad 4. (2.2.q.62.a.4. ad 2.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarū prima est. ille, qui suffodit semina, non tenetur ad tantū, quātū agri fructus valituri erant, sed quantum ager sic seminatus valere consueuit. probatur, quia multis de causis potest impediri agrorum fructus. secunda conclusio. ille, qui debitum non restituit suo tempore, non tenetur restituere tantum, quantum lucrari potuisset creditor, sed secundum æstimationem lucri, quod accidere consueuit pensato labore, & infortunijs etiā, quæ in lucro accidere aliàs possent, probatur, quia lucrum non causatur tantū ex pecunia, sed ex industria etiā, & labore.

Vt explicentur conclusiones D. Thomæ, notanda est doctrina eiusdem S.Doctoris 2.2.q.62. a.4. vbi ait, quod aliquis damnificatur, dupliciter, vno modo quia auffertur ei, quod actu habebat, & tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem æqualis, puta si aliquis damnificet alium diruens domum eius, tenetur ad tantum, quantum valet domus; alio modo si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur, quod erat in via habendi, & tale dānum non oportet recompensare ex æquo, quia minus est habere aliquid virtute, quam habere actu, qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem, vel potestatem, & ideò si redderetur ei, vt haberet hoc in actu, restitueretur ei, quod est ablatum, non simplum, sed multiplicatum, quod non est de necessitate restitutionis; tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundum conditionem personarum, & negotiorum; & sic in proposito ille qui semen sparsit in agro, nūdum habet messem in actu, sed solum in virtute, & similiter ille, qui habet pecuniam, nundum habet lucrum in actu, sed solum in virtute, & vtrumque potest multipliciter impediri, & ideo in his casibus facienda erit recompensatio damni ad arbitrium boni viri, qui arbitrium suum proferre debet cōsideratis prius his, quæ in littera circa vtramq; conclusionem notantur, puta consideratis multiplicibus causis, quæ agrorum fructus impedire possunt, & pensatis laboribus, & infortunijs, quæ in lucro accidere possunt. ex secunda conclusione habemus pessimè eos agere, qui obligant debitores suos, qui tempore suo non soluunt, quod acceperunt, ad tantum lucrum soluendum quātum habuissent, si actu pecuniam suam, vel res suas possedissent.

Quæ-

Quæritur, an ille, qui damnificat aliquem impediendo ne consequatur præbendam, teneatur ad restitutionem.

3 Respondeo dicendum, quòd ille, qui impedit aliquem, ne præbendam consequatur, si hoc faciat, quia indignus est, vel vt de alio melius prouideatur, non iniustè facit, vndè non tenetur ad restitutionem; si autem animo lædendi ipsum, tenetur ad restitutionem non quidem tanti, quantum valebat præbanda, quia ipse eam nondum erat consecutus, sed pensatis conditionibus vtriusque secundum arbitrium bonorum. 4.sent.d.15. quæst. 1. a. 5. quæstiunc. 2. ad 3.

Conclusione duplici respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ille, qui impedit aliquem, ne præbendam consequatur, si hoc faciat, quia indignus est, vel vt de alio melius prouideatur, non tenetur ad restitutionem. probatur, quia non iniustè facit. secunda conclusio. si hoc faciat animo lædendi ipsum, tenetur ad restitutionem non quidem tanti, quantum valebat prębenda, sed pensatis condicionibus vtriusque secundum arbitrium bonorum. probatur prima pars, quia ipse eum nondum erat consecutus; secunda pars relinquitur vt nota.

Impediens indignum, ne consequatur præbēdam non dicitur facere iniustè, quia non facit contra iustitiam distributiuam, quæ exigit, vt vnicuique distribuatur iuxta meritorum exigentiam, cum autem hic agatur de indigno, impediens talem à consecutione præbendæ iniustè non agit, & consequenter ad restitutionem non tenetur.

Quæritur, an damnificantes famam alicuius teneantur ad restitutionem.

4 Respondeo dicendum, quòd ille, qui malitiam alicuius manifestat ei, qui habet corrigere, vel etiam si sit incorrigibilis in conspectu Ecclesiæ, vt confusus à peccato desistat, vel saltem, vt alij ab eius consortio corruptiuo discedant seruato ordine Charitatis Fraternæ non iniustè famam aufert, vndè non tenetur ad famæ restitutionē, si autem intentione diffamandi hoc fecerit, iniustè aufert, etiam si verum sit, quod dicit, & tunc tenetur ad famæ restitutionem, vel dicendo se falsum dixisse, si falsum dixit, vel quocunque alio modo non mentiendo, si verum dixit, sine hoc tamen, quòd se verum dixisse dicat, quia non debet alterius famam cum mendacio restituere. 4.sent.d.15. quæst. 1. a. 5. quæstiunc. 2. ad 1.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. qui malitiam alterius manifestat ei, qui habet corrigere, vel etiā si sit incorrigibilis in conspectu Ecclesiæ, vt confusus à peccato desistat; vel saltem vt alij ab eius consortio corruptiuo discedant seruato ordine Charitatis fraternæ, non tenetur ad famæ restitutionem. probatur, quia non iniustè famam aufert. secunda conclusio. si intentione diffamandi hoc fuerit, tenetur ad restitutionem dicendo se falsum dixisse, si falsum dixit. probatur, quia iniustè famam aufert. tertia conclusio. si verum dixit, tenetur ad restitutionem famæ quocunq; alio modo non mentiendo, sine hoc tamen, quod se verum dixisse dicat. probatur quo ad illā partem, non mentiendo, quia non debet alterius famam cum mendacio restituere cæteræ partes relinquuntur vt notæ.

De modo restituendi famam dicetur verb. restitutio famæ per totum.

DEBITVM CONIVGALE.

1 *Vir, & vxor sunt æquales secundum quantitatem non secundum proportionem.*
Vir, & vxor sunt æquales in petendo, & reddendo debitum.
§ *Quid sit debitum coniugale.*
Quare coitus habet rationem debiti.
2 *Vir tenetur vxori reddere debitum in his, quæ pertinent ad generationem prolis.*
Salua tamen personæ incolumitate.
§ *Idem dicendum est de vxore respectu viri.*
Obligatio reddendi sibi inuicem debitum est sub mortali.
Obligatio talis non tenet nisi pro loco, & tempore.
Petenti debitum in loco sacro absque necessitate, nō tenetur alter reddere.
Quid nomine Ecclesiæ intelligatur.
Aliqui casus, in quibus licitum est negare debitum, recensentur.
Datur casus, in quo peccatum est mortale reddere debitum vxori adulteræ.
In aliquibus casibus poterit maritus absque peccato reddere debitum tali vxori adulteræ.
Secundum Sotum potest negari debitum absque peccato mortali, ne longa liberorum propagine abundent coniuges, si tamen non adsit periculum pollutionis in petente, & ita paupertate præmantur, vt parentes tantum numerum filiorum alere non possint.
Secus est, si habeant facultates ad alendum filios, quamdiu vixerint ipsi.
Negat hoc Siluester.
3 *Vxor non tenetur reddere debitū viro non petenti.*
Vxor non ita tenetur reddere debitum viro non petenti, sicut vir vxori.
§ *Ratio discriminis assignatur.*
4 *Vir tenetur reddere debitum vxori non petenti expressè, sed per signa.*
§ *Quid sit petere debitum expressè, & interpretatè, & per signa.*
5 *Si aliquis reddat se impotentem ad debitum sol-*

uendum ex causa ex matrimonio secuta, mulier non habet amplius ius petendi.

Si ex aliqua alia causa licita reddãt se impotentem, mulier non potest, nec debet exigere debitum.

Si causa non est licita, tunc peccat vir, & peccat vxor.

Si propter hoc, labatur in fornicationem aliquo modo, sibi imputatur.

§ *Reddens se impotentem per media illicita ad debitum reddendum, mortaliter peccat, & tenetur in confessione exprimere hanc circunstantiam.*

Vir non peccat, quando petitus non reddit, sed quando se fecit impotentem.

Si faciat se impotentem per media licita, nullum facit peccatum.

Qui reddit se impotentem ex nimia abstinentia, peccat.

Ex Soto notatur memorabile circa viros in redditione debiti.

6 *Vxor tenetur reddere debitum viro leproso.*

Vxor non tenetur cohabitare cum viro leproso.

§ *Coniux leprosi cogitur sub anathemate reddere debitum leproso.*

Cessat hac obligatio, si Medicorum consilio constet periculum contagionis esse in redditione debiti.

Idem est inditium de lepra, & morbo gallico.

Infirmitas futura in prole non excusat vxorem in redditione debiti.

Minus tenetur vir sanus reddere vxori leprosæ, quam vxor sana viro leproso, & quare.

7 *Vxor non potest petere debitum viro, quando tenetur seruire Domino alicui.*

Præter hoc non potest Dominus prohibere, quin debitum reddat.

§ *Si seruus volente domino matrimonium contraxit, debet prætermittere seruitium Domini, & reddere debitum vxori.*

Si seruus contraxit matrimonium ignorante Domino, potius tenetur obedire Domino, si virumque simul esse non possit.

8 *Non licet accedere ad vxorem menstruatam.*

Si menstruum sit innaturale, licet viro ad eam accedere.

Si menstruum sit naturale, non licet viro ad eam accedere.

Non licet vxori menstruatæ petere debitum.

§ *Accedere ad menstruatam menstruis naturalibus est peccatum veniale tantum, si sponte accedat.*

Si tunc reddat, non peccat.

Peccat venialiter mulier, si tunc petit.

Si menstruum sit innaturale, non peccat spontaneus accedens ad eam.

9 *Si vir petat ab vxore menstruata debitum sciens eam esse menstruatã, debet vxor auertere eum precibus, & monitis, non tamen efficaciter.*

Si vir ignorat vxorem esse menstruatam, & petat debet vxor occasionẽ prætendere, ne debitum reddat, nisi timeatur periculum in viro.

Si vir instet petere debitum, debet vxor menstruata reddere.

Non est tutum, quòd vxor indicet viro suam passionem.

§ *Si vir ignoret vxorem laborare menstruis, mulier adducat aliam causam, non autem quod sit menstruata.*

10 *Vir debet reddere debitum vxori, de qua leuiter dubitat, an sit serua.*

Ex hoc non generabitur ei aliquod præiuditium.

Vir non tenetur reddere debitum, de qua vehementer dubitat, vel cognoscit, quòd sit serua, etiam præcipiente Ecclesia.

§ *Quando condicio melioratur, vel est æqualis, tenet matrimonium.*

Secus, quando deterioratur.

11 *Si vxor dubitet de vita sui primi mariti ex aliqua certa causa, non debet nec exigere, nec petere debitum.*

Si causa sit probabilis, debet reddere, sed non exigere.

Si causa sit leuis, potest petere, & reddere.

12 *Vnus coniugum non potest vouere continentiam sine consensu alterius.*

Si alter coniugum voueat continentiam, peccat, nec debet seruare votum.

Talis debet agere pœnitentiam de voto malè facto.

13 *Vnus coniugum probabilius est, quod non potest vouere absque consensu alterius de non petendo debitum.*

14 *Vir non debet vxorem auertere, ne debitum petat, nisi ex causa rationabili.*

Existente causa rationabili cum magna instantia non debet eam auertere.

15 *Tempus reddendi debitum non est solum quando petitur, sed etiam quando timetur periculum.*

16 *Non licet petere debitum in diebus, in quibus vacandam est spiritualibus.*

17 *Petens debitum in die festo non peccat mortaliter.*

Grauius peccat petens debitum in die festo causa delectationis.

18 *Dictum quoddã D. Gregorij exponitur circa hoc.*

§ *Defenditur D. Thomas contra Sotum.*

19 *Vir, & vxor tenentur reddere debitum quocunq; tempore, & quacunque hora salua debita honestate.*

§ *Quomodo sit verum, quod reddere debitum quocunq; tempore sit licitum.*

20 *Post redditum debitum coniuges sequenti die possunt communicare se, & communionem dimittere absq; peccato.*

§ *Qui soluit debitum nocte præcedente sumptionem Eucharestiæ, debet abstinere à Communione de congruitate, non de necessitate.*

Qui soluentes debitum relinquendi sint suo arbitrio ex D. Thoma.

21 *Mulier non tenetur reddere debitum viro ante tempus professo.*

In hoc casu non potest mulier nubere.

§ *Professio ante annum completum emissa nulla est.*

Mulier negare potest debitum professo ante annum completum.

Quæritur, an vir, & vxor sint æquales in actu matrimonij.

1 RESpondeo, dicendum, quòd quia duplex est æqualitas scilicet quãtitatis

titatis, & proportionis, æqualitas quidem quantitatis est, quæ attenditur inter duas quantitates eiusdem mensuræ sicut bicubiti ad bicubitum; sed æqualitas proportionis est, quæ attenditur inter duas proportiones eiusdem speciei, sicut dupli ad duplum: loquendo ergo de prima æqualitate, vir, & vxor non sunt æquales in matrimonio neq; quantum ad actum coniugalem, in quo id, quod nobilius est, viro debetur, neque quantum ad domus dispensationem, in qua vxor regitur, & vir regit, sed quantum ad secundam æqualitatem sunt æquales in vtroque; quia sicut tenetur vir vxori in actu coniugali, & dispensatione domus ad id, quod viri est, ita vxor viro ad id, quod vxoris est, & secundum hoc dicitur, quod sunt æquales in reddendo, & petendo debitum. 4. sent. d. 32. a. 3. in corp. (d. 36. a. 3. ad 3. Lectio 1. cap. 7. primæ ad Corinthios.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito præmissa distinctione, quæ est. duplex est æqualitas, scilicet quantitatis, & proportionis; æqualitas quantitatis est, quæ attenditur inter duas quantitates eiusdem mensuræ, sicut bicubiti ad bicubitum, æqualitas proportionis est, quę attenditur inter duas proportiones eiusdem speciei, sicut dupli ad duplum. prima conclusio. loquendo de prima æqualitate vir, & vxor non sunt æquales in matrimonio neque quantum ad actum coniugalem, neque quantum ad domus dispensationem. probatur prima pars, quia in actu coniugali id, quod nobilius est, viro debetur. probatur secunda pars, quia in dispensatione domus vxor regitur, & vir regit. secunda cōclusio. quantum ad secundam æqualitatem sunt æquales in vtroque. probatur quia, sicut tenetur vir vxori in actu coniugali, & dispensatione domus ad id, quod viri est, ita vxor viro ad id, quod vxoris est, & secundum hoc dicitur, quod sunt æquales in reddendo, & petendo debitum.

Circa distinctionem obserua, quod eadem est, sicut illa, qua dicitur, quod duplex est æqualitas, scilicet matematica, & metaphysica, æqualitas ergo quantitatis, & matematica consistit in eadem mensura, vt in littera dicitur, vt inter libram vnam, & alteram, & inter vnam, & alteram vlnam; æqualitas verò proportionis, & metaphysica est inter æquales proportiones, vt qualis est proportio duorum ad vnum, ita quatuor ad duo, scilicet dupla; vxor ergo non est æqualis viro in quantitate, quia nec eadem prudentia pollet, sicut nec eodem gubernandi iuditio, & consequenter nec eodem debet potiri imperio, vir enim caput est mulieris teste D. Paulo; vir tamen, & vxor sunt æquales æqualitate proportionis, habent enim distributa inter se officia, vnde quo iure tenetur vxor ea, quę ad domum pertinent, agere, eodem tenetur vir ea, quæ ad ipsum pertinent, perficere, idem dico in actu coniugali, & per hoc dicuntur æquales in reddendo, & petendo debitum coniugale, quod secundum Siluestrum verb. debitum cōiugale in principio nil aliud est, quam actus, qui ex contracto coniugio debetur compari, idest coitus, qui ideò rationem debiti habet, quia sub pœna peccati mortalis illum coniuges inuicem reddere tenentur secundum Doctores, & Apostolum. 1. ad Corinth. 7. nisi excuset causa rationabilis.

Quæritur, an alter coniugum teneatur alteri ad reddendum debitum ex necessitate præcepti.

2 Respondeo dicendum, quòd quia matrimonium est principaliter institutum in officium naturæ, ideò in actu eius considerandus est motus naturæ, secundum quem nutritiua non ministrat generatiuæ nisi id, quod superfluit ad conseruationem indiuidui, quia hic est ordo naturalis, vt prius aliquid in se ipso perficiatur, & postmodum alteri de perfectione sua communicet, hoc etiam ordo Charitatis habet, quæ naturam perficit, & ideò cum vxor in viro potestatem non habeat, nisi quantum ad generandi virtutem, non autem quantum ad ea, quæ sunt ad conseruationem indiuidui ordinata, vir tenetur vxori reddere debitum in his, quæ ad generationem prolis spectant salua tamen prius incolumitate personæ. 4. sent. d. 32. a. 1. in corp. & ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. vir tenetur vxori reddere debitum in his, quæ ad generationem prolis spectant, salua tamen prius incolumitate personæ. probatur, quia vxor in viro potestatem non habet nisi quantum ad generatiuam virtutem, nō autem quantum ad ea, quæ sunt ad conseruationem indiuidui ordinata.

Ad explicationē huius litteræ obserua; quod licet conclusio non loquatur nisi de obligatione viri respectu vxoris, attamen debet intelligi de mutua obligatione, scilicet viri respectu vxoris, & de obligatione vxoris respectu viri. hoc docet sensus tituli quæsiti; hoc deducitur ex natura, fide, & fine Matrimonij, vt enim rectè discurrit Dominicus Sotus 4. sent. d. 32. q. 1. ar. 1. præcepta sunt circa media, quæ ideò ex natura finis sunt perpendenda, finis autem matrimonij est propagatio generis humani per generationem, ex quo fit, vt natura matrimonij sit mutua corporum traditio in illum vsum iuxta verbū Apostolicum, vbi enim iubet, quod vterque alteri debitum reddat, causam subdit, quod mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir; similiter & vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier, & ex hac matrimonij natura sub oritur mu-

tua obligatio,& fides soluendi sibi debitum. quæ doctrina hac potest cõfirmari ratione, nam licet matrimonium libero consensu celebretur, attamen postmodum est genus quoddam seruitutis, vnde sicut seruus tenetur obsequi Domino de necessitate præcepti, ita coniuges sibi mutuò in re vxoria morem gerere compelluntur; quia autem ordo tam naturæ, quàm Charitatis,quæ naturam perficit,id postulat, vt vnaqueque res sibi prius consulat,quam alteri,& cum nutritiua virtus conseruationi indiuidui seruiat, generatiua verò conseruationi speciei, natura prouida sic indiuiduis consuluit, vt nutritiua indiuiduo prius prouideat, & deinde, quod superfluit, generatiuæ subministret,ideò in conclusione rectè dicitur, salua tamen prius incolumitate personæ. quia autem ista obligatio est in re graui, vtrumque coniugum sub reatu peccati mortalis perstringet, & erit peccatum iniustitiæ non minus, quam illud, quo quispiam rem alienam inuito Domino vsurpat. quia autem præceptum istud est affirmatiuum,ideo obligabit quidem semper, non tamen ad semper, sed pro loco,& tempore; pro loco, inquam, quia si vnus coniugum in loco sacro peteret absque necessitate, non teneretur alter reddere, per copulam enim tunc pollueretur Ecclesia,& iniuria fieret loco sacro, eique irreuerentia irrogaretur, vt ait Paludanus.4.sent. d.32. D.Antoninus 3. p.tit.1.c.20.parag.2.quos sequitur Siluester verb. debitum coniugale. q.3. Nauarrus in manauli cap. 16. nu. 33.Dominicus Sotus.4.sent.d.32. quæst.1.a.3. qui etiam notat, quod nomine Ecclesiæ intelligitur corpus Ecclesiæ consecratæ,vel benedictæ,vndè in cimiterijs, & in cameris Ecclesiæ adhærentibus, & in campanili nulla est violatio. pro tempore etiam,quia multi sunt casus, in quibus negatio debiti coniugalis non est peccatum mortale, vt in sequentibus explicabitur;sufficiat autem nunc aliquos recensere casus, vt ex his prudens lector aliorum decisiones elicere possit, quorum primus ponitur à Dominico Soto. 4.sentent.d.32. q. 1.art. 1. quando maritus, vel vxor petit non cum intentione obligandi sub peccato mortali, quæ intentio dignoscitur ex hoc quod petit insinuando,alliciendo, mouendo,& tunc negare debitum non est peccatum mortale,immò crebrò nec veniale, sicut neque creditor pecuniam sibi debitam sub illa ratione semper exigit, vt sit peccatum non reddere. Secundus est, quando vnus coniugum petit, sed alter ita suauiter agit cum eo,vt ad nõ reddendum debitum ei complaceat, tunc non peccat, sicut non peccat, qui creditori petenti non reddit debitum, sed ita agit, vt creditor quiescat. tertius est, quando vnus obnixè petit, potest alter precibus eum demulcere, & persuadere, ne petat, immò quando vxor, vel maritus sæpè, importunè, molestè petit,non tenetur alter semper ad nutum ei obsequi, quia in petendo debet modus obseruari, & ideò negans in hoc casu debitum non peccat,sed si peccat, venialiter tãtum delinquet. non reddere ergo debitum licet sit peccatum mortale ex suo genere, poterit tamen ex circunstantijs superuenientibus esse tantum peccatum veniale, aut nullum. quartus casus est, quando matrimonium est ratum, & nundum consumatum,& vnus vult ingredi Religionem, tunc iste non tenetur reddere petenti. cap. ex publico. de conuersio. coniug. assignat tempus duorum mensium, in quo debeat talis deliberare statum, & ingredi, aut reddere debitum, pro illo interim potest illud negare. quintus casus est,quando vnus coniugum emisit votũ castitatis ante matrimonium, vel post, sed de consensu alterius, tunc qui votum emisit, perdit ius petendi, & alter negare potest, quousq; fiat dispensatio in voto. sextus casus, est quãdo vnus coniugum commisit adulterium, quia tunc perdit ius petendi, & ille alter potest negare absq; peccato, nisi etiam ipse commiserit adulterium. notat tamen Ludouicus Lopez p. p. c. 85. quod si adulterium sit occultum,ius petendi non amittit, licet alij contrarium asserant, ratio est,quia hæc pæna est in fauorem vnius, & pænam alterius, quæ est restringenda secundum regulam iuris, & quia esset contra Charitatem prodere seipsum de occulto crimine. hic tamen obserua, in iure aliquos esse expressos casus, in quibus vir tenetur reddere debitum vxori adulteræ, quorum primus habetur c. significasti, de *diuortijs*, & est,quando ipse vir adulterium *commisit*, quẽ casum intellige vtsupra. secundus habetur cap. discretionem, de eo, qui cognoscit consanguineam vxoris suæ, quando scilicet potuit prohibere fornicationem, & noluit, vel ipse prostituit vxorem. tertius habetur. 32.q. 1. can.dixit Dominus, & est quando vir cognoscens vxorem fornicatam esse, accessit ei. quartus habetur.34. q. 2. can. cum per bellicam. 31. q. 2. can. proposito animi, & est quando vxor fornicata est violenter, vel quia credens maritum mortuum iterum nupsit, vel quia credens alienum esse suum maritum, accessit, tunc non perdit ius petendi, quia fornicatio hæc est materialis, & non peccatum. quintus habetur. 33. q. 5.can.secundum verba,& est quando vir dedit occasionem fæminæ adulterandi, quia noluit reddere debitum, tunc enim, si adulteretur fæmina, tenetur vir reddere debitum,vt docet etiam D. Thomas super primam ad Corinth. cap.7. & Armilla verb. Matrimonium.num.73.è contra datur in iure casus,in quo peccatum erit mortale reddere debitum vxori adulteræ,vt habetur.32. quæst. 1. can. siquis vxorem, & est quando vxor pertinaciter manet in adulterio, nec emendatur; & aduertè secundum Paludanum, quod canon solum loquitur de viro habente vxorem adulteram, itaquod solum vir obligatur non reddere debitum vxori perseueranti in adulterio,non tamen obligatur vxor non reddere viro adultero perseueranti in adulterio. In aliquibus tamen casibus poterit maritus absque peccato reddere debitũ tali vxori adulteræ, quorum primus secundum Ricardum 4. sent.d.32.est, quando illa vult desistere à peccato, & non perseuerare in adulterio, tunc potest maritus reddere absque peccato, li-

cet

cet non teneatur; secundus est secundum Siluestrum, quando vir timet peccatum incontinentiæ, nisi accedat vxori, tunc enim potest, quia nō tenetur cum periculo animæ procurare correctionem alterius. tertius secundum Armillam est, quando timentur rixæ graues, & scandalum, nisi reddat maritus debitum. quartus secundum Paludanum quando nulla speratur emendatio ipsius, quando enim vir non potest corrigere, nō tenetur abstinere. tunc autem semper est peccatum mortale non reddere debitum, quando periculum in suo coniuge præsentiret, aut adulterij, aut pollutionis, & quando vir abstineret, vt prolem ex illa vxore suscipere renueret, vel vxor ne ex viro illo conciperet, vt potè cum vir duxit vxorem maculati sanguinis, tunc enim viri solent thorum separare, quod profectò peccatum læthale est; si quis autem quærat, an liceat negare debitum, ne longa liberorum propagine abundent Parentes, respondebitur cum Dominico Soto. 4. sent. d. 32. q. 1. art. 1. posse negari absque peccato mortali, si absit perriculum pollutionis in petente, & præsertim si Parentes ita paupertate premantur, vt tantum numerum filiorum alere non possint, magna enim incomoditas, & difficultas in alendis filijs videtur causa sufficiens ad illos excusandum; secus autem esset dicendum, si Parentes habeant facultates ad alēdos filios, quamdiu vixerint ipsi, licet post obitum eorum non superfit filijs, quo se alant. hæc omnia excepto primo vera sunt, quod equidem excipio cum Siluestro verb. debitum coniugale. q. 8. nempe non licere absolutè negare debitum, ne filij multiplicentur, iste enim negans faceret contra finē Matrimonij, qui est procreatio prolis, præterea iniuria fieret petenti debitū. Siluestrum sequuntur recentiores aliqui.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Rebellus lib. 2. q. 16. num. 3. & lib. 3. q. 19. num. 6. Emanuel sà verb. debitum. num. 8. Azorius 3. p. lib. cap. 27. Sanchez. lib. 9. disp. 12. num. 6. & disp. 15. Læssius lib. 4. c. 3. dub. 12. nu. 85. Henriquez. lib. 11. cap. 15. nu. 7. Perez. de redditione debiti fol. 61. Toletus lib. 7. cap. 20. num. 2. 3. & alij.

Quæritur, an vxor teneatur reddere debitum viro non petenti expressè.

3 Respondeo dicendum, quòd vir, quia nobiliorem partem habet in actu coniugali, naturaliter habet, quod non ita erubescat petere debitum sicut vxor, & indè est, quod vxor non ita tenetur reddere debitum non petenti viro, sicut vir vxori. 4. sent. d. 32. a. 3. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. vxor non ita tenetur reddere debitum non petenti viro, sicut vir vxori probatur, quia ex hoc, quod vir nobiliorem partē habet in actu coniugali, naturaliter habet, quod nō ita erubescat petere debitum, sicut vxor.

Sensus huius doctrinæ est, quod vxor non tenetur reddere debitum viro non petenti expressè, vir tamen tenetur reddere debitum vxori non petenti expressè. ratio discriminis assignatur in littera, quia vir non ita naturaliter erubescit petere debitum, sicut vxor, & ideò nisi vir petat expressè, censetur non petere, quia autē vxor naturaliter erubescit magis in actu coniugali, ideò sufficit, si petat tacitè, vt ei reddatur debitum. si quis autem arguat, quod ex hoc sequitur vxorem, & maritum non esse æquales in actu coniugali; respondebitur, hoc esse per accidens, vt ait D. Thomas. 4. sent. d. 32. a. 3. ad 2. ratione scilicet maioris, vel minoris erubescentiæ. hæc tamen vera sunt regulariter loquendo. si tamen detur casus, in quo vir non audeat petere ab verecundiam, vel. pusillanimitatem, tenetur vxor reddere debitum viro petenti tacitè, licet non petat expressè.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Valentia tom. 4. disp. 10. q. 6. p. 2. Emanuel sà verb. debitum. nu. 8. & alij.

Quæritur, an vir teneatur reddere debitum vxori non petenti expressè.

4 Respondeo dicendum, quòd petere debitum est dupliciter vno modo expressè, vt quando verbis inuicem petunt, alio modo est petitio debiti interpretata, quādo scilicet vir percipit per aliqua signa, quod vxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet, & ita etiam si non expressè verbis debitum petat, tamen tenetur vir redere, quando expressa signa in vxore apparent voluntatis debiti reddendi. 4. sent. d. 32. art. 2. quæstiunc. 1. in corp.

Data distinctione respōdet D. Thomas quæsito vnica conclusione. distinctio est, quod petere debitum stat dupliciter, scilicet expressè, & interpretatiuè; & quid sit vtrumque, explicatur in textu clare. conclusio est. tenetur vir reddere debitum vxori petenti etsi non expressè verbis, appareat tamen in ea expressa signa voluntatis debiti reddendi. probatur, quia vxor habet ius petendi, sed propter verecundiam tacet, & ideò sufficit, si petat per signa expressa, & consequenter tenebitur vir ei reddere.

Petere debitum expressè est verbis petere; interpretatiuè autē petere, siue tacitè est per nutus significare voluntatem suam; est per aliqua verba insinuare eam; est per aliqua signa, vt per tactus, amplexus petere; quando ergo vir huiusmodi exteriora percipit, reddere tenebitur debitum vxori petenti per ea.

Quæritur, an peccet quis reddens se impotentem ad debitum reddendum.

5 Respondeo dicendum, quòd si aliquis reddi-

redditur impotens ad debitum soluendū ex causa ex matrimonio consecuta, puta cum prius debitum redditur, & est impotens ad debitum soluendum, vlterius mulier non habet ius plus petendi, & in petendo vlterius se magis meretricem, quam coniugem exhibet; si autem reddatur impotens ex altera causa, si illa est licita, sic iterum non tenetur, nec potest mulier exigere; si non est, tunc peccat, & peccatum vxoris, si in fornicationem propter hoc labatur, aliquo modo sibi imputatur, & ideò debet, quantum potest operam dare, vt vxor contineat. 4. senten. d. 32. artic. 1. ad 3.

Data distinctione cum sub disiunctione respódet D. Thomas huic quæsito triplici conclusione. distinctio est, aliquis aut redditur impotens ad debitum soluendum ex causa ex matrimonio consecuta, aut ex altera causa. rursus ista altera causa aut est licita, aut non. prima conclusio. si se reddit vir impotentē ex causa in primò sensu, non peccat, & mulier non habet ius petendi, & si petit, magis se meretricem, quam coniugem exhibet. secunda conclusio. si vir reddatur impotens ex alia causa licita, vir non tenetur reddere, nec potest mulier exigere. tertia conclusio. si causa non est licita, peccat vir, si ex impotentia sua non reddit debitum vxori, & si vxor labatur in fornicationem, aliquo modo sibi imputatur. hinc elicitur corrolarium, quod vir debet, q̃n potest, operam dare, vt vxor contineat.

Pro explicatione harum conclusionum obserua, peccare mortaliter virum, qui per media illicita facit se impotentem ad reddendum debitū, vt si sæpè in peccatū mollicíei cadat, vel ad alias mulieres accedat, quia tunc facit contra obligationem matrimonij, in quo se obligauit ad reddendum debitum, & tenebitur vir in Confessione exprimere hanc circunstantiam. hic tamen obserua, quod vir non peccat tunc, quando petitus nō reddit, quia tunc verè excusatur ratione impotentiæ, sed peccauit, quando se fecit impotentem voluntariè, tunc enim irrogauit vxori iniuriam, vt etiam obseruat Dominicus Sotus. 4. sent. d. 32. q. 1. art. 1. si autem honestis medijs se faciat impotentem, vt seruando Ecclesiastica ieiunia, & quædam ex Deuotione etiam, & impēdendo moderatè tempus honestis studijs, nullū erit peccatum. si postea immoderata vitæ asperitate, & longo ieiunio ita uires extenuaret, vt se impotentem faciat ad debitum reddendum, peccat. vnum est etiam hic obseruandum ex Dominico Soto loco citato, quod vir reddendo debitum fit in dies impotentior, & ideò fit ei quotidiè remissior obligatio, quod non accidit fæminis; sed è conuerso fæminis minus licet se se ieiunijs, & vigilijs macerare, & extenuare sine licētia mariti, ne deformes, & exosæ maritis efficiātur, nam occasionem eis offerunt, ut eas negligant, & despiciant, vtque alijs irretiantur iniquis amoribus, & alijs commisceantur fæminis.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Sanchez lib. 9. disp. 3. Coninchus disp. 34. dub. 2. n. 18. Reginaldus lib. 31. n. 289.

Quæritur, an vxor teneatur reddere debitum viro leproso.

6 Respondeo dicendum, quòd lepra soluit sponsalia, sed non matrimonium, vndè vxor etiam viro leproso tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare, quia non ita cito inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione, & quamuis proles generetur infirma, tamen melius est ei, sic esse, quam pænitus nō esse. 4. sent. d. 32. a. 1. ad 3. (d. 36. a. 1. ad 6. (Lectio 3. cap. 7. primæ ad Corinthios.

Duo facit D. Thomas in hoc quæsito, primo respondet quæsito duplici conclusione, secundò soluit obiectionem. quoad primum fit prima cōclusio. vxor tenetur reddere viro leproso debitum. probatur, quia lepra licet soluat sponsalia, non tamen soluit matrimonium. secunda conclusio. non tamen tenetur ei cohabitare. probatur, quia non ita citò inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione. quo ad secundum obiectio est. ex viro leproso generatur proles infirma, ergo &c. respondetur, quod melius est ei sic esse, quam pænitus non esse.

Conclusiones D. Thomæ duas docuit etiam D. Bonauentura, sequitur Ricardus, & Theologorum plerique, nempe vxorem teneri ad reddēdum debitum viro leproso, vt dicit prima cōclusio, non tamen ad cohabitandum, nec in eodem lecto dormiendum, vt asserit secunda conclusio. quas conclusiones ratio etiā suadet, quia cum principalis finis matrimonij non sit nisi generatio, sat est, si san' infirmo in tali actu seruiat, reliqua enim cohabitatio non est tam necessaria, & est horrenda, & eo magis quod non tātum periculi in vno congressu imminet, quantum in cohabitatione, & communicatione mensæ, & lecti, vt benè asserit Dominicus Sotus. 4. sent. d. 32. q. 1. a. 1 hinc est, quod Alexander tertius, vt habemus c. quoniam, de coniugio leprosorum, vt c. peruenit; omnino cogit leprosi coniugem debitum ei reddere, etiam sub anathematis comminatione, si renuerit, attamen hæc obligatio mitigatur à Caietano in summula verb. matrimonialis vsus peccata, licet quidam modernus to. 1. q. 4 p. 1. de his, quæ pertinent ad vsum matrimonij, hanc mitigationem immeritò attribuat Henriquez, Sanchez, Coninchо, Reginaldo, q̃ cessat obligatio huiusmodi, si Medicorum consilio constet periculum contagionis esse in redditione debiti; quæ moderatio etiam ex verbis D. Thomę deducitur, qui ait vxorem teneri ad redditionem debiti, quia in ea non interuenit tantum periculum, quantum in cohabitatione, ergo

si ade-

si aderit periculum, obligatio tolletur. ex quibus verbis etiam elicimus non semper sequi contagionem, & ideò teneri vxorem ad redditionē debiti, vnde si illud neget, peccabit mortaliter, si causa erit, vt leprosus fornicetur, vel aliter polluatur, quod euenire forsan solebit propter maximum morbi incendium, quo prurigines carnis patitur leprosus crebros. quod autem diximus de morbo lepræ, dicendum etiam erit de morbo Gallico. si quis autem quærat, an infirmitas prolis, quæ dubitatur futura, excuset vxorem à redditione debiti, respondebitur cum S. Thoma in littera, licet quidam neotericus loco citato n. 9. hanc responsionem attribuat immeritò Rebello, quod vxor nō excusabitur, quia proli melius est sic esse, quam pænitus non esse. quærenti iterum, an eadem obligatione deuinciatur vir sanus respectu vxoris leprosæ, sicut vxor respectu viri leprosi; respōdebitur cum Dominico Soto 4. sent. d. 32. q. 1. artic. 1. quod minus vir sanus tenetur vxori leprosæ reddere, quam vxor viro, non equidem propter inæqualitatem iuris ad petendum, cum par sit in vtroque, sed propter diuersam condicionem fæminæ, & periculum maius. pro quo nota, ꝙ experientia comprobamus præsentius periculum viris imminere ad leprosam accedētibus, quam fæminis, si viris leprosis obsequantur, itaut certius sit periculum ad sanam accedere, quæ fuerat à leproso viro cognita, quā ad leprosā. itaque in fæmina maior est uis transmittendi morbum vnius viri in alterum, quam se ipsum eodem maculandi propter exorbitantē iniquitatem fæminei caloris in actu illo. ratio D. Thomæ, qua probat suam primam conclusionem, habetur c quoniam, de coniugio leprosorum. & ex hac responsione habemus lepram nō esse impedimentum dirimens, etiamsi nuptias antecesserit.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Henriquez lib. 12. c. 5. nu. 7. Sanchez lib. 9. disp. 24. Coninchus disp. 34. n. 221. Regināldus lib. 31. nu. 303. & 284. Perez de redditione debiti fo. 61. Rebellus lib. 2. q 16. n. 4.

Quæritur, an vxor possit petere debitum, quando vir eius alicui Domino seruire debet.

7 Respondeo dicendum, quòd sicut mulier accipit potestatem in corpore viri saluo hoc, in quo vir tenetur corpori suo, ita etiam saluo hoc, in quo alij Domino tenetur, & ideò sicut vxor non potest petere debitum à viro contra salutem corporis sui, ita nec ad impediendum hoc, in quo Domino tenetur, sed præter hoc non potest Dominus prohibere, quin debitū reddat. 4. sent. d. 32. a. 4. ad 4.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. sicut vxor non potest petere debitum à viro contra salutem corporis sui, ita nec ad impediendum hoc, in quo Domino tenetur. probatur, quia sicut mulier accipit potestatem in corpore viri saluo hoc, in quo vir tenetur corpori suo, ita etiam saluo hoc in quo alij Domino tenētur. hinc elicitur corrolariū, quod præter hoc non potest Dominus prohibire, quin debitum reddat.

Vt explicetur hæc doctrina obserua ex S. Thoma. 4. sent. d. 36. a. 2. ad 3. quod si seruus volente Domino matrimonium contraxit, tunc debet prætermittere seruitium Domini imperātis, & reddere debitum vxori, quia per hoc, quod Dominus concessit, vt matrimonium seruus contraheret, intelligitur ei concessisse omnia, quæ matrimonium requirit; si autē matrimonium ignorante, vel contradicente Domino est contractū, non tenetur reddere debitum, sed potius Domino obedire, si vtrumq; simul esse non possit, & in hoc sensu intelligitur conclusio D. Thomæ. in his tamē multa particularia considerari debent, sicut etiam in omnibus humanis actibus, scilicet periculum castitatis imminens vxori, & impedimentum, quod ex redditione debiti seruitio imperato generat, & alijs huiusmodi, quibus omnibus ritè pensatis iudicari poterit, cui magis seruus obedire teneatur, Domino, an vxori. verum de hoc alias.

Quæritur, an liceat mulieri menstruatæ petere debitum.

8 Respondeo dicendum, quòd accedere ad menstruatam in lege prohibitum erat duplici ratione, tum propter immunditiam, tum propter nocumentum, quod in prole ex huiusmodi commixtione frequēter sequebatur, & quo ad primum præceptum erat ceremoniale, sed quantum ad secundum erat morale, quia cum matrimonium sit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus est omnis matrimonij vsus, quo bonum prolis impenditur; & ideò hoc præceptum obligat etiam in noua lege propter secundam rationem, & si non propter primam; fluxus tamen menstruorum pōt esse naturalis, & innaturalis; naturalis quidem quando scilicet mulieres patiuntur temporibus determinatis, quando sunt sanæ. innaturalis autem quando inordinatè, & quasi continuè ex aliqua infirmitate. fluxu ergo menstruorum innaturalium non est prohibitum ad mulierem menstruatā accedere in lege noua, tum propter infirmitatem, quia mulier in tali statu cōcipere non potest, tū quia talis fluxus est perpetuus, & diuturnus; vndè oporteret, quod vir perpetuò abstineret, sed quando naturaliter mulier patiatur fluxum mēstruorum potest concipere, & iterum talis

fluxus

fluxus non durat, nisi ad modicum tempus, vnde prohibitum est ad talẽ accedere, & similiter prohibitum est mulieri in tali fluxu debitum petere. 4. sent. d. 32. artic. 2. quæstiunc. 2. in corp.

Data distinctione respondet quæsito D. Thomas duplici conclusione. distinctio est, quod fluxus menstruorum potest esse naturalis, & innaturalis, & vterque explicatur in textu. prima conclusio: in fluxu menstruorum innaturalium non est prohibitum ad mulierem menstruatam accedere in lege noua. probatur tum ratione infirmitatis, cùm ratione perpetuitatis, & diuturnitatis fluxus. secunda conclusio. quando naturaliter mulier, patitur fluxum menstruorum, prohibitum est ad talem accedere; & similiter prohibitum est mulieri in tali statu debitum petere. probatur, quia tunc mulier potest concipere, & talis fluxus non durat nisi ad modicum tempus.

Quod dentur menstrua naturalia ad statutum tempus prouenientia, patet experientia, & nomen ipsũ indicat, dicuntur enim menstrua, quasi singulis mensibus fluentia. quod etiam dentur menstrua innaturalia, constat ex Mathei cap. 9. vbi legimus Christum Dominum curasse Emorohistam illam ex fluxa sanguinis, idest è menstruis innaturalibus, & diuturnis. dicitur autem prohibitum, & illicitum accedere ad menstruatum menstruis naturalibus, non quod sit peccatũ mortale, vt putauit Scotus 4. sent. d. 32. sed quia est peccatum veniale, quod intellige de accessu spontaneo ad menstruatam, vt rectè ait Dominicus Sotus 4. sent. d. 32. q. 1. a. 2. non autem si accedat, vt reddat debitum petenti, tunc enim nec venialiter peccat, vt ait D. Thomas, quia petere in tali casu est tantũ veniale, ergo reddere in tali casu nullum erit peccatum. quod etiam docuit Caietanus in summula verb. matrimonialis vsus peccata, & Siluester verb. debitum coniugale. q. 6. licet voluerit esse peccatum mortale sponte petere, nullum autẽ esse peccatum exactum reddere. nec obstat ratio Scoti, quod scilicet maiori præcepto teneatur vir cauere proli futuræ morbum, quam dare operam ei progeniendæ, quia ille morbus, qui timetur futurus, non adeò certus est, vt semper eueniat, neque coniuges tenentur ita illum cauere, vt viri suo cædere debeant. præterea dico cum S. Thoma, quod melius est proli esse sic cum illa infectione, quam simpliciter non esse. non obstat etiam illud leuitici 20. qui coierit in fluxu menstruo, ipsáque operuerit fortem sanguinis sic, interficientur ambo de medio populi sui, pęna autem mortis non infligitur nisi pro peccato mortali, ergo &c. non obstat inquam; quia, vt habemus ex D. Thoma in littera, illud præceptum erat partim cæremoniale, & partim morale, & supplicium mortis ei annexum, est, vt cæremoniale est, quod nunc cessat. cessante autẽ supplicio, transgressio huius præcepti, vt morale est, non est mortalis, sed venialis in spontaneo accedente ad menstruatam, talis enim accessus importat quamdam inhonestatem, & turpitudinem naturalem, & tunc tẽporis mulier est inepta ad retinendum semen. si postea fluxus menstrui sit innaturalis, nec venialiter peccabit spontanè accedẽs ad mẽstruatã, & hoc propter rationes in textu allatas. nec oppositum huius docuerunt Caietanus, & Siluester, scilicet peccatum esse mortale accedere ad vxorem menstruis innaturalibus laborantem, vt sibi falsò imponit quidã neotericus tom. 1. q. 4. p. 6. n. 9. de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Henriquez lib. 11. cap. 15. nu. 5. Sanchez lib. 9. disp. 21. n. 5. & 8. Rodriquez p. p. cap. 243. Spec. 3. p. a. 19. Reginaldus lib. 31. n. 342. & alij.

Quæritur, an mulier menstruata debeat reddere debitum.

9 Respondeo dicendum, quòd circa hoc dixerunt quidam, quod mulier menstruata sicut non debet petere debitum; ita nec reddere, sicut enim non tenetur reddere, si haberet infirmitatem in propria persona ex qua periculum ei immineret, ita non tenetur reddere ad vitandum periculum prolis; sed ista opinio videtur derogare matrimonio, per quod datur omnimoda potestas viro in corpus mulieris quantum ad matrimonialem actum; nec est simile de infirmitate corporis prolis, & periculo proprij corporis, quia si mulier infirmatur, certissimum est, quod ex carnali actu periculum ei imminet, non autem ita certum est de prole, quæ fortè nulla sequetur, & ideò alij dicunt, quod mulieri menstruatæ nunquam licet petere debitum, si tamen vir eius petat, aut petit scienter, tunc debet eum auertere precibus, & monitis, tamen non ita efficaciter, vt possit ei esse occasio in alias damnabiles corruptelas, si ad id prorsus credatur, aut ignoranter, & mulier potest aliquam occasionem prætendere, vẽl infirmitatem allegare, ne debitum reddat, nisi periculum viro timeatur, tamen finaliter si vir non desistit à petitione, debet debitum reddere poscenti; passionem vero suam non est tutum indicare, ne fortè vir ex hoc ad eam abominationem concipiat, nisi de viri prudentia præsumatur. 4. sent. d. 32. a. 2. quæstiunc. 3. in corp.

Tria facit D. Thomas in hoc quæsito. primò adducit duas opiniones & confutat primam, & sequitur secundam. secundò affertur distinctio, & tertiò respondet quæsito triplici conclusione. quo ad primum opinio erat dicentiũ, quod mulier menstruata sicut non debet petere debitum, ita nec reddere, quia sicut non tenetur redere, si haberet

haberet infirmitatem in propria persona, ex qua periculum ei immineret, ita non tenetur reddere ad vitandum periculum prolis. confutatur hæc opinio. tanquam derogans matrimonio, per quod datur omnimoda potestas viro in corpus mulieris quantum ad matrimonialem actum: soluitur deinde eius ratio dicendo non esse eandem rationem de infirmitate corporis prolis, & periculo proprij corporis, quia si mulier infirmatur, certissimum est, quod ex carnali actu periculum ei imminet, non autem ita certum est de prole, quæ fortè nulla sequetur. secunda opinio erat dicentium; mulieri menstruatæ nunquam licere petere debitum. distinctio est. si vir petit, aut petit scienter, aut ignoranter. conclusio prima est. si vir petit scienter, tunc debet mulier eum auertere precibus, & monitis, non tamen ita efficaciter, vt possit ei esse occasio in alias damnabiles corruptelas, & ad id pronus credatur. secunda conclusio. si vir petit ignoranter, tunc mulier potest aliquam occasionem prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, nisi periculum viro timeatur, tamen finaliter si vir non desistit à petitione, debet debitum reddere poscenti. tertia conclusio. passionem suam non est tutum indicare. probatur, ne fortè vir ex hoc ad eam abominationem concipiat, nisi de viri prudentia præsumatur.

Secundam opinionem sequitur D. Thomas, quam etiam ita articulatim explicat, vt nostro non egeat labore; tantum ergo obseruandum erit, quod si vir ignoret vxorem suam laborare menstruis, aliam occasionem prætendere potest mulier, vel aliam infirmitatem allegare, si tamen eam habet, vt docet Dominicus Sotus. 4. sent d. 32. q. 1. a. 2. non enim licet mentiri; non tamen illam alleget, ne horrorem illi inijciat. si postea vir omnino institerit, vt sibi debitum reddatur, mulier reddere debet, quia mulier, vt ait D. Paulus, potestatem sui corporis non habet, sed uir, ubi insinuat, quod etiam si non timeat aliud periculū in uiro, teneatur reddere propter ius, quod habet ille petēdi. D. Thomam sequitur Caietanus in summula uerb. matrimonialis usus peccata, Paludanus, qui etiam citat Petrum de Tarantasia, Siluester uerb. debitum coniugale. q. 6. licet oppositum illi falsò imponat quidā neotericus tom. 1 q. 4. p 6. nu. 10. de ijs, quæ pertinent ad usum matrimonij, sequuntur etiam aliqui recentiores, licet eum impugnent alij moderni, ut Rebellus, Henriquez moti hac ratione, quia non adest obligatio reddendi, quando adest turpitudo tenens se ex parte actus, & faciens actum illicitum, sed in hoc casu adest quædam turpitudo tenens se ex parte actus, faciensque actum illicitum, ergo uxor non tenetur reddere debitum uiro petenti tempore menstrui. immò peccat uenialiter reddendo, eo quod actus habeat quandam turpitudinem. sed facilis est responsio negando minorem, non enim turpitudo illa facit actum illicitum, cum uir vtatur iure suo, & potestate in corpus mulieris, & consequēter mulier tenetur illi reddere ius suum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Rebellus lib. 3. q. nona. Henriquez lib. 11. cap. 15. num. 71. & alij.

Quæritur, quid facere debeat vir in reddendo debitum, quando dubitat an sit vxor serua.

10 Respondeo dicendum, quòd si antequam sit detecta seruitus vxoris, de qua dubitatur, petat debitum, si leui suspitione moueatur, debet reddere debitum, nec ex hoc ei aliquod præiuditium generatur, si autem ex causa probabili dubitet, vel vehementer præsumat, aut certè cognoscat, non debet ei debitum reddere Ecclesia præcipiente, quia vel sibi præiuditium faceret, si eam vxoris affectu cognosceret, vel aliàs fornicaretur. 4. sent. d. 36. in exposit. litteræ.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si antequam sit detecta seruitus uxoris, de qua dubitatur, putat debitum, si leui suspicione moueatur, debet reddere debitum, nec ex hoc ei aliquod præiuditium generatur. secunda conclusio. si ex causa probabili dubitet, uel uehementer præsumat, aut certè cognoscat, non debet ei debitum reddere Ecclesia præcipiente. probatur, quia uel sibi præiuditium faceret, si eam uxoris affectu cognosceret, uel aliàs fornicaretur.

Vt explicetur hæc doctrina obserua, quod inter alia impedimēta impediētia matrimoniū cōtrahendū, & dirimentia cōtractum est conditio, ut diffusè declarabitur uerb. matrimonium ca. 5. quæ tamen si melioretur, aut non deterioretur, non soluit matrimonium, ut si seruus ducat liberam, putans esse seruam, uel è conuerso, matrimonium tenet, quia tunc conditio melioratur; uel etiam si seruus ducat seruam putans esse liberum, uel è conuerso, tenet adhuc matrimonium, quia conditio nō deterioratur; si autem conditio deterioretur, matrimonium nullum est, ut si quis liber ducat seruam putans esse liberam, nō tenet matrimonium, ut habetur c. ad nostram, de coniug. seruo. quæ doctrina quomodo sit limitāda, dicetur suo loco. si postea post contractum sit leuis suspicio de seruitute mulieris, & ipsa petat sibi reddi debitum, vir debet illi reddere debitum, nec ex hoc ei aliquod præiuditium generatur, quia accedit ad eam, tanquam ad liberam, nec ad oppositum mouetur nisi leui suspicione si postea post contractum ex causa probabili dubitet, vel vehementer præsumat, aut certè cognoscat deteriorem conditionem, si mulier petat, non debet ei reddere debitum Ecclesia præcipiente, quia vel sibi præiudicium faceret, quia tunc esset matrimonium, si enim postquam resciuit esse seruam, consensit in eam saltem per copulam vxorio affectu habitam, matrimonium fit validum. cap. ad nostram, de coniug. seruo. c. fœmina.

fœmina.& c. si quis ingenuus, 29.q.2.vel fornicaretur, si accedat ad eam, & cum ea copulam habeat non vxorio, sed meritricio affectu. verum hæc magis explicabuntur, dum de impedimentis matrimonij agemus.

Quæritur, quid facere debeat vxor circa debitum, quando est certa, vel dubitat, vel suspicatur de vita prioris mariti.

11 Respondeo dicendum, quòd si oriatur dubitatio aliqua de vita prioris viri ex aliqua causa, quæ etiam certitudinem facere possit, non debet, nec reddere, nec exigere debitum, si autem causa illa facit probabilem dubitationem debet reddere, sed non exigere, si autem sit leuis suspicio, potest vtrumque licitè facere, quia debet illam causam potius obijcere, quam secundum hoc conscientiam formare. 4. sent. d. 39. in exposit. litteræ.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si oriatur dubitatio aliqua de vita prioris viri ex aliqua causa, quæ etiam certitudinem facere possit, non debet nec reddere, nec exigere debitum. secunda cõclusio. si causa illa facit probabilem dubitationem, debet reddere, sed non exigere. tertia conclusio. si sit leuis suspicio, potest vtrumque licitè facere. probatur, quia debet illam causam potius abijcere, quam secundum hoc conscientiam formare.

Ratio primæ conclusionis manifesta est, quia si stante dubitatione, quæ certitudinem facere possit, exigat, vel reddat debitum, nõ esset actus coniugalis, sed meretricis, & adulterinus, qui cũ sit peccatum lætale, nec peti, nec reddi debet. ratio etiam secundæ conclusionis est clara, stante enim probabili dubitatione non debet exigere, quia meretricem potius se exiberet, debet tamẽ reddere viro petenti debitum, & certò putanti mortuum priorem virum, quia si etiam ipse probabiliter dubitaret de vita prioris viri, non debet petere. verum de his aliàs dicetur. legatur Dominicus Sotus 4. sent. d. 27. q. 1. a. 3.

Quæritur, an vir, & vxor possint votum emittere contra debitum matrimonij sine mutuo consensu.

12 Respondeo dicendum, quòd vouere voluntatis est, vt etiam ipsum nomen ostẽdit, vndè de illis tantum bonis potest esse votum, quæ nostræ subiacent voluntati, qualia non sunt ea, in quibus vnus alteri tenetur, & ideò in talibus non potest aliquis votum emittere sine consensu eius, cui tenetur, vndè cum coniuges sibi inuicem teneantur in redditione debiti, vt dictum est, per quod continentia impeditur, non potest vnus absq; consensu alterius continentiam vouere, & si vouerit, peccat, nec debet seruare votum, sed agere pænitentiam de malo voto facto. 4. sent. d. 32. a. 4. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. nõ potest vnus coniugum absq; consensu alterius continentiam vouere. probatur, votum potest esse tantum de bonis illis, quæ nostrę subiacent voluntati, vt nomen ipsum ostẽdit, qualia non sunt ea, in quibus vnus alteri tenetur, & ideò in talibus non potest aliquis votũ emittere sine consensu eius, cui tenetur, sed coniuges sibi inuicem tenentur in redditione debiti, per quod continentia impeditur, ergo &c. ex hac conclusione elicitur corrolariũ, quod si vnus coniugum vouerit sine consensu alterius, peccat, nec debet seruare votum, sed agere pænitentiã de malo voto facto.

Conlusionem D. Thomæ docet D. Augustinus super psalm. 45. & refertur. 33. q. 5. can. si dicat, vbi ait. si dicat vir, continere iam volo, vxor autem nolo, non potest. quod enim tu vis, non vult illa. & can. secundum verb. Apostolica. si vir continere voluisset, & tu noluisses, sibi debitũ reddere cogeretur. Ratio, quam affert D. Thomas, est efficax, votum enim est de illis bonis, quæ nostro subiacent arbitrio, non autem *de illis*, quæ alijs debemus, quia iam sunt aliena; & cum maritus sui corporis potestatem non habeat, sed vxor, neque vxor sui, sed maritus, neuter potest altero inuito tale votum continentiæ emittere. legatur Dominicus Sotus lib. 7. de iustitia, & iure. q. 3. a. 1. Corrolarium D. Thomæ uerissimum est, quod talis scilicet vouens peccet, quia est de malo, & de actu, qui est contra iustitiam, quæ exigit, vt vnicuique detur, quod suum est, & cum maritus potestatem habeat super corpus mulieris, non autem super suum, & mulier non habeat potestatem super suum corpus uiri, ideò neuter sine uicario, mutuoq; consensu poterit uouere continentiam; immo hoc non obstante tenetur uterq; debitum alteri reddere, ut bene colligit Gratianus can. manifestũ. 33. q. 3. & si uouent, peccant, & de peccato, quod profectò est mortale, tenentur agere pænitentiã.

Quæritur, an vnus possit sine consensu alterius vouere de non petendo debitum.

13 Respondeo dicendum, quòd circa hoc est duplex opinio, quidam enim dicunt, quod vnus absque consensu alterius potest vouere, quod non petat debitum, non autem, quod non reddat, quia in primò est vterque sui iuris, sed non in secundò; sed quia si alter nunquam peteret debitũ, ex hoc alteri matrimoniũ onerosum redderetur, dum oporteret vnum semper cõfusionem debiti petendi subire, ideò alij pro-

probabilius dicunt, quod neutrum potest vnus absque consensu alterius vouere. 4. sent. d. 32. a. 4. ad 3.

Adducta, & confutata una opinione respondet quæsito D. Thomas unica conclusione secundum aliam opinionem probabiliorem. opinio ergo erat dicentium, quod vnus absque consensu alterius potest vouere, quod non potest debitum, non autem, quod non reddat, quia in primò est uterque sui iuris, sed non in secundo. confutatur hæc opinio tali ratione; quod si alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret unũ semper confusionem debiti petendi subire. conclusio est. probabilius alij dicunt, quod neutrũ potest unus absq; consensu alterius uouere.

Opinionem à D. Thoma confutatam sequitur Ricardus. 4. sent. d. 32. a. 2. q. 1. opinioni, quam sequitur Angelicus Doctor adstipulatur etiam Durandus. quam etiam possumus ita probare, quia per huiusmodi uotum fit alteri coniugi matrimonium onerosum, cum pondus exigendi in eum semper propendat. negat Durandus indè fieri onerosum, cum neque alter, qui non uouit, petere, nisi dum ei libuerit, teneatur; immo ab onere reddendi liberatur, quod solet esse molestum. sed re uera huiusmodi uotũ præcipuè in uiro onerosũ est uxori, & prægrauè, & penè morali fidei aduersum propter uerecũdiã quã fœminæ in petendo suffunduntur; & nunquam petere re uera periculo non caret maxime in iuuentute, licet senibus non esset tam periculosum; ulterius etiam si uir petere esset prohibitus, ratione uoti, in fraudem matrimonij resultaret. legatur Dominicus Sotus lib. 7. de iustitia, & iure. q. 3. a. 1. & 4. sent. d. 32. q. 1. a. 3. qui tamen ait, quod ad tollendos scrupulos huiusmodi uota Episcopi dispensatione esset abolenda; ego puto huiusmodi dispensatione non opus esse, quia sunt nulla, clara siquidem est littera D. Thomæ inquientis, quod neutrum potest vnus absque consensu alterius vouere.

Quæritur, an vir possit auertere vxorem, ne petat debitum.

14 Respondeo dicendum, quòd non debet vir vxorem auertere, ne petat debitum, nisi propter aliquam rationabilem causam, & tunc non debet cum magna instantia auerti propter pericula imminẽtia. 4. sent. d. 32. a. 2. quæstiunc. 1. ad 4.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. non debet vir vxorem auertere, ne petat debitum, nisi propter aliquam rationabilem causam, & tunc non debet cum magna instantia auerti. probatur ex periculis imminentibus.

Quæ sint rationabiles causæ, quibus possit vir auertere vxorem, ne debitum petat, supra exposuimus.

Quæritur, quando sit tempus reddendi debitum.

15 Respondeo dicendum, quòd tempus determinatum solutionis debiti nõ est solum quando petitur, sed quando timetur ex aliquibus signis periculum, ad quòd vitandũ ordinatur debiti redditio, nisi tunc reddatur. 4. sentent. d. 32. art. 2. quæstiunc. 1. ad 1.

Docet D. Thomas in hoc quæsito, tempus determinatum solutionis debiti non esse solũ, quando petitur, sed etiam quando timetur ex aliquibus signis periculum, ad quod vitandum ordinatur debiti redditio, nisi tunc reddatur.

Aduertant viri, vt reddant debitum vxori nedum petenti explicitè, sed etiam si ex aliquibus signis aduertant in ea periculum inique pollutionis, vt accidit in fœminis, quæ ad libidinem proclliues maximè sunt.

Quæritur, an temporibus Sacris debeat aliquis impediri quin debitum petat.

16 Respondeo dicendum, quòd actus matrimonialis quamuis culpa careat, tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia, & ideò in diebus, in quibus præcipuè spiritualibus est vacandum non licet petere debitum. 4. sent. d. 32. a. 5. quæstiunc. 1. in corp. (quæstiunc. 2. ad 2.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cõclusione, quæ est. in diebus, in quibus præcipuè spiritualibus est vacandum, non licet petere debitum. probatur, quia actus matrimonialis, quãuis culpa careat, hominem tamen reddit ineptũ ad spiritualia, quia rationem deprimit propter carnalem delectationem.

Dominicus Sotus 4. sentent. d. 32. q. 1. a. 3. ait, Magistrum, & D. Thomam nimis strictè loqui, dum inquiunt, non licere in diebus festis petere debitum, vocatque hoc durum concessu, conceditq; hoc verissimum esse in præcipuis solemnitatibus, vt in die Natalis Domini, Paschatis, Ascẽsionis, Pentecostes, in die Veneris Sancti ratione indecentiæ, & ineptitudinis ad orationem, & contemplationem, quibus diebus illis opus est vacare. sed doctrina D. Thomæ solida remanet, idest non licere nedum in præcipuis solemnitatibus, sed etiam in alijs festis petere debitum, itaquod si petatur, sit peccatum veniale; ratio D. Thomæ, qua probat conclusionem, est egregia, quia cum actus ille carnalis ex vehementi delectatione deprimat rationem, illum reddit ineptũ ad spiritualia, ad orationem, & contemplationem, quibus illis diebus opus est vacare, ideò D. Paulus admonet, ne se defraudent nisi orationis causa, & de consensu vtriusq; D. etiam Augustinus relatus 33. q. 4. can. quotiesq; ait quotiesq; dies Natalis Domini, aut reliquæ festiuitates aduenerint,

rint, à proprijs vxoribus abstinendum est. idem censet causa Processionum, quæ fiunt solemniter. ampliat hanc abstinentiam à petitione debiti D. Ambrosius in sermone de aduentu Domini ad tempus ieiuniorum, quod tamen non debet intelligi de quolibet ieiunio, vt quadragesimæ, quia esset nimis graue per totam quadragesimã coniuges iure petendi spoliare, sed de aliquibus ieiunijs, quæ solent obseruari quater in anno, & in vigilijs quarumdam solemnitatum, cum hoc moderamine intelligendus est etiam D. Augustinus in lib. quæstionum noui, & veteris testamẽti cap. 187. qui sentit idem cum D. Ambrosio, qui referuntur can. fratres, & can. Christiano.

Quæritur, an qui petit debitum tempore festiuo, peccet mortaliter.

17 Respondeo dicendum, quòd petere debitum in die festiuo non est circumstantia trahens ad aliam speciem peccati, vndè non potest in infinitum aggrauare, & ideò non peccat mortaliter vxor, vel vir, si in die festo petat, sed tamen grauius est peccatum, si sola delectationis causa petatur, quam si propter timorem, quo quis sibi timet de lubrico carnis nisi debitum petat. 4. sentent. d. 32. artic. 5. quæstiunc. 2. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. non peccat mortaliter vxor, vel vir, si in die festo petat, ꝓbatur, quia petere debitum in die festiuo non est circũstantia trahens ad aliam speciem peccati, vnde non potest in infinitum aggrauare. secunda conclusio, est tamen grauius peccatum, si sola delectationis causa petatur, quam si propter timorẽ, quo quis sibi timet de lubrico carnis, nisi debitum petat.

Quia circunstantia temporis sacri non est trahens actum in aliam speciem scilicet sacrilegij, sicut est circunstantia loci sacri, ideò non erit peccatum mortale petere debitum tempore festiuo, sicut est peccatum læthale ex suo genere petere, vel etiam reddere in loco sacro extra necessitatem cum per turpem, spontaneamq; seminis effusionem violetur locus, fiatque ineptus, vt in eo sacra celebrentur. petere ergo debitum tempore festiuo erit tantum peccatum veniale, si petatur ad euitandam incontinentiam, grauius tamen peccatum veniale erit, si petatur sola delectationis causa.

Quæritur, quomodo debeat intelligi id, quod Gregorius dicit in 1. dialogorum, quod mulier, quæ in nocte cognita est à viro mane ad processionem veniens à Diabolo est arrepta.

18 Respondeo dicendum, quod non fuit punita mulier illa propter hoc, quod debitum reddidit, sed quia postmodum se temerè ad Diuina ingessit contra conscientiam, 4. sent. d. 32. a. 5. quæstiunc. 2. ad 1.

Dictum quoddam D. Gregorij, quo asserit, mulierem quandam, quæ in nocte cognita est à viro, mane ad processionem venientem, à Diabolo arreptam esse, exponit D. Thomas in hoc quæsito tali pacto, quod illa mulier non fuit punita propter hoc quod debitum reddidit, sed quia postmodum se temere ad Diuina ingessit contra cõscientiam.

Historia hæc refertur D. Gregorio in 1. Dialogorum, & responsio in forma ad hunc casum est, quod mulier illa fuit punita non præcisè propter redditionem debiti, sed quia ingẽti temeritate, & impudentia se se ad Diuina ingesserat contra conscientiam, cum peccati scilicet mortiferi cõscientia.

Quæritur, an debitum debeat reddi tempore festiuo.

19 Respondeo dicendum, quòd cum mulier habeat potestatẽ in corpore viri quantum ad actum generationis spectat, & è conuerso, tenetur vnus alteri debitum reddere quocunque tempore, & quacunque hora salua debita honestate, quæ in talibus exigitur, quia non oportet, quod statim in publico debitum reddat. 4. sent. d. 32. a. 5. quæstiunc. 3. in corp. (Lectio 1. cap. 7. primæ ad Corinthios.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, tenetur vnus alteri debitũ reddere quocunque tempore, & quacumque hora, salua debita honestate, quæ in talibus exigitur. probatur prima pars, quia mulier habet potestatem in corpore viri quantum ad actum generationis, & è conuerso. probatur secunda pars, quia non oportet, quod statim in publico debitũ reddat.

Licet ex superioribus habuerimus, quod petere debitum tempore festiuo sit peccatum veniale, ex hoc tamen loco habemus, quod reddere debitum quocunq; tempore est licitum omnino, & est absque omni culpa; si tamen contingat, quod vnus Coniugum petat debitum tempore, quo alter in publico est, non tenetur iste reddere, quia redditio debiti obseruari debet salua debita honestate, quæ profectò honestas nõ saluaretur, si in publico actus matrimonialis redderetur.

Quæritur, an soluens debitum possit sequenti die communicare se.

20 Respondeo dicendum, quòd ille, qui præceptum implens debitum soluit, redditur ineptus ad Diuina officia exequenda, non quòd ille actus sit peccatum, sed ra-

ratione carnalitatis illius actus, vndè isti sunt suo iudicio relinquendi, quia possunt ex deuotione dimittere, & sumere Corpus Christi absq; peccato. 4. sent, d. 32. a. 1. ad 1. (3. p. q. 80. a. 7. ad 5.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ille, qui præceptum implens soluit debitum, redditur ineptus ad Diuina officia exequenda. rationem affert, non quod ille actus sit peccatum, sed ratione carnalitatis illius actus. secunda conclusio. isti sunt relinquendi suo iudicio. probatur, quia possunt, & ex deuotione dimittere, & sumere Corpus Christi absque peccato.

Prima conclusio verissima est, sicut enim Iudex, qui hominem ad mortem condemnat præceptum implens, irregularis efficitur, & consequenter redditur inhabilis ad aliquod sacrum officium reddendum, ita ille, qui debitum soluit, redditur ineptus ad Diuina officia exequenda ratione carnalitatis illius actus, non autem ratione peccati, quod reperiatur in illo, & ideò ille, qui soluit debitum nocte præcedente sumptionem Sacræ Eucharestiæ, ex congruitate abstinere deberet, non autem ex necessitate; relinquendos tamen esse huiusmodi soluentes debitũ suo arbitrio, asserit D. Thomas ex D. Gregorio, quia possunt & ex deuotione dimittere, & sumere absque peccato, quod tamen intelligendum esse, docet D. Thomas 3. p. q. 80. artic. 7. ad 2. de illis, qui reddunt causa procreandæ prolis, non autem causa libidinis, quia tunc ex D. Gregorio prohibendi sunt isti, ne accedant ad Sacram Cõmunionem.

Quæritur, an vxor teneatur reddere debitum viro ante tempus professo.

21 Respondeo dicendum, quòd de professione emissa ante tempus determinatũ à iure est idem iudicium, quod de voto simplici, vndè sicut post votum simplex viri mulier ei reddere debitum non tenetur, tamen ipsa non haberet potestatem nubere, ita, & hic. 4. sent, d. 27. q. 1. a. 3. quæstiunc. 3. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thoma huic quæsito, quæ est. sicut post votum simplex viri mulier ei reddere debitum non tenetur, tamen ipsa non haberet potestatem nubere, ita, & hic. probatur, quia de professione emissa ante tempus determinatum à iure est idem iudiciũ, quod de voto simplici.

Pro explicatione huius litteræ obserua ex D. Thoma. 4. sent, d. 27. q. 1. a. 3. quæstiuncula 3. in corp. quod sicut corporalis mors viri hoc modo vinculum matrimoniale soluit, vt mulier nubat, cui vult secundum Apostoli sententiam, ita etiã post mortem spiritualem viri per Religionis ingressum poterit, cui voluerit, nubere, non censetur autẽ mortuus spiritualiter nisi per professionem, per Decret. autem, nouam. professio ante annum completum emissa censetur nulla, & consequenter talis professus nõ reputabitur mortuus spiritualiter & consequenter mulier alteri nubere non poterit. quia vni copulata est; negare tamen poterit debitum huiusmodi professo, sicut negare potest mulier debitum viro, qui ante, vel post matrimonium votũ castitatis de eius consensu emisit sicut enim vir vouens non habet ius petendi contra votum, ita mulier. negare potest, idem si quidem iudicium fit de professione facta ante determinatum tempus à iure, & de voto simplici.

DECIMAE.

De necessitate solutionis Decimarum. Cap. I.

1 *Decimæ non sunt Sacramenta.*
2 *Præceptum de Decimis soluendis partim est de iure naturali, partim ex institutione Ecclesiæ.*
Ecclesia potest determinare aliam partem esse soluendam consideratis opportunitatibus temporum, & negotiorum.
5 *Quid nominis decima exponitur.*
Tres decimarum species, & quæ, & quid sint.
Capita. Parochianus. Tua nobis. aliquibus exponuntur.
Determinata pars erat de Iure Diuino in veteri testamento, in nouo est de iure positiuo Ecclesiastico.
Ad quid dantur decimæ ministris Ecclesiæ.
In Triplici casu habet locum præceptum de soluendis decimis; & quomodo intelligantur hi casus.
Omittens solutionem Decimarum peccat mortaliter.
Tenentur quis soluere decimas, licet non adsit necessitas, nec sit consuetudo.
3 *Præceptum de solutione Decimarum est datum à Christo. Mathæi 10. & à Diuo Paulo prima ad Corinth. 9.*
Determinatio certæ partis reseruatur Ecclesiæ.
5 *Recensetur decretum Conclij Tridentini circa decimas.*
Quid notet Nauarrus circa hoc decretum.
Excomunicatio Concilij est comminatoria.
Excomunicantur, qui in concione dicunt aliquid, vt auertant animos fidelium à solutione decimarum.
Tria tamen requiruntur, vt incurratur hæc excommunicatio, & quæ.
Notatur alia excomunicatio in Religiosos circa decimas.
Quinque requiruntur, vt incurratur hæc excomunicatio, & quæ.
4 *Nulla consuetudo contraria soluit hominem ab obligatione soluendi decimas.*
Semper tenentur homines soluere decimas, si Ecclesia exigat contraria consuetudine non obstante.

Vbi

Vbi non est consuetudo, & Ecclesia non petit, non peccat quis non soluendo decimas.

Rectores Ecclesiarum non benè faciunt exigendo decimas in locis, vbi non est consuetudo.

Quæritur, an Decimæ sint Sacramenta.

1 RESpondeo dicendum, quòd oblationes, & decimæ erant tàm in lege naturæ, quam in lege Moysi ordinatæ non solum in subsidiū ministrorum, & pauperum, sed etiam in figuram, & ideò erant Sacramenta, nunc autem nō remanserunt inquantum sunt figuralia, & ideò non sunt Sacramenta. 3. p. q. 65. art. 1. ad 7.

D. Thomas respondet huic quæsito conclusione vnica, quæ est. Decimæ nunc non sunt sacramenta. probatur ex differentia reperta inter decimas legis naturæ, & legis Moysis ex vna parte, & decimas legis nouæ, quod decimæ legis naturæ, & Moysis erant ordinatæ non solum in subsidium ministrorum, & pauperum, sed etiam in figuram, & ideò erant sacramenta, nunc autē non remanserunt, inquantum sunt figuralia, & consequenter non sunt sacramenta.

Propero ad alia, cum in hoc quæsito nihil occurrat scribendum.

Quæritur, an homines teneantur dare decimas de necessitate præcepti.

2 Respondeo dicendum, quòd Decimæ in veteri lege dabantur ad sustentationem ministrorum Dei, vndè dicitur Malachiæ 3. inferte omnem decimationem in horreum meum, sit cibus in domo mea, vndè præceptum de solutione decimarum partim quidem erat morale inditum naturali ratione, partim autem erat iudiciale ex Diuina institutione robur habens, quod enim eis, qui Diuino cultui ministrabant ad salutem populi totius populus necessaria victus ministraret ratio naturalis dictat, sicut, & his, qui communi vtilitati inuigilant, scilicet Principibus, & militibus, & alijs huiusmodi stipendia victus debentur à populo; vndè, & Apostolus hoc probat primæ ad Corinthios 9. per humanas consuetudines dicens, quis militat suis stipendijs vnquam? aut quis plantat vineam, & de fructibus eius non edit? sed determinatio certæ partis exhibendæ ministris Diuini cultus non est de iure naturali, sed est introducta institutione Diuina secundum conditionem illius populi, vti lex dabatur, qui cum in duodecim tribus esset diuisus, duodecima tribus scilicet leuitica, quæ tota erat ministerijs Diuinis mancipata, possessiones nō habebat; vndè conuenienter institutum est, vt reliquę vndecim tribus decimam partem suorum prouentuū leuitis darent, vt honorabilius viuerent, & quia etiā aliqui per negligentiam erant transgressores futuri; vndè quantum ad determinationem decimæ partis erat iudiciale, sicut, & alia multa specialiter in illo populo instituta erant ad æqualitatem inter homines ad inuicem conseruandam secundum populi illius conditionem, quæ iudicialia præcepta dicuntur, licet ex consequenti aliquid significarent in futurum, sicut, & omnia eorum facta secundum illud primæ ad Corinthios 10. omnia in figuram contingebant illis, in quo conueniebant cum cæremonialibus præceptis, quæ principaliter instituta erant ad significandum aliquid futurum; vndè, & præceptum de decimis soluendis significat aliquid in futurum, qui enim decimam dat, quæ est perfectionis signū eo, quòd denarius est quodammodo numerus perfectus quasi primus limes numerorum, vltra quem numerum non procedunt, sed reiterantur ab vno, nouem sibi partibus reseruatis, protestatur quasi in quodam signo ad se pertinere imperfectionem, perfectionem verò, quæ erat futura, per Christum esse expectandam à Deo, nec tamen propter hoc est cæremoniale præceptum, sed iudiciale, vt dictum est; est autem hæc differentia inter cæremonialia, & iudicialia legis præcepta, quod cæremonialia illicitum est obseruare tempore legis nouæ; iudicialia verò etsi non obligent tempore gratiæ, tamen possunt obseruari absque peccato, & ad eorum obseruantiam aliqui obligantur, si statuantur auctoritate eorum, quorum est condere legem; sicut præceptum iudiciale veteris legis est, quod qui furatus fuerit ouem, reddat quatuor oues, vt legatur Exodi 22. quòd si ab aliquo rege statuatur, tenentur eius subditi obseruare, ita etiam determinatio decimæ partis soluendæ est auctoritate Ecclesiæ tēpore nouæ legis instituta secundum quandam humanitatem, vt scilicet non minus populus nouæ legis ministris noui testamenti exhiberet, quam populus veteris testamēti exhibebat, cū autem populus nouæ legis ad maiora

maiora obligetur secundum illud Mathæi 5. nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum, & Pharisæorum nō intrabitis in regnum cælorum, & cum ministri noui testamenti sint maioris dignitatis, quā ministri veteris testamēti, vt probat Apostolus secundæ ad Corinth. 2. sic ergo patet, quod ad solutionem decimarū homines tenētur partim quidem ex iure naturali, partim ex institutione Ecclesiæ, quæ tamen pensatis opportunitatibus temporum, & personarū posset aliam partē determinare soluendā. 2.2. quæst. 87. art. 1. in corp. (Lectio 1. cap. 7. ad hæbr.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. præceptum de solutione decimarum partim erat morale inditum naturali ratione, partim erat iudiciale ex Diuina institutione robur habens. probatur prima pars, quia ratio naturalis dictat, vt communi vtilitati inuigilantibus stipendia dentur à populo. probatur secunda pars, quia determinatio certæ partis exhibendæ ministris non est determinata iure naturali, sed Diuina institutione secundum conditionem Iudæorum. secunda conclusio. solutio decimarum ex consequenti significat aliquid in futurum. probatur, quia omnia eorum facta significabant aliquid in futurum. 1. ad Corinth. 10. & in hoc conueniebant cum cæremonialibus. tertia conclusio. Iudicialia quāuis non obligent tempore gratiæ, tamen possunt obseruari absque peccato, & ad eorum obseruantiam aliqui obligantur, si statuantur auctoritate eorum quorum est condere legem. probatur prima pars, quia est differentia inter cæremonialia, & iudicialia, quod cæremonialia illicitum est obseruare tempore legis nouæ, iudicialia vero & si non obligent tempore gratiæ, tamen possunt obseruari absque peccato. probatur secunda pars, quia præceptum iudiciale veteris legis est, quod qui furatus fuerit ouem, reddat quattuor oues, vt legitur Exodi 22. quod si ab aliquo Rege statuatur, tenentur eius subditi obseruare. quarta cōclusio. ad solutionem decimarum homines tenētur partim quidem ex iure naturali, partim etiā ex institutione Ecclesiæ, quæ tamen pensatis opportunitatibus temporum, & personarum posset aliam partem determinare soluendam. hæc relinquitur ex dictis nota.

Decimæ, vt à quodquid est earū exordiamur, sunt omnium bonorum mobiliū licitè acquæsitorum pars decima Deo data, Diuina constitutione debita, vt colligitur de decim. c. 1. & c. Parochia & c. non est. & c. tua nobis. & c. cum nō sit ab homine. dicuntur in numero plurali decimæ, quia tres sunt decimarum species, quidquid dicat Suarez. cap. 7. quarum vna dicitur prædialis, alia vocatur personalis. tertia nuncupatur mixta. decima prædialis est eorum, quæ proueniunt ex prædijs, vt sunt vinum, bladum, fructus arborum, & huiusmodi. Personalis est eorum, quæ proueniunt ex opere personali, vt ex mercatione, artificio, scientia, militia, venatione, & huiusmodi. mixta est eorum, quæ partim ex prædijs, partim ex opere personali proueniunt, vt sunt animalia, quæ pascuntur ex prædijs, & opere humano nutriuntur, & fœtus, ac fructus eorum. dicuntur autem decimæ pars decima Deo data, idest Dei ministris. ex quibus patet, decimas partim esse res temporales, partim res spirituales; sunt, inquam, res temporales, quatenus dicunt fructus ipsos, qui soluuntur in ministrorum subsidium; sunt autem spirituales, quatenus dicunt ius exigendi fructus ob administrationem spiritualium, puta Sacramentorum, D. enim Paulus dicebat primæ ad Corinth. c. 9. si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus. istæ ergo decimę. vt dicunt partem aliquam non definitam necessariam administrorum sustentationem. ipsis debetur iure Diuino, & naturali. ius si quidem naturę dictat sustentationem deberi ministris Ecclesiæ, sicut Tributa Principibus, & Militibus stipendia; vt autem dicunt partem determinatam, puta partem decimam fructuum, sic ministris debentur iure Ecclesiastico, Ecclesia enim potest hanc taxare partē, & de facto taxauit. nec obstant cap. Parochianus, & cap. tua nobis, & cap. aliquibus, vbi habetur, quod ideò decimæ dicuntur, quia Deus, non homo sic statuit, quia huiusmodi decretalium sensus est, quia Deus in veteri lege obligauit populum suū ad decimam, dedit nobis exemplum similis obligationis suscipiendæ ab Ecclesia tanquam iustæ, & rationabilis, & piæ; cur ergo dicitur, quod lege Diuina, aut Deo iubēte ad decimas tenemur, hoc intelligendum esse exemplariter, asserit Caietanus. 2. 2. q. 87. a. 1. licet quidam Modernus tom. 2. disp. vlt. q. 5. p. 1. num. 3. hoc immeritò adscribat Valentiæ, Ruuio, Reginaldo, Toleto, & alijs; & licet reperiatur in veteri lege præcepta decima, attamen cum illud præceptum non fuerit morale, cessauit post Passionem Christi. Ecclesia autem volens immitari Deum, statuit quotam, & determinatam partem, vt sit quædam noui, & veteris testamenti consonantia, vnde quota, & determinata pars erat de iure Diuino in veteri testamento, nunc autem est de iure positiuo Ecclesiastico. & hoc profectò iustè, ministri siquidem Ecclesiæ indigent decimis non solum ad vitæ sustentationem, sed etiam ad sui status conseruationem. vlterius opus est decimis ad sacrarum ædium reparationem; & vlterius indigent ministri Ecclesiæ decimis ad pauperum subleuationem, quorum vocantur Patres. In duplici autem casu habet locum hoc præceptum, ait Alexander 3. p summæ, primò cum in necessitate à ministris Ecclesiæ petuntur, quod intellige, et si non sit consuetudo, vt ait D. Thomas. quodlibeto. 2 ar. 8. secundò si sit consuetudo, etiam si nō petantur, vt habemus in c. peruenit, & in c. in aliquibus, de decimis, quia hoc expostulat consuetudo ipsa, vt ait ibidem D. Thomas, quod intellige, etiamsi non adsit necessitas, sed ministri

sint Diuites, vt docet Angelicus Doctor quodlibeto 6. a. 10. Siluester verb. Decima. q. 3. addit tertium casum, quod decimarum præceptum obligat quoties petuntur, etiam sine consuetudine,& necessitate. subiungit tamen, quod benè faceret Ecclesia non exigendo in tali casu, quando probabiliter scandalum timeretur, vt patet ex quolib. 2.a.8.& quodlib. 6. art. 10. concludamus ergo, quod omittens soluere decimas in necessitate, etiam si non sit cõsuetudo, peccat mortaliter peccato sacrilegij, & facit cõtra hoc præceptum, quia non reddit, quod debetur ministris Ecclesiæ. omittens etiam soluere decimas extra necessitatem, quando adest consuetudo, peccat mortaliter, & facit contra hoc præceptum eadẽ ratione, quia non reddit debitas res Ecclesiæ, cui tenetur reddere de necessitate salutis. vt autem obligetur quis soluere decimas, quando abest necessitas, nec consuetudo adest, dissensio est inter Siluestrum, & Caietanum. affirmat Siluester, negat Caietanus in summula verb. Decima, vbi ait, quod vbi non est consuetum solui decimas, non peccat omittens soluere, salua tamen cura Pastoris sui, vt habeat, vnde viuat honestè; si non habet redditus, vnde viuere secundum, quod sibi congruit, possit, quia adhoc pro sua rata quilibet ei subditus tenetur, nulla ipsi consuetudine suffragante. Caietanum sequitur Toletus lib. 6. cap. 20. num. 5. ego standum esse cum Siluestro puto, quia hanc opinionem video esse D. Thomæ in quodlibetis prædictis. ratio ẽt id suadet, quia Decimæ sunt de iure Diuino, & naturali, quibus non potest derogare consuetudo contraria.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Azorius p. p. lib. 7. c. 34. quæsito 1. Alexander Moneta de decimis c. 2. Cardinalis Tuscus concl. 62. Toletus lib. 6. cap. 20. a nu. 1. vsque ad 6. & alij.

Quæritur, à quo sit datum præceptum de solutione Decimarum.

3 Respondeo dicendum, quòd præceptum de solutione Decimarum quantum ad id, quod erat morale, datum est in Euangelio à Domino, vbi dicit Mathæi 10. Dignus est operarius mercede sua, & etiam ab Apostolo, vt patet primæ ad Corinth. 9. sed determinatio certæ partis est reseruata ordinationi Ecclesiæ. 2.2.q.87.a.1.ad 2.(quodlibeto 2.a. 8.

Præceptum solutionis Decimarum quantum ad id, quod erat morale, datum esse à Domino in Euangelio Mathei 10. vbi dicitur, dignus est operarius mercede sua, & ab Apostolo. 1. ad Corint. 9. sed determinationem certæ partis esse reseruatam ordinationi Ecclesiæ, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ex hac doctrina habemus decimas esse de iure Diuino, etiam in lege noua, si sumantur quo ad partem non deffinitam, sed quo ad partem determinatam esse de iure positiuo Ecclesiastico in lege noua, sicut in lege veteri erant de iure Diuino, vt diximus supra, etiam quoad determinatam partem. liceat nunc hoc in loco inserere Decretum Concilij Tridentini sess. 25. cap. 12. de reformatione, vbi loquens de Decimis sic ait. non sunt ferendi, qui varijs artibus decimas Ecclesijs obueuientes subtrahere moliuntur, aut qui ab alijs soluendas temerè occupant, & in rẽ suam vertunt, cum Decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt. Præcipit igitur Sãcta Synodus omnibus cuiuscunq; gradus, & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, vt eas, ad quas de iure tenentur, imposterum Cathedrali, aut quibuscunq; alijs Ecclesijs, vel personis, quibus legitimè debentur, integrè persoluant; qui verò eas aut subtrahunt, aut impediunt, excomunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta absoluantur. quod Nauarrus in manuali cap. 21. num. 31. intelligit de illis, qui restituere possunt, antequam Sacrosanctum Corpus Domini sumere debeãt, aut moriantur. excomunicatio ista est comminatoria. aduertendum est prætèrea, quod vt habemus ex Clement. Cupientes, de pœnis, lata est excõmunicatio contra eos, qui in concione aliquid dicunt hac intentione, vt auertant animos fideliũ à solutione Decimarum. vt autẽ hæc excomunicatio incurratur, tria requirũtur, vt obseruat Caietanus in summula verb. excomunicatio cap. 65. quorum primum est, vt agatur de Decimis debitis Ecclesiæ. secundum est, vt intentio dicentis sit ad hoc, vt retrahat audientes ab huiusmodi solutione. tertium est, vt sit Religiosus, siue sit, siue non sit mendicans, non autem quilibet alius concionator, vt Clericus sæcularis, vel laicus &c. vt post Caietanum obseruauit Toletus etiã lib. 6. cap. 20. num. 6. Nauarrus in manuali cap. 27. num. 145. qui etiam addit quartum, nimirum, vt audientes sint, qui eas debent, vt apertè colligitur ex eodem textu. Ab Episcopo tamen potest fieri absolutio ab hac excomunicatione. est, & alia excomunicatio in Religiosos, vt habemus extra de pæ. capientes vbi Religiosi, qui scienter postposuerint confitentibus conscientiam facere de soluendis decimis Ecclesijs debitis, ab officio prædicationis tamdiu maneant ipso facto suspensi, donec confitentibus Ipsis (si hoc ipsum eis dicendi commodè facultatem habuerint) cõscientiam fecerint; excomunicationis incursuri sententiam ipso facto, si prædicare præsumpserint prædicta negligentia non purgata; vt incurratur hæc excomunicatio, quę etiam Episcopalis est, quinque adhuc requiruntur, vt obserua Caietanus verb. excom. cap. 66. quorum primum est, negligere facere conscientiam confitentibus sibi de soluendis Ecclesijs decimis. hæc tamen in curia debet interuenire scienter. secundum est negliere post prædictam negligentiam eisdem facere conscientiam de dicto debito, hoc tamen intelligi debet, si hoc ipsum scilicet eis dicendi com-

modè facultatem habuerint. tertium est. si durante hac secunda negligentia, quam comitatur suspensio ab offitio prædicationis, præsumerent prædicare. ex quo sequitur, quod si Religiosus confessarius negligens bis in facienda conscientia suis pænitentibus non prædicet, non incurrit hanc excomunicationem, pænæ enim non sunt extendendæ vltra casus suos. quartum est; quod non sit Religiosus Monasterij, qui accipit decimas. quintum est, quod ad hanc non est necesse præcedere requisitionem, quia id non colligitur ex littera, licet Siluester verb. excom. 9. q. 46. oppositum sentiat, sed melius dicit Caietanus, quem etiam sequitur Nauarrus in manuali cap. 27. num. 145.

Ex his patet vnde desumpserint, quæ docent Henriquez l b. 13. cap. 28. num. 1. lit. 7. Molina de iustitia tract. 2. d. 756. Sanchez in opere manuali lib. 2 c. 29. Rodriquez in summa p. p. cap. 87. Azorius lib. 1. cap. 37. quæsito. 9. Suarez de censuris disp. 31. sect. 6. num. 3.

Quæritur, an propter consuetudinem contrariam aliqui de obligentur à iure soluendi decimas.

4 Respondeo dicendum, quòd nulla consuetudo cõtraria soluit hominem ab obligatione reddendi decimas; quia hæc obligatio fundatur supra ius Diuinum, & supra ius naturale, vndè semper tenentur homines reddere decimas, si Ecclesia exigat, etiam contraria consuetudine nõ obstante, & in terris, in quibus est consuetudo, quod decimæ soluantur, ipsa consuetudo quasi expostulat decimas, vndè peccaret, qui non redderet; sed in terris, in quibus non est consuetudo communis, quòd decimæ dentur, & Ecclesia non petit, videtur Ecclesia remittere, dum dissimulat, & ideò homines in terris illis non peccant decimas non dando; durum enim esset dicere, quod omnes homines Italiæ, & Orientalium partium damnarentur, qui decimas non soluunt, & huiusmodi argumentũ possumus ab Apostolo accipere, cui cum deberentur necessaria victus ab his, quibus prædicabat, tamen non accipiebat, nec tamen peccabant, qui ei non dabant alioquin malè cum eis egisset non accipiendo præsertim cum ipse dicat actorum 20. nõ enim subterfugi quo minus anunciarem vobis omne consilium Dei, & ideò Apostolus nõ exigebat, quod sibi debebatur, ne daretur aliquod offendiculum Euangelio, vt ipse ibi dicit; vndè non benefacerent Rectores Ecclesiarum, si in terris illis decimas exigerent, in quibus non est consuetudo dari, si probabiliter crederent, quod ex hoc scandalum nasceretur. quodlibeto 2. artic. 8. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. nulla consuetudo cõtraria soluit hominem ab obligatione reddendi Decimas. probatur, quia hæc obligatio fundatur supra ius Diuinum, & supra ius naturale, vnde semper tenentur homines reddere decimas, si Ecclesia exigat, etiam contraria consuetudine non obstante. secunda conclusio. in Terris, in quibus est consuetudo, quod Decimæ soluantur, ipsa consuetudo quasi expostulat decimas, vnde peccaret, qui non redderet. hæc relinquitur, vt nota ex supradicta conclusione. tertia conclusio. In terris, in quibus non est consuetudo communis, quod decimæ dentur, & Ecclesia non petit, videtur Ecclesia remittere, dum dissimulat, & homines in terris illis non peccãt decimas non dando. probatur dupliciter, & primò quia durum esset dicere, quod omnes homines Italiæ, & orientalium partium damnarentur. qui decimas non soluunt. probatur secundò exẽplo eorum, quibus prædicabat D. Paulus, qui nõ soluebant decimas D. Paulo debitas, & tamen non peccabant, alioquin malè cum eis egisset nõ accipiendo. hinc elicit corrolarium, quod non benè facerent Rectores Ecclesiarum, si in terris illis decimas exigerent, in quibus non est consuetudo dari, si probabiliter crederent, quod ex hoc scandalum nasceretur.

Ex prima conclusione habemus benè dixisse Siluestrum contra Caietanum, & Toletum, quod nimirum sint soluendæ decimæ, licet non adsit consuetudo illas soluendi. quia Decimarum solutio fundatur super ius Diuinum, & naturale, quib derogare nunquã põt cõtraria consuetudo; nisi fortè intelligamus Caietanum in sexu tertiæ conclusionis, quando scilicet non est consuetudo communis soluendi Decimas, nec petuntur ab Ecclesia Decimæ, quia tunc Ecclesia videtur eas remittere, legatur Siluester verb. Decima. q. 4.

De quibus sint soluendæ Decimæ, Cap. II.

1 *De omnibus possessis ab homine sunt soluendæ Decimæ.*
§ *Illa, de quibus sint soluendæ decimæ, recensentur in spetie.*
Vnica decimanda est in vino, non in vua.
Non est decima soluenda ex pinguedine animalium, & quare.
Decimæ sunt soluendæ de annatis, legatis, & successione acquisitis.
2 *Decimæ sunt soluendæ de his, quæ quis acquirit ex mercatura, militia secundum consuetudinem tamen Patriæ, & ministrorum indigentium.*
§ *Sunt soluendæ decimæ personales.*
Iudæi, & cæteri infideles habitantes in terris Ecclesiæ subiectis tenentur ad Decimas, & quare.

- *Cui Ecclesiæ sint soluendæ istæ decimæ.*
3 *De furto ablatis non debent esse Decimæ.*
Decimæ debent dari de fructibus agrorum ex vsura emptorum.
Decimæ sunt soluendæ de lucro ex meretricio, & histrionatu prouenientе.
Ecclesia tamen non debet eas accipere, quam diu sunt in peccato.
5 *Illicitè acquisita sunt in duplici differentia, & quæ.*
Decimæ non sunt soluendæ de ijs illicitè acquisitis, quæ sunt restitutioni obnoxia.
De alijs illicitè acquisitis sunt soluendæ decimæ.
Quid circa hac facere debeat Ecclesia.
4 *Non tenetur quis soluere decimas pro ablatis, nisi sua culpa fuissent ablata.*
Ecclesia potest exigere decimas de frumento vendito non decimato, & à venditore, & ab emptore.
Si tamen vnus soluit, alius non tenetur.
Antequàm decimæ soluantur non debent subtrahi tributa, & mercedes operariorum.
Decimæ sunt soluendæ ex integris fructibus.
5 *De minutis rebus decimæ non sunt soluendæ, nisi in contrarium sit consuetudo.*
6 *Clerici tenentur soluere decimas de proprijs prædijs Ecclesiæ Parochiali.*
Prædia Ecclesiæ non sunt subiecta solutioni Decimarum.

Quæritur, de quibus sint soluendæ Decimæ.

1 RÉspondeo dicendum, quòd de vnaquaq; re præcipuè est iudicandum secundum eius radicem, radix autem solutionis decimarũ est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur carnalia secundum illud Apostoli primæ ad Corinth. 3. si nos vobis spiritualia seminauimus, non magnum est, si carnalia vestra metamus, super hoc enim debitum fundauit Ecclesia determinationẽ solutionis decimarum, omnia autem quæcunque homo possidet, sub carnalibus continentur, & ideò de omnibus possessis decimæ sunt soluendæ, 2.2.q.87.a.2. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Radix solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur carnalia, probatur ex D. Paulo, 1. ad Corinthios. 9. vt in littera. secunda conclusio. de omnibus posessis decimæ sunt soluendæ, probatur, quia omnia posessa ab homine sub carnalibus continentur, & Ecclesia fundauit determinationem solutionis super debitum, quo seminantibus spiritualia debentur dari carnalia.

Iam supra diximus Decimarum tres esse species, nempe prædialis, seu realis, & personalis, & mixta. prædialis est decima pars fructuum, quæ ex prædijs percipiuntur, vt vinum, oleum, triticum, olera, castaneæ, legumena, rapæ, poma, pira, lupini, caules, palea, & cætera huiusmodi nascentia ex terra, & arboribus. Personalis est decima pars fructuum prouenientium ex industria, & opera personæ, vt ex mercatura, venatione, piscatione, ex bello, ex ludo, ex scientia, militia, famulatu, & tandem ex omni alio hominis artificio. mixta est, quæ partim ex industria hominis, partim ex prædijs prouenit, vt sunt fætus animalium, qui partim ex pascuis, partim ex animalibus proueniunt, accedente hominis industria in illis alendis, & custodiendis, & conseruandis, lana, lac, caseus, quæ ex animalibus percipiuntur. mel, cera, quæ ex apibus colliguntur. lucrum, quod à Pistore percipitur ex furno. cum ergo omnia ista dicantur posessa ab homine, & sub carnalibus contineantur, decimas horum omnium debet soluere homo administrantibus spiritualia, puta decimam partem fructuum terræ, arborum, hortorum, animalium, piscationũ, venationum, fictuum, pensionum, molendinorum, etiam ad uentum, vt ait Siluester verb. Decima. q. 6. balneorum, fulloniorum, lapidicinarum, metalliorum; item negotiorum, artificiorum, & cæterorum bonorum, vt colligitur. 16. q. 1. & qu. 7. & de deci. in multis ca. si quis autem quærat, quomodo sit decimanda vinea; respondendum erit, vineam decimandam esse non in vua, sed in vino, ratio est, quia fructus vineę propriè consistunt in vino, vinea siquidem plãtatur, vt vinum producat. siquis iterum interroget, an decima sit soluenda ex pinguedine animalium, respondebitur, non deberi, quia pinguedo non est fructus, sed pars animalis, quod iam decimatum est, an autem sint soluendæ Decimæ de Donatis, legatis, & successione acquisitis, controuersia est inter Doctores, cum alij affirment, alij negent. Siluester autem verb. Decima, q. 6. ait, & optimè, in hoc standum esse consuetudini legum interpreti. sed cum D. Thomas asserat, decimas esse soluendas de omnibus, quæ homo possidet, etiam ista esse decimanda non dubito.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Azorius lib. 7. cap. 34. quæsit. 3. & cap. 35. quæsit. 9. Vasquez ca. 7. d. 6. Tuschus concl 63. Suarez cap. 30. Toletus lib. 6. cap. 20. n. 6. Lessius dub. 3. nu. 12. Reginaldus lib. 19. nu. 83.

Quæritur, an decimæ sint soluendæ de his, quæ aquirit proprio labore.

2 Respondeo dicendum, quòd quia populus nouæ legis est vbique per mundum diffusus, quorum plurimi possessiones non habent, sed de aliquibus negotijs viuunt, qui nihil conferrent ad subsidium ministrorum Dei, si de eorum negocijs decimas non soluerent; ministris etiam nouæ legis accessus interdicitur, ne se ingerant negocijs lucratiuis secundum illud secundæ ad Timotheum 2. nemo militans Deo implicat se sæcularibus negocijs, & ideò in

in noua lege tenentur homines ad decimas personales, quæ scilicet soluuntur de his, quæ aliquis acquirit ex proprio actu, puta de mercationibus, vel de militia secundum consuetudinem patriæ, & indigẽtiam ministrorum; vndè Augustinus dicit, & habetur. 16.q.1.c. Decimæ. De militia, de negocio, & artificio redde decimas. 2. 2. q.87.a.2. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. in noua lege tenentur homines ad decimas personales, quæ scilicet soluuntur de his, quæ aliquis acquirit ex proprio actu, puta de mercationibus, vel de militia secundum cõsuetudinem Patriæ, & indigentiam ministrorum. probatur primò auctoritate D. Augustini, vt in littera. secundò ratione, quia si de his non deberent solui decimæ, plurimi possessiones non habentes, sed de aliquibus tantum negotijs viuentes nihil conferrent ad subsidium Ministrorũ Dei, quibus interdicitur, ne se ingerant negotijs sæcularibus.

In superiori quæsito locutus est D. Thomas de solutione decimarum in genere, vt scilicet comprehenduntur omnes decimarum species, nunc descendit ad vnam speciem, quæ vocatur Personalis. quid autem sit Personalis decima, iam explicitum est. ad hanc soluendam populus nouæ legis tenetur, inquit D. Thomas; tenetur, inquã, populus nouæ legis, quia, vt notat Siluester verb. decima. q. 6. personales decimas Iudæi soluere non tenentur, cum nec sacramenta percipiant, nec audiant Diuina. Iudæos autem, & cæteros infideles habitantes in terris Ecclesiæ subiectis teneri ad soluendas decimas, ratio suadet, quia prædia transeunt cum onere, & decima soluenda est illi Ecclesiæ, cui prædia subiecta sunt, sic etiã decernitur cap. 4. de vsuris.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Tuschus concl. 80. Azorius p.p. lib. 7. cap. 35. quæsit. 2. Vasquez in opusculis de beneficijs ca. 1. parag. vnico. dub. 1. num. 39. Suarez cap. 26. num. 6. & alij.

Quæritur, an decima sint soluenda de malè acquisitis.

3 Respondeo dicendum, quòd quia aliqua malè acquiruntur dupliciter, vno modo quia ipsa aquisitio est iniusta, puta quia acquiruntur per rapinam, aut furtum, aut vsuram, & hæc homo tenetur restituere, nõ autẽ de eis decimas dare, tamen si aliquis ager sit emptus de vsura, de fructu eius tenetur vsurarius decimas dare, quia fructus illi non sunt ex vsura, sed ex Dei munere quædam verò dicuntur malè acquisita, quia acquiruntur ex turpi causa, sicut de meretricio, & histrionatu, & alijs huiusmodi, quæ non tenentur restituere; vndè de talibus tenentur decimas dare secundũ modum aliarum personalium decimarum, tamen Ecclesia nõ debet eas recipere quãdiu sunt in peccato, ne videatur eorum peccatis communicare, sed postquam pænituerint, possunt ab eis de illis recipi decimæ. 2.2.q.87.a.2. ad 2.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione iuxta duplex membrum distinctionis, quæ est. aliquid dupliciter malè acquiritur, vno modo, quia acquisitio est iniusta, vt per furtum &c. alio modo dicuntur malè acquisita, quia acquiruntur ex turpi causa, vt de meretricio &c. prima conclusio. tenetur homo malè acquisita in primò sensu restituere, non autem de his decimas dare; tamen si aliquis ager sit emptus de vsura, de fructu eius tenetur vsurarius decimas dare. hæc conclusio habet tres partes, quarum duæ primæ relinquuntur. vt notæ, tertia autem probatur, quia fructus illi nõ sunt ex vsura, sed ex Dei munere. secunda conclusio. de malè acquisitis in secundo sensu tenetur homo decimas dare secundum modum aliarum personalium Decimarum. hæc relinquitur, vt nota. hinc elicitur corrolarium, nempe, quod Ecclesia non debet eas recipere, quamdiu sunt in peccato, probatur, ne videatur eorum peccatis communicare, sed postquam pænituerint, possunt ab eis de illis recipi decimæ.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua, ꝙ illicitè acquisita sunt in duplici differentia, quædam sunt prædialia, vt sunt agri ex vsura empti, & de istis quilibet indistinctè quantumcumque peccator, & Iudæus tenetur decimas soluere, & Ecclesia recipere potest eas. ratio est, vt notat Siluester verb. decima. q. 6. quia non dantur intuitu personæ, sed quasi ex censu debito prædiorum. quædam autem sunt personalia, & de istis loquitur D. Thomas in textu, qui optimè distinguit, ꝙ decimæ non debet dari de illis malè acquisitis quę sũt restitutioni obnoxia, quia iustitia exigit, vt dentur illis, quorum sunt, nec decimæ debent solui de alienis. si autem huiusmodi acquisita illicitè non sint restitutione obnoxia, & aquirens est notorius peccator, de illis decimæ dari debent, sicut dantur de alijs personalibus, vt de militia, famulatu, & huiusmodi. Ecclesia tamen non deberet eas recipere, ne peccatum illorum videatur approbare, licet ipsi teneantur dare. dicet autem aliquis, cum isti teneantur dare decimas de huiusmodi malè acquisitis, & Ecclesia non debeat eas recipere, quid faciendũ est de his? respondetur, quod huiusmodi decimæ sunt distribuendæ in eleemosinas. si postea isti resipuerint, & pænituerint, tum Ecclesia poterit huiusmodi decimas recipere, imò & præteritas, si tamen illæ pauperibus elargitæ non fuerint. si postea peccatum sit occultum, secus est, quamuis Prælatus hoc sciret. art. 22.q.5. Christiana. 6.q.1. si omnia, tunc .n. Ecclesia potest illas recipere.

Quæritur, an pro furto ablatis, & de venditis non decimatis, & de his, quæ debent in tributum, & in mercedem operariorum dari, teneatur homo dare decimas.

4 Respondeo dicendum, quòd de his, quæ furto, vel rapina tolluntur, ille, à quo auferuntur, decimas soluere non tenetur, antequam recuperet, nisi fortè propter culpã, vel negligentiam suam damnũ incurrerit, quia ex hoc Ecclesia non debet damnificari; si verò vendat triticum non decimatũ potest Ecclesia decimas exigere, & ab emptore, quia habet rem Ecclesiæ debitã, & à venditore, quia quantum est de se Ecclesiã defraudauit, vno tamen soluente, alius nõ tenetur: debentur autem decimæ de fructibus terræ inquantum proueniunt ex Diuino munere, & ideò decimæ non cadunt sub tributo, nec etiam sunt obnoxiæ mercedi operariorum; & ideò non debent prius deduci tributa, & precium operariorum quam soluantur decimæ, sed ante omnia debent decimæ solui ex integris fructibus, 2.2.q.87.a.2.ad 4.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est, de his, quæ furto, vel rapina tolluntur, ille, à quo auferuntur, decimas soluere non tenetur, antequam recuperet, nisi propter culpam, vel negligentiam suam damnum incurrerit. probatur hæc vltima pars (relictis alijs, vt notis) quia ex hoc Ecclesia nõ debet damnificari. secunda conclusio. siquis vẽdat triticum non decimatum, potest Ecclesia decimas exigere, & ab emptore, & à venditore, probatur prima pars, quia emptor habet rem Ecclesiæ debitã. probatur secunda pars, quia, quantum est de se, Ecclesiam defraudauit. hinc elicitur corrolariũ, quod vno soluente, alius non tenetur. tertia conclusio. nõ debent prius deduci tributa, & precium operariorum, quam soluantur decimæ, sed ante omnia debent decimæ solui ex integris fructibus. probatur, quia debentur decimæ de fructibus terræ, inquantum proueniunt ex Diuino munere, & ideò decimæ non cadunt sub tributo, nec etiam sunt obnoxiæ mercedi operariorum.

In hac littera habes tres casus optimè resolutus. & circa tertium legæ, quæ notat Caietanus, 2.2. q. 87. ar. 2. ad 4.

Quæritur, an decimæ sint soluendæ de minutis rebus.

5 Respondeo dicendum, quòd de minutis rebus sicut sunt herbæ, quæ nascuntur in horto, & alia huiusmodi non tenentur homines decimas dare, nisi fortè propter consuetudinem Patriæ. 2. 2.q. 87.a.2. ad 3.

De minutis rebus non teneri homines decimas dare, nisi fortè propter consuetudinem Patriæ, docet D. Thomas hoc in loco.

Circa hanc doctrinam nota ex D. Thomas hoc in loco, quod ea, quæ ordinantur in finem, sunt iudicanda secundum quod competunt fini, decimarum autem solutio est debita nõ propter se, sed propter ministros, quorum honestati non conuenit, vt etiam minima exacta diligentia requirant, hoc enim in vitium computatur, vt patet per Phylosophũ in 4.eth. & ideò lex uetus nõ determinauit, vt de huiusmodi minutis rebus decimæ dentur, sed reliquit hoc arbitrio dare volentium, quia minima quasi nihil computantur, vnde & nunc de huiusmodi minutis rebus non tenentur homines decimas dare, sicut de herbis, quæ nascuntur in horto, & huiusmodi, si tamen adesset consuetudo circa solutionem horũ minutorum, seruanda erit.

Quæritur, de quibus bonis teneantur Clerici decimas soluere.

6 Respondeo dicendum, quòd Clerici de proprijs prædijs tenentur soluere decimas Parochiali Ecclesiæ, sicut, & alij, etiam si ipsi sint eiusdẽ Ecclesiæ Clerici, *quia aliud* est habere aliquid, vt proprium, aliud, vt commune, prædia vero Ecclesię nõ sunt ad decimas soluendas oblata, etiam si sint infra terminos alterius Parochiæ. 2. 2. q. 87. a.4. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, Clerici de proprijs prædijs tenentur soluere decimas Parochiali Ecclesiæ, sicut & alij, etiam si ipsi sint eiusdem Ecclesiæ Clerici. probatur secũda pars, prima relicta vt nota, quia aliud est habere aliquid vt proprium, aliud vt commune. hinc elicit corrolarium, nempe quod prædia Ecclesiæ non sunt ad decimas soluendas obligata, etiam si sint infra terminus alterius Parochiæ.

Summa huius doctrinæ est, quod Clerici debent soluere decimas de prædijs non Ecclesiasticis, non autem de Ecclesiasticis. circa hanc doctrinam mouet, & soluit duo dubia Caietanus, tu lector lege illum.

Qui teneantur soluere Decimas.

Cap. III.

1 *Clerici de bonis Ecclesiæ non tenentur soluere decimas.*

Clerici de bonis paternis, & acquisitis tenentur soluere decimas.

2 *Religiosi habentes curam animarum non tenentur soluere decimas, possunt tamen eas recipere.*

Religiosi alij debent decimas soluere.

Habent tamen isti multas immunitates ab Apostolica Sede.

5 *Priuilegium non liberat Religiosos à solutione decimarum in tribus casibus. & quibus.*
3 *Pauper tenetur soluere decimas Sacerdoti etiam diuiti.*
5 *Ad quid pauper dare debet decimas Clerico Diuiti.*
Decimæ sunt soluendæ Clerico iniquo.
4 *A quibus terris Ecclesia non debeat exigere decimas.*
5 *Illi non tenentur soluere decimas, qui non habent consuetudinem, vel aliam causam non soluendi eas.*
Illi non sunt in statu damnationis, nisi fortè habeant animum obstinatum de non soluendo decimas, si ab eis peterentur.

Quæritur, an Clerici teneantur ad soluendas decimas.

1 RESpondeo dicendum, quòd Clericis inquantum sunt ministri Altaris spiritualia populo seminantes decimæ à fidelibus debentur; vndè tales Clerici, inquantum Clerici sunt idest inquantum habent Ecclesiasticas possessiones, decimas soluere non tenentur, ex alia vero causa, scilicet propter hoc, quod possident proprio iure, vel successione parentum, vel ex emptione, vel quocumq; huiusmodi modo, sunt ad decimas soluendas obligati. 2.2.q.87.a.4. in corp.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Clerici, inquantum Clerici sunt, idest inquantum habent Ecclesiasticas possessiones, decimas soluere non tenentur. probatur, quia Clericis, inquantum sunt ministri Altaris spiritualia populo seminantes, decimæ à fidelibus debentur: secunda conclusio. Clerici ex alia causa, scilicet propter hoc quod possidet proprio iure, vel successione Parentum, vel ex emptione, vel quocunque huiusmodi modo, sunt ad decimas soluendas obligati. hæc relinquitur vt nota ex dictis.

Ad explicandum hanc doctrinam nota ex D. Thoma in hoc loco, quod idem non potest esse causa dandi, & recipiendi, sicut nec causa agendi, & patiendi. contingit autem ex diuersis causis, & respectu diuersorum eumdem esse dantem, & recipientem, sicut agentem, & patientem. cũ ergo idem non possit esse dans, atque recipiens secundum eãdem causam; & Clericis vt Clericis decimæ debeantur, hinc sequitur Clericos, vt Clerici sunt, non teneri ad solutionem decimarum. rursus sequitur, Clericos, secundum quod possident proprio iure &c. teneri ad solutionem decimarum. dicamus summatim, Clericos vt Clerici, & possidentes bona Ecclesiastica sunt, nõ teneri ad solutionem decimarum, quia idem non potest esse dans, & recipiens secundum eamdem causam; Clericos autem, vt possidentes proprio iure sunt, teneri ad solutionem decimarum, quia contingit ex diuersis causis, & respectu diuersorum eumdem esse dantem, atque recipientem, vnde Clerici, vt Clerici recipiunt decimas, & vt possidentes iure proprio dabunt decimas. aduerte vlterius, Clericos teneri ad solutionem decimarum de eo, quod percipi potest ex patrimonio, ad cuius titulum promoti sunt, quia Ecclesia non debet defraudari ne sibi debita ob susceptionem ordinis sacri. præterea res transit cum suo onere.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Riccius in praxi decis. 605. Moneta cap. 5. Molfesius num. 39. & alij.

Quæritur, an Religiosi teneantur decimas soluere.

2 Respondeo dicendum, quòd Religiosi, qui sunt Clerici, si habeant curam animarũ spiritualia populo dispensantes nõ tenentur decimas dare, sed possunt eas recipere: de alijs vero Religiosis, etiam si sint Clerici, qui non dispensant populo spiritualia, est alia ratio, ipsi enim tenentur de iure communi decimas dare; habent tamẽ aliquam immunitatem secundum diuersas concessiones eis à Sede Apostolica factas. 2.2.q.87.a.4. ad 2.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Religiosi Clerici, si habent curam animarum spiritualia populo dispensantes nõ tenentur decimas dare, sed possunt eas recipere. secunda Conclusio. de alijs Religiosis, etiam si sint Clerici, qui non dispensant populo spiritualia, est alia ratio. ipsi enim tenentur de iure communi decimas dare. tertia conclusio. habent tamen aliquam immunitatem secundum diuersas concessiones à Sede Apostolica factas.

Secundam, & tertiam cõclusionem docet Siluester verb. decima. q. 7. vbi habet, Religiosos teneri ad solutionem decimarum, nisi sint exempti priuilegio, de quo in c. suggestum, de deci. & in multis sequentibus, qui etiam obseruat, quod priuilegium non liberat Religiosos à solutione decimarum in tribus casibus, quorum primus est, cum tenentur pactione, quia priuilegium nõ reuocat pactum præcedens, nisi de eo fiat mentio spetialis in eo. de deci. ex multiplici. secundus est, cum enormiter læditur Parochialis Ecclesia; cui debebantur. ar. d. c. suggestum. tertius est, cum eas soluendo renunciatur priuilegio tacitè. hæc autem uera sunt de decimis prædialibus, quia si postea loquamur de decimis personalibus, clarum est, Religiosos non teneri ad earum solutionem, cum viuunt in communi, vt idem Siluester loco citato notat.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Suarez lib. 1. cap. 17. Reginaldus cap. 19. num. 88. & 93. Vasquez in opusculis de beneficijs ca. 1. §. vnico. dub. 8. n. 37. Valentia tom. 3. disp. 6. quæst. 5. p. 5. & alij.

Quæri-

Quæritur, an pauper teneatur decimas soluere Sacerdoti Diuiti.

3 Respondeo dicendum, quòd cum Sacerdotibus decimæ debeantur, tùm de iure naturali, tùm de iure Diuino, tùm etiam ex statuto Ecclesiæ, quamuis Sacerdos sit Diues, nihilominus pauper tenetur ei decimas soluere. quodlibeto. 6. artic. 10. in corp. (2.2.q.87.a.4. ad 4.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cōclusione tali. quamuis Sacerdos sit diues nihilominus pauper tenetur ei decimas soluere. probatur, quia Sacerdotibus decimæ debētur de iure naturali, Diuino, & Ecclesiastico.

Cum decimæ debeantur Clericis ob laborem, quem in vtilitatem populi impendunt, non autē ob ipsorum inopiam, diuiti proculdubio sunt ēt soluendæ decimæ à paupere.

Contra hanc doctrinam posset aliquis arguere, cum decimæ debeant cædere in subuentionē pauperū, ad quid pauper decimas persoluit Clerico diuiti? potius ergo pauper decimas accipere deberet, vel saltem melius pauperem eximere à tali decimarum solutione. Respondebimus cum S. Thoma. 2.2.q.87.a. 4. ad 4 quod licet decimæ debeant cædere in subuentionem pauperum, hęc tamen subuentio debet fieri per dispensationem Clericorum, ideò pauperes non habent causam accipiendi decimas, sed tenebūtur eas dare Clericis, etiam diuitibus; immò & iniquis, qui scilicet ab vtuntur eis, quia & Christus iussit reddi tributum Imperatori infideli, & decimas improbis Iudæorum Sacerdotibus, vt docet D. Hieronimus in cap. 23 Mathei.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Reginaldus lib. 19. num. 90. Moneta cap. 9. num. 32. & 33. & alij.

Quæritur, à quibus terris Ecclesia non exigat decimas.

4 Respondeo dicendum, quòd Ecclesia abstinet à decimis exigendis in terris, in quibus nō est consuetum decimas soluere. 2.2.q.43.a.8. ad 5.

Ecclesiam abstinere à decimis exigendis in terris, in quibus non est consuetum decimas soluere, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Hoc facit ad euitandum scandalum exemplo D. Pauli, qui seminans spiritualia non accepit temporalia stipendia, ne offendiculum daret Euangelio Christi, vt patet 1. ad Corinth. 9. hoc tamen scandalum, quod vitabat Apostolus, procedebat, vt docet D. Thomas 2. 2.q.43. a.8. ad 5. ex ignorantia consulum, qui hoc non consueuerant, & ideò ad tempus abstinendum erat, vt prius instruerentur hoc esse debitum; simili etiā causa abstinet à decimis exigendis Ecclesia in terris, in quibus non est cousuetum decimas soluere & aduerte, quod scandalum istud erat pusillorum, non autem Pharisæorum, scandalum enim pharisæorum semper est contemnendum, non sic autem scandalum pusillorum.

Quæritur, an possint exigi decimę in locis, vbi est consuetudo, vel alia causa eas non soluendi.

5 Respondeo dicendum, quòd laudabiliter ministri Ecclesiæ decimas Ecclesiæ nō requirunt, vbi sine scandalo requiri non possent propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam, nec tamen sunt in statu damnationis, qui non soluunt in locis illis, in quibus Ecclesia non petit, nisi fortè propter obstinationem animi habentes voluntatem non soluendi etiam si ab eis peterentur, 2. 2. q. 87.a.1. ad 5. (quodlibeto. 2.a.8. in corp. (quodlibeto 6.a. 10. ad 2. (2.2.q.43.a.8. ad 5.

Conclusione duplici respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. laudabiliter ministri Ecclesiæ decimas Ecclesiæ non requirunt, vbi sine scandalo requiri non possent propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam. secunda conclusio. non sunt tamen in statu damnationis, qui non soluunt in locis illis in quibus Ecclesia non petit, nisi fortè propter obstinationem animi, habentes voluntatem non soluendi, etiam si ab eis peterentur.

Ad horum explicationem obserua ex D. Thoma hoc in loco, quod ministri Ecclesiæ maiorem curam debent habere spiritualium bonorum in populo promouendorum, quam temporalium colligendorum exemplo D. Pauli, qui noluit vti potestate sibi à Domino tradita, vt scilicet acciperet stipendia victus ab his, quibus Euāgelium prædicabat, ne daretur aliquod impedimentum Euangelio Christi: subiungit tamen D. Thomas, quod non peccabant illi, qui ei non subueniebant, alioquin Apostolus eos corrigere non omisisset. ita laudabiliter ministri Ecclesiæ decimas Ecclesiæ non requirunt, vbi sine scandalo, scilicet pusillorum, non autem pharisæorum, requiri nō possent propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam. non peccant tamen non soluentes decimas in illis locis, in quibus Ecclesia non petit, quia non petendo videtur Ecclesia remittere, dum dissimulat, vt ait idem D. Thomas quodlib. 2.a. 8. possent tamen peccare, si haberent voluntatem non soluendi, etiam si ab eis peterentur.

Quibus sint soluendæ Decimæ.

Cap. IV.

1 *In decimis duo considerantur, scilicet ius percipiendi decimas, & res ipsa.*

Ius percipiendi decimas solis Clericis competit.

Res ipsæ possunt etiam ad laicos peruenire.

§ Qua

§ *Quę requirantur ad ius decimarum habendum.*
2 *Decimæ non sunt superflua Clericis, quamuis habeant possessiones Ecclesiasticas, oblationes primitias.*
§ *Quid sint primitię, earumq; diffinitio explicatur.*
Quid sint oblationes.
Per quid oblationes distinguantur à primitijs, & decimis.
Tria requiruntur ad oblationes, & quę.
3 *Summo Pontifici exigenti sunt soluendæ decimæ à Clericis.*
4 *Decimæ personales, quibus debeantur.*
Decimæ prædiales quibus solui debeant.
Pastor, qui diuersis temporibus in duabus Ecclesijs gregem pascit, cui soluere debeat decimas.
§ *Reges, Principes decimas personales debent soluere Episcopo principalis sui domicilij.*
Si habent domicilium in duobus Diocesibus, diuidentur inter illas.
Quomodo intelligatur, quod decimę prędiales pertineant magis ad Ecclesiam, in cuius terminis prædia sita sunt.
Si animalia continuò pascantur in Parochia domini sui, debentur illi Ecclesię.
5 *Decimæ ab Ecclesia possunt dari laico in feudum, & Religiosi in subuentionem pauperum.*
6 *Ius exigendi decimas non potest dari laicis sed tantum Clericis.*
Aliquando est concessus fructus decimarum laicis.
Ex auctoritate Episcopi potest redimi fructus decimarum à laicis.
Vna Ecclesia non potest emere ab alia ius percipiendi decimas.
§ *Ius decimale potest cadere in laicum auctoritate Papæ.*
Nullus contractus potest iniri cum laico, per quē dominium vtile, vel directum transferatur in illum, & quare.
Vna Ecclesia non debet decimas alteri Ecclesię debitas in pignus, vel aliter recipere.
Potest tamen debitas sibi decimas in pignus accipere.
Tunc non tenetur fructus computare in sortem.

Quæritur, an decimæ sint Clericis soluendæ.

1 Respondeo dicendum, quòd circa decimas duo sunt consideranda, scilicet illum ius accipiendi decimas, & ipsæ res, quæ nomine decimæ dantur; ius autem accipiendi decimas spirituale est, consequitur enim illud debitum, quo ministris Altaris debentur sumptus de ministerio, & quo seminantibus spiritualia debentur temporalia, quod ad solos Clericos pertinet habentes curam animarum; & ideò eis solum competit hoc ius habere: res autem, quæ nomine decimarum dantur, corporales sunt; vndè possunt in vsum quorumlibet cædere, & sic possunt et ad laicos peruenire. 2. 2. q. 87. a. 3. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione iuxta duplex membrum distinctionis, quæ est. circa decimas duo sunt consideranda, scilicet ipsum ius accipiendi decimas, & ipsæ res, quæ nomine decimæ dantur. prima conclusio. Clericis habentibus curam animarum solum competit habere ius decimas recipiendi. probatur, quia ius accipiendi decimas est spirituale consequens debitum, quo ministris Altaris debentur sumptus de ministerio, & quo seminantibus spiritualia debentur tēporalia, huiusmodi autem seminantes spiritualia sunt solum habentes curam animarum. secunda conclusio, res, quæ decimæ dicuntur possunt in vsum quorumlibet, & sic possunt etiam ad laicos peruenire. probatur, quia res, quæ nomine decimarum dantur, sunt corporales.

Ad explicationem huius litteræ obseruandum est ex Caietano super hunc locum, quod ius decimarum consequitur ministerium Altaris, & seminationem spiritualium non separatim, sed simul, & vtrumque debent habere per se Clerici, itaquod licet aliqui sint ministri Altaris, vt multi Religiosi, & sæculares Clerici, non propterea debentur eis decimæ à populo, quia non seminant spiritualia. rursus licet aliqui prædicent, & ministrent populo Sacramenta, non propterea debent eis decimæ. prætereà licet aliqui faciant vtrumq; per accidens, vt plurimi Religiosi ex priuilegio, non propterea debentur eis decimæ, sed oportet, quod vtrumq; habeant per se, id est, quod teneantur ad Altaris ministerium pro populo, quod solis Clericis Ecclesiarum curatarum conuenit, reliqui enim per accidens pro populo ministrant Altari, & quod ex offitio teneantur seminare spiritualia Sacramenta, & doctrinam populo, quod solis habentibus animarum curam competit. de iure ergo solis Clericis habentibus curā animarū decimæ debentur, cæteris autem ratione ipsorū debentur, vt Canonicis Ecclesiarum Catedralium, & similibus.

Quæritur, an decimæ sint Clericis superflua.

2 Respondeo dicendum, quòd in noua lege decimæ dantur Clericis non solum propter sui sustentationem, sed etiam, vt ex eis subueniant pauperibus; & ideò non superfluunt, sed adhuc necessariæ sunt possessiones Ecclesiasticæ, & oblationes, & primitiæ simul cum decimis. 2. 2. q. 87. a. 3. ad 1. (quodlibeto. 6. a. 10. ad 1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. non superfluunt Clericis, sed adhuc necessariæ sunt possessiones Ecclesiasticæ, & oblationes, & primitiæ cum Diuinis. probatur, quia in noua lege decimæ dantur Clericis nō solum propter sui sustentationem sed etiam, vt ex eis subueniant pauperibus.

Vt explicetur conclusio, nota, quod primitiæ sunt prima pars frugum, siue fructuum Domino offerenda, quam diffinitionem sic explicat Siluester

ster verb. decima in principio. prima idest præcipua; Domino, idest Diuino cultui. itaquod primitiæ sunt præcipua pars fructuũ Diuino cultui offerenda. dicuntur autem primitiæ in numero plurali propter fructuum varietatem oblationes sunt omne Deo oblatum immediatè, licet consequenter cædat in vsum ministrorum, vt sunt candelæ, panes oblati in Altari, pecuniæ, ornamenta, & huiusmodi, vnde à primitijs oblationes distinguuntur, sicut genus à spetie, omnis enim primitia est oblatio, non è conuerso, cum oblatio sit etiam de non fructibus; & à Decimis distinguuntur oblationes, quod oblationes Deo immediatè offeruntur, idest ad cultum Dei, decimæ vero non offeruntur immediatè Deo, sed ministris eius, scilicet sustentandis, & dispensaturis. Tria autem requiruntur ad oblationes, primò vt offerens sit Christianus, Ecclesia enim nõ recipit oblationes ab infidelibus. secundò vt is, cui offertur, sit Ecclesia, quia quod fit priuatæ personæ, non est oblatio, sed donatio. tertiò vt res data sit licitè acquisita, idest non acquisita contra iustitiam, vt per furtum, nec acquisita mediante aliquo peccato, vt per meretricium, ista enim pro oblatione non accipiuntur. verum de his suo loco dicetur. Clerici ergo vltra decimas possunt habere possessiones, oblationes, & primitias, nec reputabuntur superfluæ, quia eis dantur non solum ad suam sustentationem, sed etiam vt ex eis subueniãt pauperibus, pro quo nota. quod in veteri lege, vt legitur Deut. 14. quædam decimæ speciales deputabãtur subuentioni pauperũ, nunc autem in noua lege dantur decimæ Clericis, vt ex eis subueniant pauperibus præter sustentationẽ propriam, ideò superfluæ nullo modo credendæ sunt, immò simul cum eis sunt necessariæ etiam possessiones, oblationes, & primitiæ, quod enim superest, date eleemosinam, ait Christus. Lucæ. 11.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt quæ docent Reginaldus lib. 19. nu. 85. & 86. Azorius p. p lib. 7. cap. 38. quæsit. 6. & 9. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. c. 3. & 5. a. 2. & cap. 8. & alij.

Quæritur, an Clerici teneantur dare decimas Summo Pontifici eas petenti.

3 Respondeo dicendum, quòd tenentur Clerici Summo Pontifici decimam dare, si exigeret: naturalis enim ratio dictat, quòd illis, qui habent curam animarum, de communi multitudinis statu prouideatur, vndè possint exequi ea, quæ pertinent ad communem salutem. 2. 2. q. 87. a. 4. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. tenentur Clerici Summo Pontifici decimam dare, si exigeret. probatur, quia naturalis ratio dictat, quod illis, qui habent curam animarum, de communi multitudinis statu prouideatur, vnde possint exequi ea, quæ pertinent ad communem salutem.

Hic obserua ex D. Thoma hoc in loco, quod sicut in veteri lege primitiæ debebantur Sacerdotibus, decimæ autem leuitis, & quia sub Sacerdotibus leuitæ erant, Dominus mandauit, vt ipsi loco primitiarum soluerẽt Summo Sacerdoti decimam decimæ, ita nunc eadem ratione tenentur Clerici Summo Pontifici decimam dare, si exigeret. tenebuntur ergo Clerici habere semper hunc bonum animum dandi decimas Papæ, si illas exigeret.

Quæritur, quibus sint soluendæ diuersæ decimæ.

4 Respondeo dicẽdum, quòd decimæ personales debentur Ecclesiæ, in cuius Parochia homo habitat, Decimæ verò prædiales rationabiliter magis videntur pertinere ad Ecclesiam, in cuius terminis prædia sita sunt; tamen iura determinãt, quòd in hoc seruetur consuetudo diu obtenta. Pastor autem, qui diuersis temporibus in duabus Parochijs gregem pascit, debet proportionabiliter vtrique Ecclesiæ Decimas soluere, & quia ex pascuis *fructus* gregis proueniunt, magis debetur decima gregis Ecclesiæ, in cuius territorio grex pascitur, quàm illi, in cuius territorio ouile locatur. 2. 2. q. 87. a. 3. ad 2.

Quadruplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. decimæ personales debentur Ecclesiæ, in cuius Parochia homo habitat. secunda conclusio. decimæ Prædiales rationabiliter magis videntur pertinere ad Ecclesiam, in cuius terminis prædia sita sunt. Iura tamen determinant, quod in hoc seruetur consuetudo diu obtenta. tertia conclusio. Pastor, qui diuersis temporibus in duabus Parochijs gregem pascit, debet proportionabiliter vtriq; Ecclesiæ decimas soluere. quarta conclusio. magis debetur decima gregis Ecclesiæ, in cuius territorio grex pascitur, quam illi, in cuius territorio ouile locatur. probatur, quia ex pascuis fructus gregis proueniunt.

Hoc in loco S. Doctor de tribus decimarum speciebus, quibus sint dandæ, agit. & primò de personalibus, quas asserit deberi Ecclesiæ, in cui' Parochia homo habitat, idest debent dari Ecclesiæ Parochiali, siue Baptismali, in qua scilicet quis Diuina audit, & suscepit Baptismum, & recipit alia sacramenta, non autem Ecclesiæ, in qua colit agros. 16. q. 1. & 13. q. 1. parag. 1. nisi tamen aliud obtineat consuetudo. extra, de deci. ad Apostolicæ; vel nisi præscriptæ sint, quæ tamen præscriptio per laicũ fieri non potest, vt notat Silueſter verb. decima. q. 8. qui etiam docet, quod Reges, & Principes decimas personales soluent Episcopo principalis sui domicilij; & si in duabus Diocæsibus habent domicilium, diuidentur inter illas, loquens autem de prædialibus decimis

mis ait, eas magis pertinere ad Ecclesiam, in cuius terminis prædia sita sunt, vt de Parro. c. vlti. de deci. quoniam. 16. q. 1. si quis laicus. hoc tamen debere intelligi deductis expensis notat Siluester loco citato, vt si res, puta arbor incisa ad locum, vbi plus valet, transferatur. subiungit D. Thomas, quod iura determinant, quod in hoc seruetur consuetudo diu obtéta, vt extra c. commissum; & c. ad Apostolicæ. vera sunt etiam supradicta, nisi præscriptæ sint, vt loco citato notat idem Siluester ex D. Thoma. loquitur tertio loco de decimis mensis in illis verbis, Pastor autem &c. quando ergo Pastor diuersis temporibus in duabus Parochijs gregem pascit, debet proportionabiliter vtrique Ecclesię decimas soluere. ex quo sequitur, quod si animalia continuè pascantur in Parochia Domini sui, debentur illi Ecclesiæ. quia autem fructus gregis, vt fætus, lac, lana ex pascuis proueniũt, ideò decima gregis magis etiam debetur Ecclesiæ, in cuius territorio grex pascitur, quam illi, in cuius territorio ouile locatur, si contingat, quod habeat ouile in vna Parochia, & oues pascat in alia. legatur Siluester verb. decima. q. 8. per totam.

Quæritur, an decimæ possint dari in feudum.

5 Respondeo dicendum, quòd sicut res Decimæ nomine acceptas potest Ecclesia alicui laico tradere, ita etiam potest ei concedere, vt dandas decimas ipsi accipiant, iure accipiendi ministris Ecclesiæ reseruato, siue pro necessitate Ecclesiæ, sicut quibusdam militibus decimę debentur in feudum per Ecclesiam concessæ, siue etiam ad subuentionem pauperum, sicut quibusdam Religiosis laicis, vel non habentibus curam animarum aliquę decimę sunt concessæ per modum eleemosinæ; quibusdam tamē Religiosis competit habere decimas ex eo, quòd habent curam animarum. 2. 2. q. 87. a. 3. ad 3. (q. 100. a. 4. ad 3.

Cõclusione duplici respondet D. Thomas huic quęsito, quarum prima est. sicut res decimæ nomine acceptas potest Ecclesia alicui laico tradere. ita etiam potest ei concedere, vt dandas decimas ipsi accipiant, iure accipiendi ministris Ecclesiæ reseruato, siue pro necessitate Ecclesię, sicut quibusdam militibus decimæ debentur in feudum per Ecclesiam cõcessæ, siue etiam ad subuentionem pauperum, sicut quibusdam Religiosis laicis, vel non habentibus curam animarum aliquæ decimæ sunt concessæ per modum eleemosinæ. secunda conclusio. quibusdam tamen Religiosis competit habere decimas. probatur ex eo quod habent curam animarum.

Supra diximus cum S. Thoma in decimis duo considerari, scilicet ius accipiendi decimas, & res ipsas, quæ decimæ nomine dantur. primum est quid spirituale, secundum autem est temporale. Ius spirituale accipiendi decimas non cõceditur laicis, hoc enim sibi reseruat Ecclesia, vt potè spirituale, sed tantum conceduntur res temporales, quæ nomine decimæ dantur de decimis, quæ in feudum conceduntur, vel concessæ sunt, legatur Siluester verb. decima. q. 10. vers. secundum.

Quæritur, an decimæ possint vendi, & emi.

6 Respondeo dicendum, quòd ius percipiendi decimas sequitur spirituale officiũ, quia debetur ministris Ecclesiæ, nec laici possunt habere huiusmodi ius, quamuis aliquando ad tempus fructus decimarum laicis concessus sit propter aliquam Ecclesiæ necessitatem, & tunc hoc modo, quo laicis dari potest, ab eis redimi potest ex auctoritate Episcopi; tamen vna Ecclesia non potest ab alia emere ius percipiendi decimas. 4. sent. d. 25. quæst. 3. artic. 2. quæstiunc. 3. ad 4.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. laici non possunt habere ius percipiendi decimas, quamuis aliquando ad tempus fructus decimarũ laicis concessus sit propter aliquam Ecclesiæ necessitatem. hæc conclusio habet duas partes, & probatur, quo ad primum, quia ius percipiendi decimas sequitur spirituale officium, quia debetur ministris Ecclesiæ. secunda pars relinquitur vt nota. hinc elicitur corrolarium, quod tunc hoc modo quo laicis dari potest, ab eis redimi potest ex auctoritate Episcopi. secunda conclusio. vna Ecclesia non potest ab alia emere ius percipiēdi decimas. hęc relinquitur vt nota.

Pro explicatione huius doctrinæ recolenda iterum est illa distinctio, quod in Decimis duo considerantur, nempe ius percipiendi decimas, & res ipsæ, quæ decimæ nomine dantur. ius ergo decimale nullo modo potest cadere in laicum, cum sit spirituale, nisi fortè auctoritate Summi Pontificis, vt notat Siluester verb. decima. q. 10. qui etiam obseruat, quod nullus contractus potest iniri cum laico, per quem dominium vtile, vel directum transferatur in illum, quia videtur alienatio quædam, vt probatur per text. cum glos. in cle. 1. de rebus Ecclesiæ non alie. licet possit fieri concessio fructuum ad tempus, quæ concessio non censetur alienatio, & hoc ex causa, propter aliquam scilicet Ecclesiæ necessitatem. & cum auctoritate Prælati secundum glo. in c. quamuis. & tunc hoc modo, quo laicis dari potest, ab eis redimi potest ex auctoritate Episcopi, quia cuilibet licitum est redimere ius suum. Ecclesia tamē vna nõ potest ab alia emere ius percipiendi decimas, quia simonia esset, emeretur enim spirituale, sicut non debet decimas alteri Ecclesiæ debitas in pignus, vel aliter accipere, vt notat Siluester verb. decima q. 10. licet possit debitas sibi decimas in pignus accipere, nec tunc fructus te-

netur computare in sortem. legatur Siluester loco citato.

DEFFENDERE.

Quęritur, an liceat se deffendere.

1 Respondeo dicendum, quòd est specialis inclinatio naturæ ad remouendum documẽta; vndè, & animalibus datur vis irascibilis separatim à vi concupiscibili: repellit autem homo nocumenta per hoc, quòd se deffendit contra iniurias, ne ei inferantur. 2. 2. quæst. 108. art. 2. in corp.

Licere homini se deffendere contra iniurias, ne ei inferantur, ostendit D. Thomas in hoc quæsito, quia specialis inclinatio naturæ est ad remouendum nocumenta, homo autem repellit nocumenta se deffendendo contra iniurias, ne ei inferantur.

Circa hanc litteram obserua ex Caietano in summula verb. defensio. quod defensio manualis illicita redditur dupliciter, primò ex intentione, scilicet si intentio lædendi inuasorem sit, defensio enim debet esse suo fine contenta, vt scilicet deffendat, & Læsio debet esse præter intentionem deffendentis, itaquod sequatur ex necessaria deffensione, vt scilicet non possit quis se aliter deffendere, nisi lædendo inuasorem. hinc elicit Caietanus, quod potens aliter se deffendere, quam per Læsionem inuasoris, peccat mortaliter, si lædit ipsum. hinc sequitur secundum, quo redditur illicita manualis deffensio, scilicet immoderemen tutelæ, & intelligitur de immoderamine ex proposito, qui enim putat moderatè deffendere, & præter propositum non aduertendo aliqualiter excedit, aut non peccat, aut leuiter, quia humana actio in exercitatione exteriori accensa non omnimodè subditur mensuræ.

Quęritur, an occidens aliquem se deffendendo peccet.

2 Respondeo dicendum, quòd ille, qui se deffendit in aliquo casu, non peccat homicidium committendo. 4. senten. d. 25. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. ad 3.

Illum non peccare, qui se deffendendo homicidium cõmittit, docet D. Thomas in hoc quęsito.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua, quod adhoc, vt non peccet, qui se deffendendo homicidium committit, debet adesse moderamen inculpatæ tutelæ, quod profectò tunc est, quando aliter non potest se deffendere quis, nisi occidendo inuasorem, si enim adesset aliqua via euadendi à morte inuasoris, illa esset tenenda, si autem non possit aliter tueri vitam propriam, quam per occisionem inuasoris, tunc potest illum licitè occidere, nec peccabit, iure enim naturali licet vnicuiq; vim illatam propulsare, quod tamẽ intellige, quando non ex odio, aut vindicta occidit, sed vt se ipsum deffendat, & vitæ propriæ consulat, nec talis occisor erit irregularis, vt habemus ex Clem. c. si furiosus, de hom. vbi occidens, aut mutilans suum inuasorem aliter mortem vitare non valens ab omni irregularitate est immunis. & licet D. Thomas. 4. sent. d. 25. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3. asserat cum alijs antiquis scriptoribus huiusmodi inuasoris occisorem esse irregularem, D. Thomam tamen asserimus locutum fuisse secundũ ius antiquum, olim enim qui occidebat, etiam ad iustam sui deffensionem, non erat ab irregularitate immunis, non quidem ex delicto, sed ex defectu, vt etiam Innocentius docet c. ad audientiam, de homicid. & cap. 2. de Cler. pug. in duel. sed postea facta est Clem. c. si furio-

furiosus, vbi oppositum decernitur. nec valet obiectio cuiusdam score blaterantis contra D. Thomam. nempe ex hoc sequi aliquam decisionē in S. Doctorem. quia decisio est contra ius antiquum, quod erat in obseruantia tempore S. Doctoris, & sequebantur omnes antiqui Doctores. & aduerte, quod nedum laicis licet occidere inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, sed etiam personis Ecclesiasticis absq; hoc, quod incurrant peccatum, & irregularitatem, vt docet Panormitanus c. si aliquis, homicid. & communiter omnes, & habetur ex ca. significasti, de homicid. nec in hoc audienda est glosa can. de occidendis. 23. q. 5. dicens, Clericum debere permittere potius se occidi, quam occidere; falsissima est, & contra ius naturale, quod commune est etiam personis Ecclesiasticis, nec potest tolli per ius positiuum. huic tamen doctrinæ contrariatur can. de his. dist. 30. vbi videtur puniri Clericus, qui ad sui deffensionem occidit Paganum, sed respondetur ex D. Thoma, illum canonem loqui de punitione per irregularitatem, quæ tunc cōtrahebatur, sed nunc per ius nouum ablata est talis irregularitas. respondent alij, quod canon ille loquitur de eo, qui occidit sine moderamine inculpatæ tutelæ. Pro horum maiori explicatione nota, quod nomine inuasoris censendus est ille, qui cum armis contra nos insurgit, nec expectandus est, vt incipiat vulnerare, sed satis est, si venientem, & irruentem videamus, nec aliter euadere possimus, & si videamus venientem cū gladio contra nos: immò aliqui asserunt, solum strepitū armorum facere iustum metum ad effectum deffensionis, quod intellige, si talia sint arma, ex quibus periculum vitæ immineat probabiliter, nisi occidendo, aut mutilando se deffendat. rursus vt dicatur quis inuasor, requiritur, vt non prouocatus prior in alterum insurgat, si enim prouocatus verbo, aut facto iniurioso ad vindicandum arma capit, talis non dicetur aggressor, & inuasor, vnde qui talem occideret, non dicitur ad sui defensionem inuasorem occidisse, & peccabit, & erit irregularis ex delicto homicidij voluntarij, quia ipse prior causam iniustam dedit, sicut etiam peccabit, & erit irregularis ex delicto ipse lacessitus, si occidat, quia non debuit se vindicare. rursus obserua, quod qui potest vitam tueri non occidēdo inuasorem, sed solum mutilando, peccat, si occidit, & est irregularis ex delicto, vt ait Siluester verb. homicidium q. 4. & ratio id suadet, quia tunc deest moderamen; nisi occideret præter intentionem adhibita diligentia, nota vlterius, quod qui fuga euadere potest, sed tamen fuga est ei ignominiosa, & in dedecus resultat, vt quia vir nobilis est, aut miles, non tenetur fugere, & si aliter non potest euadere, potest sine peccato occidere, iste tamen erit irregularis ex defectu, non autem ex delicto, vt asserit Panormit. cap. olim, de restit. spoliat. & ratio id suadet, quia Clement. non excipit ab irregularitate nisi cum, qui aliter vitam tueri non potest. ex quo sequitur, personas Ecclesiasticas, quibus fuga non inducit infamiam, cum alteram profiteantur militiam, & personas etiam sæculares, quibus parum dedecus fuga adducit, si occidant, peccare, & esse irregulares ex delicto, quia non seruatur moderamen, & per fugam possunt vitam tueri propriam. ex quo sequitur vlterius, quod si in fuga immineret periculum, puta quia à tergo aduersarius noceret, tunc non teneretur fugere, nec reputaretur tunc per fugam talem euadere posse. Dubium vnum remanet soluendum, an liceat præuenire inuasorem, à quo sciam, me esse occidendū. negat hoc Salon, affirmat hoc Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 1. a. 8. quem sequitur Nauarrus in manuali cap. 15. nu. 2. si tamen ille actus occidendi sit deffensio, non aggressio, inquit Sotus, qui etiam aduertit, hanc licentiam in publico nō esse prædicandam, ne rude Vulgus, quod discernere nescit, quando est aggressio, quando verò deffensio, eam per abusum amplificet. Ego cum Soto, & Nauarro standum esse puto, deffensio siquidem est de iure naturæ, & cum aliter non possim vitam tueri propriā, quàm per mortem alterius præuentam, ipsa præuentio mortis erit deffensio, & consequenter licita.

DEGRADATIO.

1 *Potestas consecrandi non amittitur per degradationem.*
§ *Quare per degradationem non amittatur talis potestas.*
Quid sit degradatio.
Explicatur diffinitio degradationis.
In quo degradatio differat à depositione.
Quid sit suspensio.
Degradatus tenetur recitare horas canonicas.
Duplex degradatio, & quę.
Degradatus realiter perdit priuilegium fori, & canonis.
Degradatus verbaliter retinet vtrumque priuilegium.
Forma degradationis verbalis affertur.
Episcopi est degradare.
Quid sit degradatio realis.
2 *Canon quidam circa hoc exponitur.*
3 *Degradatis auffertur executio potestatis Sacerdotalis.*
§ *Per degradationem non auffertur potestas Sacerdotalis.*
Per quid degradatio distinguatur ab excomunicatione.

Quæritur, an per degradationem auffertur potestas consecrandi.

1 Respondeo dicendum, quòd potestas consecrandi nō amittitur per degradationem. 3. p. q. 82. artic. 8. in corp.

Potestatem consecrandi nō amitti per degradationem, ostendit D. Thomas in hoc quæsito.

Pro intelligentia huius litteræ obserua ex D. Thoma

Thoma hoc in loco, quod poteſt conſecrandi Eucharéſtiam pertinet ad caracterem ordinis Sacerdotalis, qui caracter indelebilis eſt, quia cũ quadam conſecratione datur, ſicut, & quarumcumq; rerum conſecrationes perpetuæ ſunt, nec amitti, nec reiterari poſſunt; vndè poteſtas conſecrandi non amittitur per degradationem, quæ nihil aliud eſt ſecundum Siluesterum verb. degradatio, & Antonium 3. p. tit. 28. cap. 4. quam priuatio executionis legitimæ officiorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorũ ſimpliciter, & ex toto abſq; ſpe veniæ, & reſtitutionis cum certa ſolemnitate, & priuatione priuilegij Clericalis, ꝙ intellige de vtroq; priuilegio, ſcilicet fori, & canonis, degradatus enim poteſt conueniri coram iudice ſæculari, & percutiens ipſum non incidit in excomunicationem, ſi quis ſuadente &c. & per hanc vltimam particulam differt degradatio à depoſitione, quæ nil aliud eſt ex eodem Silueſtro vbi ſupra, quam priuatio eorumdem abſque ſpe reſtitutionis, ſed retento priuilegio Clericali fori, & canonis. ſi quis ſuadente. 17. q. 7. ſuſpenſio autem eſt priuatio eorumdem ſimpliciter, vel ad tempus cum ſpe diſpenſationis, nec eſt cum priuatione priuilegij vtriuſque. Eccleſia ergo nõ potens auferre caracterem ordinis ſemel impreſſum, vſum eius legitimum aufert in perpetuum per degradationem; aufert, inquam, vſum legitimũ quia non poteſt omnem vſum auferre, quia, vt in littera dicitur, Sacerdos degradatus poteſt conſecrare, ſicut Epiſcopus degradatus poteſt ordinare, licet vterque peccet grauiſſimè, ſi id præſtent. & aduerte, qđ licet degradatus ſit priuatus omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico, tenetur tamen Horas canonicas recitare, vt docet Silueſter verb. degradatio. q. 8. & probatur ex cap. dolentes, de celebrat. Miſſarum. ratio ẽt id ſuadet, quia propter delictum non efficitur quis melioris conditionis, vt ab onere recitandi horas canonicas eximatur. rurſus nota, quod quando diximus, degradatum perdere vtrumq; priuilegium, ſcilicet fori, & canonis, hoc verificatur de degradato actualiter, non autem verbaliter; duplex ſiquidem eſt degradatio, alia verbalis, actualis altera. degradatio verbalis eſt illa, quæ verbo fit tantum, cuius eſt hæc forma, vt habetur in c. degradatio, de pænit. nu. 6. Auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & noſtra auferrimus ſibi Clericalẽ habitum, & deponimus, & degradamus, & expoliamus, exuimus te ordine beneficij. & priuilegio Clericali. hæc autem verba proferuntur ab Epiſcopo, cuius eſt degradare. actualis eſt, quando hæc ipſa verba proferuntur, & re ipſa exercentur, degradandus enim prius veſtitur veſtibus, & ornamentis, quibus fuit ordinatus, & poſtea incipit denudari ab vltimis veſtibus cum oppoſitis verbis; & quando degradatur Sacerdos, & ei aufertur planeta, dicit Epiſcopus, auferrimus tibi veſtem Sacerdotalem, & te honore ſacerdotali priuamus (ſimiliter in alijs) vltimò raditur caput. legatur cap. degradatio. degradatus ergo actualiter perdit vtrumq; priuilegium, ſcilicet fori, & canonis, non autem degradatus verbaliter, ſed retinet ſibi vtrumq;

Ex his patet, vnde deſumpſerint, quæ docent Henriquez lib. 3. de excom. & interd. c. 55. parag. 1. Toletus lib. 1. cap. 51. a num. 1. vſq; ad 6. & alij.

Quęritur, quomodo intelligatur Canon. 1. q. 1. ca. quidam, vbi habetur, quod degradatus non habet poteſtatem conſecrandi, licet habeat poteſtatem Baptizandi.

2 Reſpondeo dicendm, quòd non loquitur aſſertiuè, ſed inquiſitiuè, ſicut ex circunſtantia litteræ haberi poteſt. 3. p. q. 82. art. 8. ad 1.

Soluit hoc in loco D Thomas obectionem petitam ex can 1. q. 1. ca. quidam, vbi habetur, quod degradatus non habet poteſtatem conſecrandi, licet habeat poteſtatem baptizandi. reſpondet, inquam, quod can. non loquitur aſſertiuè, ſed inquiſitiuè, vt ex littera haberi poteſt.

Non immoror circa hoc quæſitum.

Quęritur, quid auferatur degradatis.

3 Reſpondeo dicendum, quòd *degradatis* aufertur executio Sacerdotalis poteſtatis, quaſi in perpetuum condemnatis. 3. p. q. 82. a. 8. ad 3.

Degradatis auferri executionem Sacerdotalis poteſtatis, quaſi in perpetuum condemnatis, oſtendit D. Thomas in hoc quæſito.

Ex hac littera habes, quod ſi degradatus cõſecret, teneat conſecratio, licet peccet, quia non aufertur ei per degredationem poteſtas Sacerdotalis, ſed executio talis poteſtatis, & talis executio ei aufertur in perpetuum, quia iam diximus, degradationem eſſe ſine ſpe reſtitutionis, & in hoc diſtinguitur etiam ab excomunicatione, quia per excomunicationẽ non aufertur executio Sacerdotalis poteſtatis quaſi in perpetuũ, ſed cum ſit medicinalis ad correctionem vſq; ad tempus. hæc ſint breuiter dicta de Degradatione, de qua egimus tantum, quantum exigebat littera D. Thomæ. ſi quis plura deſiderat, legat D. Antoninum 3. p. tit. 28. cap. 4. Silueſtrum verb. degradatio. Tabienam, Armillam eodem verbo. Toletum lib. 1. cap. 51. per totum. Sairum lib. 5. Theſauri cap. 20. 21. 22.

DELECTATIO MOROSA.

1 *Quid ſit mora.*
Quid ſit delectatio moroſa.
Quæ delectatio moroſa ſit peccatum veniale, & quę mortale.
§ *Delectatio moroſa poteſt eſſe in inſtanti.*
Datur delectatio moroſa bona, & quæ ſit.
Nomine delectationis moroſæ intelligimus ſolum delectationem rei malæ.
Diffinitio delectationis moroſæ datur.

Dele-

Delectatio morosa potest esse peccatum mortale, & veniale ex parte consensus, & ex parte obiecti, & quomodo.
Delectatio morosa nedum est de re venerea, sed etiã de quacunque re illicita.
Delectatio morosa semper est peccatum mortale, quoties concurrunt quatuor, & quæ.
Carnis illecebræ superantur magis fugiendo, quam resistendo.
Vidua, quæ delectatur cogitando copulam licitam habitam cum marito, non peccat mortaliter, sed venialiter, nisi adsit periculum pollutionis.
Refellitur Nauarri opinio, & eius argumenta soluuntur.
Delectatio de pulcra muliere, vel viro pulcro non est peccatum mortale.
Reffellitur opinio Nauarri, & eius argumenta soluuntur.
Est peccatum mortale delectari de aliquo opere mortali sub conditione, si esset licitum, aut nisi esset prohibitum.
Deffenditur Caietanus contra Sairum, cuius argumenta soluuntur.
2 *Delectatio morosa est tantum peccatum mortale in his, quę ex suo genere sunt peccata mortalia.*
Si circa peccata mortalia sit delectatio non morosa, est peccatum veniale.
§ *Delectatio morosa est de opere malo cogitato.*
Si delectatio sit de cogitatione ipsa, non dicetur morosa delectatio.
Christi fidelis quid facere debeat, vt discernat, an delectatio sit de opere cogitato, an de cogitatione.
Si delectatio sit de re venerea, furto &c. erit morosa delectatio.
Si vero sit de miris modis, non erit delectatio morosa.
Circa delectationem morosam tria sunt consideranda.
3 *Consensus in delectationem prohibetur illo pręcepto, Non concupisces.*
4 *Duplex delectatio, scilicet carnalis, & spiritualis.*
Delectatio carnalis est, quę in sensu completur.
Delectatio spiritualis est, quę completur in apprehensione animę.
5 *Delectatio spiritualis non est refrenanda nisi per accidens.*
6 *Ligamen rationis in actu coniugali propter delectationem licet non habeat malitiam moralem, prouenit tamen ex malitia primi parentis.*
§ *Quid sit ligamen rationis.*
Ligamen rationis non habet malitiam moralem.
7 *Vitiosum est vti venereis, & cibis propter delectationem solam.*
8 *Luxuriosus pręfert delectationes alijs rebus.*
§ *Verba prolata à luxurioso dicuntur stultiloquia ab Isidoro.*
A quo procedant talia verba.
9 *Non valentes gaudere spiritualibus delectationibus, transferunt se ad carnales.*
10 *Abstinere à delectationibus pro aliquo tempore, vt postea eis magis fruantur, malum est.*

Quæritur, an delectatio morosa sit peccatum mortale.

1 RESpondeo dicẽdum, quòd delectatio inferioris rationis nihil aliud est, quam complacentia voluntatis in eo, quod apprehenditur conueniens per inferiorem rationem, hæc autem delectatio si statim, vt mentem attigerit, auctoritate viri expellatur; veniale peccatum est, hoc enim contingit quando talis complacentia sequitur subitam rationis apprehensionem, si verò diu teneatur, peccatum mortale est, hæc autem diuturnitas non est ex quantitate temporis iudicanda, sed magis ex deliberatione rationis; si enim post deliberationem rationis inferioris adhuc delectatio illa placeat, morosa delectatio dicetur, & tunc erit in delectationem consensus, & tunc peccatum mortale est, vt magister dicit, quamuis quidam in hoc magistro contradicant, sed opinio magistri valdè probabilior est, & securior, quod sic patet, quædam enim operationes, sunt, quæ ex suo genere peccata mortalia sunt, vt fornicatio, furtum, & huiusmodi; quod autem aliquod horum peccatorum mortale non sit, non potest esse nisi per accidens, inquantum scilicet, eius subiectum peccati mortalis capax non est, vt quando est in sensualitate tantum, phylosophus autem vult in 10. eth. quod idem iudicium est de operatione, & delectatione, vndè si operatio est per se bona, & delectatio est per se bona, & è contrario, quòd ergo delectatio consequens per operationem, quæ est per se peccatum mortale, non sit mortalis, hoc non est nisi per accidens, scilicet ex defectu subiecti; vndè quandocumque mala delectatio, vel operatio reducitur ad hoc, in quo potest esse perfecta ratio peccati, vel virtutis, de necessitate incipit esse peccatum mortale, perfecta autem ratio virtutis, vel peccati mortalis non potest esse sine electione rationis consiliantis, & deliberantis: & ideò quidquid fornicationis ante hoc inuenitur, per accidens peccatum mortale non est, vbi autem adhuc peruenitur, statim peccatum mortale esse incipit; vndè etiam si vsus exteriorum membrorum delectatio eorum esset sine voluntate tali, peccatum non esset, sicut B. Lucia dixit, si inuitam me violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coro-

coronam, sed consensus adueniens actui exteriori facit peccatum mortale; similiter appetitus sensualitatis, & delectatio consequens appetitum antè consensum rationis deliberatæ, peccatum mortale non est, sed post consensum rationis deliberantis peccatum mortale incurritur. 2. sent. d. 24.q.3.a.4. in corp. & ad 2. (q.15. de verit. a.4. in corp. (p.2.q.74.a.6. ad 3.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est, delectatio inferioris rationis, nil aliud est, quam complacentia voluntatis in eo quod apprehenditur conueniens per inferiorem rationem. secunda conclusio. hæc delectatio, si statim vt mentem attigerit, authoritate viri expellatur, veniale peccatū est. probatur, quia hoc contingit, quando talis complacentia sequitur subitam rationis apprehensionē. tertia conclusio. si diu teneatur, peccatum mortale est. probatur, quia hæc diuturnitas non est ex quantitate temporis iudicanda, sed magis ex deliberatione rationis, vnde si post deliberationem rationis inferioris adhuc delectatio placeat, morosa dicetur, & erit in delectationem consensus; & tunc peccatum mortale erit.

Vt explicetur hæc doctrina obserua primò, quod delectatio consequitur in nobis ex cognitione aliqua siue facta per intellectum, siue per imaginationem, siue per sensum exteriorem, vnde differt à cogitatione, quia cogitatio est actus potētiæ cognoscitiuæ, delectatio autem est actus potentiæ appetitiuæ, & delectatio sequitur ad cognitionem. dicitur autem morosa non ratione temporaneæ durationis, sed ratione moræ, quam facit ipsa ratio in ea expellenda, quia scilicet non expellit eam quam citissimè potest, & debet; vel, quod deterius est, quia eam deliberatè acceptat, quod equidem in instanti fieri potest, vnde dicamus breuiter, delectationem morosam esse consensum in delectationem qui consensus vtique in instanti fieri posse, nulli dubium esse debet, & in littera dicitur, quod delectatio est complacentia voluntatis, sicut pertinatia, quę est formale in peccato hęresis, non dicit durationem temporis, sed consensum in errorem in fidę agnita veritate; si ergo delectatio sequatur cognitionem alicuius rei bonæ, erit bona, si autem sequatur cognitionem alicuius rei malæ, erit mala. nomine autē delectationis morosæ intelligimus solum delectationem rei malæ, vnde sic potest diffiniri, delectatio morosa est consensus in delectationem de actu malo cogitato sine voluntate exequendi illum actum malum. quando autem fit peccatum veniale, & mortale, nunc vidēdum est. pro quo nota secundò ex Caietano in summula verb. delectatio morosa, quod delectatio morosa potest considerati dupliciter, nempe ex parte consensus, & ex parte actus, siue obiecti, de quo est delectatio. ex parte, inquam, act⁹ obiecti potest delectatio esse peccatum mortale, & veniale iuxta naturam actus, de quo est delectatio; si actus, de quo quis cogitando delectatur, est peccatum mortale, vt adulterium, homicidium, furtum, & huiusmodi, ipsa quoque delectatio erit peccatum mortale; si autem actus, de quo quis delectatur, est peccatum veniale, vt iocari verbis iucundis, comedere lautè, ipsa ēt delectatio morosa erit peccatum veniale. hinc tollitur scrupulus cuiusdam mihi noti, qui ita delectabatur in delatione femoralium apertorum à parte retro, & in aspectu eorum in se, & in alijs, & in cogitatione horum, vt exinde illi insurgerēt motus sensualitatis, procederēt sæpè distillationes aliquando, sed rarò pollutiones contingerent, quibus tamen non consentiebat; ista profecto delectatio nō erat peccatum mortale, quia erat de actu, siue obiecto non ex se malo, sed licito, aliter nulli liceret huiusmodi femoralia aperta deferre cuius tamen contrarium hisce tēporibus cernimus; talis etiam delectatio non erat per se causa influens in pollutiones illas, sed potius hæ procedebant ex infirmitate naturæ. non excusauerim tamen ipsum ab omni culpa, cū in peccatum veniale incidisse iudicauerim, potius enim hæc relinquere deberet, & ab his se liberare illecebris. ex parte etiam consensus potest esse peccatum mortale, & veniale; tunc erit peccatum veniale ex hac parte, quando non aderit consensus perfectus, deliberatus, vt loquitur secunda conclusio, sicut etiam si persona cogitando de actu quantumcunq; malo delectetur non aduertendo ad id, de quo delectatur, itaqꝫ si aduerteret non approbaret, non erit peccatum mortale, etiamsi per vnum diem sic inaduertenter cogitaret, & delectaretur, quia, vt in littera dicitur, non potest esse peccatum mortale sine consensu rationis deliberantis, qui profectò in proposito deest: si verò aduertere incipit, & preualente impetu concitatæ passionis non plenè aduertit, sed antequam plenè aduertat, delectatio facit cursum suum, peccatum non est mortale, sed veniale, quia sicut inaduertentia excusat à mortali, quia excusat à deliberatione, ita non plena aduertentia excusat à mortali propter eādem rationem, scilicet quia excusat à deliberatione sine enim plena aduertentia non habet humanā mens, vt deliberet, in cuius signum excusantur à peccato mortali patientes pollutiones inter somnum, & vigiliam, quia tūc deliberatus, & perfectus non potest esse consensus. si postea adsit deliberatus consensus in delectationem de malo actu, erit peccatum mortale, si act⁹, & obiectum sint mala mortaliter.

Aduertendum tertiò, quod delectatio morosa, quæ nedum est de re venerea, sed etiam de qualibet alia re illicita, est peccatum mortale, quando quatuor concurrunt, primum desumitur ex S. Thoma p.2.q.74.a.8. vt id, de quo sumitur delectatio, vt læthalis culpa. secundum desumitur ex Caietano in summula verb. delectatio morosa, vt qui delectatur, aduertat plenè se delectari. tertium desumitur ex cap. sed pensandū, vt non obsistat delectationi, eam à se repellere con-

contendens, qui si id conaretur, iam potius virtuti, quam vitio esset tribuendum, quamuis eam à se non omninò repelleret. quartum ex Nauarro in manuali cap. 11. num. 9. & in cap. cogitationis, de pœnit. d. 1. num. 12. vt absque rationabili causa omitteret eam à se reijcere, etenim si omitteret eam depellere, quia nouit, se ea vi, & virtute animi pollere, vt certus sit, se non ita victum, vel flexum iri ab ea, vt actum, de quo est, velit; neque ita, vt voluntas eius superior, seu rationalis velit ea sensuali delectatione frui, non esset culpa saltem mortalis, dummodo expressè in illam non consentiret. vel ideò delectationi non resisteret, nec eam repelleret, quia credit, vt quo magis velit contra eam pugnare, tanto magis illa augebitur, quam minuetur sicut euenire solet circa carnis illecebras, quæ vtique magis superantur fugiendo, quam resistendo, vt ait D. Thomas. 2. 2. q. 35. a. 1. ad 4. idem esset si quis omitteret expellere illam delectationem, ne suã honestam, ac vtilem occupationem relinqueret, quale est studium, vel lectio rerum impudicarum prouocantium ad huiusmodi delectationem necessaria ad legendum discipulis, vel populo concionandum, quale etiam est audire confessiones de rebus impudicis &c. hæc tamen intellige, nisi adsit periculum cõsensus habita ratione suæ imbecillitatis, & consuetudinis præteritæ.

Ad maiorem supradictorum explicationem aliqua dubia sunt proponenda, & soluenda, quæ etiam tetigimus supra verb. consensus. q. 5. primum ergo dubium est, an vidua, quæ se delectat cogitando de copula licita habita cum marito suo, dum viueret, peccet mortaliter. Caietanus in summula verb. delectatio morosa, & in opusculis tom. 1. tract. 14. dub. 2. asserit, non peccare mortaliter, sed venialiter, quia caret necessitate, & pietate talis delectatio, nisi tamẽ adsit periculum pollutionis. Nauarrus in cap. si cui. de pœnit. d. 1. num. 2. oppositum docet, & resolutionem Caietani vocat periculosam. ego adhærendum esse opinioni Caietani, vt explicata est supra verb. consensus. q. 5. censeo. quam etiam his approbo rationibus, quarum prima est; quia dum vidua delectatur de præteritis actibus coniugij, delectatur de actibus sibi licitis pro tempore, quo fuerunt liciti. secunda est; plus est explicitè approbare, quam delectari, sed constat viduam non peccare, dum approbat præteritas delectationes, ergo nec peccabit, si delectetur de pteritis actib' cõiugij. tertia est; eiusdẽ moris est delectari de præsenti, preterito, vel futuro, huiusmodi enim differentiæ non variant speciem moris de bono in malum, & propterea sicut simpliciter, & absolutè consensu approbatiuo potest placere viduæ actus præteritus, ita potest delectari de illo; & cõfirmatur ex eo quod Iudex, qui iustè iussit occidere aliquem, postquam desinit esse Iudex, potest delectari, & gaudere de illa occisione. huic vltimo argumẽto respondet Nauarrus loco citato dicendo, quod vidua potest gaudere, & delectare se de carnali copula licita præterita delectatione illa honesta, qua gaudet se habuisse illã licitè cũ tali, & tali marito nobili, vel sibi caro, non tamẽ delectatione venerea inordinata, & libidinosa. ad confirmationem respondet concedendo, quod Iudex potest gaudere, & delectare se de occisione, quam iustè fieri iussit, quia huiusmodi delectatio est de actu licito, & nulla lege est prohibita, & consequenter, quod etiam vidua potest delectare se delectatione honesta, & gaudio honesto, quod habuit rem cum suo marito, quod delectata fuerit tunc delectatione in generationem prolis intenta, negando tamen ex hoc inferri, quod possit licitè delectare se delectatione præsenti venerea, & libidinosa, quæ est prohibita, cum non sit ad generationem prolis ordinata. sed hæc profectò non infringunt argumenta Caietani, quia si delectatio illa viduæ est de copula licita, ergo etiã erit delectatio honesta, & ordinata, licet venerea, & consequenter non erit prohibita. & licet talis delectatio non sit ordinata ad generationẽ prolis, est. tamen de re quæ fuit ad generationem prolis ordinata. vlterius hoc nihil officit, quia sequeretur, quod etiam tactus, oscula, quibus delectantur Coniuges, essent peccata mortalia si fierent absque hoc, quod ordinentur ad copulam. quod tamen esse falsam omnes fatentur. multipliciter ẽt arguit Nauarrus pro sua opinione contra Caietanũ, & primò sic, prohibitum est omnib', qui nõ sunt legitimo matrimonio iuncti, nõ solũ habere, & velle habere copulam carnalẽ, & consentire in illam, sed etiam delectare se carnaliter, & frui voluptate venerea, siue nascatur ex cogitatione de copula carnali licita, siue illicita. Respondetur negãdo, quod prohibitum sit Viduæ, q licet actu nõ sit matrimonio iuncta, fuit tñ iuncta, delectare se delectatione, quæ nascatur ex cogitatione copulæ carnalis licitę, hoc enim est, quod quærimus, hoc debuit probare Nauarrus. secundò arguit, secundum Caietani opinionem liceret cuilibet Religioso, atque Religiosæ delectare se carnaliter, & habere delectationes venereas manantes ex visione licita pulcræ mulieris, vel viri; vel ex cogitatione copulæ carnalis licitæ aliquorum coniugatorum, vel coniungendarum; vel ex lectione licita sponsaliorum, & matrimoniorum inter aliquos contractorum, & vsu licito eorum, quod est contra mentem omnium Sanctorum, qui sentiunt, quod per præceptum de non mœchando non solum prohibetur actus exterior mœchiæ, vel fornicationis, & voluntas habendi eam, sed etiam voluntas fruendi delectatione venerea vndecumq; aliunde insurgente, quam ex actu licito morali, quando illum exercet. Respondetur concedendo licitum est Religiosis delectare se delectatione consurgente ex visione mulieris pulcræ, vel viri, vt videbimus in sequenti dubio; ex cogitatione etiam copulæ carnalis licitæ; vel ex lectione sponsaliorum, vel matrimoniorum inter aliquos contractorum, & vsu licito eorũ, nec in hoc video peccatum mortale, nisi forsan adesset periculum pollutionis, D. Thomas siqnidem p. 2. q. 88. a. 5. ad 2. quod delectatio morosa non dicitur esse peccatũ mortale

tale

tale nisi in his, quæ ex suo genere sunt peccata mortalia, quod profectò non accidit in casibus supradictis à Nauarro recensitis, in quibus non reperio nisi peccata venialia, quia caret talis delectatio pietate, & necessitate, nec necessitas, nec pietas suadet illis talem mentis occupationem; nec hoc est contra mentem omnium Sanctorum, qui volunt tantum, vt per præceptum illud de non mœchando prohibeatur nedū actus exterior mœchiæ, vel fornicationis, sed ēt voluntas eā habēdi, & volūtas fruēdi delectatione cōsurgēte ex cognitione act⁹ illiciti, ꝙ in nostro nō accidit proposito. posset secūdo negari cōsequētia, cum non sit eadem ratio de vidua, & Religiosis, qui cum per professionem, & votum Castitatis iam mundo renūciauerint, & carnis illecebris, ab huiusmodi delectatione abstinere omnino deberent, vidua autem, quæ iam copulata matrimonio copula cōiugali vsa pluries fuit, horum cogitatione delectari potest, attamen nec Religiosas damnarē peccati mortalis. tertiò arguit, licet coniux absens sicut potest velle habere copulam carnalem cum coniuge absente, quādo præsens fuerit, ita possit etiam velle delectare se, cum illam copulam habuerit, nō tamen potest habere in absentia delectationem morosam, sicut non potest habere copulam præsentem, neque polluere se pollutione insurgente ex cogitatione copulæ, quam habuit, vel sperat habere ex copula iam habita, vel habenda cum coniuge, cum fuerit, vel erit præsens. respondetur negando, quod talis coniux in absentia non possit habere delectationem morosam insurgentem ex cogitatione futuræ, vel præteritæ copulæ, licet non possit se polluere; sicut potest quis consentire in delectationem, quam habet ex cogitatione futuri operis cum puella, quam sperat vxorem, vt diximus supra cum Victoria verb. consensus, & hoc vult expressè Caietanus in summula verb. delectatio morosa vers. tertio, quod vir. vbi ait. vir cogitans de vxore absente, & actu coniugij, & voluntariè delectatur de illo non incidit in morosæ delectationis crimen, quia de actu sibi licito tunc delectatur absolutè, quamuis peccet venialiter, quia nec necessitas, nec pietas suadet sibi talem mētis occupationem. idem etiam nos supra verb. consensus. q. 5. docuimus. quartò arguit, quia omnis delectatio venerea inordinata, & consensus in eum prohibetur per sextum præceptum decalogi de non mœchando, & nonum de non desiderando vxorem proximi, vt sentit D. Thomas 2.2.q.154.a.1 & 3. diffiniens, illam, & consensum in eam esse peccatum, & consequenter prohibitam illo sexto præcepto, vel nono; & ipsemet Caietanus ait.2.4.q.154.at omnis delectatio venerea non ordinata in generationem prolis est inordinata, vt ipse S. Thomas in d. q.154.a. 1.ait, ergo consequitur, delectationem veneream, & consensum in eam deliberatum præfatæ viduæ, vel cuiuscunque alterius non ordinatum in generationem prolis esse peccatū. respondetur ad minorem, quod illa delectatio licet non sit ordinata ad generationem prolis, est tamen de re, quæ fuit ordinata ad prolis generationem, & consequenter est de re licita, & ordinata, & consequenter ipsa delectatio erit licita, & bona, & obiectiuè dicetur ordinata ad prolis generationem; quia tamen caret pietate, & necessitate talis delectatio, ideò dicetur aliquo modo inordinata, sed talis inordinatio facit tantum peccatum veniale. quinto arguit, quia Caietanus, vt videre est in summula, fatetur peccare mortaliter Viduam, quæ delectationem habet de actu præterito licito cum periculo probabili pollutionis, quod non esset verum, si delectatio illa esset licita, quia ipsemet in tract. 22. tom. 1. ait Confessarium, neque alium exercentē rem licitam peccare mortiferè propter pollutionem contra suam voluntatem euenientem. Respōdetur ex Caietano ipso, qui in summula verb. delectatio morosa vers. aduerte demum. ait, ꝙ quando dicitur, quod memoria delectabilis excusatur in vidua, verum est, si formaliter hoc intelligatur, & si nullum aliud adiungatur, sed si adiungatur, quod in Vidua insurgant in concupiscibili appetitus, aut in carne commotiones, & periculum probabile adsit pollutionis, aliter erit dicendum, nempe quod talis memoria erit illicita. memoria ergo, quam habet vidua de copula coniugali præterita, est licita *formaliter*, & præcisè sumpta, consequenter, & *delectatio* consequens ad illam memoriam. redditur tamē illicita ratione adiuncti, nempe ratione commotionis carnis, & probabilis periculi pollutionis, quę profectò non excusabitur tunc in vidua, quia experta fragilitatem suam noluit abstinere à tali cogitatione, & delectatione, ad quam sequitur pollutionis periculum, quæ si sequatur, voluntariè sequi putanda est, & consequenter ei imputabitur ad peccatum, quod non contingit in Confessario, nec in alio exercente rem licitam.

Secundum dubium est, an delectatio de pulcra muliere, vel pulcro viro viso sit peccatū mortale. circa hoc dubiū est controuersia inter Caietanum, & Nauarrum, Caietanus enim in *opusc.* tom 1. tract. 14. dub. 2. & in summula verb. delectatio morosa, quem sequitur Bartolomeus Medina p.2.q.74.a.8 dub.2. & 3. Armilla verb. delectatio morosa. num.5. Valentia tom. 2.d.6. q. 4. p. 4. asserit, talem delectationem non esse peccatum mortale, cum huiusmodi visio non sit de se libidinosa, sicut sunt oscula, & amplexus, quæ ait esse de se libidinosa, quod etiam prius docuit Paludanus. 4. sent. d.9. quæst. 3. Nauarrus autem in cap. si cui. de pænit. d.1. num.9. docet talem delectationem esse peccatum mortale. ego cum Caietano sentio, vt etiam tetigi supra verb. consensus. q. 5. ratio est, quia visio mulieris, vel viri pulchri per se non ordinatur ad generationem, sicut de sui natura ordinātur tactus impudici, & consequenter delectatio sequens talem visionem non erit peccatum mortale. nec obstant argumenta Nauarri arguentis sic, quamuis tactum magis consequatur delectatio venerea, quam visum, tamen frequentissimè consequitur etiam visum, quod significauit Dominus, &

Salua-

Saluator noster per illud Mathei 5. qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo. quod B. Augustinus in sua regula declarauit dicens, nec solo affectu, & tactu, sed aspectu quoque appetitur, & appetit concupiscentia fæminarum, nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. & cum se sibi inuicem etiam tacente lingua conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundum concupiscentiam carnis alterutro delectuntur ardore, etiam in tactis ab immũda violatione corporib' fugit castitas ipsa de moribus. sed facilis est responsio dicendo loqui Caietanum de delectatione, quæ oritur præcisè ex visione mulieris, vel viri pulcri, quæ profectò, vt superius verb. consensus diximus, est tantùm peccatum veniale, non autem loqui de delectatione, quæ sequitur ad visionem, & appetitum mulieris, quia tunc erit peccatum mortale, quod expressè voluit Christus in illis verbis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo, vbi notētur illa verba, qui viderit mulierem ad concupiscendum eã; nec hoc frequentissimè accidit, vt asserit Nauarrus. idem asserit D. Augustinus in verbis allatis, vt patet intuenti illa; quod expressius docuit in eadem regula his verbis, non enim fæminas videre prohibemini, sed appetere, vel ab eis appeti velle criminosum est. arguit vlterius. magis & minus non faciunt differre spetie secundum philosophum &c. ergo propterea quod tactus magis moueat ad libidinem, & visus minus, non differunt quoad hoc spetie, itaut tactus per se sit libidinosus, & non visus. respondetur, nõ ex hoc oriri quod tactus impudici sint peccata mortalia, non autem delectatio consurgens ex visione mulieris pulcræ, quia tactus magis mouet ad libidinem, quam visus, sed quia tactus ex sui natura ordinatur ad generationem, non autem visus, uerùm de hoc alias; vnde hic committitur fallatia non causæ vt causæ.

Tertium dubium est, an peccatum mortale sit delectari de aliquo opere mortali, sub ea tamen conditione, si esset licitum, aut nisi esset prohibitum, vt puta siquis delectaretur furto, vel homicidio, & diceret, nisi esset peccatum, & prohibitum, ego furarer, vel occiderem inimicum. siquis re venerea delectaretur, & diceret, si fornicatio non esset peccatum, ego fornicarer; & Religiosus si diceret, nisi offenderem Deum, peccarem tali, vel tali modo, in quo delectetur. in hoc dubio inuenio opiniones, quarum prima est Adriani quodlib. 10. artic. 2. quem sequitur Azorius p. pri. institut. moral. lib. 4. cap. 6. dub. 10. inquientis, esse peccatum mortale, quando quis delectatur de re, quam optat non esse malam, & sub conditione si non esset mala, si res illa sit per se, & iure naturali mala, secus autem si esset mala solum, quia lege positiua est prohibita. secunda opinio est Vasquezij in p. 2. d. 116. cap. 2. tom. 1. quem sequitur Sairus lib. 8. clauis regiæ cap. 7. num. 30. duo tradentis, quorum primum est, si complacentia sit de actu coniugij apprehensi sub conditione ex motiuo libidinoso, erit peccatum mortale, quia talis complacentia sub illo motiuo extra statum matrimonij notabilem oppositionem ex se habet ad castitatem, & similiter delectari de homicidio, aut illud desiderare displicentia personæ, quatenus est malum illi notabiliter opponitur Charitati proximo debitæ, & consequēter peccatum mortale erit. secundum est, si desiderium sit efficax, & tēdat ad executionem operis, non tamen ex motiuo libidinoso, in casu de coniugio, sed ex alia bonitate, vel vtilitate, quæ non sit ex se mortalis, non erit peccatum mortale, vt si quis desideret opus matrimonij sub ea conditione, si fiat matrimonium; vel etiã sub ea condicione, si licitum esset extra matrimonium. ratio est, quia voluntas efficax accipit malitiam ex opere exteriori, quod habet pro obiecto, vndè cum proponitur sub conditione honesta, non erit peccatum mortale; eodem modo de homicidio, & furto dicendum est. tertia opinio est Caietani tom. 1. opus. tract. 14. dub. 1. & in summula verb. delectatio, quem sequitur Nauarrus in manuali cap. 16 num. 9. vers. sexto. 15. & in cap. si cui. num. 1. de pænit. d. 1. Armilla, verb. delectatio morosa num. 4. Bartolomeus Medina p. 2. q. 74. a. 8. dub. 4. Ludouicus Lopez p. p. instruct Confess. c. 75. in principio. Gregorius de Valentia tom. 2. d. 6. q. 4. p. 4. dicentis esse peccatum mortale; quia licet hæc voluntas mala non sit, scilicet vellem habere rem cum fæmina illa, si esset vxor mea, ex eo, quod desiderium tale habet obiectum rationi consentaneũ ratione conditionis oppositæ, id est si esset sua, quia tamen delectatio de huiusmodi actu cogitato non spectat ad obiectum desideratum, hoc est non fertur in rem ea condicione affectam, quandoquidem conditio illa nihil ponit in re, sed vere res illa conditione illa destituta est, ac proinde illicita, consequenter delectatio illa talis est, qualis est res illa in se sine conditione, ergo cum res illa in se mala, & illicita sit, delectatio etiam de re illa mala erit, cũ enim conditio illa nihil ponat in re, delectatio illa redit ad naturam sui generis, ita scilicet, vt talis sit delectatio, qualis est res illa sine condicione opposita. summa huius opinionis est, quod delectatio est mala, & opus sub condicione est bonum, quia delectatio est absoluta, opus autem ex condirione opposita est licitum. quoniam, quamuis licita sit voluntas conditionalis habendi copulam cum tali muliere, si esset sua vxor, nõ est tamen licitum ei admettere deliberatè delectationem carnalem, quæ inde nasceretur, nam quamuis voluntas conditionalis copulæ futuræ nihil ponat in esse, illa tamen delectatio, quæ inde nascitur, non est conditionalis, nec futura, immò præsens, & absoluta. opinio profectò hæc Caietani amplectenda est tum ob rationem ab eo allatam, & tanti viri grauitatem, cum propter tot Doctorum auctoritatem. reprehendit tamẽ eum Sairus loco citato, & eius rationem dupliciter, & primo quia si conditio opposita nihil ponit in

in re ipsa, non explicat, quomodo faciat, vt obiectum sit bonum, quod alias erat illicitum, & quia non explicat, quomodo delectatio illa sit mala. respondetur, optimè explicare, quomodo conditio faciat, vt obiectum sit bonum, quod aliàs erat illicitum, quia conditio illa facit obiectum rationi consentaneum, desiderare siquidem fruitionem mulieris cũ hac conditione, si esset vxor, est quid rationi consentaneum licet hoc absolutè sit illicitum. vlterius explicat, quomodo delectatio sit mala, quia inquit, talis delectatio est absoluta, & præsens, & conditio, vt optimè ait Caietanus in summula, excusat desiderium futuri, sed non delectationem præsentem. secundò arguit, quia secundum hanc opinionem sicut cõplacentia accipit malitiam ex opere cogitato, sic etiam ex cõditione opposita excusante opus excusari deberet ipsa complacentia, hæc obiectio profectò, sicut, & præcedens procedit, quia non vidit Sairus Caietanum in fonte, & si vidit, profectò ipsum non intellexit, vel noluit intelligere, quia ex Caietano apertè habemus conditionem excusare desiderium futuri, sed non delectationem pręsentem, ex quibus verbis habemus, quod licet delectatio accipiat malitiam ex opere cogitato, non inde tamen sequi, quod sicut conditio excusat desiderium futuri, & opus ipsum, ita excusare debeat præsentem delectationem, ad desiderium sit futuri, & conditionati, delectatio autem sit absoluta, & præsens. opinionem Adriani satis confutat Sairus. duo autem dicta Vasquezij nostræ non sunt contraria sententiæ.

Quæritur, an omnis delectatio morosa sit peccatum mortale.

2 Respondeo dicendum, quòd delectatio morosa non dicitur esse peccatun mortale, nisi in his, quæ ex suo genere sunt peccata mortalia; in quibus si delectatio non morosa sit peccatũ veniale, est ex imperfectione actus, p.2.q.88. a. 5. ad 2.

Docet D.Thomas in hoc quæsito, delectationẽ morosam non dici esse peccatum mortale, nisi in his, quæ ex suo genere sunt peccata mortalia, in quibus si delectatio non morosa sit peccatum veniale, est ex imperfectione actus.

Ad explicationem huius litteræ recole ea, quæ supra diximus, quod si opus cogitatum delectans sit mortale, delectatio etiam erit mortalis, si autem sit veniale, etiam delectatio erit venialis, sicut etiam erit venialis delectatio, si non sit morosa, vt in littera dicitur, licet opus cogitatum sit mortale ex imperfectione actus, ideò enim dicitur delectatio non morosa, quia actus est imperfect⁹, morosa siquidẽ delectatio dicitur propter approbationẽ rationis deliberãtis, vt inquit D.Thomas p.2.q.88.a.5.ad 2. Rursus obserua; qđ delectatio morosa dicitur illa, quæ est de opere malo cogitato, vt ait Caietanus in summula verb. delectatio morosa vers. rursus ex parte rei. vndè si delectatio sit de cogitatione ipsa, nõ dicetur morosa delectatio, aliqui si quidem delectantur de operibus cogitatis, puta de homicidijs, vulneribus, incendijs, actibus turpibus; alij delectantur de ipsa cogitatione, delectatur si quidem naturaliter anima nostra in conferendo, & præcipue noua, & mira, dum occurrit aliquis subtilis modus malè operandi, ita, quod cogitatio illa tanquam subtilis, aut mira, seu noua inhærens animæ parit delectationem; alij delectantur de vtroque, scilicet & de opere cogitato & de cogitatione ipsa. Aduertat ergo Christi fidelis circa has delectationes, an sint morosæ, an non; an sint de opere cogitato, an de cogitatione. vt autem hoc possit discernere, percipiat quid moueat ipsum ad complacentiam illius delectationis, nam si cognoscat se moueri ab opere cogitato, iam erit morosa delectatio, si verò cognoscat, se moueri à cogitatione noua, aut mira, aut subtili, iam euadit delectationem morosam, quia delectatio morosa est de opere malo cogitato, vt diximus. præterea aduerte, quòd in opere cogitato malo duo possunt considerari, nempe opus ipsum cogitatum, & modi operandi concogitati, puta in re venerea occurrunt plures modi abutendi re venerea, & in furto, siue rapina occurrunt plures *miri modi* furandi, vel rapiendi: si ergo delectatio sit de re venerea furto, vel rapina, erit morosa delectatio, si verò sit de miris modis, iam non erit delectatio morosa, cũ modi sint admirabiles, & naturaliter delectabiles animæ cogitanti. Demum aduerte circa huiusmodi delectationem morosam tria cum Caietano vbi supra, nempe occasionẽ, libertatem, & intentionem, quæ tria cum rectè explicentur à Caietano, non est necesse iterum ea repetere.

Quæritur, quo præcepto prohibeatur consensus in delectationem.

3 Respondeo dicendum, quòd consensus in delectationem prohibetur præcepto illo, non concupisces; non enim sine causa de actu interiori, & exteriori concupiscentiæ diuersa præcepta dantur in lege, nihilominus tamen si in nullo præcepto speciali prohiberetur, ex hoc ipso, quod fornicatio prohibetur, prohibentur omnia consequentia, quæ ad idem genus pertinent. q. 15. de verit. artic. 4. ad 9. (2. sent. d. 24. q. 3. art. 4. ad 4.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. consensus in delectationem prohibetur præcepto illo, non concupisces. probatur, quia non sine causa de actu interiori, & exteriori concupiscentiæ diuersa præcepta dantur in lege. secunda conclusio. si in nullo speciali præcepto prohiberetur, ex hoc ipso quod fornicatio prohibetur, prohibentur omnia consequentia, quæ ad idem genus pertinent

neur. hæc relinquitur vt nota.

Actus exterior concupiscentię prohibetur sexto præcepto de non mœchando, actus autem interior cócupiscentiæ prohibetur præcepto nono de non desiderando vxorem proximi, consequẽter prohibetur consensus in delectationem hoc præcepto nono.

Quæritur quotuplex sit genus delectationum?

4 Respondeo dicendum, quòd delectationum quædam sunt carnales, & quædam spirituales, carnales quidem delectationes dicuntur, quæ in sensu carnis complentur, sicut delectationes ciborum, & venereorũ; delectationes vero spirituales dicuntur, quæ complentur in sola animæ appræhensione. 2.2.quæst.118.art.6.in corp.(q.123. art.8. in corp.

Quod delectationum duo sint genera, nempe carnalium & spiritualium, & quid sint ambæ delectationes, explicat S.Thomas in hoc quæsito.

Cum hæc de se sint manifesta, non est necesse immorari circa ea.

Quæritur, an delectationes spirituales sint refrenandæ.

5 Respondeo dicendum, quòd delectationes spirituales per se loquendo sunt secundum rationem; vndè non sunt refrenandæ, nisi per accidens, inquantum scilicet vna delectatio spiritualis retrahit ab alia potiori, & magis debita. 2.2.q.141. art.4.ad 4.

Conclusione vnica respondet D Thomas huic quæsito, quæ est. Delectationes spirituales non sunt refrenandæ nisi per accidens. hæc conclusio habet duas partes, & probatur quo ad singulas, & primò quo ad primam, quia delectationes spirituales per se loquendo sunt secundum rationẽ, probatur secunda pars, quia vna delectatio spiritualis retrahit aliquando ab alia potiori, & magis debita.

Circa hanc doctrinam proponit, & soluit Caietanus duo argumenta ex Martino, vide tu lector illa.

Quæritur, an ligamen rationis in actu coniugali propter delectationem habeat malitiam.

6 Respondeo dicendum, quòd ligamentum rationis ex delectatione in actu coniugali etsi non habeat malitiam moralem, quia non est peccatum mortale, nec veniale, prouenit tamen ex quadam morali malitia, scilicet ex peccato primi parentis, nam hoc in statu innocentiæ non erat. p. 2.quæst.34.a.1.ad 1.(q.15. de malo, art.2. ad 17.(Lect. cap.4. primæ ad Thessalonicenses.

Conclusione vnica respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. ligamen rationis ex delectatione in actu coniugali, & si non habeat malitiam moralem, prouenit tamen ex quadam morali malitia, scilicet ex peccato primi Parentis. hæc conclusio habet duas partes, & probatur quoad singulas, & primò quoad primam, quia non est peccatũ mortale, nec veniale. secunda pars probatur, quia in statu innocentiæ non erat hoc.

Ligamen rationis dicitur impedimentum vsus rationis, talis autem rationis vsus impeditur ex vehementi delectatione reperta in actu coniugali, vnde 7. eth. dicitur, quod in delectationibus venereis, quæ sunt maximæ, impossibile est aliquid intelligere, non habet tamen tale ligamẽ malitiam moralem, cum non sit peccatum mortale, nec veniale, sicut nec somnus, quo ligatur vsus rationis, moraliter est malus, si fit secundũ rationem receptus, nam & ipsa ratio hoc habet, vt quandoque rationis vsus intercipiatur; prouenit tamen ex malitia morali, scilicet ex peccato primi Parentis, nam in statu Innocentiæ non erat hoc ligamen rationis, vt docet D. Thomas p.p. q.98.a. 2.ad 3.

Quæritur, an sit illicitum vti venereis, & cibis propter solam delectationem.

7 Respondeo dicendum, quòd inordinatum, & vitiosum est, si quis cibis, & venereis vtatur propter solam delectationem, & non propter necessitatem sustentandi corporis, vel prolis educandæ, & hoc rationabiliter: nam delectationes, quæ sunt in præmissis actionibus, non sunt fines actionum, sed magis è conuerso: natura enim adhoc ordinauit delectationes in istis actibus, ne animalia propter laborem ab istis actibus necessarjs naturæ desisterent, quod contingeret, nisi delectatione prouocarentur: est ergo ordo præposterus, & indecens, si operationes propter solas delectationes exerceantur. 4. contrahentes cap. 83.

Vnica conclusione respondet D Thomas huic quæsito, quæ est. Inordinatum, & vitiosum est, si quis cibis, vel venereis vtatur propter solam delectationem, & non propter necessitatem sustentandi corporis, vel prolis educandæ. probatur, quia delectationes, quæ sunt in his actionibus, non sunt fines actionum, sed magis è conuerso, ergo est præposterus ordo, & indecens, si operationes propter solas delectationes exerceantur. antecedens probatur, quia natura ad hoc ordinauit delectationes in istis actibus, ne animalia propter laborem ab istis necessarijs naturæ desisterent, quod contingeret, nisi delectatione prouocarentur.

Circa hanc doctrinam legatur Ferrariensis hoc in loco. nos tantùm obseruabimus, ex hac doctrina haberi concubitum cum propria vxore causa solius delectationis esse inordinatum, & vitiosum; est, inquam, inordinatus, quia ibi seruatur præposterus ordo, cum concubitus non sit ordinatus ad delectationem, sed è conuerso delectatio ordinatur ad concubitum; est etiam vitiosus quia est peccatum veniale.

Quæritur, quid præferat luxuriosus alijs rebus.

8 Respondeo dicendum, quòd luxuriosus cum suis verbis præfert delectationes, quas appetit, quibuscunque alijs rebus. 2.2.q.153.a.5.ad 4.

Luxuriosum cũ suis verbis præferre delectationes, quas appetit, quibuscumq; alijs rebus, docet D. Thomas hoc in loco.

Hic aduertè, quod verba, quibus luxuriosus præfert delelectationes, quas appetit, quibuscumq; alijs rebus, dicuntur stultiloquia à D. Isidoro, & procedunt ex cæcitate mentis, quam luxuria causat.

Quæritur, quid faciant non valentes gaudere spiritualibus delectationibus.

9 Respondeo dicendum, quòd illi, qui non possunt gaudere in spiritualibus delectationibus, transferunt se ad corporales secundum phylosophum 10. ethicorum. 2.2. q.35. art.4. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. illi, qui non possunt gaudere in spiritualibus delectationibus transferunt se ad corporales. probatur ex phylosopho 8. eth.

Cum ex Arist. 8. eth. habeamus, quod nullus diu absque delectatione potest permanere cum tristitia, ideò illi, qui non possunt gaudere in spiritualibus delectationibus, transeunt ad corporales ex eodem Arist. 8. eth.

Quæritur, an sit licitum abstinere aliquando à delectationibus, vt postea eis magis fruantur.

10 Respondeo dicendum, quòd est contra temperantiæ rationem, vt aliquis à delectationibus nunc abstineat, vt postmodum eis frui magis possit. 4. contrahentes cap. 83.

Esse contra temperantiæ rationem, vt aliquis à delectationibus nunc abstineat, vt postmodum eis frui magis possit, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Circa hoc quæsitum nihil occurrit scribendum.

DELEGATVS.

Vndè dicatur delegatus.
Quid sit delegatus Ecclesiasticus.
Quid sit delegatus sæcularis.
Quid nomine ordinarij intelligatur.
Quis sit, qui potest aliquid extraordinaria iurisdictione.
Quis sit legatus.
Quis sit sub delegatus.
Quare delegatus possit iudicare superiorem.
Quod inferior non possit iudicare superiorem auctoritate propria, sed tantum auctoritate superioris, vt patet in Iudicibus delegatis ostendit D. Thomas hoc in loco.

Quæritur, an delegatus possit superiorem iudicare.

Respondeo dicendum, quòd inferior non potest iudicare superiorem auctoritate propria, sed tamen auctoritate superioris potest, sicut patet in iudicibus delegatis. 4. sent. d.47. q.1. a.2. quæst. 2. ad 5.

Delegatus à delego dicitur, quod est idem, quod vices committo. diffinitur autem sic à Siluestro verb. delegatus in principio, vt omittam aliorum diffinitiones, delegatus est is, cui à Summo Pontifice, vel ordinario causa committitur, aut etiam ab eo, qui extraordinaria iurisdictionè aliquid potest. ex quibus verbis habemus à Siluestro tantùm diffiniri delegatum quo ad Ecclesiasticos, vnde si velimus diffinire delegatum quoad sæculares, dicemus esse eum, cui ab Imperatore, vel alio Domino sæculari causa committitur. nomine autem ordinarij intelligitur Episcopus; nomine autem eius, qui potest aliquid extraordinaria iurisdictione est legatus Papæ. Quę autem possit delegare Episcopus, & quibus, explicat idem Siluester loco citato qu.1. Legatus autem est is, cui à Papa certa Patria, vel Prouincia committitur gubernanda, vnde vices Papæ gerit, vt legatus Bononiæ, vel Ferrariæ, quæ sunt duæ Patriæ, & legatus Romandiolæ, & Marchiæ Anconitanæ, quæ sunt duæ Prouinciæ vices gerunt Papæ in illis Patrijs, siue Prouincijs. subdelegatus dicitur delegati delegatus. iste ergo delegatus poterit iudicare superiorem ex auctoritate superioris, non autẽ ex auctoritate propria, quia dum vtitur auctoritate superioris est illo superior, dum autem vtitur auctoritate propria, est illo inferior, nunquam autem inferior iudicare potest superiorem; quod verum est formaliter loquendo, delegatus autem, dum vices gerit superioris, à quo delegatur, est superior eo, contra quem delegatur, vt si Canonicus delegetur à Papa contra Episcopum, tunc Canonicus erit Episcopo superior, quia vices gerit Papæ, qui Episcopo superior est, licet Canonicus in auctoritate propria relictus sit Episcopo inferior. Cætera, quæ spectant ad delegatum, legantur in Siluc-

Siluestro, Armilla verb. delegatus. In Tabiena verb. delegare.

DENVNTIATIO.

1 *In criminibus procedi potest tribus modis scilicet per inquisitionem, per accusationem, per dununciationem.*
Accusationem praecedere debet inscriptio.
Inquisitionem praecedit clamosa insinuatio.
Denunciationem praecedit correctio Fraterna.
§ *Quis sit modus procedendi per inquisitionem.*
Duplex inquisitio, & quid vtraque.
Quid sit clamorosa insinuatio.
Quis sit modus procedendi per accusationem.
Quid sit denunciatio.
Quadruplex denunciatio secundum Canonistas, quae, & quid sint.
Duplex denunciatio secundum Theologos, & quid vtraque sit.
Ista duae denunciationes differũt inuicem in quinque, & quibus.
Denunciatio iudicialis differt ab accusatione in multis, & quibus.
Denunciatio iudicialis tripliciter locum habere potest, vbi actio esse nequit, & quomodo.
Denunciationem iudicialem non necessariò praecedit fraterna correctio, & quare.
Denunciationem Euangelicam praecedit fraterna correctio, & quare.
In aliquibus casibus correctio fraterna non debet praecedere denunciationem Euangelicam.
Quid sit inquisitio.
Inquisitio pertinet ad solos Praelatos, & Indices.
Ad infamiam duo requiruntur, & quae.
Non potest Iudex inquirere nisi de crimine, de quo praecessit infamia.
Quid sit infamia.
Qui numerus hominum requiratur, vt causetur infamia, explicatur.
Non est procedendum contra aliquem, nisi praecesserit infamia, vel semiplena probatio, vel manifesta inditia.
Nemo potest excomunicari pro peccato praeterito absolutè, sed solum si scandalum, aut restitutio, aut satisfactio in futurum pendeat, & mora in his praestandis praecedat, aut alia rationabilis causa subsit.
Casus aliqui recensentur, in quibus Iudex potest procedere absque praecedenti infamia, & explicantur.
2 *Denuncians non obligat se ad probandum.*
Denuncians non punitur, si non probet.
In denuntiatione non est necessaria inscriptio.

Quaeritur, quot modis possit procedi in criminibus.

1 RESpondeo dicendum, quòd sicut Decretalis dicit, tribus modis in criminibus procedi potest, primò per inquisitionem, quam debet praecedere clamosa insinuatio, quae locum accusatioinis tenet; secundò per accusationẽ, quam debet praecedere inscriptio: tertiò per denunciationem, quam debet praecedere Fraterna correptio. 4. sent. d. 35. q. 1. art. 3. ad 6.

Respondet D. Thomas huic quaesito vnica cõclusione, quae est. tribus modis in criminib' procedi potest, primò per inquisitionem, secundò per accusationem, tertiò per denunciationem. Inquisitionem debet praecedere clamorosa insinuatio, quae locum accusationis tenet. accusationem debet praecedere inscriptio. denunciationem debet praecedere fraterna correctio. probatur ex Decretali.

Primus modus procedendi est per inquisitionem, & est quando Iudex procedit ad cognitionem criminũ, vt habetur in cap. qualiter, & quãdo. 2. de accusat. & cap. licet de simonia. quae duplex est, vna generalis, & alia spetialis; generalis est, qua Praelati suo fungentes munere, & officij debito Prouinciam, vel Conuentum visitantes crimina inquirunt; spetialis est, qua particulariter inquiritur crimen alicuius singularis personae, & de hac loquitur S. Thomas in littera, & ad hanc inquisitionem non potest Iudex procedere, nisi praecedat clamorosa insinuatio, quae locum accusationis tenet, idest infamia, quae, vt inquit Caietanus 2. 2. q. 69. a. 1. non intelligitur frequens discolorum vox, sed frequens vox talis, vt apud probos, & prouidos viros reddatur persona de crimine tali rationabiliter suspecta. secundus modus procedendi est per accusationẽ, quae est, quando quis alium accusat, de qua accusatione egimus suo loco. tertius modus est per denunciationem, quae sic diffinitur, quod est nũciatio, idest manifestatio criminis facta superiori, quae est quadruplex secundum Canonistas, vt patet in cap. nouit. de iuditijs, & cap. si peccauerit 2. q. 1. nempe euangelica. Iudicialis, Canonica, regularis. denunciatio Euangelica est, quã praecedere debet correctio fraterna, vt in littera dicitur, antequam scilicet denuncietur Ecclesiae. denunciatio iudicialis est duplex, vna priuata, altera generalis, priuata est manifestatio criminis, qua quis praetendit resarciri sibi damnum receptum, & in pristinum suum statum restitui. generalis, siue publica est, qua Iudex ex officio procedit per denunciationem suorum officialiũ ad puniendum reum aliqua paena. Canonica est manifestatio criminis non ad vindictam publicam, sed vt vitetur delictum committendum ab aliquo; vel etiam pro delicto commisso, si sit periculum recidiuandi, & ad coercendum crimina, ne vlterius procedant. dicitur autem canonica, quia iure canonico inuenta est. Regularis est, quae obseruatur inter regulares secundum statuta, & Regulas diuersarum Religionum, siue sit iudicialis propter interesse proprium, siue canonica propter bonum coumune, & in hac non est necesse obseruare ordinem Iuris, sed proceditur de plano, & simpliciter ad emendam delinquẽtis,

tis, & ob bonum publicum Religiosis, ne Religio contaminetur, & fædetur, verum, vt benè ait Siluester verb. denunciatio in principio, ista distinctio vix poterit ab aliquo saluari, cum membra coincidant, vt Regularis coincidit cum Iudiciali, & Canonica. distinguunt ergo melius Theologi dicẽtes, quod denunciatio est duplex, scilicet Euangelica, siue fraterna vna, iudicialis altera. denunciatio fraterna, siue Euangelica est illa, quæ fit Prælato, vt priuatæ personæ, iudicialis autem est, quæ fit eidem, vt personæ publicæ, & vt Iudici. denunciatio autem fraterna differt à iudiciali, & accusatione in quinque, & primò ratione finis, quia finis denunciationis Euangelicæ est emendatio fratris, vt scilicet resipiscat, finis autem denunciationis iudicialis est vindicta, seu bonum denunciantis, vel vt delinquens satisfaciat. secundò quia denunciatio Euangelica est actus Charitatis, in cuius signum D. Thomas de ea agit in materia Charitatis 2. 2. q. 33. iudicialis autem, & accusatio ex iustitiæ debito pullulat, & ideò D. Thomas de ea agit in materia de iustitia. 2. 2. qu. 68. 69. 70. tertiò denunciationem Euangelicam præcedit semper secreta admonitio, & fit sine strepitu Iudicij; iudicialis autem procedit in scriptis, & forma iudiciali, & denuncians nõ tenetur ꝓbare crimen, quamuis aliquando etiam procedatur de plano, & sine strepitu iudiciali. quartò ad denunciationem Euãgelicam omnes nemine excepto tenentur, nam possunt subditi denunciare Prælatis, & Filij Parentes, neque infames, aut excommunicati eximuntur, neque Sacerdotes excipiũtur, vt habetur can. tam Sacerdotes. 24. q. 3. non tamen omnes tenentur ad iudicialem. quintò differunt ex parte termini, quia fraterna denunciatio cessat, si frater emendatur, sin minus, rebellio exinde habetur pro accusatore, & incipit forum iudiciale, Iudicialis autem, & accusatio non cessant vsque ad punitionem.

Nunc videndum est, quomodo differant denunciatio iudicialis ab accusatione. pro quo scito, quod differt in multis, & primò quia denunciator, etiam iudicialis non tenetur probare, sicut accusator. secundò licet denuntiatio hæc ad vindictam tendat, non tamen denunciato infligenda est tota pæna iuris, sicut accusato, vt habetur cap. Inquisitionis, de accusationibus. tertiò denunciator iudicialis non intendit vindictã publicam, & punitionem denunciati propter bonum publicum, sed solum interesse suum, in quo per iniuriam læsus est; accusator verò petit vindictam publicam, quæ infligitur propter bonum publicum. quartò denunciatio iudicialis est mera criminis manifestatio sine aliqua actione, qua scilicet denunciatur crimen Prælato, vt ipse ex officio faciat, quod ei videtur secundum ius; accusatio vero est delatio criminis cum actione, ꝙ Iudex petitur, & compellitur punire reum, hinc est, quod denunciator non dicitur actor, sicut accusator, hinc rectè Dominicus Sotus in relect. de tegendo secreto memb. 2. q. 5. & lib. 5. de iustitia, & iure. q. 6. art. 2. obseruat, quod denunciatio iudicialis tripliciter locum habere potest, vbi actio esse nequit, primò scilicet ratione personæ, quæ agere non potest. secundò ratione Iudicis, qui non est directus. tertiò ratione criminis, quod lege permittitur. ratione, inquam, personæ, quæ agere non potest, vt quia seruus nõ potest agere in iuditio, potest tamen denunciare Iudici sæuitiam Domini, vt Iudex compellat ex officio Dominum, vt mitius agat, aut vendat ipsum, vt habetur institut. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris. parag. sed, & maior. Religiosi etiam, quando non possunt agere contra Prælatos, possunt eos denunciare secundum Doctores in cap. insinuante. qui Clerici, vel Monachi. ratione etiam Iudicis, qui non est directus, sicut quando Iudex sæcularis non seruat iustitiam, potest quisquis illum denunciare Papæ, ad quem spectat de quocumque peccato læthali quemlibet Christianum corripere, vt notat Panormitanus in cap. nouit. de Iudic. vbi Rex Franciæ denunciatus est Papæ de crimine, quod contra Regem Angliæ commiserat, etiam criminis, quod lege permittitur, vt quia vsura lege permitti videtur, accusari non potest vsurarius, denunciari tamen potest, vt Iudex ex officio illum ad restitutionem admoneat. In his omnibus casibus non est propriè accusatio, sed denunciatio, idest mera criminis manifestatio, vt Iudex ex officio suo corrigat, & emendet. accusatio vero fieri non potest nisi ab illo, qui potest directè agere, licet negandum non sit, quin is, qui agere potest, & coram proprio iudice, possit etiam quandoque merè denuntiare sine accusatione.

Nunc videndum est, an sit verum, quod denunciationem debeat præcedere secreta correctio. à quo dubio faciliter me expedio per supradictam distinctionem, nempe vel loquimur de denunciatione iudiciali, vel de denunciatione Euangelica. si sit sermo de denunciatione iudiciali, sic hanc non necessario præcedit secreta admonitio, quia ista denunciatio succedit loco accusationis vel actionis, vndè sicut accusationem, vel actionem non necessario præcedit secreta admonitio, ita neque iudicialem denunciationem. si vero sit sermo de denunciatione Euangelica, sic hanc debet præcedere secreta admonitio, sic enim exigit ius naturale, sic postulat ius Diuinum à Christo promulgatum. Mathei 18. & ratio id suadet, quia cum fiat ob bonum peccãtis, seruandum est simul bonum conscientiæ, & bonum famæ, quantum fieri potest, vt rectè docuit D. Thomas 2. 2. q. 33. a. 7. & interpretes illius loci. Siluester verb. denunciatio. q. 4. non nego tamen, quin sint aliqui casus, in quibus admonitio secreta non debet præcedere denunciationem Euangelicam, vt supra, cum de correctione Fraterna ageremus, diximus.

Superest nunc explicare primum modum procedendi, nempe per Inquisitionem, relicto secũdo modo, qui est per accusationem, quia de eo satis egimus supra verb. accusatio. Quæ inquisitio nil aliud est, quam inuestigatio criminis, vel

vel occulti peccatoris, quæ fit à Prælato, vel Iudice. ex qua diffinitione colligimus, inquisitionem pertinere ad solos Prælatos, & iudices, per quod distinguitur ab accusatione, quæ solis subditis conuenit, & à denunciatione Euangelica, quæ omnibus siue subditis, siue Prælatis competit. hanc inquisitionem debet præcedere clamorosa insinuatio, inquit D. Thomas in littera, idest infamia, vt notat Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 6. a. 2. & in relect. de tegendo secreto memb. 2. q. 6. dub. 3. Petrus Nauarrus lib. 2. de restitut. cap. 4. part. 2. dub. 3. licet Martinus Nauarrus in cap. inter verba. 11. quæ. 3. concl. 6. corrol. 63. num. 697. quem sequitur Salon 2. 2. q. 69. a. 2. controuers. 1. distinguat inter infamiam, & clamorosam insinuationem dicens, infamiam esse, quando viri probi iudicialiter testantur esse talem rumorem, & famam de tali crimine; clamorosam autem insinuationem esse vocem totius populi, vel publicum rumorem inter multos de tali crimine extra iuditium. ad infamiam autem duo requiruntur, vt docet Caietanus 2. 2. q. 69. ar. 1. quorum primum est, vt sit frequens opinio, & vox bonorum, vnde vox discolorum non facit infamiam. secundum est, vt sit de tali crimine, vnde Iudex non poterit regulariter inquirere nisi de illo crimine, de quo præcessit infamia, quæ ex dictis poterit, sic diffiniri, infamia est frequens vox bonorum virorum, quæ hominem de tali crimine rationabiliter suspectum reddit.

Qui autem numerus requiratur hominum, vt eorum frequens vox causet infamiam, operosius inquirendum est. circa quod dico primò, non sufficere duos, vel tres testes, etiam si sub iuramento asserant, esse vocem publicam, vel famam talis delicti à tali homine commissi, vt habetur in cap. Inquisitionis parag. tertiæ dubitationis. & parag. quæsiuisti dico secundò numerum denarium non esse sufficientem absolutè ad constituendam infamiam, vt aliqui asserunt canonistæ, quia in populis numerosis decem sunt pauci, & ob dicta paucorum nullus debet infamatus reputari, nisi opinio eius læsa existat apud probos viros, & graues. tertiò dico cum Dominico Soto lib. 5. de iustitia, & iure. q. 6. a. 2. & in relect. de tegendo secreto vbi supra, quẽ sequitur Salon vbi supra, relinqui arbitrio prudentis discernere, quænam infamia sufficiens sit, & quis sit frequens rumor consideratis circunstantijs loci, tẽporis, personarum &c. de Inquisitione tractant D. Antoninus 3. p. tit. 9. cap. 7. Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 6. Dominicus Bannes 2. 2. q. 68. a. 1. & 2. Petrus Aragona, Michael Salon ibidem. Nauarrus in manuali cap. 18. nu. 38. & sequentibus, & in Coment. in rubricam de Iudicijs. notab. 20. & in cap. inter verba. 11. qu. 3. concl. 6. corrol. 62. 63. Alensis. 3. part. quæst. 46. memb. 3.

Pro maiori supradictorum explicatione vidẽdum est, an vnquam liceat inquirere contra aliquem in particulari sine præcedente infamia. & quod facit difficultatem in hoc quæsito est id, quod legitur de B. Gregorio Magno, qui vt habetur in cap. Quidam maligni. 5. q. 1. excomunicauit quendam occultum auctorem libelli infamatorij contra secretarium suum, in quo infamiæ notam ei inusserat, præcipiens, vt iste proderet, aliàs excomunicationem incursurus, & tamen nulla in hoc casu præcessit infamia, ergo licitum erit iubere, vt reus se se prodat, & consequenter licitum erit inquirere contra aliquem nulla præcedente infamia. hoc tamen non obstante dicimus, non esse contra aliquem inquirendum, nisi præcesserit infamia, vel semiplena probatio, vel manifesta indicia, hanc enim inquisitionis formam, & ordinem cuncta iura delineauerunt. ad casum autem Gregorij respondet Caietanus. 2. 2. q. 69. a. 2. notans duo, quorum primum est, quod aliud est præcipere absolutè, vt quis se prodat, aliud verò est præcipere disiunctiuam, scilicet aut probet, quod proposuit, aut pæniteat, aut sit excomunicatus. primum non fuit D. Gregorius, nec facere potuit, quod siquis faceret, alter obedire non teneretur, sed secundum præstitit. secundum est, quod sicut fulminari potest excomunicatio pro crimine, antequam patretur, vt dicendo, siquis furtum commiserit, vel Clericum percusserit, excomunicatus sit, ita post factum excomunicari potest, qui tale crimen commiserit. ex quibus infert, quod licet Pontifex potuisset illum criminosum latentem excomunicare absolutè propter peccatum præteritum, ex gratia tamen speciali apposuit conditionem, nisi se proderet probaturus crimina, quæ alteri obijciebat, adeò vt sit in potestate Rei excomunicationem euadere, si se prodere velit. addit tamẽ, excomunicationem hanc non ferri super illam conditionem, si se non prodiderit, sed in perpetratum crimen editi libelli. sed hæc responsio censetur à Dominico Soto lib. 5. de iustitia, & iure lib. 5. quæst. 6. artic. 2. indigna tanto Doctore, pro quanto ait excomunicationem ferri posse pro peccato præterito. Quod enim nec Papa pro peccato præterito absolutè excomunicare possit, nisi in futurum pendeat scandalum, restitutio, aut satisfactio, docent primò plurimi Doctores, Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. quæst. 6. artic. 2. vers. illud tamen argumentum. & 4. sentent. dist. 22 q. 1. artic. 2. concl. 4. & in lib. de tegendo secreto memb. 2. quæst. 6. ad 2. Martinus Nauarrus in cap. inter verba. num. 304. Petrus Nauarrus lib. 2. de restitut. c. 4 n. 164. Salon. 2. 2. q. 69. artic. 2. controuers. 7. ad 3. Hugolinus de cens. Ecclesiast. tab. 1. ca. 9. §. 5. num. 5. Beia in resp. casuum conscientiæ. p. 2. casu 2. Sairus lib. 1. Thesauri cap. 9. num. 25. & lib. 12. clauis Regiæ cap. 11. num. 2. dub. 2. & alij. Suadet vlterius ratio, quia excomunicationem omnẽ præcedere debet admonitio, vt sancitum habemus in cap. sacra. & in cap. per tuos, de sent. excom. & cap. Romana & cap. constitutionem, de sent. excom. in 6. & ita debet præcedere admonitio excomunicationem, vt sine ea non teneat, vndè vel excomunicatio est ab homine, vel à iure, si est ab homine, admonitio expresse, & explicitè debet præcedere; si à iure, ipsum ius valet pro admoni-

monitione, circa præteritum autem locum non habet admonitio. si quis autem respondeat eũ, qui committit læthale delictum, satis præmonitum fuisse Diuino iure, naturali, aut humano, quod violat, vt excomunicari possit. hæc responsio nulla erit, quia licet Deus transgressores legis æterna damnatione condemnet, attamen excomunicationis censuram, quæ est priuatio bonorum Ecclesiæ, ipsi ferendam commisit contra eos solum, qui eam non audirent, vndè cap. omnes decimæ, 16. q. 7. ius Diuinum ad hoc allegatur, vt secundum Domini præceptum, qui excomunicatur, ter sit præmonitus. & cap. Romano. de sent. excom. lib. 6. cauetur, ne vlli iudicium pro culpis præteritis, vel præsentibus excomunicationum sententijs absque competenti monitione præmissa promulgent; & si contra præsumpserint, & iniustas nouerint esse illas. vlterius si quis pro peccato præterito excomunicaretur, sæpè eum excomunicari contingeret, qui iam esset per contritionem in gratia, cum tamen nõ nisi ob mortale peccatũ excomunicari quis debeat. præterea excomunicatio non fertur, nisi contra rebellem, & inobedientẽ, sed inobedientia non respicit præterita, quæ iam non sunt in hominis potestate, quin sint facta, sed solum futura. si quis autem contra hoc obijciat factum Pauli, qui Corinthium illum, qui iam fornicatus fuerat, excomunicauit; respondebitur, D. Paulũ non excomunicasse illum Corinthium, quia fornicatus fuerat, sed quia perseuerabat in suo delicto, nec pænitebat obediendo. deindè hoc idẽ docet obseruãtissimus Ecclesiæ mos, & vsus, quæ neminem vnquam excomunicat pro peccato præterito sub hac forma, excomunico te, quia fecisti hoc, sed sub hac forma, nisi hoc feceris, nisi ablatum restitueris, aut satisfeceris. cõcludamus ergo, neminem pro peccato præterito absolutè excomunicari posse, sed solùm si scandalum, aut satisfactio in futurum pendeat, & mora in his præstandis præcedat, aut alia rationabilis causa subsit. & in cap. Romana. §. caueant. de sent. excom. lib. 6. Papa statuit, vt si quis aliquid furatus sit, vel alteri iniuriam intulit, & monitus nõ vult restituere, vel satisfacere, poterit contra eũ ferri excomunicatio cum hac conditione, nisi intra tantum temporis restitueris, vel satisfeceris, & tunc non excomunicatur pro peccato præterito, sed pro præsenti inobedientia, ex mora in nõ restituendo, aut non satisfaciendo, sicut fecit D. Paulus cum illo incestuoso. respondeamus ergo ad factum D. Gregorij, quod D. Gregorius auctorem libelli infamatorij. excomunicauit non propter delictum commissum, & præteritum, nec supra debitum prodendi se absolutè, aut conditionaliter, sed nisi restitueret famam, ad quam iure naturæ, & Papæ præcepto tenebatur, etiam cum periculo propriæ famæ, & etiam si sic perseuerans in peccato, & non satisfaciens ad Eucharestiam accedere præsumpserit. illius enim capitis verba sunt. si vero, quia latet, & quoniam nescitur, teneri ad disciplinam non valet, si tanti mali conscius, & prohibitus, Corpus, & sanguinem Domini percipere præsumit, anathematis vltione percussus sit. excomunicatur ergo non pro delicto præterito, neque nisi se proderet, sed pro futuro sacrilegio, si ab Eucharestię susceptione in peccato existens non abstineret. itaque sub pæna excomunicationis fuit præmonitus, ne ad sacramentum accederet, quod si sumeret, vinculo excomunicationis innodaretur. ex his elicimus, quod si talis auctor libelli infamatorij per aliquam tertiam personam, aut aliqua alia via diffamati restituere potuisset famam, ex vi ipsius excomunicationis non tenebatur ad se manifestandum, nec abstinere ab Eucharestia, quia finis illius excomunicationis eo tantum feriebat, vt satisfaceret diffamato, cui si satisfuisset, quocunque modo id fecisset, etiam si se non proderet, excomunicationem non incurreret.

Liceat nunc breuiter recensere casus aliquos, in quibus Iudex possit inquirere sine præcedenti infamia, vt ex cognitione horum possit lector de alijs iudicare. primus ergo est crimen hæresis, & apostasiæ, puta si diuulgarentur libelli cõtinentes hæreses, & ignoraretur eorum auctor omninò, poterit inquirere Iudex cõtra aliquem specialiter, etiamsi non præcesserit infamia, quia peccatum hæresis solet alios plurimum inficere, serpit enim vt cancer, & vt pestis, *vt habetur* in c. inquisitionis, de hæret. in 6. & experientia constat, mala autem, & damna futura impediri debent omni possibili modo, dummodo scilicet saltem præcedat aliqua suspicio, vt ait Nauarrus, alias non, vt colligunt aliqui ex c. vt officiũ Inquisitionis. de hær. in 6. immò admonet Nauarrus, vt nisi adsit grauis suspicio, & timeatur de fuga Rei, nemo vinctus capiatur pro hæresi ratione magni detrimenti famæ, quod inde saltem de facto nascitur, hoc etiam obseruat Sanctæ Inquisitionis officium. legatur in Comment. super cap. inter verba. 11. quæst. 3. concl. 6. corrola. 63. num. 683. & num. 693. & in Comment. in rub. de iudicijs. num. 92. secundus casus est *crimen* læsæ maiestatis, vt conspiratio in Principem, proditio Ciuitatis, falsificatio monetæ &c. vt expressè habemus in extrauagãti Imperatoris Federici incipienti, ad reprimendum. de hæreticis. legatur Dominicus Sotus in releḉt. de tegẽdo secreto. memb. 2. q. 6. concl. 3. quem sequitur Salon 2. 2. q. 69. a. 2. controuers. 7. Nauarrus in comment. super c. inter verba. 11. q. 3. corrol. 63. num. 686. & in comment. in rub. de iudicijs. num. 94. limitatur tamen hic casus, nempe, quod non sufficit suspicio resultans ex eo solo, quod sit factionis suspectæ, vel de genere suspectorum, vt notat Nauarrus loc. cit. qui etiam addit, quod ante constitutionem Federici poterat specialiter inquiri de crimine læsæ maiestatis humanæ occultò nundum perpetrato, vel de cuius etiam iteratione, & continuatione iure timeri potuit, quia semper fuit licitum obuiare malis futuris, non tamen de iam perpetrato, & omninò sopito, itaut nullus sit timor reiterationis, seu renouationis, dummodo nulla sit notorietas, nec infamia, nec suspicio alicuius in particulari, licet aliquis particu-

ticularis, vel aliqui particulares scirent, vel suspicarentur de tali crimine, & nunciaretur Iudici. arg. c. inquisitionis de accusat. post tamen constitutionem Federici vtrumq; licebit. ex quo infertur, posse Papam in tota Ecclesia, Imperatorem, & supremos Principes in suis dominijs legem nouam condere, vt in aliquo casu nouo inquiratur specialiter ad puniendum certum delictum contra aliquē sine infamia, vel alio ei æquiualenti, dummodo tamen adsit iusta causa statuendi talem legem, & in tali casu subditi tenerentur obedire legi, & detegere peccata illa, quæ sciunt, quia quod debeat præcedere infamia inquisitionem est de iure positiuo, superquod ius Papa, & Principes sæculares non recognoscentes superiorem in temporalibus habent potestatem, & consequenter possunt in eo dispensare, & instituere, vt in aliquibus casibs iusta de causa inquiri possit sine infamia præcedente. tertius casus est, quando agitur ad impedienda, & euitanda mala futura, percipuè animarum, & tollendam occasionem illorum, in hoc, inquam, casu potest specialiter contra aliquem inquiri sine præcedente infamia, vt docet Nauarrus in comment, in rub. de Iudic. nu. 92. & in cap. inter verb. 11. q. 3. concl. 6. corrol. 63. num. 663. ratio etiam id suadet, quia ideò non permittitur inquisitio sine infamia, ne scilicet lædatur fama proximi, hæc autem ratio cessat, quandò amissio famæ necessaria est ad impediendam iacturam animæ, salus si quidem animæ præponenda est conseruationi famæ. quartus casus est, quando in inquisitione non intenditur condemnatio, aut pœna inquisiti, sed euitatio erroris, aut damni, sicut cum inquiritur meritum alicuius, priusquā assumatur ad officium, vel Dignitatem, Prælati enim Ecclesiæ tenentur hanc inquisitionem facere ex officio, ne eligatur, aut confirmetur indignus, vt habemus in cap. cum in multis, & & cap. cum dilectus. de elect. aut cum inquiritur impedimentum matrimonij, ne quis contrahat in gradu prohibito. cap fin. de Clandest. desponsat. hunc casum ponit Dominicus Sotus in relect. de tegendo secreto memb. 2. q. 6. concl. 3. quem sequitur Salon 2. 2. q. 69. a. 2. controuers. 7. attamen Nauarrus in comment. in rub. de iudicijs. nu. 85. & in cap. inter verba 11. q. 3. concl. 16. corrol. 63. num. 653. quem sequitur Sairus lib. 12. clauis regiæ cap. 11. num. 14. ait hunc casum sine causa excipi ab illa regula, quandoquidem hæc regula, vt nemo sine accusatore damnetur, solum habet locum, quando Iudex procedit ad pœnam ipsius Rei, & secundum Iuris ordinem, in hoc autem casu non agitur de damnatione electi, neque de eo castigando, sed solū de non dando ei, quod non debetur, vel non auferendo, quod debetur, aut ne matrimonium coniungantur, qui iusto aliquo impedimento prohibentur. sed si Nauarrus ab hac regula excipit secundum casum, in quo agitur ad impediēda, & euitanda mala futura, præsertim animarū, & tollendam occasionem illorum, quare & hunc excipere non debet, in quo intenditur euitatio erroris, aut damni? quintus casus est, quando quis publicè confessus est crimen suum, extra tamen ordinem iuris, vt Bonifatius determinauit octauus in cap. 1. de accusat. in 6. asserens posse Iudicem procedere contra confessum proprium crimen. iste casus non debet intelligi, vt sonant verba, quia procederet Iudex ad inquirendum præcedente infamia, ex hoc enim quod aliquis coram multis confessus est crimen, eo ipso est multis notorium, & manifestum, sed debet intelligi cum hac limitatione, vt notat Dominicus Sotus in relect. de tegendo secreto memb. 2. q. 6. concl. 3. quem sequitur Nauarrus in Comment. Rub. de iudicijs. num. 86. & in cap. inter verba. 11. q. 3. cōcl. 6. corrol. 63. n. 671. Salon. 2. 2. quæst. 69. artic. 2. controuers. 7. vt procedat casus, quando confessus sit crimen coram multis in publico, itaut confessio extraiudicialis coram duobus, aut tribus non sufficiat ad inquirendum, neque etiam si fiat coram Prælato spontè, aut ex lapsu linguæ, & inaduertenter, aut si Prælatus aperiret litteras subditi, in quibus subditus confiteretur aliquod crimen. in his enim casibus non adest ius inquirendi iudicialiter, sed tantū corrigendi fraternaliter, nisi forsan crimen esset cōtra bonum cōmune. an autem sufficiat confessio iudicialis facta corā duobus, vel tribus, disensio est inter Sotum, & Nauarrum. Sotus negat, sed vult necessarium esse, vt confessus sit coram pluribus; Nauarrus affirmat, & dictum Nauarri esse magis cōforme determinationi Bonifatij octaui, glosæ, & aliorum asserit Sairus lib. 12. clauis regiæ cap. 11. n. 15 sed si Nauarrus vult, vt hic casus procedat, quando quis cōfessus sit crimen coram multis in publico, tenetur etiam fateri non sufficere confessionem iudicialē factam coram duobus, vel tribus, numerus si quidem binarius, vel ternarius non facit multitudinem, nec præsentia duorum, vel trium fuit publicum, quod corā illis notificatur, nec Bonifatius octauus aliter docuit, vt patet. est tamen verum, quod subiungit Nauarrus, vt casus non procedat in eo, qui iudicialiter timore tormentorum confessus est crimē etiam coram multis, dummodo sic confessus reuocet confessionē suam tanquam timore factam, idem dic, quando confessio facta fuit sine tormentis, non tamen sine iniusto carcere, quia, & carcer tormentum est. ex quibus patet, hunc casum nō debere excipi à regula communi, quia verè in eo adest notorietas delicti, & infamia. sextus casus est, quando Iudex procedit ex mero officio, aut ad denunciationem officialis publici. sic Bartolus cum communi in L. 2. §. si publico. ff. de adult. & aduerte, quod tunc solum valet denunciatio publici officialis, sicut etiam, & denunciatio priuatæ personæ pro accusatione, quando crimen est notorium, & famosum; sine infamia vero solùm procedere potest, quando crimen est in perniciem Reipublicæ, quia, vt notat Dominicus Sotus in relect. de tegendo secreto memb. 2. q. 6. concl. 3. quem sequitur Nauarrus in c. inter verba. 11. q. 3. concl. 7. corrol. 63. num. 666. & in comment. in rub. de iudicijs num. 85.

publicus officialis non habet hoc priuilegium, vt ad eius denunciationem Iudex inquirat, sicut nec inquirere potest ad denunciationem personæ priuatæ, officialis enim non debet denunciare nisi crimen notorium, & famosum, nec quousque de hoc fidem faciat denunciator, inquirere debet Iudex. quod si crimen sit priuatum, & non sit in præiudicium tertij; illi non incumbit ex offitio denunciare, & si denunciat, non potest fieri inquisitio absque præcedente infamia, sicut si denunciatio fieret ab alia persona priuata. septimus casus est, quando Iudex principaliter inquirit vnum crimen, & incidenter inuenit aliud crimen, tunc siquidem Iudex potest inquirere de alio incidenter cognito, cuius aliàs non erat diffamatus, & illud punire in eadem tela iudicij, vel saltem noua texta, vt communiter docent Doctores in d. parag. si publico. & l. vitandi. C. de condictionibus ob turpem causam. & l. pen. C. si aduers. lib. circa hunc casum est controuersia inter Sotum, & Nauarrus, nam Dominicus Sotus in relect. de tegendo secreto memb. 2. q. 6. concl. 3. quem sequitur Salon. 2. 2. q. 69. ar. 2. controuers. 7. ait, quod solum habet locum, quando crimen inquiritur, & incidenter repertum est indicium, & circunstantia alterius criminis aggrauans delictum, de quo principaliter tractatur, & non aliter, vt puta cum quis inquiritur de concubinatu, de quo laborat infamia, & Iudex incidenter cognoscit concubinam esse monialem, vel cōsanguineam, tunc Iudex potest inquirere de illa circunstantia, quia aggrauat concubinatum. si autem crimina incidenter cognita sint disparata omninò, tunc incidens cognitio vnius criminis non dat ius inquirendi de crimine incidenter reperto, vt si ille, qui inquiritur de concubinatu, inueniatur homicidia, vel fur, tunc iste non potest inquiri absque præcedente infamia. Nauarrus autem in comment. in rub. de iudicijs. num. 86. & in cap. inter verba. 11. q. 3. cōcl. 6. corrol. 63. n. 676. & 677. quē sequitur Dominicus Bannes. 2. 2. quæst. 70. a. 1. dub. 1. concl. 4. Sairus lib. 12. clauis regiæ cap. 11. num. 17. docet, quod crimen annexum incidenter repertum, siue sit circunstantia aggrauans, siue alleuians, siue neutrum faciat, puniri potest in eodem iuditio, non ordiendo, & tenendo nouam telam iudicij. si autem sit crimen à principali alienum, tunc non potest puniri in eodem iuditio, sed opus est nouam telam iuditij exordiri, & illam ordiendo punire potest Iudex. & hanc sententiam sequor ego hac ratione ductus, quia sicut quod principaliter probatur in iuditio, habetur pro notorio, ita quod incidenter probatur, notorium est, & infamiam adducit secundum ius, & consequenter de illo potest fieri inquisitio. Sairus lib. 12. clauis regiæ cap. 11. num. 17. ait malè excipi hunc casum à regula communi, quia in hoc casu interuenit infamia, & notorietas. sed respondetur, quod licet adsit notorietas criminis, potest inceptam inquisitionem, non aderat temen ante inquisitionem, & de hac loquuntur Doctores citati, vt constat ex forma, qua proponitur casus. octauus casus est, quando crimen committitur in conspectu Iudicis, & aliorum circunstantium, seu quando crimen deprehenditur in discursu processus, vt est falsa, & calumniosa accusatio, falsum testimonium testis, aut si pars vtatur litteris, vel instrumento falsis. hunc casum ponit Bartolus in extrauag. ad reprimendū. in verb. inquisitio. S. Antoninus. 3. p. tit. 9. cap. 7. Dominicus Sotus in relect. de tegendo secreto memb. 2. q. 6. concl. 3. quos sequitur Salon. 2. 2. q. 69. a. 2. controuers. 7. Nauarrus in comment. in rub. de iuditijs. nu. 88. & in cap. inter verba. 11. q. 3. concl. 6. corrol. 65. num. 680. attamen Sairus lib. 12. clauis regiæ cap. 11. num. 19. ait, hunc casum sine ratione firma excipi à regula illa cōmuni, nemo sine accusatore damnetur, quia sicut processus iuridicus est actus publicus, & cognitio, quæ habetur ex illo, publica est, ita etiā crimen, quod in ipso processu committitur, iure censetur publicum, & notorium, ac inde adest accusator virtualis. respondetur tamen processum iuridicum non censeri publicum ante publicationem, quæ est, quando exhibentur defensiones, datur copia illius Reo, siue illius aduocato, & consequenter ante hanc publicationem non erit publica cognitio, quæ habetur ex illo, & consequenter nec crimen, quod *in ipso* processu committitur, erit publicum, quia licet Iudex, & Notarius hoc cognoscant crimen, non tamen propter hoc censetur notorium completè, sed dicetur incipere esse notorium, & dicetur esse notorium inchoatiuè. vel etiam in alio sensu potest dici publicum crimen, quia scilicet est notum publicis personis, scilicet Iudici, & Notario. Ponitur nonus casus ex Bartolo in d. lege. 2. parag. si publico. ff. de adult. quando scilicet Iudex, aut Prælatus in generali Inquisitione comperit aliquem deliquisse, tunc potest Iudex ille ad Inquisitionem specialem descendere. negat hunc casum Dominicus Sotus in relect. de tegendo secreto memb. 2. quæ. 6. concl. 3. Sairus autem asserit, hunc casum sine causa, & ratione negari à Soto, contra quem arguit ex concessis ab ipso, quia si probatio incidenter facta secundum Sotum sufficit ad inquirendum, à fortiori sufficiet facta ex proposito generaliter inquirentis. sed quod debeat negari hic casus, & frustra excipiatur à regula communi, hæc suadet ratio, quia adest notorietas facti, siue criminis, illiusque infamia, quæ enim erant occulta, iam iudicialiter reperta in generali inquisitione desinunt esse occulta, & incipiunt esse notoria, & sic præcedit infamia specialem inquisitionem. ad rationē Sairi respondetur, quod vtique probatio facta ex proposito generaliter inquirentis sufficit ad inquirendum specialiter de aliquo, sed negari non potest, quin ex hac probatione insurgat notorietas, propter quam rectè debet negari hic casus, & frustra excipitur à regula communi, nēpe nemo sine accusatore damnetur, quæ intelligitur de accusatore vel formali, vel virtuali, qualis est infamia. quæ regula vtique seruanda est nedum à Iudicibus sæcularibus, sed etiam à superio-

perioribus Clericorum, & Religiosorum, dum inquirunt grauia crimina suorum subditorum, vt docet D. Thomas. 2.2.q.33.a.7. ad 4 & 5. Caietanus ibidem, Dominicus Sotus in relect. de tegendo secreto memb. 2. quæst. 6. Michael Salon, Petrus Aragona. 2.2. quæst. 67. art. 3 Nauarrus in comment. in rub. de iudicijs. nu. 91. & in c. inter verba. 11 quæst. 3. concl 6. corrol. 63. num. 689. & ratio id suadet, quia ius naturæ de cælandis occultis, & fama seruanda proximi non minus obligat erga Clericos, & Religiosos, quam erga alios, immò magis obligat, quia eorum fama preciosior est, & infamia maius scandalum generare solet. in criminibus ergo grauibus superiores Clericorum, & Religiosorum non possunt contra eos procedere, nisi eo modo, quo alij Iudices sæculares scilicèt non sine aliquo accusatore formali, aut virtuali, & non sine ordine iudiciali, quamuis sine strepitu, & figura iudicij, sicut Religiosos decet; in leuibus tamen culpis non requiritur tanta probatio, aut infamia, sed relinquitur prudentiæ superioris, vt sine strepitu, & tumultu iudiciali procedat sola rei veritate inspecta. & meminerint Religiosi suæ professionis, qua renunciant iuri suo in huiusmodi leuibus culpis. seruentur constitutiones cuiusque Religionis approbatæ. ex quibus patet, non esse audiendus Ioannem Andream in c. olim, de accusat. & Alciatum in cap. 1. de offic. ordina. qui asserunt, apud Clericos, & Religiosos non opus esse tanta probatione, aut infamia ad inquirendum contra illos, quanta apud Iudices sæculares opus est. nec cap in singulis, de statu Monach. quod pro ase fferunt, in aliquo obstat supradictis, quia de modo procedendi in leuibus culpis illud loqui non dubito.

Quæritur, quomodo sit facienda denunciatio.

2 Respondeo dicendum, quòd denunciator non obligat se ad probandum; vndè nec punitur, si probare nequiuerit, & propter hoc in denunciatione non est necessaria scriptura, sed sufficit, si aliquis verbo denunciet Ecclesię, quæ ex officio suo procedet ad Fratris emendationem. 2.2.q.68. art. 2. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est in denunciatione non est necessaria scriptura, sed sufficit, si aliquis verbo denunciet Ecclesiæ, quæ ex offitio suo procedet ad fratris emendationem, probatur, quia denunciator non obligat se ad probandum, vndè nec punitur, si probare nequiuerit.

Ad explicationem huius litterę obserua, quod in hoc distinguitur denunciatio ab accusatione, quod accusatio debet fieri in scriptis, quia accusator se obligat ad probandum, & si defecerit in probatione, punietur pæna talionis; non sic autem denunciator, qui non obligat se ad probandum, nec punitur, si non probauerit, ideò in denunciatione non est necessaria scriptura.

DEPOSITVM.

1 *In cuius vtilitatem sit depositum.*
§ *Quid sit depositum. & de quibus sit.*
Depositum in quo distinguatur à mutuo.
2 *Depositum dupliciter perdi potest.*
Quando perditur depositum ex causa ineuitabili &c. depositarius non tenetur ad restitutionem.
Tenetur tamen iurare ad expurgandum suspitionem fraudis.
Quando depositum est perditum ex causa euitabili, reddere tenetur depositarius.
§ *Circa restitutionem depositi varij resoluuntur casus.*
Depositarius non tenetur restituere depositum sine omni sua culpa perditum.
Si perdatur ob latam depositarij negligentiam, tenetur ad illius restitutionem.
Si ob leuem, vel leuissimam, non tenetur ad restitutionem.
Quid sit lata, lauis, leuissima negligentia, explicatur.
Sufficit, vt depositarius in deposito custodiendo vtatur ea diligentia, qua vtitur in rebus suis custodiendis.
Si depositarius sit negligens in custodienda re sua, sit tamen diligens in custodienda re aliena.
Duo casus recensentur, in quibus tenetur depositarius ad restituendum etiam pro leui culpa, siue negligentia.
Tres recensentur, in quibus tenetur depositarius ad restitutionem pro leuissima negligentia.
Depositarius nō tenetur restituere depositum perditum ex casu fortuito, nisi in tribus casibus, & quibus.
3 *Si depositarius amittit depositum ex sua culpa, tenetur restituere.*
§ *Duæ radices restitutionis notantur, & quæ.*
Regula quædam ponuntur circa restitutionem rerum.
Quod dicitur de amissione rei deposita, dicitur etiā de deterioratione illius, & quare.
Si deterioratio talis sit, quod reddatur inutile deponenti, reddetur æstimatio tota; alioquin iuxta deteriorationis quantitatem.
4 *Qui surripit rem suam apud alium depositatam peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij.*
§ *Notatur discrimen inter furtim accipientem rem suam apud alium iniustè detentum, & inter furtim accipientem rem suam apud alium depositam.*
Res deposita est simpliciter deponentis, secundum quid autem est depositarij.
Hoc verificari posse dupliciter attestatur Caietanus, & quomodo.
5 *Quare deposita sint reddenda.*
6 *Impugnatori Patriæ non est reddendum depositum.*
§ *Non est possibile, quod instituatur aliqua regula legis, quæ in nullo casu deficiat.*
Legislatores attendunt, quod vt in pluribus accidit.

In casu litteræ seruanda est Epicheia.
Quid sit Epicheia.
7 *In quibus casibus non sit restituendum depositum.*
8 *Furioso non sunt danda arma deposita, licet ea petat, sicut nec hosti Reipublicæ, & quare.*

Quæritur in cuius vtilitatem fiat depositum.

1 RESpondeo dicendum, quòd depositum traditur in vtilitatem deponentis. p. 2. q. 105. a. 2. ad 5. (2.2.q.62.a.6. in corp.

Depositum tradi in vtilitatē deponentis, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Vt explicetur hæc doctrina, obserua, depositum, quod nil aliud est, quam, quod alicui custodiendum traditur, & quod ordinariè est de mobilibus, & se mouentibus tantum, in hoc distingui à mutuo, quod mutuum traditur in vtilitatem eius, cui traditur, scilicet mutuatarij, vndè & transfertur dominium in mutuo in mutuatarium, depositum autem traditur in vtilitatem deponentis, apud quem etiam manet dominium rei depositæ.

Quæritur, an depositarius teneatur restituere depositum deperditum.

2 Respondeo dicendum, quòd depositum perdi potest dupliciter, vno modo ex causa ineuitabili, vel naturali, puta si esset mortuum, vel debilitatum animal depositum, vel extrinseca, puta si esset captum ab hostibus, vel esset comestum à Bestia, in quo tamen casu tenebatur deferre ad dominum animalis id, quod de animali occiso supererat, in alijs supradictis casibus nihil reddere tenetur, sed solum ad expurgandam suspitionem fraudis tenetur iuramentum præstare; alio modo potest perdi ex causa euitabili puta per furtum, & tunc propter negligentiam custodis reddere tenetur. p.2.q.105.a.2. ad 5.

Data distinctione respondet D Thomas huic quæsito triplici cōclusione. distinctio est. quod depositum dupliciter perdi potest, vno modo ex causa ineuitabili, vel naturali, vt si animal esset mortuum vel debilitatum, vel extrinseca, vt si esset captum ab hostibus, vel esset comestum à bestia. alio modo potest perdi ex causa euitabili, vt per furtum. prima conclusio. de deposito perdito ex causa ineuitabili, vel naturali nil reddere tenebitur depositarius, sed solum ad expurgandam suspicionem fraudis tenebitur iuramentum præstare. secunda conclusio. in casu, quo depositum peditur ex causa extrinseca, vt si animal sit comestum a bestia, tenebitur depositarius deferre ad Dominum animalis id, quod de animali occiso supererat. tertia conclusio. si depositum perdatur ex causa euitabili, vt per furtū, tūc propter negligentiam custodis reddere tenebitur.

Explicat hoc in loco D. Thomas, ad quid tenerentur olim depositarij in varijs casibus circa deposita perdita, quæ etiam nunc profectò sunt obseruanda. dicendum ergo est, quod si depositum sit perditum ex causa naturali, & ineuitabili, vt si animal, quod erat in custodia alicuius, mortuum fuit, vel debilitatum naturaliter, nihil reddere tenetur depositarius, sed solum tenetur iuramentum præstare ad purgandam suspicionem fraudis, ex quo infertur, quod si animal fuit mortuum, vel debilitatum ex fraude depositarij, puta quia noluit, vel neglexit pascere animal, vel pascua nociua præbuit ei, tunc tenebitur ad restitutionem; si autem depositum, puta animal fuit perditum ex causa extrinseca, vt si comestū fuit à Bestia, tenetur deferre ad Dominum animalis id, quod superfuit de animali, siquid superfuit, vt possit Dominum certificare de animalis occisione, non autem tenetur ad restitutionem animalis depositi, nisi fuisset comestum ex negligentia custodientis, quia tunc ad restitutionem teneretur, si autem depositum, vt animal fuit perditum ex causa euitabili, puta per furtū; tunc propter negligētiam custodis reddere tenetur. pro quorū maiori explicatione obserua, quod depositum si perdatur sine vlla omnino culpa depositarij, ad illius restitutionem non tenetur depositarius; si autem perdatur ob culpā, siue negligentiam latam, tenetur ad restitutionem; si autem ob leuem, & leuissimam, non tenetur restituere, vt docet Bartolomeus Medina lib. 1. instruct. cap. 14. parag. 30. culpa, siue negligentia lata est, qua vtuntur homines multum negligentes, vel quam regulariter omnes communiter vitant, qualis est illius, qui extra domum, aut in ostio, aut in scamno rem sibi depositam relinquit, culpa, seu negligentia leuis est, quæ accidit hominibus mediocriter diligentibus, vel quam regulariter homines diligentes suæ professionis euitant, qualis est eius, qui rem depositam in suo cubiculo, ostio tamē aperto relinquit. leuissima culpa, siue negligentia est, quæ solet esse in hominibus multum diligentibus, vel quā homines diligentissimi vitare solent, qualis est eius, qui rem depositam intra cubiculum relinquit, quod claue obseruauit, non tamen manu tentauit, an esset benè obseratum. ratio conclusionis nostræ est, quia depositum non est ob commodum depositarij, sed deponentis Domini, & ideò sufficit depositario, si in custodienda re deposita vtatur ea diligentia, quam adhibere solet in custodiendis rebus suis. hinc aduertat depositarius, ne sit minus diligens in deposito seruādo, quam in re propria custodienda, aliàs est in fraude præsumpta; & si sit negligens in re sua, in deposito tamen debet esse diligens, aliter est in culpa. nota tamen duos casus, in quibus depositarius tenetur ad restitutionem, etiam pro leui culpa, siue negligentia, quorum primus est, si depositarius pro custodia mercedem accepit, vt l. prima. parag. si quis seruum. sic etiam docet Siluester

uester verb.depositum.q.1.& post cum Nauarrus in manuali cap. 17.num.181.secundus est,si conuenit, vt teneretur.contractus enim ex conuentione legem accipiunt,vt habetur l.prima.parag. si conueniat. subiungit tamen Siluester verb.depositum. quæst.1.quod si conuenirent,vt de dolo non teneretur, non est sequenda ista conditio, quia est contra bonos mores, & contra bonam fidem, vt asserit Siluester loco citato ex lege, & preberet occasionem peccandi, vt docet Nauarrus in manuali cap. 17. num. 181. nota vlterius tres casus, in quibus etiam tenetur depositarius restituere pro culpa, & negligentia leuissima, quorum primus est,si causa depositarij sit res deposita, idest si gratia depositarij depositum factum est secundus est, si deposito se obtulit, idest quando se obtulit custodem, hoc tamen verum esse, si diligentissimum exquisiuit docet Siluester loco citato, idest si propter hoc quod ille se obtulit custodem, deponens alteri diligentiori cõmittere omisit. rationem huius dicti affert Armilla verb. depositum. artic. 2.tertius est,si conuenit, vt habetur l. prima parag. sæpe euenit. si quis autem quærat, an depositum perditum casu fortuito teneatur depositarius restituere, dicendum erit, quod cum casus fortuitus sit inopinatæ rei euentus, qui præuideri non potest, etiam per diligentissimum, & casu fortuito illud dicatur euenire, quod sine vllo dolo, & culpa eius, de quo agitur, contingit, qualia sunt, quæ contingunt per bellum inopinatum, furtum, latronem, terræmotum, gelu, grandines, fulmina, & huiusmodi, depositarius non tenebitur ad restitutionem depositi perditi casu fortuito, nisi in tribus casibus, quos recenset Siluester, & Armilla locis citatis, quorum primus est, quando depositarius fuit in mora restituendi, nec restituit suo tempore, & ob dilationem perditum fuit casu fortuito. secundus est, quando depositarius est in culpa, quia tunc seruanda erunt, quæ supra diximus. tertius est, cum fit pactum, nempe quod quamuis casu fortuito amitteretur, ei, qui recepit, pereat.

Quæritur in quo casu depositarius teneatur restituere depositum.

3 Respondeo dicendum, quòd ille, qui accipit in depositum, in nullo tenetur ratione acceptionis, quin immò accipiendo impedit obsequium, tenetur autem ratione rei, & propter hoc si ei subtrahuntur res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem; secus autem esset, si cum magna sua culpa rem depositam attmitteret; 2.2.q.62.a.6. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ille, qui accepit in depositum, in nullo tenetur ratione acceptionis, quinimmò accipiendo impendit obsequium. hæc relinquitur vt nota. secunda conclusio. tenetur iste ratione rei, & propter hoc si ei subtrahatur res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem. hæc conclusio etiam relinquitur vt clara. tertia conclusio. secus esset, si cum magna sua culpa rem depositam amitteret. hæc conclusio etiam vt nota habetur.

Pro explicatione huius litteræ obserua, quod hoc in loco insinuantur duæ radices restitutionis, nempe acceptio, & res accepta, ita quod omnis restitutio aut est debita ratione acceptionis, aut ratione rei acceptæ, acceptio autem duplex est, scilicet iusta, vt per mutuum, aut emptionem, aut depositum, aut conductionem, vel est iniusta, vt rapina, vsura, & huiusmodi. ex his statuũtur aliquæ regulæ, prima desumitur ex parte acceptionis, quicunque fuit causa iniustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem. secunda regula est ex parte rei acceptæ, quilibet habens rẽ alienam, tenetur eam restituere, quia res illa nõ est ipsius, sed alterius, & per consequens non est detinenda, sed danda illi, cuius est. tertia regula est. tenetur quis ad restitutionem aliquando ratione vtriusque, scilicet ratione acceptionis iniustæ, & ratione rei acceptæ, vt cum quis iniustè accepit rem puta per furtum, vel rapinam, & eam habet apud se, vel precium eius. quarta regula est: vbi nulla interuenit iniustitiæ iniquitas, nulla adest restitutionis obligatio. in proposito autem cum agimus de deposito, depositarius nõ tenebitur ad restitutionem ratione acceptionis, quia acceptio est licita, & iusta, contractus siquidem depositi est licitus, iustus, & tantum abest, quod in hoc contractu depositarius iniustitię iniquitatem subeat, quin potius accipiendo impẽdit obsequium, vt in littera dicitur. tenebitur tamen restituere depositarius ratione rei acceptæ, quia scilicet res accepta non est depositarij; sed est Domini deponentis; hinc fit, quod si depositario auferatur res deposita absque sua culpa, ad restitutionem non tenebitur, quia depositum regulariter fit gratia deponentis tantum, vt patet in ca. bona fides, vnde si non sit in culpa subtractionis rei, non tenetur ad restitutionem; quoniam alias probabiliter æstimãdum est, quod semper in voluntate illa obsequendi amico perseuerauerit, ex quo talem voluntatem habuit à principio, quando depositum acceptauit. si autẽ amitteret rem depositam cum magna sua culpa, modo scilicet supra exposito, tunc ad restitutionem teneretur. hic vnum obserua, quod etiam supradictis deseruiet, nempe quod id, quòd diximus de amissione rei depositæ, asserendum est etiam de deterioratione illius, quia deterioratio est quædam perditio rei. & vlterius nota cũ Siluestro verb. depositum. q. 1. quod si deterioratio talis sit, quod reddatur inutile deponenti, reddetur æstimatio tota, alioquin iuxta deteriorationis quantitatem.

Quæritur, an ille, qui rem suam alteri depositatam surripit, peccet, & ad quid teneatur.

4 Resppondeo dicendum, quòd ille, qui

fur-

furtim accipit rem suam apud alium positam, grauat depositarium, quia tenetur ad restituendum eam, vel ad ostendendum se esse innoxium, vndè manifestum est, quod peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij. 2.2.quæst.66.art. 5. ad 3.& a. 3. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ille, qui furtim accipit rem suã apud alium depositam, grauat depositarium. probatur, quia tenetur ad restituendum eam, vel ad ostendendum se esse innoxium. hinc elicitur corrolarium, quod iste peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij.

Ad explicãdam hanc doctrinam obserua descrimen repertum inter furtim accipientem rem suam apud alium dopositam, & inter furtim accipientem rem suam apud alium iniustè detentũ, quod primus peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij, quia verè grauat ipsum, cum depositarius teneatur ad restituendum eã, vel ad ostẽdendũ se esse innoxium. secundus autem peccat, non quia grauet eum, qui detinet, & consequenter non tenetur ad restituendũ aliquid, vel ad recompensandum, sed quia facit cõtra communem iustitiam, dum ipse sibi vsurpat suæ rei iudicium, iuris ordine prætermisso, & ideò tenetur Deo satisfacere, & dare operam, vt scandalum proximorum, quod indè exortum fuerit, sedetur. pro quorum maiori explicatione nota ex D. Thoma 2. 2. q. 66. a. 3. ad 3. quod nihil prohibet id, quod est simpliciter vnius, secundum quid sit alterius, vndè res deposita est simpliciter deponentis, sed secundum quid, idest quantum ad custodiam, est ejus, apud quem deponitur, sicut id, quod per rapinam est ablatum, est rapientis nõ simpliciter, sed quantum ad detentionem, quod verificari posse dupliciter, attestatur Caietanus 2. 2. q. 66. a. 3. ad 3. in responsione ad primum dubium, primò quantum ad hoc, quod non potest priuata auctoritate ab eo auferri inuito, dominus enim rei non potest sibi ipsi ius dicere. secundò quantum ad hoc, quod ipse tenetur tenere eam non sibi, sed Domino restituendam, & ideò si Dominus rei occultè accipiat illam, iniuriam facit illi, qui rapuit, pro quanto raptor incurrit duplex damnum, dum rem amisit, & precium tenetur dare Domino, nesciens rem deuenisse ad Dominum, cum ergo res deposita sit secundum quid, idest quo ad custodiam depositarij, qui rem suam apud depositarium seruatam surripit furtim, peccabit nedum propter rationem allatam in littera, sed etiam quia surripit, quod alterius est secundum quid, idest quo ad custodiam. An autem impotens recuperare rem suam, aut aliquid sibi debitum via iuris, accipiendo illam sine scandalo, peccet coram Deo, dicetur infra verbo furtum q. 12.

Quæritur, quare deposita sint reddenda.

5 Respondeo dicendum, quòd lex instituit, quod deposita reddantur, quia hoc, vt in pluribus iustum est. 2.2.q.120.art.1. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est lex instituit, quod deposita reddantur. probatur, quia hoc, vt in pluribus iustum est.

Si reddere deposita, vt in pluribus iustum est, ergo in aliquibus casibus erit malũ reddere deposita, duo autem casus ponuntur in sequentibus quæsitis in quibus malum est reddere deposita.

Quæritur, an impugnatori Patriæ sit reddendum depositum.

6 Respondeo dicendum, quòd impugnatori Patriæ non est depositum reddendũ. 2.2.q.51.a.4.in corp.

Impugnatori Patriæ non esse reddendum depositum, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Iste est primus casus, in quo non est licitũ reddere depositum, puta si hostis, & impugnator Patriæ apud aliquem ciuem deposuisset arma, depositarius tunc non tenetur reddere arma deposita. pro cuius casus explicatione obserua ex S. Thoma 2. 2. q. 120. art. 1. in corp. quod quia humani actus, de quibus leges dantur, in singularibus contingentibus consistunt, quæ infinitis modis variari possunt, non fuit possibile aliquam regulam legis institui, quæ in nullo casu defficeret, sed legislatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit secundum hoc legem ferentes, quam tamen in aliquibus casibus seruare est cõtra æqualitatem iustitię, & contra commune bonum, quod lex intendit. vndè in proposito lex instituit, quod deposita reddantur, quia hoc, vt in pluribus iustum est, contingit tamen aliquando hoc esse nociuum, vt in casu proposito si aliquis reposcat depositum ad Patriæ impugnationem, tunc enim reddere depositum esset malum, & in hoc casu sequi legem positam malum est. nõ est ergo in hoc casu sequẽda lex, sed seruanda erit Epicheia, quæ prætermissis verbis legis sequitur id, quod poscit iustitiæ ratio, & communis vtilitas, iustitiæ autem ratio, & communis vtilitas requirit, vt non reddantur arma deposita impugnatori Patriæ.

Quæritur, in quibus casibus Depositum non sit reddendum.

7 Respondeo dicendum, quòd est aliquis casus, in quo depositum non est reddendum, ne homo peruersam voluntatem habens malè eo vtatur, vt puta si furiosus, vel hostis Reipublicæ arma deposita reposcat. 2.2.quæst. 57. artic. 2. ad 1. (quæst. 120. a. 1. in corp.

Dari casum, in quo non sit reddendum depositum, ne homo peruersam voluntatem habens malè

malè eo vtatur, docet D. Thomas in hoc quæsito. quod explicat duplici exemplo, de furioso scilicet, & hosti Reipublicæ.

Vt explicetur hæc doctrina, obserua, quod illud naturale habens naturam immutabilē oportet, quod sit semper, & vbique tale, natura autem hominis est mutabilis, & ideò id, quod est naturale homini, potest aliquando defficere, ficut naturalem æqualitatem habet, vt deponēti depositum reddatur, & si natura humana semper esset recta, semper esset reddendum depositum poscenti; quia autem contingit, quod voluntas hominis deprauatur, ideò dantur casus, in quibus depositum non est reddendum poscentibus, ne eo malè vtantur peruersam voluntatē habentes, vndè si furiosus deposuisset arma apud aliquem, non sunt ei reddenda, licet poscat ea; idem dic de hoste Reipublicæ.

DERISIO.

1 *Per conuitium intenditur depressio honoris conuitiati.*
Per detractionem intenditur diminutio famæ.
Per susurrationem intenditur amissio amicitiæ.
Per derisionem intenditur confusio alterius.
Peccatum derisionis distinguitur à conuitio, detractione, & susurratione.
6 *Quid nominis derisionis exponitur.*
Quid sit derisio.
Grauitas peccati derisionis desumitur ex contemptu proximi maiore.
Maius peccatum est derisio detractione, susurratione. conuitio.
2 *Derisio fit ore, & cachinnis, subsanatio fit naso rugato.*
Derisio, & subsanatio conueniunt in fine.
Derisio, & subsanatio differunt à contumelia.
5 *Derisio, & subsanatio non differunt spetie.*
3 *Derisio communicat in materia cum detractione, & contumelia, differt in fine.*
4 *Derisio est speciale peccatum.*
5 *Derisio aliquando est actus Virtutis Eutrapeliæ.*
Derisio, quæ est peccatum mortale, est formalis.
Derisio, quæ est peccatum mortale, habet plures gradus, & quomodo.
Derisio Dei, & Sanctorum, & eorum, quæ Dei sunt non est simplex derisio, sed blasphemia.
5 *Derisio quando sit peccatum veniale, & mortale.*
Dersio est grauius peccatum contumelia.
Deridere Deum est grauissimum peccatum.
Deridere Parentes secundum tenet locum.
Deridere iustos tertium tenet locum.
6 *Quando Derisio sit, vel non sit grauius peccatum contumelia, & detractione.*
7 *Reciduans in peccatum, & simulans dicuntur deridere Deum modaliter.*

Quæritur, an Derisio distinguatur à susurratione, & conuitio.

1 RESpondeo dicendum, quòd quia peccata verborum præcipuè pensanda sunt secundum intentionem proferentis, & ideò secundum diuersa, quæ quis intendit contra alium loquens, huiusmodi peccata distinguuntur, sicut autem aliquis conuitiando intendit conuitiati honorem deprimere, & detrahendo diminuere famam, & susurrando tollere amicitiam, ita etiam irridendo aliquis intendit, quòd ille, qui irridetur, erubescat, & quia hic finis est distinctus ab alijs, ideò etiam peccatum derisionis distinguitur à præmissis peccatis. 2. 2. quæst. 75. a. 1. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. peccata verborum distinguuntur secundum diuersa, quæ quis intendit contra alium loquens. probatur, quia peccata verborum sunt præcipuè pensanda secundum intentionem proferentis. secunda conclusio. peccatum derisionis distinguitur à contumelia, seu conuitio, à detractione, & susurratione. probatur, quia peccatum derisionis habet finem distinctum à finibus aliorū, finis enim derisionis est, vt irrisus erubescat, finis conuitij est depressio honoris, finis detractionis est diminutio famæ, finis susurrationis est ablatio amicitiæ.

Derisio, vt quid nominis exordiamur, dicitur à risu, inquantum aliquis malum, vel defectū alterius in risum ponit vt ex D. Thoma. 2. 2. q. 75. art. 2. in corp habemus ex quo etiam loco possumus elicere diffinitionem derisionis talem, quòd derisio est significatio inordinata mali culpæ, pænæ, vel defectus naturæ in aliquo, vt erubescat, & confundatur, vnde finis, ad quem directè tendit derisio, vel erubescentia, & confusio proximi, per quem finem distinguitur à conuitio, cuius finis est depressio honoris proximi, & à detractione, cuius finis est diminutio famæ, & à susurratione, cuius finis est remotio amicitiæ. licet autem distinctio derisionis ab alijs verborum peccatis desumatur à fine, grauitas tamen illius desumitur à contemptu proximi maiore in modo iocoso, quam serio, vt rectè notat Caietanus adhunc locum, licet quidā Neotericus tom. 2. disp. 2. q. 5. p. 1. num. 9. hoc adscribat Salonio, & Valentiæ. derisio siquidem importat quamdā despectionē proximi, & maiorem, quam importet detractio, conuitium, & susurratio, quia in derisione contemnitur proximus modo iocoso, & in risum deducitur, in cæteris autem peccatis contemnitur seriosè, vt ait D. Thomas. 2. 2. q. 75. art. 2. in corp. specialiter de contumelia, & vlterius per derisionem proximus totus contemnitur, per conuitium autem, & detractionem, & susurrationem contemnitur tantum in fama, vel honore, vel amicitia.

Quæritur, an derisio distinguatur à subsanatione.

2 Respondeo dicendum, quòd subsanatio,

tio, & irrisio conueniunt in fine, sed differunt in modo, quia irrisio fit ore, idest verbo, & cachinnis, subsanatio autem naso rugato, vt dicit glosa super illud psalm. 2. qui habitat in cælis irridebit eos: talis autem differentia non diuersificat speciem, vtrumque tamen differt à contumelia, sicut erubescentia à dehonoratione: est enim erubescentia timor dehonorationis, sicut Damascenus dicit. 2. 2. quæst. 75. art. 1. ad 1.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. subsanatio, & irrisio conueniunt in fine, sed differunt in modo. probatur, quia irrisio fit ore, idest verbo, & cachinnis, subsanatio autem fit naso rugato, vt ait glos. hinc elicitur corrolarium, quod talis differentia non diuersificat speciem. secunda conclusio. irrisio, & subsanatio differunt à contumelia, sicut erubescentia à dehonoratione. probatur, quia erubescentia est timor dehonorationis, vt ait Damascenus.

Ex prima conclusione habemus, derisionem, siue irrisionem (idem enim sonant) & subsanationem non distingui spetie, cum non differant fine, vtrumque enim intendit erubescentiam in proximo causare, ipsumq; confundere; differunt tamen in modo, cum derisio fiat verbis irrisorijs, subsanatio autem fiat signis, & naso rugato, vel labijs extensis, aut alijs signis, qui modi non diuersificant spetiem. ex secunda conclusione habemus derisionem, & subsanationem differre spetie à contumelia, habent enim diuersos fines, derisionis enim, & subsanationis finis est erubescentia, & confusio proximi, finis autem contumeliæ est depressio honoris illius.

Quaritur in quo conueniant, & in quo differant derisio, & detractio.

3 Respondeo dicendum, quòd de opere virtuoso aliquis apud alios, & reuerentiam meretur, & famam, & apud se ipsum bonæ conscientiæ gloriam secundum illud 2. ad Corinth. primo gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ: vndè è conuerso de actu turpi, idest vitioso apud alios quidem tollitur hominis honor, & fama, & adhoc contumeliosus, & detractor turpia de alio dicunt, apud se ipsum autem per turpia, quæ dicuntur aliquis perdit conscientiæ gloriam per quandam confusionem, & erubescentiam, & adhoc turpia dicit derisor, & sic patet, quod derisor communicat cum prædictis vitijs in materia, differt autem in fine. 2. 2. quæst. 75. art. 1. ad 2.

Cōclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. derisio conuenit cum contumelia, detractione in materia, & differt in fine. probatur, nā contumeliosus, & detractor ad hoc turpia de proximo dicunt, vt illius tollatur honor, & fama, derisor autem ad hoc dicit turpia de proximo, vt erubescat, & confundatur.

Materia, in qua conueniunt contumelia, & detractio, & dirisio, est dicere turpia de proximo; finis autem, in quo differunt, est, quia finis contumeliæ, & detractionis est depressio honoris, & diminutio famæ respectiuè, finis autem derisionis est erubescentia, & confusio proximi.

Quaritur, an derisio sit speciale peccatum.

4 Respondeo dicendum, quòd quia securitas conscientiæ, & quies illius magnum bonum est secundum illud prouerb. 15. secura mens quasi iuge conuiuium, & ideò qui conscientiam alicuius inquietat confundendo ipsum, aliquod speciale nocumentum ei infert; vndè derisio est peccatum speciale. 2. 2. q. 75. a. 1. ad 3.

Vnica cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. derisio est speciale peccatum. probatur, quia qui conscientiam alicuius inquietat confundendo ipsum, aliquod speciale nocumentum ei infert, & hoc facit derisio, ergo &c.

Ex speciali nocumento, quod causat derisio, infert D. Thomas, derisionem esse spetiale peccatum distinctum à contumelia, & detractione; spetiale autem nocumentum, quod derisio causat, est in derisi conscientiæ gloria, perdit enim quis conscientiæ gloriam per quandam confusionem, & erubescentiam, dum inquietatur ex sui derisione.

Quaritur, an derisio sit peccatum mortale.

5 Respondeo dicendum, quòd quia irrisio non fit nisi de aliquo malo, vel defectu, malum autem si sit magnum non pro ludo accipitur, sed seriosè; vndè si in ludum vel risum vertatur, ex quo irrisionis, vel illusionis nomen sumitur, hoc est, quia accipitur, vt paruum: potest autem aliquod malum accipi, vt paruum dupliciter, vno modo secundum se, alio modo ratione personæ, cum autem aliquis alterius personæ malum, vel defectum in ludum, vel in risum ponit, quia secundum se paruum malum est, est veniale, & leue peccatum secundum suum genus; cum autem accipitur quasi paruum ratione personæ, sicut defectus puerorum, & stultorum parum ponderare solemus, sic aliquem illudere, vel irridere, est eum omnino paruipendere, & eum tam vtilē æstimare,

mare, vt de eius malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum, & sic derisio est peccatum mortale, & grauius, quam contumelia, quæ similiter est in manifesto, quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriosè, illusor autem in ludum, & ita videtur esse maior contemptus, & dehonoratio; & secundum hoc illusio est graue peccatum, & tantò grauius, quantò maior reuerentia debetur personæ, quæ illuditur; vndè grauissimum est irridere Deum, & ea, quæ Dei sunt secundum illud. Isaiæ 37. cui exprobasti? & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem tuam? & postea subditur, ad Sanctum Israel; deindè secundum locum tenet irrisio parentum; vndè dicitur prouerb. 30. oculum, qui subsanat Patrē, & despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & commedant eum filij Aquilæ: deindè iustorum derisio grauis est, quia honor est virtutis præmium, & contra hoc dicitur Tob. 12. deridetur iusti simplicitas, quæ quidem derisio valdè nociua est, quia per hoc homines à benè agendo impediuntur secundum illud Gregorij, qui in aliorum actibus exoriri bona respiciunt, mox ea manu pestiferæ exprobationis euellunt. 2. 2. quæst. 75. art. 2. in corp.

Septemplici cōclusionē respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. cum aliquis alterius personę malum, vel defectum in ludum, vel risum ponit, quia secundum se est paruum malū, tunc hæc derisio est peccatum veniale, & leue secundum genus suum. hæc patet ex se. secunda conclusio. cum aliquis alicuius personæ malum, vel defectum in ludum, vel risum ponit, quia accipit illud quasi paruum ratione personæ, tunc hæc irrisio est peccatum mortale. probatur, quia sic aliquem illudere, vel irridere est alterum omninò paruipendere, eumque tam vilem æstimare, vt de eius malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum. tertia conclusio. derisio hæc est peccatum grauius, quam contumelia, quæ similiter est in manifesto. probatur, quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriosè, derisor autem in ludum, & ita videtur esse maior contemptus, & dehonoratio. quarta conclusio. grauissimum peccatum est irridere Deum, & ea, quæ Dei sunt. probatur, quia derisio est tantò grauius peccatum, quantò maior reuerentia debebatur ei, qui illuditur. probatur etiam per auctoritatem. Isaiæ 37. quinta conclusio. derisio Parentum tenet secundum locum in grauitate. probatur ex prouerb. 30. sexta conclusio. derisio iustorum tertium locum tenens grauis est. probatur quia est contra id, quod debetur Virtuti in præmium, idest honorem. septima conclusio. derisio iustorum est valde nociua probatur, quia per hoc homines a bene agendo impediuntur, vt patet per Gregorium.

Pro explicatione huius litteræ obserua, quod derisio aliquando est bona, aliquando autem est peccatum veniale, & aliquando est peccatū mortale, & huius peccati mortalis dantur plures gradus in grauitate iuxta maiorem reuerentiam debitam personæ, quæ deridetur. tunc est derisio sine peccato, immò est actus Virtutis, quando fit causa corrigendi proximum, vel etiam vexationis honestæ, iste enim est actus Eutrapeliæ, quę versatur circa ludos, & inclinat ad rectè vtēdum ludricis. tunc est veniale peccatum, cum iocosè quis parum, aut de paruo secundum se deridetur, parua enim erubescentia quasi pro nulla reputatur. tunc est mortale peccatum, cum in iocum deducitur quis, quasi non sit tanti, vt debeat æstimari, tunc enim maximus interuenit contemptus illius, & maior, quam in contumelia, & detractione, quia licet contumeliosus deprimat honorem, & detractor minuat famam, neuter tamen ad tantum personæ peruenit contemptum, ad quantum peruenit derisor, pro fatuo, aut nihilo habens, aut haberi volens eum, quem irridet, vt erubescat comparere inter homines. hoc tamen intelligēdum esse formaliter, idest quando fit ex intentione irridendi, asserit Caietanus in summula verb. derisio, & hoc in loco, quia si fiat materialiter, & præter hanc intentionem ludendo, siue loquendo talia, vnde possit sequi erubescentia, regulariter est peccatum veniale. peccatum item derisionis mortale tantò grauius est, quanto maior est ille, qui deridetur, & minus debet derideri. vnde maximū peccatum est derisio Dei, Sanctorum, & eorum, quæ Dei sunt, immò talis derisio non est simplex derisio, sed est blasphemia, vt obseruat Caietanus hoc in loco, & in summula verb. derisio. Armilla verbo eodem, & post eos Nauarrus in manuali cap. 18. num. 15. vnde derisio talis in Deū, Sanctos, & res ei sacras non est specie distincta à blasphemia, sicut nec contumelia in eosdem, respectu tamen proximorum derisio distinguitur specie à contumelia, & blasphemia derisio ergo Dei, & eorum, quæ sunt Dei, vt sacramentorum, & Sanctorum primum obtinet locum in grauitate, deinde derisio Parentum, & huic proxima est bonorum, & iustorum derisio, quę etiam à S. Thoma dicitur nociua.

Ex his patet vnde delumpserint, quæ docent Valentia tom. 3. disp. 5. q. 18. p. 2. Azorius 3. p. lib. 13. c. 9. Molina tract. 4. d. 21. n. 4. & alij.

Quæritur quomodo derisio sit grauius peccatum contumelia.

6 Respondeo dicendum, quòd derisio secundum suam rationem leuius aliquid est, quam detractio, vel contumelia, quia non importat contemptum, sed ludum, quan-

quandoque tamen habet maiorem contemptum, quàm contumelia, vt supra dictum est, & tunc est graue peccatum. 2. 2. quæst. 75. a. 2. ad 3.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. derisio secundum suã rationem leuius aliquid est, quam detractio, vel contumelia. probatur, quia non importat contemptum, sed ludum. secunda conclusio. derisio aliquando est grauius peccatum contumelia. probatur, quia quandoque habet maiorem contemptum, quam contumelia.

Quia aliquis posset dicere, quod maius est aliquid facere serio, quam ioco, per contumeliam autem contemnitur proximus seriosè, per derisionem autem contemnitur ioco, ergo contumelia erit grauius peccatum derisione, quod est contra superius dicta. ideò respondetur, quod derisio, vt importat præcisè ludum, est minus graue peccatum, quam contumelia, vt dicit prima conclusio, vt autem importat cum ludo personæ contemptum, sic est grauius peccatum, quã contumelia, vt dicit secunda conclusio, & in hoc sensu sunt intelligenda ea, quæ diximus in primo quæsito, & in quinto.

Quæritur, an recidiuans, vel simulans derideat Deum.

7 Respondeo dicendum, quòd ille, qui recidiuat in peccatum, de quo pænituit, & ille, qui simulat, non expresse Deum irridet, sed quasi interprætatiuè, inquantum scilicet ad modum deridentis se habet; nec venialiter peccando aliquis simpliciter recidiuat, vel simulat, sed dispositiuè, vel interprætatiuè. 2. 2. quæst. 75. art. 2. ad 2.

Conclusione duplici respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ille, qui recidiuat in peccatum, de quo pænituit, & ille, qui simulat, non expresse Deum irridet, sed quasi interpretatiuè, inquantum se habet ad modum deridentis. secunda conclusio. venialiter peccando aliquis non simpliciter recidiuat, vel simulat, sed dispositiuè, vel interpretatiuè. istæ conclusiones relinquuntur vt notæ.

Sensus primæ conclusionis est quod recidiuãs in peccatum, de quo pænituit, & simulans non est derisor Dei formaliter, sed modaliter; non est, inquam, derisor Dei formaliter, quia non intendit, dum recidiuat, vel simulat, Deum ponere in risum, & Deum contemnere; sed erit huiusmodi derisor Dei modaliter, quia induit modum deridentis Deum, idest ita se habet, ac si derideret Deum, dum enim pænituit de peccato, est amicus Dei, dum autem recidiuat in peccatum, non est amplius illius amicus, & sic videtur Deũ deridere, sicut ille homo diceretur deridere alium, dum modò est amicus, modò non est amicus illius. sicut & blasphemia dicitur à S. Thoma includere in se grauitatem infidelitatis, vt habetur. 2. 2. q. 13. a. 3. in corp. quia, vt ibi exponit Caietanus ille, qui blasphemat, quamuis non sentiat verum esse, quod dicit, dicendo tamen induit personam sentientis sic esse, vt dicit, dicit enim tanquam si crederet sic esse, aut sic esse possibile, prout diuersimodè dicit, idest blasphemãs est infidelis non formaliter, sed modaliter; & in hoc sensu debet intelligi D. Isidorus lib. 10. etimologiarum, & in lib. 2. de summo bono. cap. 16. quibus in locis ait, quod irrisor est, & non pænitens, qui adhuc agit, quod pænitet, & D. Gregorius, qui in lib. 31. cap. 6. & 12. moral. ait, per struthionem significatur simulator, qui deridet equum, idest hominem iustum, & ascensorem, idest Deum. circa secundam conclusionem nota, quod recidiuatio est simpliciter in peccatis mortalibus, quia autem peccatum veniale est dispositio ad mortale, ideò cadens iterum in peccata venialia dicitur recidiuare dispositiuè.

DESPERATIO.

1 *Desperatio quid importet.*
§ *Variæ descriptiones desperationis ex Doctoribus notantur.*
Descriptio desperationis posita à S. Thoma quomodo intelligenda.
2 *Quædam peccata principaliter important auersionem à Deo, & ex consequenti conuersionem ad bonum commutabile.*
Quædam peccata important primò conuersionem ad bonum commutabile, & ex consequenti auersionem à Deo.
Desperatio importat principaliter auersionem à Deo.
3 *Desperatio est peccatum.*
§ *Desperatio est peccatum mortale.*
4 *Peccata opposita virtutibus Theologicis sunt grauiora alijs.*
Inter peccata mortalia illud est grauius, quod habet per se auersionem à Deo.
Virtutibus Theologicis opponuntur infidelitas, desperatio, & odium Dei.
Infidelitas, & odium Dei secundùm se sunt grauiora peccata desperatione.
Desperatio est contra Deum secundum, quòd eius bonum participatur à nobis.
Desperatio est periculosior ex parte nostra, quam odium Dei, & infidelitas.
Desperare est descendere ad infernum.
§ *Desperatio est grauius peccatum alijs, quæ opponuntur virtutibus moralibus.*
Desperatio secundum se non est grauius peccatum odio Dei, & infidelitate, licet respectu nostri sit periculosius peccatum.
5 *Desperatio potest esse sine infidelitate.*
§ *Quomodo desperatio possit esse sine infidelitate.*
6 *Desperatio contingit ex timore Dei, & horrore peccatorum propriorum.*
§ *A bona radice non oritur directè peccatum, sed occasionaliter.*
7 *Desperatio oritur specialiter ex accidia, aliquando ori-*

oritur ex luxuria.

5 *Desperatio oritur ex multiplici capite, nempe auaritia, luxuria, accidia, & naturali complexione, specialiter nascitur ex accidia.*

8 *Desperatio est causa luxuria per accidens.*

9 *Desperatio in damnatis est pars damnationis eorum, non autem peccatum.*

Quaritur, quid sit desperatio.

1 Respondeo dicendum, quòd desperatio non importat solam priuationem spei, sed importat quendam recessum à re desiderata propter æstimatam impossibilitatem adipiscendi; vndè desperatio præsupponit desiderium, sicut, & spes, de eo enim, quod sub desiderio nostro non cadit, neque spem, neque desperationem habemus, & propter hoc etiam vtrumq; eorum est de bono, quod sub desiderio cadit. p. 2. q. 40. art. 4. ad 3. & in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. desperatio non importat solùm priuationem spei, sed importat quemdam recessum à re desiderata propter æstimatam impossibilitatem adipiscendi. hæc conclusio relinquitur vt nota. ex hac deducitur corrolarium tale. desperatio præsuponit desiderium, sicut & spes probatur, quia de eo, quod sub desiderio nostro nō cadit, neque spem, neque desperationem habemus, & propter hoc etiam vtrumque eorum est de bono, quod sub desiderio cadit.

Tabiena verb. desperatio in principio ait, desperationem consistere in hoc, quod homo non sperat bonitatem Dei participare quandoque ex falsa æstimatione propter peccata, quæ facit, vel bona, quæ omisit, desperat de Dei misericordia credens Deum nolle, vel non posse sibi parcere, vel in gratiam recipere. Caietanus in summula verb. desperatio ait, desperationem esse, qua quis desperat, seu non sperat consequi futuram Beatitudinem. Armilla eodem verbo ait, desperationem esse, qua homo non sperat consequi Beatitudinē ex gratia Dei, & suis operibus. D. Thomas ait, desperationem non importare præcisè priuationem spei, sed importare etiam quemdā recessum à re desiderata, quod intellige, principaliter, quia vitia, quæ opponuntur Virtutibus Theologicis, directè, & principaliter consistunt in auersione à bono incommutabili, ex consequēti autem important conuersionem ad bonum cōmutabile, vt odium Dei, quod opponitur Charitati; desperatio, quæ opponitur spei; & infidelitas, quæ opponitur fidei. desperatio ergo importat recessum à re desiderata, quia principaliter consistit in auersione à bono incommutabili. & hoc procedit ab æstimata impossibilitate adipiscendi, quæ vtique æstimatio est falsa, quia misericordia Dei maxima est, quia apud Dominū misericordia, & copiosa apud eum redemptio. psalm. 129. Deus præstabilis est super malitia. Ioelis. 2.

Quaritur, quid principaliter importet desperatio.

2 Respondeo dicendum, quòd in quolibet peccato mortali est quodammodo auersio à bono incommutabili, & conuersio ad bonum commutabile, sed aliter, & aliter, nam principaliter consistunt in auersione à bono incommutabili peccata, quæ opponuntur virtutibus Theologicis, vt odium Dei, desperatio, & infidelitas, quia virtutes Theologicæ habent Deum pro obiecto, ex consequenti autem important conuersionem ad bonum commutabile, inquantum anima deserens Deum, consequenter necesse est, quod ad alia conuertatur; peccata verò alia principaliter consistunt in conuersione ad cōmutabile bonum, ex consequenti verò in auersione ab incommutabile bono, non enim, qui fornicatur intendit à Deo recedere, sed carnali delectatione frui, ex quo sequitur, quod à Deo recedat. 2. 2. q. 20. art. 1. ad 1.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. peccata, quæ opponuntur Virtutibus Theologicis, vt odium Dei, desperatio, & infidelitas principaliter consistunt in auersione à bono incommutabili; ex consequenti autem important cōuersionem ad bonum commutabile. probatur prima pars, quia Virtutes Theologicæ habent Deum pro obiecto. probatur secunda pars, quia anima deserens Deum, consequenter necesse est, quod ad alia conuertatur. secunda conclusio. peccata alia principaliter cōsistunt in conuersione ad commutabile bonum, & ex consequenti in auersione ab incommutabili bono. probatur, quia qui fornicatur, non intendit à Deo recedere, sed carnali delectatione frui, ex quo sequitur, quod à Deo recedat. legantur, quæ docent Caietanus, & Dominicus Bannes ad hunc locum.

Quaritur, an desperatio sit peccatum.

3 Respondeo dicendum, quòd quia circa Deum vera existimatio intellectus est, quod ex ipso prouenit hominum salus, & venia peccatoribus datur secundum illud. Ezech. 18. nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat, falsa autem opinio est, quod peccatori pœnitenti veniam deneget, vel quòd peccatores ad se non conuertat per gratiam iustifi-

stificantem, & ideo sicut motus spei, qui conformiter se habet ad æstimationem veram est laudabilis, & virtuosus, ita oppositus motus desperationis, qui se habet conformiter existimationi falsæ de Deo, est vitiosus, & peccatum. 2.2.quæst. 20. art. 1. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Desperatio est peccatum. probatur, quia sicut motus spei, qui conformiter se habet ad æstimationem veram, est laudabilis, & virtuosus, ita oppositus motus desperationis, qui se habet conformiter æstimationi falsæ de Deo, est vitiosus, & peccatum.

Desperatio profectò est peccatum mortale, cū sit omissio actus necessarij ad salutem æternam, impossibile est enim sine spe operari ad tam excelsum præmium consequendum, sicut sine fidei: & non solum est peccatum, sed aliorum etiā peccatorū principium iuxta illud D. Pauli ad Ephe. 4. qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationē omnis immunditiæ, & auaritiæ. hanc conclusionem D. Thomæ docent etiā Caietanus in summula verb. desperatio. Arnilla eodem verbo, Tabiena eodem verb. q. 1. qui tamen in q. 2. ait, quod desperatio aliquando est veniale peccatum propter imperfectionem actus, scilicet quandò est ex subito, vel indeliberato actu, secundum tamen genus suum est peccatum mortale.

Quæritur, an desperatio sit grauissimum peccatorum.

4 Respondeo dicendum, quòd peccata, quæ opponuntur virtutibus Theologicis sunt secundum suum genus grauiora peccata alijs, cum enim virtutes Theologicæ habeant Deum pro obiecto, peccata eis opposita important directè, & principaliter auersionem à Deo, in quolibet autem peccato mortali principalis ratio mali, & grauitas est ex hoc, quòd auertit se à Deo, si enim posset esse conuersio ad bonum cōmutabile sine auersione à Deo, quamuis esset inordinata, non esset peccatum mortale, & illud, quod primò, & per se habet auersionē à Deo, est grauissimum peccatū inter peccata mortalia; virtutibus autē Theologicis opponuntur infidelitas, desperatio, & odium Dei, item odium, & infidelitas, si desperationi cōparentur, inuenientur secundum se quidem, idest secundum rationem propriæ speciei grauiora, infidelitas enim prouenit ex hoc, quod homo ipsam Dei veritatem nō credit, odium vero Dei prouenit ex hoc, quod voluntas hominis ipsi Diuinæ Bonitati contrariatur, desperatio autē ex hoc, quod homo nō sperat Bonitatem Dei participare; ex quo patet, quod infidelitas, & odium Dei sunt contra Deum secundū, quòd in se est, desperatio autem secundū quòd eius bonum participatur à nobis; vndè maius peccatum est secundum se loquendo non credere Dei veritatem, vel odire Deum, quàm non sperare consequi gloriam ab ipso; sed si comparetur desperatio ad alia duo peccata ex parte nostra, sic desperatio est periculosior, quia per spem reuocamur à malis, & inducimur ad bona prosequenda, & ideò sublata spe irrefrenatè homines labuntur in vitia, & à bonis operibus retrahuntur; vndè super illud prouerb. 24. si desperaueris lapsus in die angustiæ minuetur fortitudo sua, dicit glosa, nihil est execrabilius desperatione; quàm qui habet, & in generalibus huius vitæ laboribus, & (quod peius est) in fidei certamine constantiam perdit, & Isidorus dicit in lib. de summo bono, perpetrare flagitium aliquod mors animæ est, sed desperare est descendere in infernum. 2.2.q.20.a.3. in corp.

Triplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. peccata, quæ opponuntur Virtutibus Theologicis secundum suum genus grauiora sunt peccatis alijs. probatur, quia illa peccata sunt grauiora, quæ important directè, ac principaliter auersionem à Deo, quæ est principalis ratio peccati mortalis, si enim posset esse conuersio ad bonum commutabile sine auersione à Deo, quamuis esset inordinata, non esset peccatū mortale, sed peccata opposita Virtutibus Theologicis important directè, ac principaliter auersionem à Deo, cum Virtutes Theologicæ habeant Deum pro obiecto, alia autem principaliter non important huiusmodi auersionem, ergo &c. secunda conclusio. odium Dei, & infidelitas si comparentur desperationi, sunt secundum se, idest secundum rationē propriæ speciei, grauiora. probatur, quia odium, ac infidelitas sunt contra Deum, secundum, quod in se consideratur, desperatio autem secundum, quod Dei bonum participatur à nobis, vt patet ex singulorum diffinitionibus, sed maius peccatum secundm se est contrariari Deo, secundum, quod in se est, quam secundum, quod in nobis, ergo &c. tertia conclusio. desperatio, si compararetur ad odium Dei, vel infidelitatem ex parte nostra, est periculosior. probatur, quia per spem reuocamur à malis, ac inducimur ad bona prosequēda, & ideò sublata spe irrefrænatè homines labuntur in vitia, & à bonis laboribus retrahūtur, vt patet ex scriptura, glosa, & Isidoro, ergo &c.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua, q. ex prima conclusione habemus, desperationem esse

esse grauius peccatum alijs peccatis, quæ opponuntur Virtutibus moralibus. ex secunda autem conclusione habemus desperationem secundum se non esse grauius peccatum odio Dei, & infidelitate, licet respectu nostri sit peccatum periculosius, vt dicit tertia conclusio, circaquam mouet, & soluit dubium Dominicus Bannes, ad quem lectorem remitto, circa rationem secundæ conclusionis notentur, quæ docet Caietanus hoc in loco.

Quæritur, an Desperatio possit esse sine infidelitate.

5 Respondeo dicendum, quòd aliquis retinendo in vniuersali veram æstimationem fidei, quod scilicet est remissio peccatorum in Ecclesia, potest pati motum desperationis, quòd scilicet sibi in tali statu existenti non sit sperandum de venia corrupta æstimatione eius circa particulare, & per hunc modum potest esse desperatio sine infidelitate, sicut, & alia peccata mortalia. 2.2.q.20.a.2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. desperatio potest esse sine infidelitate, sicut, & alia peccata mortalia, probatur, quia aliquis potest retinere in vniuersali veram æstimationem fidei, quod scilicet est remissio peccatorum in Ecclesia, potest tamē pati motum desperationis, quod scilicet sibi in tali statu existenti non sit sperandum de venia, corrupta æstimatione eius circa particulare.

Vt explicetur hæc doctrina obserua, quod sicut in sillogismis ex vniuersali propositione, quę assumitur in maiori, non infertur conclusio particularis nisi assumendo particularem propositionem in minori, ita aliquis habens rectam fidē in vniuersali deficit in motu appetitiuo circa particulare, corrupta particulari eius æstimatione per habitum, vel passionem, ab æstimatione siquidem in vniuersali ad appetitum rei particularis peruenitur mediante æstimatione particulari, vt docet Arist. 3. de anima text. 58. contingit autem aliquem habentem rectam existimationem in vniuersali circa motum appetitiuum non rectè se habere corrupta eius æstimatione in particulari, sicut ille, qui fornicatur, retinet vniuersalem æstimationem ueram secundum fidem, scilicet, quod fornicatio sit peccatum mortale, dum tamen eligit fornicationem, vt bonum sibi, vt nunc, habet corruptam æstimationem in particulari; ita in proposito aliquis retinens in vniuersali ueram æstimationem fidei, quod scilicet in Ecclesia sit remissio peccatorum, potest pati motum desperationis, quod scilicet sibi in tali statu existenti non sit sperandum de venia, corrupta eius æstimatione circa particulare. qđ dictum est de desperatione, dic etiā de blasphemia, quod etiam ipsa potest stare cum fide, vterq; siquidem blasphemus, & desperans in particulari tantùm sufficit, quod erret. legantur, quæ docet Dominicus Bannes ad hunc locum.

Quæritur vnde contingat Desperatio.

6 Respondeo dicendum, quòd ex timore Dei, vel ex horrore propriorum peccatorum contingit desperatio, inquantum his bonis aliquis malè vtitur, occasionem ab eis accipiens desperandi. 2.2. quęst. 20. art. 1. ad 2.

Ex timore Dei, vel ex horrore propriorum peccatorum contingere desperationem, docet D. Thomas in hoc quæsito, inquantum scilicet his bonis aliquis male vtitur, occasionem ab eis accipiens desperandi.

Circa hanc doctrinam oritur dubium tale, ex bona radice non potest pullulare, & oriri peccatum cum nō possit arbor bona malos fructus facere Mathei. 7. ergo desperatio, quam iam probauimus esse peccatum, non poterit oriri ex timore Dei, qui bona radix est. facilis tamen responsio est, quod licet à bona radice non oriatur directè peccatum, & in hoc sensu intelligi debet illud Mathei. 7. non potest arbor bona malos fructus facere, poterit tamen occasionaliter peccatum procedere ex bona radice. sic est in proposito, ex timore enim Dei procedit desperatio, inquantum desperans ab illo occasionem accipit desperandi, ex hac doctrina sic explicata habemus timorem Dei seruilem esse secundum se bonum, & directè producere bonū effectum, sicut, & horror magnitudinis propriorum scelerum. q̄ verò aliquis ex his sumat occasionem desperandi, prouenit ex vitio illius, quia scilicet ipse abutitur his bonis.

Quæritur, an Desperatio oriatur ex accidia.

7 Respondeo dicendum, quòd quia obiectum spei est bonum arduum possibile adipisci vel per se, vel per alium, dupliciter potest in aliquo spes deficere de Beatitudine obtinenda, vno modo quia non reputat eam, vt bonum arduum, alio modo quia non reputat eam, vt possibilem adipisci vel per se, vel per accidens, adhoc autem, quòd bona spiritualia non sapiant nobis quasi bona, vel non videantur nobis quasi magna bona, præcipuè perducimur per hoc, quòd affectus noster est instans amori delectationum corporaliū, inter quas præcipuè sunt delectationes venereæ: nam ex affectu harum delectationum contingit, quòd homo fastidit bona spiritualia, & non sperat ea, quasi quædam bona ardua, & secundum hoc desperatio causatur ex luxuria, adhoc autem, quòd aliquod bonum arduum non æstimet,

ſtificantem, & ideo ſicut motus ſpei, qui conformiter ſe habet ad æſtimationem veram eſt laudabilis, & virtuoſus, ita oppoſitus motus deſperationis, qui ſe habet conformiter exiſtimationi falſæ de Deo, eſt vitioſus, & peccatum. 2.2. quæſt. 20. art. 1. in corp.

Vnica concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. Deſperatio eſt peccatum. probatur, quia ſicut motus ſpei, qui conformiter ſe habet ad æſtimationem veram, eſt laudabilis, & virtuoſus, ita oppoſitus motus deſperationis, qui ſe habet conformiter æſtimationi falſæ de Deo, eſt vitioſus, & peccatum.

Deſperatio profectò eſt peccatum mortale, cũ ſit omiſſio actus neceſſarij ad ſalutem æternam, impoſſibile eſt enim ſine ſpe operari ad tam excelſum præmium conſequendum, ſicut ſine fidei; & non ſolum eſt peccatum, ſed aliorum etiã peccatorũ principium iuxta illud D. Pauli ad Ephe. 4. qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationẽ omnis immũditiæ, & auaritiæ. hanc concluſionem D. Thomæ docent etiã Caietanus in ſummula verb. deſperatio. Armilla eodem verbo. Tabiena eodem verb. q. 1. qui tamen in q. 2. ait, quod deſperatio aliquando eſt veniale peccatum propter imperfectionem actus, ſcilicet quandò eſt ex ſubito, vel indeliberato actu, ſecundum tamen genus ſuum eſt peccatum mortale.

Quæritur, an deſperatio ſit grauiſſimum peccatorum.

4 Reſpondeo dicendum, quòd peccata, quæ opponuntur virtutibus Theologicis ſunt ſecundum ſuum genus grauiora peccata alijs, cum enim virtutes Theologicæ habeant Deum pro obiecto, peccata eis oppoſita important directè, & principaliter auerſionem à Deo, in quolibet autem peccato mortali principalis ratio mali, & grauitas eſt ex hoc, quòd auertit ſe à Deo, ſi enim poſſet eſſe conuerſio ad bonum cõmutabile ſine auerſione à Deo, quamuis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale, & illud, quod primò, & per ſe habet auerſionẽ à Deo, eſt grauiſſimum peccatũ inter peccata mortalia; virtutibus autẽ Theologicis opponuntur infidelitas, deſperatio, & odium Dei, item odium, & infidelitas, ſi deſperationi cõpararentur, inuenientur ſecundum ſe quidem, ideſt ſecundum rationem propriæ ſpeciei grauiora, infidelitas enim prouenit ex hoc, quod homo ipſam Dei veritatem nõ credit, odium vero Dei prouenit ex hoc, quod voluntas hominis ipſi Diuinæ Bonitati contrariatur, deſperatio autẽ ex hoc, quod homo nõ ſperat Bonitatem Dei participare; ex quo patet, quod infidelitas, & odium Dei ſunt contra Deum ſecundũ, quòd in ſe eſt, deſperatio autem ſecundũ quòd eius bonum participatur à nobis; vndè maius peccatum eſt ſecundum ſe loquendo non credere Dei veritatem, vel odire Deum, quàm non ſperare conſequi gloriam ab ipſo; ſed ſi comparetur deſperatio ad alia duo peccata ex parte noſtra, ſic deſperatio eſt periculoſior, quia per ſpem reuocamur à malis, & inducimur ad bona proſequenda, & ideò ſublata ſpe irrefrenatè homines labuntur in vitia, & à bonis operibus retrahuntur; vndè ſuper illud prouerb. 24. ſi deſperaueris lapſus in die anguſtiæ minuetur fortitudo ſua, dicit gloſa, nihil eſt execrabilius deſperatione; quàm qui habet, & in generalibus huius vitæ laboribus, & (quod peius eſt) in fidei certamine conſtantiam perdit, & Iſidorus dicit in lib. de ſummo bono, perpetrare flagitium aliquod mors animæ eſt, ſed deſperare eſt deſcendere in infernum. 2.2. q. 20. a. 3. in corp.

Triplici cõcluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. peccata, quæ opponuntur Virtutibus Theologicis ſecundum ſuum genus grauiora ſunt peccatis alijs. probatur, quia illa peccata ſunt grauiora, quæ important directè, ac principaliter auerſionem à Deo, quæ eſt principalis ratio peccati mortalis, ſi enim poſſet eſſe conuerſio ad bonum commutabile ſine auerſione à Deo, quamuis eſſet inordinata, non eſſet peccatũ mortale, ſed peccata oppoſita Virtutibus Theologicis important directè, ac principaliter auerſionem à Deo, cum Virtutes Theologicæ habeant Deum pro obiecto, alia autem principaliter non important huiuſmodi auerſionem, ergo &c. ſecunda concluſio. odium Dei, & infidelitas ſi comparentur deſperationi, ſunt ſecundum ſe, ideſt ſecundum rationẽ propriæ ſpeciei, grauiora. probatur, quia odium, ac infidelitas ſunt contra Deum, ſecundum, quod in ſe conſideratur, deſperatio autem ſecundum, quod Dei bonum participatur à nobis, vt patet ex ſingulorum diffinitionibus, ſed maius peccatum ſecundm ſe eſt contrariari Deo, ſecundum, quod in ſe eſt, quam ſecundum, quod in nobis, ergo &c. tertia concluſio. deſperatio, ſi comparetur ad odium Dei, vel infidelitatem ex parte noſtra, eſt periculoſior. probatur, quia per ſpem reuocamur à malis, ac inducimur ad bona proſequẽda, & ideò ſublata ſpe irrefrænatè homines labuntur in vitia, & à bonis laboribus retrahũtur, vt patet ex ſcriptura, gloſa, & Iſidoro, ergò &c.

Ad explicationem huius doctrinæ obſerua, q; ex prima concluſione habemus, deſperationem eſſe

esse grauius peccatum alijs peccatis, quæ opponuntur Virtutibus moralibus. ex secunda autem conclusione habemus desperationem secundum se non esse grauius peccatum odio Dei, & infidelitate, licet respectu nostri sit peccatum periculosius, vt dicit tertia conclusio, circa quam mouet, & soluit dubium Dominicus Bannes, ad quem lectorem remitto, circa rationem secundæ conclusionis notentur, quæ docet Caietanus hoc in loco.

Quæritur, an Desperatio possit esse sine infidelitate.

5 Respondeo dicendum, quòd aliquis retinendo in vniuersali veram æstimationem fidei, quod scilicet est remissio peccatorum in Ecclesia, potest pati motum desperationis, quòd scilicet sibi in tali statu existenti non sit sperandum de venia corrupta æstimatione eius circa particulare, & per hunc modum potest esse desperatio sine infidelitate, sicut, & alia peccata mortalia. 2.2.q.20.a.2. in corp.

Conclusione vnica respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. desperatio potest esse sine infidelitate, sicut, & alia peccata mortalia, probatur, quia aliquis potest retinere in vniuersali veram æstimationem fidei, quod scilicet est remissio peccatorum in Ecclesia, potest tamē pati motum desperationis, quod scilicet sibi in tali statu existenti non sit sperandum de venia, corrupta æstimatione eius circa particulare.

Vt explicetur hæc doctrina obserua, quod sicut in sillogismis ex vniuersali propositione, quę assumitur in maiori, non infertur conclusio particularis nisi assumendo particularem propositionem in minori, ita aliquis habens rectam fidē in vniuersali deficit in motu appetitiuo circa particulare, corrupta particulari eius æstimatione per habitum, vel passionem, ab æstimatione siquidem in vniuersali ad appetitum rei particularis peruenitur mediante æstimatione particulari, vt docet Arist.3. de anima text. 58. contingit autem aliquem habentem rectam existimationem in vniuersali circa motum appetitiuum non rectè se habere corrupta eius æstimatione in particulari, sicut ille, qui fornicatur, retinet vniuersalem æstimationem ueram secundum fidem, scilicet, quod fornicatio sit peccatum mortale, dum tamen eligit fornicationem, vt bonum sibi, vt nunc, habet corruptam æstimationem in particulari; ita in proposito aliquis retinens in vniuersali ueram æstimationem fidei, quod scilicet in Ecclesia sit remissio peccatorum, potest pati motum desperationis, quod scilicet sibi in tali statu existenti non sit sperandum de venia, corrupta eius æstimatione circa particulare. qđ dictum est de desperatione, dic etiā de blasphemia, quod etiam ipsa potest stare cum fide, vterq; siquidem blasphemus, & desperans in particulari tantùm sufficit, quod erret. legantur, quæ docet Dominicus Bannes ad hunc locum.

Quæritur vnde contingat Desperatio.

6 Respondeo dicendum, quòd ex timore Dei, vel ex horrore propriorum peccatorum contingit desperatio, inquantum his bonis aliquis malè vtitur, occasionem ab eis accipiens desperandi. 2.2.quæst.20. art. 1. ad 2.

Ex timore Dei, vel ex horrore propriorum peccatorum contingere desperationem, docet D. Thomas in hoc quæsito, inquantum scilicet his bonis aliquis male vtitur, occasionem ab eis accipiens desperandi.

Circa hanc doctrinam oritur dubium tale, ex bona radice non potest pullulare, & oriri peccatum cum nō possit arbor bona malos fructus facere Mathei. 7. ergo desperatio, quam iam probauimus esse peccatum, non poterit oriri ex timore Dei, qui bona radix est. facilis tamen responsio est, quod licet à bona radice non oriatur directè peccatum, & in hoc sensu intelligi debet illud Mathei. 7. non potest arbor bona malos fructus facere, poterit tamen occasionaliter peccatū procedere ex bona radice. sic est in proposito, ex timore enim Dei procedit desperatio, inquantum desperans ab illo occasionem accipit desperandi. ex hac doctrina sic explicata habemus timorem Dei seruilem esse secundum se bonum, & directè producere bonū effectum, sicut, & horror magnitudinis propriorum scelerum. q. verò aliquis ex his sumat occasionem desperandi, prouenit ex vitio illius, quia scilicet ipse abutitur his bonis.

Quæritur, an Desperatio oriatur ex accidia.

7 Respondeo dicendum, quòd quia obiectum spei est bonum arduum possibile adipisci vel per se, vel per alium, dupliciter potest in aliquo spes deficere de Beatitudine obtinenda, vno modo quia non reputat eam, vt bonum arduum, alio modo quia non reputat eam, vt possibilem adipisci vel per se, vel per accidens, ad hoc autem, quòd bona spiritualia non sapiant nobis quasi bona, vel non videantur nobis quasi magna bona, præcipuè perducimur per hoc, quòd affectus noster est instans amori delectationum corporaliū, inter quas præcipuè sunt delectationes venereæ: nam ex affectu harum delectationum contingit, quòd homo fastidit bona spiritualia, & non sperat ea, quasi quædam bona ardua, & secundum hoc desperatio causatur ex luxuria, adhoc autem, quòd aliquod bonum arduum non æsti-

met,

met, vt possibile sibi adipisci per se, vel per alium, perducitur ex nimia deiectione, quæ quando in affectu hominis dominatur videtur ei, quod nunquam possit ad aliquod bonum releuari, & quia accidia est tristitia quædam deiectiua spiritus, ideò per hunc modum desperatio ex accidia generatur, hoc autem est proprium obiectum spei, scilicet, quòd sit possibile, nam bonum, & arduum etiam ad alias passiones pertinent; vndè specialius oritur ex accidia, potest tamen oriri ex luxuria ratione iam dicta. 2. 2. quæst. 20. art. 4. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. desperatio secundum quod ex affectu delectationum contingit, causatur maximè ex luxuria. probatur, quia ad hoc quod bona spiritualia vel non sapiant nobis quasi bona, vel non videantur nobis quasi magna bona, præcipuè perducimur per hoc quod affectus noster est instans amori delectationum corporalium, inter quas præcipuè sunt venereæ, nam ex affectu harum delectationum cótingit, quod homo fastidit bona spiritualia, & nõ sperat ea, quasi quædam bona ardua. secunda conclusio. desperatio, inquantum dicit deiectionem animi, ex accidia generatur. probatur, quia adhoc quod aliquod bonum arduum non æstimet vt possibile sibi adipisci per se, vel per alium, perducitur quis ex nimia deiectione, quæ quãdo in affectu hominis dominatur, videtur ei, quod nunquam possit ad aliquod bonum releuari, sed accidia est tristitia quædam deiectiua spiritus, ergo &c. conclusio tertia. desperatio specialius oritur ex accidia. probatur, quia proprium obiectum spei est, quod sit possibile, bonum autem, & arduum ad alias etiam passiones pertinent.

Licet desperationem ex multiplici oriri capite non dubitemus, ex auaritia, quę hominem plurima aliena possidentem ligat, ne restituat, & in desperationem inducatur; ex naturali complexione, qui enim malinconicæ sunt naturæ, facile in desperationem pręcipites ruunt, attamen frequentius oriri ex luxuria, & accidia, & specialius nasci ex accidia, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Quæritur, quomodo desperatio sit causa luxuriæ.

8 Respondeo dicendum, quòd desperatio est causa luxuriæ per accidens, sicut remouens spem futuræ Beatitudinis, propterquam à luxuria aliquis desistit. q. 15. de malo a. 4. ad 3.

Quod desperatio sit causa per accidens luxuriæ, sicut remouens spem futuræ Beatitudinis, propter quam à luxuria quis desistit, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Pertranseo, cum nil occurrat scribendum.

Quæritur, an desperatio in damnatis sit culpa, an pœna.

9 Respondeo dicendum, quòd damnati non sunt in statu sperandi propter impossibilitatem reditus ad Beatitudinem; & ideò quòd non sperant, non imputatur eis ad culpam, sed est pars damnationis ipsorum; sicut etiam in statu viæ si quis desperaret de eo, quod non est natus adipisci, vel quod non est debitum adipisci, non esset peccatum, puta si medicus desperet de curatione alicuius infirmi, vel si aliquis desperet se fortè Diuitias adepturum. 2. 2. q. 20. a. 1. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. desperatio in damnatis non imputatur ad culpam, sed est pars damnationis ipsorum. probatur dupliciter, & primò quia damnati non sunt in statu sperandi propter impossibilitatem reditus ad Beatitudinem. secundò à pari, sicut in statu viæ siquis desperaret de eo, quod non est natus adipisci, vel quod non est debitum adipisci, non esset peccatum, quod duplici explicatur exemplo, vt in littera.

Non immoror circa hoc quæsitum.

DETRACTIO.

De Detractione.

Cap. I.

Pro-

Proferens verba, per quæ læditur fama alicuius propter bonum aliquod, & seruatis debitis circunstantijs, non peccat.

Proferens verba læsiua famæ ex leuitate animi peccat venialiter.

Proferens verba huiusmodi ex animi leuitate, per quæ notabiliter lædatur fama alicuius, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem famæ ablatæ.

§ Duplex est detractio, scilicet formalis, & materialis, & quæ sit vtraque.

Detractio formalis ex triplici capite potest esse peccatum veniale.

Exilitas materiæ in detractione penes tria attenditur.

Detractio materialis est peccatum veniale.

Si tamen actus redeat in naturam suæ formæ, tunc detractio materialis est peccatum mortale.

Quando dicere aliqua verba detractoria famæ non sit peccatum, immò sit virtus.

Qui de aliquo verba famæ detrahentia profert nō assertiuè, sed relatiuè tantum, non peccat mortaliter.

Dupliciter potest aliquis labem infamiæ contrahere, & quomodo.

Qui manifestat crimen alicuius quocunque modo diffamati cum intentione ipsum infamandi peccat mortaliter contra Charitatem ratione pessimæ intentionis.

Non peccat mortaliter, qui crimen notorium per Iudicis sententiam detegit existentibus alibi, & illud ignorantibus sine mala intentione nocendi.

Peccat tamen mortaliter, si crimen detegeret. post quā emendatus est, & bonum nomen recuperauit.

In tribus casibus licet manifestare crimen, post quā bonam famam consecutus est.

Quando quis nundum bonam famam consecutus est, quam perdidit per Iudicis sententiam, non peccat quis contra Charitatem, nec contra iustitiam, si hoc manifestet alijs in eadem Vrbe, vel alibi existentibus.

Recensentur duo casus, in quibus peccare posset quis contra iustitiam diffamando talem in alio loco.

Quando crimen est notorium extra iuditium, non est peccatum contra Charitatem, nec contra iustitiam hoc ibi, vel alibi manifestare apud ignorantes illud, si tamen verè publica sit infamia, si tamen mala desit intentio nocendi illi.

Multò magis licet tale crimen manifestare ignorantibus ipsum vbicumque existentibus, si vergat in detrimentum spirituale, vel corporale illorum.

Mulierculæ, quæ foris sanctimoniam ostendunt, vt eleemosinis victitent, non debent infamari, licet aliquo crimine sint infectæ non nociuo Reipublicæ.

Non sunt condemnandi historici, qui relictis turpibus, ac infamibus peccatis bella, & homicidia, & alia, quæ uiris illustribus dedecora non sunt, litteris mandant.

Non est etiam illis vitio vertendum, si narrent aliqua notoria, quæ omninò non sunt secreta, sed officio hoc illis tribuendum est.

Debent tamen optima fide, quæ ad rem pertinent, enarrare.

Quādo inuidia moti, aut alio prauo affectu aliquē vitijs notant, non sunt à peccato liberi, præsertim cum notam prosapiæ inurunt.

Qui aliquem diffamatum de vno crimine diffamaret de alio habente connexionem cum primo, non peccat.

Secus autem, si secundum non haberet connexionem cum primo.

Detegere peccata venialia aliorum non est peccatum mortale, etiamsi dicantur de Episcopo, & Religioso.

Qui de aliquo profert generalia turpia, quæ sonare possunt peccatum mortale, & veniale, non peccat mortaliter.

Refellitur vterque Nauarrus, qui excipiunt duos casus à supradicta doctrina.

Dicere in absentia alicuius, quod sit mendax, non est peccatum mortale.

Non peccat mortaliter, qui manifestat defectus corporis, aut mentis.

In hoc non est admittenda limitatio Sairi.

Non est in hoc admittendus casus Medinæ.

Quid notandum circa supradicta.

Qui alteri refert iniuriam sibi illatam animo detrahendi ob liuorem vindictæ, peccat mortaliter.

Si hoc referat simpliciter, vel ad conquerendam, vel ad capiendam consolationem ab amico, non peccat.

Qui infamat seipsum, non peccat mortaliter, sed venialiter.

Homo habet dominium suæ famæ.

Hoc comprobatur aliquibus sanctorum factis.

Infamare seipsum non est peccatum mortale ex suo genere, sed ex aliqua circunstantia.

Casus de hoc notantur.

Non est peccatum mortale seipsum infamare extra tormenta, & in tormentis detegendo crimen verum, vel imponendo sibi crimen falsum.

Si ob confessionem criminis falsi quis incidit in vitæ periculum, an teneatur ad suæ famæ restitutionem, vbi aliqua digna scitu notantur.

5 Reuelare peccatum alicuius occultum denunciando, vel accusando non est detrahere.

6 Dictum D. Augustini circa hoc exponitur.

§ Casus, inquibus detractio est peccatum veniale, notantur.

Dicens paruum malum de aliquo cum intentione multum nocendi proximo, peccat mortaliter.

An inducere hominem ad peccatum mortale sit peccatum maius homicidio.

7 Inter peccata, quæ committuntur in proximum, grauius est homicidium, deindè adulterium, postea detractio.

Detractio est maius peccatum furto.

Detractio est minus peccatum homicidio, & adulterio.

Grauitas peccati per accidens attenditur ex parte peccantis.

8 Detrahere Christo est blasphemia.

9 *Detractor est occasionaliter homicida.*
§ *Sensus Soti notatur circa id, quod dicit Clemens, nempe detractores esse homicidas.*
10 *Detractio est filia inuidiæ.*
§ *Detractio mille incommodis scatet, ac pestibus, & quibus.*
11 *Detractio oritur ex odio.*
§ *Idem vitium potest oriri à pluribus vitijs secundum diuersas rationes.*
12 *Detractio contrariatur adulationi, non tamen directè quantum ad finem.*
13 *Inquisitio factorum alicuius ordinatur ad detrahendum.*

Quæritur, quid sit detractio.

1 Respondeo dicendum, quòd detractio est denigratio alienæ famæ per occulta verba, sicut enim facto aliquis nocet alteri dupliciter, manifestè quidem sicut in rapina, vel quacunq; violentia illata, occultè autem sicut in furto, & dolosa percussione, ita etiam verbo aliquis dupliciter aliquem lædit, vno modo in manifesto, & hoc fit per contumeliam vt supra dictum est, alio modo occultè, & hoc fit per detractionem, ex hoc autem, quod aliquis manifestè verba contra alium profert, videtur eum paruipendere; vndè ex hoc ipso dehonoratur, & ideò contumelia detrimentum affert honori eius, in quem profertur, sed si verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis, quam paruipendere; vndè non directè infert detrimentum honori, sed famæ, inquantum huiusmodi verba occultè proferens, quantum in ipso est, eos, qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo, contra quem loquitur, hoc enim intendere videtur, & ad hoc conatur detrahens, vt eius verbis credatur; vndè patet, quod detractio differt à contumelia dupliciter, vno modo quantum ad modum proponendi verba, quia scilicet contumeliosus manifestè contra aliquem loquitur, detractor autem occultè, alio modo quantum ad finem intentum, siue quantum ad nocumentum illatum, quia scilicet contumeliosus derogat honori, detractor famę. 2.2.quæst.73.artic.1. in corp.

Conclusione vnica respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. Detractio est denigratio alienæ famæ per verba occulta. probatur, sicut facto aliquis nocet alteri dupliciter, scilicet manifestè, sicut in rapina &c. & occultè, sicut in furto &c. ita etiam verbo aliquis dupliciter aliquem lædit, vno modo in manifesto, & hoc fit per contumeliam, alio modo occultè, & hoc fit per detractionem, sed ex hoc, quod aliquis manifestè verba contra alium profert, videtur eum paruipendere, vndè ex hoc ipso dehonoratur, & ideò contumelia detrimentum affert honori eius, in quem profertur, sed qui verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis, quam paruipendere, vndè non directè infert detrimentum honori, sed famæ, in quantum huiusmodi verba occultè proferens, quantum in ipso est, eos, qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo, contra quem loquitur, hoc enim intendere videtur, & ad hoc conatur detrahens, vt eius verbis credatur, ergo detractio nil aliud est, quam famæ alienæ denigratio per occulta verba. hinc elicitur corrolarium, quod detractio differt à contumelia dupliciter, scilicet quoad modum proponendi, cum contumeliosus manifestè contra aliquem loquatur, detractor autem occultè; & quoad finem intentum, siue quantum ad nocumentum illatum, quia contumeliosus derogat honori, detractor famæ.

Diffinitionem detractionis hoc in loco habemus, nempe, quod detractio est denigratio famæ alienę per occulta verba. dicitur denigratio, seu læsio, seu ablatio, quia per detractionem verè aufferetur fama à persona, nō secus atque per furtum aufferuntur bona externa. vndè si aliquis de peccato alterius etiam occulto loquatur absque læsione famæ proximi, non dicitur detractio, sicut cum aliquis de peccato alterius occulto loquitur cum eo, cui cognoscit, notum esse illud, tunc enim non læditur fama illius. dicitur denigratio famæ, quæ nil aliud est, quā communis, seu clara opinio de aliquo, sicut honor est actus reuerentiæ exhibitæ ob Virtutem, Dignitatem, vel aliquam excellentiam, detractio ergo est cōtraria famę, per quod distinguitur à contumelia, quæ contrariatur honori; dicitur iterum denigratio famæ alienæ, idest famæ, qua prælucet homo non canonizatus, quia denigratio famæ, & gloriæ Dei, Angelorum, & Sanctorum non est detractio, sed blasphemia, vndè malè Nauarrus in suo manuali cap. 18. num. 18. subiecit hanc particulam hac ratione motus, quia non solum est detractor, qui alium, sed etiam qui seipsum infamat, quia licet hoc fit verum aliquando, regulariter tamen detractio est contra alienum, & scientia est de his, quæ regulariter accidunt. dicitur denigratio famæ per occulta verba, quia in hoc etiam distinguitur detractio à contumelia, quod manifestè quis alteri per contumeliam nocet, occultè autem per detractionem, vndè detractio famæ, contumelia honori aduersatur, qui enim in alterius conspectu manifestis verbis in aliquem inuehit, paruipendere eum se profitetur, & consequenter, honorem eius ex professo lædit, qui autem in angulis absens aduersus quépiam obmurmurat, non tam vilipendere eum, quam vereri se ostendit, & consequenter nihil contra eius honorem obmolitur, sed famā, idest bonam æstimationem ab alijs de illo habitam,

vel

vel obnubilat, vel extinguit per cõtrariã opinionẽ. ex quibus liquet nõ benè dixisse Nauarrum in suo manuali c. 18. n. 18. dum putat detractionem posse etiam fieri in præsentia hac ratione motus, qui alteri præsenti malum significat, quo eum infamat, quamuis id, vt communis dicit, sit cõtumelia, quatenus tollit honorem, est tamen etiã detractio, quatenus famam tollit. & confirmatur per illud Arist. 5. eth. qui furatur, vt adulteretur, per se loquendo magis adulter est, quam fur. sed iste vir aliàs Thomista non debuit in re tam clara à sancto præceptore discedere, cum enim detractio, & contumelia distinguantur spetie nedum ratione obiecti materialis, quia contumelia honori, detractio vero famæ aduersatur, sed etiam ratione modi, siue obiecti formalis, honor enim denigratur manifestè per contumeliam, fama autem occultè per detractionem; licet enim occultum, & manifestum absolutè nõ varient spetiem, vt patet in eo, qui mentitur vel occultè, vel manifestè, attamen quando per hæc variatur ratio inuoluntarij, spetics subinde mutantur, vt in proposito, qui enim per acceptam contumeliam iacturam facit honoris, patitur inuoluntarium per vim, qui autem detrimentum accipit famæ per detractionem, patitur inuoluntarium per ignorantiam, & sic contumelia, & detractio differunt spetie, sicut distinguuntur spetie eadem ratione furtum, & rapina, licet tam per furtum, quam per rapinam alienum auferatur, quia in furto patitur homo inuoluntarium per ignorantiam, in rapina autem per vim, quæ secundum Arist. lib. 5. eth. cap. 3. sunt diuersæ causæ inuoluntarij, nescio videre, quomodo contumelia possit coincidere cum detractione, & quomodo significare malum alicui præsenti sit detractio. nec obstant verba Arist. quin potius prosunt, quia enim actus specificatur ex fine, qui furatur, vt adulteretur, profectò magis adulter est, quam fur, ita etiam detractor, dum occultè contra aliquem obmurmurat, videtur potius illum uereri, quam paruipendere, sicut facit contumeliosus, vnde detractor directè non infert detrimentum honori, sed famæ. ex his habemus, quod si coram aliquo verba contumeliosa proferat quis cum intentione infamandi aliquem, duplicis malitiæ speciei distinctæ peccatum incurrit. detractio etiam dicitur fieri per occulta verba, non quod sit de occultis simpliciter, quia pòtest fieri coram multis, sed quia sunt occulta ei, de quo fit detractio, idest proferuntur in eius absentia, vt in sequẽti quæsito dicet D. Thomas. nec obstat, quod ei postea ab alijs referantur, quominus rationem detractionis habeat, quia id est omninò per accidens, & præter intentionem detrahentis. nomine autem verborum intelliguntur nedum ipsa verba, quæ ore proferũtur, sed etiam signa, & nutus, immò & ipsa taciturnitas, quæ locum verborum tenet iuxta illud, qui tacet, consentire videtur. & sic remanet explicata diffinitio detractionis data à S. Thoma communiter ab alijs recepta, quæ profectò breuibus verbis totam detractionis naturam explicat, vnde ab ea non debuit discedere Nauarrus, qui in suo manuali cap. 18. num. 17. aliam affert dicens, detractionẽ esse significationem alicuius mali hominis non canonizati, inordinata, directa, vel indirecta, qua læditur, vel periclitatur eius fama quam diffinitionem Sairus meritò vocat nimis prolixam, & satis impropriam. diffinitionem detractionis datam à D. Thoma explicant eius expositores. 2. 2. q. 73. a. 1. Caietanus, Dominicus Bannes, Salon, Aragona. ex Summistis Caietanus, Siluester, Armilla, Tabiena verb. detractio. Sairus lib. 11. clauis regiæ cap. 3. nu. 4. & 5. & lib. 12. cap. 6. num 1. D. Antoninus. p. 2. tit. 8. cap. 4. legatur Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 10.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 5. cap. 63. a. nu. 1. vsque ad 6. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 17. & alij.

Quomodo verba detractionis sint occulta.

2 Respondeo dicendum, quòd verba detractionis dicuntur occulta non simpliciter, sed per comparationem ad eum, de quo dicuntur, quia eo absente, & ignorante dicuntur, sed contumeliosus in faciem contra hominem loquitur; vndè si aliquis de alio malè loquatur coram multis eo absente, detractio est, si autem eo solo præsente, contumelia est, quamuis etiam si vni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam eius non in toto, sed in parte. 2. 2. q. 73. a. 1. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. verba detractionis dicuntur occulta non simpliciter, sed per cõparationem ad eum, de quo dicuntur. probatur, quia eo absente, & ignorante dicuntur ad differentiam contumeliosi, qui in faciem contra hominem loquitur. hinc elicitur corrolarium, quod si aliquis de alio malè loquatur coram multis eo absente, detractio est, si autem eo solo præsente, contumelia est. secunda conclusio. si vni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam eius non in toto, sed in parte. hæc relinquitur vt nota.

Ex hoc loco hebemus, differentiam inter detractionem, & contumeliam non cõsistere in hoc quod coram pluribus, aut paucioribus fiat; sed in hoc quod fiat coram ipso, qui læditur, aut clam ipso.

Ex hoc loco non citato tãquam ex fonte hausit, quæ docet Sairus lib. 12. clauis regiæ cap. 6. nu. 1. vers. quando autem dicitur.

Quæritur, quot modis dicatur aliquis detrahere.

3 Respondeo dicendum, quòd aliquis dicitur detrahere non quia diminuat de ve-

ritate, sed quia diminuit famã eius, quod quidem fit quandoque directè, quandoque indirectè; directè quidem quadrupliciter, vno modo quando falsum imponit alteri; secundò quãdo peccatum adauget suis verbis; tertiò quando occultum reuelat; quartò quando id, quod est bonum, dicit mala intentione factum: indirectè autem vel negando bonum alterius, vel malitiosè reticendo, vel minuendo. 2. 2. q. 73. a. 1. ad 3.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. aliquis dicitur detrahere, non quia diminuat de Veritate, sed quia diminuit famam eius, quod fit quandoque directè, quandoque indirectè. secunda conclusio. diminutio famæ directè fit quattuor modis, primò imponendo falsum alteri. secundò augẽdo peccatum. tertiò reuelando occultum. quartò dicendo bonum mala intentione esse factum. tertia conclusio. diminutio famæ indirectè fit tribus modis, primò negando bonum alterius. secundò reticendo malitiosè. tertiò minuendo.

Ad explicationem litteræ huius obseruandũ est disticon tale.

Imponens, augens, manifestãs, in mala vertẽs.
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatq; remisśè

Quibus carminibus explicantur modi, quibus detractio fieri potest, & per primum carmen recensentur quattuor modi, quibus diminutio famæ fit directè; per secundum autem numerantur modi, quibus indirectè diminuitur fama alterius. primus ergo modus, quo directè minuitur fama proximi est, imponens, idest quando falsum imponitur, quem modum vocat Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 10. a. 1. omnium pessimũ. secundus est, augens, idest quando quis vitium alienum suis verbis auget. hunc modum idem Sotus, vbi supra, vocat stilum pestiferum, & blateronibus, ac maledicis familiare. tertius est, manifestans, idest quando occultum reuelatur. hac peste, inquit idem Sotus, illi Rempublicam inficiunt, qui auiditate noua docendi nihil sciunt se continere secreti, sed rimarum pleni omnia profundunt. quartus est, in mala vertens, idest quando id, quod bonum est, ostendere quis nititur ex mala intentione profectum. pro cuius explicatione notandum est, quod iste modus ad temeritatem iudicij etiam spectat, vt docet Dominicus Sotus loco citato, & Caietanus. 2. 2. quæst. 73. artic. 1. in explicationem tertię responsionis, nec est inconueniens vnum vitium esse materiam alterius vitij, & quod vnum peccatum in duabus sit malitiæ speciebus, ex hoc enim quod huiusmodi verba sunt temerarij iudicij, non excluditur, quin sint detractoria, quando enim quis id facit ad denigrandum æstimationem, detractor est, quatenus insinuat, se aliundè intentiones hominis nosse prauas, vnde bona eius opinio obscurescit. primus autem modus, quo diminuitur fama alterius indirectè est, qui negat, idest quando quis bona proximi negat, sicut cũ narratur, ꝙ aliquis, sit homo aptus ad tale regimen, alius volens detrahere asserit hoc non esse verum. secundus est, aut minuit, idest quando quis diminuit aliena merita, tũc enim minuit & famam. tertius est, reticet, idest quando ex liuore reticet, vbi propalare debet, dum enim me præsente sermo de illo initur bonus, quem constat me optimè nouisse, & taceo, silentium meum inditium quoddam est, illum non esse tantæ laudis dignũ, quod est genus infamiæ. quartus est, laudat remissè, idest quando quis alium laude dignum frigidè, ac remissè laudat, ne tanti habeatur, de quo modo loquens Phauorinus apud Gellium ait, turpius est exiguè atque frigidè laudare, quam insectanter, grauiterque vituperare; quoniam qui maledicit, quantò id acerbius facit, tantò magis pro iniquo, inimicoq; ducitur, tantòque minus fidem capit; sed qui infacundè, ieiunèq; laudat, à causa ipsa destitui videtur, nam amicus creditur eius, quẽ laudare vult, sed nihil posse reperire, quod in laudibus ponat; quod intelligendum esse duco, quando alter talem laudem meretur, & ipse eum commodè laudare possit. quia autem remissè aliquem laudare, ne tãti habeatur, est illius famam minuere, ideò S. Thomas hunc quartum modum sub illo termino, minuendo, subintellexit.

Dubium nunc insurgit, an isti modi differant spetie. cui respondetur, omnes istos modos esse eiusdem speciei, cum omnes habeant idem obiectum materiale, & formale, nempe famam occultè læsam. sunt tamen aliqui modi alijs grauiores, & aliqui obligant ad restitutionem, ideò in confessione explicandi sunt, vt confessarius cognoscens statũ pænitentis doceat ipsum, ad quid teneatur detractor. legatur Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. quæst. 10 artic. 1. in calce, quem sequitur Sairus lib. 12. clauis regiæ c. 6. num. 2.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt. quæ docent Molina tract. 4. disp. 27. Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 5. q 17. p. 1. Toletus *lib.* 5. cap. *63.* num. *6.* 7. & alij.

Quæritur, an detractio sit peccatum mortale.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut supra dictum est, peccata verborum maximè sunt ex intentione dicentis dijudicanda, detractio autem secundum suam rationem ordinatur ad denigrandum famam alicuius; vndè ille per se loquendo detrahit, qui adhoc de aliquo obloquitur eo absente, vt eius famam denigret: aufferre autem alicui famam valdè graue est, quia inter res temporales videtur fama esse preciosior, per cuius defectum impeditur homo à multis benè agendis, propter, quòd dicitur Eccl. 41. curam habe de bone nomine,

mine, hoc enim magis permanebit sibi, quam mille thesauri magni, & preciosi; & ideò detractio per se loquendo est peccatum mortale, contingit tamen quandoque, quod aliquis dicit verba aliqua, per quæ diminuitur fama alicuius nō hoc intendens, sed aliquid aliud, hoc autem non est detrahere per se, & formaliter loquendo, sed solum materialiter, & quasi per accidens, & si quidem verba, per quæ famam alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum, vel necessarium debitis circonstantijs obseruatis nō est peccatum, nec potest dici detractio; si autē proferat ex animi leuitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi fortè verbum, quod dicitur, sit adeò graue, quod notabiliter famam alicuius lædat, & præcipuè in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis, & tenetur aliquis ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionem cuiuslibet rei subtractæ. 2. 2. q. 73. art. 2. in corp.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. detractio per se loquendo est peccatum mortale. probatur, quia detractio per se loquendo intendit denigrare famam absentis, sed auferre alicui famā valdè graue est, cum inter res temporales fama videatur preciosior, ergo &c. secunda conclusio. si aliquis verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat propter aliquod bonum necessarium debitis circonstantijs obseruatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. hæc relinquitur, vt nota. tertia conclusio. si quis verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat ex animi leuitate, vel propter causam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi fortè verbum quod dicitur, sit adeò graue, quod notabiliter famam alterius lædat, & præcipuè in his, quæ pertinent ad honestatē vitæ. probatur hæc secunda pars, relicta prima vt nota, quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis. quarta conclusio. detractor tenetur ad restitutionem famæ. probatur, quia fama est res subtracta, sed ad restitutionem rei subtractæ tenetur quis, ergo &c.

Vt explicetur hæc doctrina, notandum est, duplicem esse detractionem, scilicet formalem, & materialem; detractor formalis est ille, qui ex intentione, vel crassissima negligentia rumorem hominis absentis disseminat, cuius famam obscurat; ille autem dicitur ex intentione detrahere, nedum quando directè id animo proponit, verum & quando animaduertit, qui dicit, & sine legitima causa nihilominus verbum effutit. detractor materialis est ille, qui nō ex intentione lædendi famam proximi, sed ex loquacitate, vel animi leuitate &c. detrahit. hoc stante dicimus primò, detractionem formalem, quæ scilicet fit cum intentione lædendi famam proximi, esse peccatum mortale ex suo genere, vt dicit prima conclusio, cum per detractionem auferatur fama, quæ præstantior est cæteris rebus externis, & altioris est ordinis, & per eius ablationē impeditur homo à pluribus benè agendis, multaq; mala indè insurgunt, vt lites, iurgia, scandala. licet autem detractio formalis sit peccatū mortale ex suo genere, potest tamen esse peccatum veniale ex triplici capite, quorum primum est exilitas, seu leuitas materiæ, quæ exilitas attenditur pænes tria, primò ex parte infamiæ, quia scilicet quis infamatur de re ioci, vt de mendacio officioso, & huiusmodi, minimum enim pro nihilo reputatur à ratione. secūdò ex parte personæ diffamatæ, vt si adolescens sæcularis diffametur de fornicatione, vel de adulterio, quia de huiusmodi solent se iuuenes iactare. loquor autē de sæculari adolescente, quia si diffamatio fiat de Religioso, aut Religiosa, vel etiam de puellis nubilibus, & pudicis sui nominis curam habentibus, erit pecatum mortale, quia huiusmodi personæ ex quibuslibet inhonestis infames redduntur, vt docet Caietanus hoc in loco. tertiò ex parte personæ, apud quam infamatur quis, illa enim infamia, quæ si fiat apud virum popularem, erit leuis, si postea fiat apud virum grauem, cordatum, vel Principem sæcularem, vel Ecclesiasticum, aut apud multos, erit grauis: secundum caput, ex quo detractio formalis est peccatum veniale, desumitur ex intentione detrahentis, quia scilicet quis detrahit non ex intentione nocendi notabiliter, sed potius ex intentione iocādi, & leuiter lædendi proximum. hic tamen obserua, quod si ex tali detractione sequatur notabile damnū ei, cui detrahitur, tūc erit peccatum mortale, licet quis non intenderet nocere notabiliter, vt dicitur in tertia cōclusione à S. Thoma, quem sequitur Nauarrus in cap. inter verba. 11. q. 3. concl. 6. corrol. 21. num. 477. & corrol. 32. nu. 518. sicut è conuerso peccaret mortaliter ille, qui intenderet grauiter lædere famam proximi, licet à parte rei non multum læderetur. tertium caput desumitur ex actus imperfectione, quando scilicet ex impetu iræ, absque rationis deliberatō consensu de aliquo detrahit, sicut cum quis ab alio prouocatur aliqua infamia, & concitata passione motus repente pellit iniuriam. Dicimus secundo, detractionem materialem, quæ scilicet fit non ex intentione lædendi famam proximi, sed ex loquacitate, seu animi leuitate &c. non esse peccatum mortale, quia, vt ait Caietanus in summula verb. detractio, non nisi materialiter detrahitur, quasi velit dicere, quod tunc non est detractio, cum enim intentio lædendi sit detractioni natiua, vbi illa abest, deest detractionis forma. hoc tamen intellige, nisi indè adeò notabiliter lædatur fama proximi, vt actus redeat in naturam suæ formæ, dum non curauit cauere à tanta proximi læsione, vt habemus ex tertia conclusio-

clusione S. Thomæ, quam sequitur Caietanus in summula loco citato, Dominicus Soto de iustitia, & iure. q. 10. art. 2. & maximè, inquit S. Thomas, in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ, vt detractio de peccatis carnis, quæ licet, vt ait D. Gregorius, minoris sint culpæ, sunt tamen maioris infamiæ. tertiò dicimus, in casu, quo iniqua intentio non adest, si bono animo, cordatoque zelo, & vbi oportet, & quando oportet, & alijs obseruatis circonstantijs, & circonspectè quis verba aliqua profert famæ detractoria, non est peccatum, vt dicit secunda conclusio, nec potest dici detractio, immò, vt ait Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 10. art. 2. est Virtus. hoc dictum patet ex terminis ipsis, quod enim non sit peccatum talis oblocutio, patet, quia tot est induta bonis circonstantijs; quod autem non sit detractio, patet, quia non adest forma natiua detractioni, nempe intentio nocendi, & consequenter non est detractio: quod autem sit Virtus, etiam patet, quia, cum hic sit sermo de actu particulari, hic debet esse virtuosus, vel malus, & cũ iam dixerimus non esse malum, erit ergo virtuosus.

Ad maiorem supradictorum intelligentiam quærenda sunt aliqua, & primò, an qui de aliquo non assertiuè rumores seminat, sed relatiuè dicendo se se hoc, & illud audiuisse, sit habendus infamator, aut non. circa hoc video Adrianum, quem sequitur Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 10. art. 2. dissentire Siluestro verb. detractio. q. 1. & 4. & Caietano qui hoc in loco asserit, solum assertorem tollere famam propriè, & assertorem solum propriè esse infamatorem, & hunc solum ad restitutionem famæ teneri. Dominicus autem Sotus cum Adriano asserit hoc esse genus infamandi, nam non possunt illi, qui aliàs non audierunt, non nouam concipere opinionẽ sinistram proximi, qua vtique ratione, illo modo fama vires acquirit eundo. ego standum cum Siluestro, & Caietano censeo, quos sequitur Martinus Nauarrus in manuali cap. 18. num. 36. Petrus Nauarrus lib. de restit. cap. 4. par. 2. dub. 9. num. 339. quia dum refero crimen alterius, vt audiui, & protestor, me illud referre, vt audiui iam non dico, sic esse, non affirmo crimen esse verum, non profero talem virum commisisse illud scelus, sed tantum illud crimen assero audiuisse de aliquo, & consequenter ipsum non infamo, notam illam illi non inuro, vnde ex natura talis actus non auffertur fama in opinione audientis, si postea alij sinistram concipiunt opinionem de hoc viro ex relatione mea, hoc procedit ex leuitate audientis, qui enim citò credit, leuis est corde, Eccles. 19. non ex vi dicentis, nec in hoc casu propriè læditur fama alterius, & sic remanet solutum argumentum Soti.

Secundò quæritur, an sit detrahere, quando diffamatum hominem manifesto illis, qui illius crimen ignorant, puta est quis diffamatus per Iudicis sententiam in vno loco, vtrum liceat mihi in alio loco illum manifestare. in hoc quæsito est dissensio inter Caietanum, & Adrianum. Caietanus opus. de 16. resp. resp. 9. quem sequitur Nauarrus in manuali cap. 18. nu. 26. & consil. 43. num. 1. in nouiss. de temp. ord. Bartolomeus Medina lib. 1. instruct. Confess. cap. 14. parag. 35. Petrus Aragona hoc in loco dub. 2. id affirmat. Adrianus quodlib. 11. quæst. 1. id negat. Siluester verb. detractio. q. 1. videtur Adriano consentire, nisi tamen probabile sit, quod statim crimen ventur um sit in notitiam existentis in alio loco. ego huic quæsito datis quibusdam distinctionibus per aliquas conclusiones respondeo. prima ergo distinctio est, quod dupliciter aliquis potest labẽ infamiæ contrahere, aut per publicam auctoritatem, quia scilicet est in iudicio condemnatus tanquam fur, aut hæreticus, aut priuatim per Vrbem, aut viciniũ, extra iuditium, vt qui commisit homicidium publicè, aut manifestus est latro. secunda distinctio est, aut diffamatus per Iudicis sententiam, & notorietatem facti consecutus est bonam famam ex emendatione vitæ, aut per obliuionem criminis ex longitudine temporis causatum, aut nundum consecutus est bonam famam. tertia distinctio est, dupliciter quis delinquere potest alterum infamando, scilicet aut contra Charitatem, aut contra iustitiam. his stantibus dico primò, qui manifestat crimen alicuius quocunque modo diffamati cum intentione ipsum infamandi peccat mortaliter contra Charitatem ratione pessimæ intentionis, dico secundò, non peccare saltem mortaliter eum, qui crimen notorium per Iudicis sententiam detegit existentibus alibi, & illud ignorantibus, sine mala intentione nocendi, puta non peccat mortaliter ille, qui Comi existens asserit, alium fustibus, aut Virgis ictum fuisse Mediolani, etiam si iste percussus reperiatur Comi, & agnoscatur ab his, quibus dicitur. ratio est. quia ille iure, publicoque præconio in pœnam mulctatus est sua fama, atq; adeò cuicunq; facta est facultas scelus illud propalandi, & ideò nullam ei iniuriam irrogat, qui idem detigit alibi crimen, ob quod famam perdidit, cum sit iure famæ priuatus. hoc dictum est Caietani, Nauarri, & Soti, qui tamen subiungit, quod licet talis non teneatur ad restitutionem, peccat tamen contra Charitatem, & mortaliter nudando rursus pudenda horum damnatorum, & tunc potissimum, quando emendati sunt, bonumque nomen recuperauerunt, nam bona fama quam maximè hominibus adiumento est ad Virtutem, qua perdita exanimantur, non tamen tale genus infamandi ad restitutionem obligat. in quibus verbis aliqua asserit falsa, nempe quod talis peccet mortaliter contra Charitatem nudando pudenda horum damnatorum, nam cum isti sint per Iudicis sententiam iure suæ famæ priuati, & cuiq; sit facta facultas scelus illud propalandi, nescio videre, quomodo iste peccet mortaliter, si desit mala intentio nocendi, & licet illud crimen, per quod quis damnatus est, non sit in alio loco notorium, hoc tamen est per accidens, & sic remanet solutum primum argumentum Adriani. peccaret tamen mortaliter, si crimen detegeret, postquam emendati

ti sunt, & bonum nomen recuperauerunt, quia quamuis per iudicis sententiam fuerit illis fama antecedens ablata, non tamen sequens. in tribus tamen casibus etiam liceret manifestare crimen illius, postquam bonam consecutus est famam. primò ad euitandum detrimentum corporale alicuius. secundò cum vergit in detrimentum spirituale alterius. tertiò cũ est in publicum detrimentum. exemplum primi est, vt cũ aliquis, qui in vno loco damnatus fuit tanquam fur, apud alios in alio loco existentes reputatur tanquam bonus uir, & conuersatur familiariter, vndè periculum esse possit, ne res eorum rapiat, tunc licet illos admonere de damnatione illius ratione latrocinij facta, si tamen aliter non possent auerti à conuersatione illius. exemplum secundi est, si aliquis sit hæreticus, cuius statua cõbusta est alibi, quod tamen ignoratur hoc in loco, vbi periculum imminet inficiendi alios, tunc licet id reuelare. exemplum tertij est, vt si quis beneficium, aut dignitatem vellet accipere, cum tamen alio in loco simili beneficio, vel dignitate fuerit priuatus ob illius inhabilitatem, tunc licebit hoc reuelare, quia in publicum detrimentũ cædit. dico tertiò. quando quis nundum bonam famam consecutus est, quam perdidit per Iudicis sententiam, non peccat quis contra Charitatem nec contra iustitiam, si hoc manifestet alijs in eadem Vrbe, vel etiam alibi existentibus, vt si aliquis fustibus fuit ictus in aliqua Ciuitate pro latrocinio, quod tamen multi in eadem Vrbe existentes ignorant, tunc licebit hoc illis manifestare, nec hoc erit contra iustitiam, quia iure suæ famæ per Iudicis sententiam priuatus est, & per accidens est, quod alij hoc ignorẽt; nec erit contra Charitatem; quia ista manifestatio in nullo illi nocet, quia licet tunc isti ignorent hoc factum, attamen parum post diuulgabitur apud ipsos; si quis etiam hunc diffamet in alio loco mittendo litteras, aut oretenus narrando factum, non peccabit contra iustitiam, nec contra Charitatem, quia iste diffamatus verè nõ habet famam. hoc docet Caietanus, & Bartolus L. ex ea. ff. de postulando. Aduerte tamen quod in duobus casibus peccare posset quis contra iustitiam diffamando talem in alio loco, quorum primus est, quando tertia persona infamaretur, vt si frater diffamati esset in illo loco, cui fama anfertur, si fratris infamia illuc defferatur. secundus est, quando diffamato aliquod aliud detrimentum corporale obuenit, vt si forsan occidetur, vel priuabitur aliquo bono temporali, ratione .n. annexorũ erit peccatũ cõtra iustitiã; subiungit tamen Toletus lib. 5. cap. 65. nu. 4. quod peccaret iste contra Charitatem, quando diffamatus esset præsens, & digito notaretur, & licet etiam esset absens, si verisimiliter crederetur, quod nunquam fama illius criminis perueniret ad locum illum distantem, peccatũ esset contra Charitatem in illo loco eum manifestare. sed iste allucinatur, cum enim hic diffamatus iure suæ famæ sit priuatus per Iudicis sententiam, & hoc per accidens ignoretur ab alijs alterius loci, nulla iniuria ei infertur, si digito notatur; per accidens etiam est, quod infamia illius criminis ad locum distantem non perueniat, de se enim notorium est. dico quartò, quando crimen est notorium extra iudicium, non est peccatum cõtra Charitatem, nec contra iustitiam hoc ibi, vel alibi manifestare apud ignorantes illud, si tamen verè publica sit infamia, quia cum publicum sit delictum, per accidens est, quod hoc alij ibi, vel alibi existentes ignorent, & cum iustè sit priuatus iure suę famæ ex notorietate delicti, nulla ei irrogatur iniuria, si hoc alij propaletur. Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 10. a. 2. quem sequitur Toletus lib. 5. cap. 65. num. 4. in fine id negat, & asserit, quod qui extra ordinẽ Iuris in vno loco iacturam fecit famæ, non solum contra Charitatem, verum etiam contra iustitiam facit, qui eundem alibi eadem infamia respergit, & ad restitutionem, eo, quo fieri potest modo, tenetur, quia iure non est illa priuatus, nã propter rumores, etiãsi priuatim manifesti sint, nemo ius perdit honoris sui, ac famæ, si domicilium mutet, sed reputatur ibi secretum esse delictum. sed ego puto, hunc manifestantem delictũ alibi ignoratum, vbi bona prælucet fama, licet sit diffamatus in alio loco ex notorietate delicti, non peccare contra Charitatem, nec contra iustitiam, quia iste ex notorietate delicti perdidit famam, & per accidens est, quod hoc ignoretur ab alijs, vnde nulla ei iniuria infertur, si tale crimen aliàs publicum manifestaretur ijs, qui illud per accidens ignorant, de se enim publicum est. hoc tamen verum est, si mala desit intentio nocendi illi; & multò magis licebit tale crimẽ manifestare ignorantibus ipsum, vbicunque existentibus, si vergat in detrimentum spirituale, vel corporale illorum, vnde licebit malos mores aliquorum manifestare alijs, ne conuersatione illorum peruertãtur. si quis etiam se optimum emẽtiretur Medicum, aut excellentem Theologum, cum sit tamen ignarus, tunc non solum licet, verum expedit eius ignorantiam, fallaciasque detegere, & docendus est populus veritatem, quia huiusmodi sicophantæ suis imposturis perniciẽ Reipublicæ offerunt, vt benè ait Dominicus Sotus loco citato dub. 3. quem sequitur Toletus lib. 5. cap. 65. n. 4. Petrus Nauarrus lib. 2. de restitut. cap. 4. par. 2. dub 12. num. 341. & 342. Salon 2. 2. q. 73. a. 2. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 17. p. 2. dub. 3. qui tamen Sotus excipit casum de mulierculis, quæ foris Sanctitatem pręseferunt, vt eleemosinis possint victitare, licet occultò aliquo crimine sint infectæ, neutiquam Reipublicæ noxio, istæ .n. non debent infamari.

Tertiò quæritur, an liceat historicis hominũ crimina perpetuæ prodere memoriæ. ad quod respondeo cum Dominico Soto loco citato dub. 4. qui primò ait, non esse condemnandos historicos, qui relictis turpibus, ac infamibus peccatis bella, & homicidia; & alia, quæ viris illustribus dedecora non sunt, litteris mãdant. secundò, quod si narrent turpia aliqua notoria, & quę omninò non sunt secreta, non est illis vitio vertendum,

dum, sed officio potius tribuendum, debent tamē optima fide, quæ ad rem pertinent pernarrare. tertiò, vbi inuidia moti, aut alio prauo affectu quempiam aliquibus vitijs notant, non sunt à peccato liberi, & tunc potissimum, cum generi alicui, & prosapiæ notam inurunt, quæ in perpetuam memoriam mansura est.

Quartò quæritur, an diffamatum in vno genere vitij grauiori liceat diffamare in alio genere minus graui. cui dubio respondeo obseruando, quod peccata sunt duplicis generis, aliqua enim sunt omninò disparata, & nullam habent inter se connexionem, vt hæresis, & adulterium, siue furtum; alia sunt, quæ habent connexionem inter se, vt ludus, & blasphemia, & iuramentum &c. hoc stante dico primò, quod qui diffamatum de vno peccato diffamaret de alio habente connexionem cum primo, non peccaret, quia cum ista peccata habeant connexionem adinuicem inter se, vnusquisque per se poterit iudicare, aut suspicari, quod si lapsus est in vnum genus peccati, quod etiam de facili potuerit esse lapsus in aliud, & consequenter parum læditur ex talis peccati manifestatione; pari ratione qui diffamatus est de multis peccatis eiusdem speciei, puta de centum furtis, poterit manifestari aliud furtum occultum illius absque peccato mortali, quia non multum notabiliter læditur eius fama, quæ iam in tali peccati spetie læsa est. dico secundò, non licere diffamatum in vno genere peccati diffamare in alio genere peccati, quod non habet cōnexionem cum præcedente, quia licet habeat famā læsam in vna spetie peccati, circa tñ alias species bonā possidet famā, & consequenter non minus peccat, quam qui detegeret peccatum occultum alicuius bonæ famæ, vnde sicut iste detegens peccatum alicuius boni nominis peccaret mortaliter, & teneretur ad restitutionem, ita peccat mortaliter, qui detegit peccatum alicuius bonę famæ, & clari nominis in hoc genere peccati, licet sit diffamatus in alio genere, & in illo genere lęsā habeat famā. legatur Petrus Nauarrus lib. 2. de restitut. cap. 4. p. 2. dub. 8. n. 151. Aragona. 2. 2. q. 62 a. 2. dub. 3. Salon ibidem controuers. 19.

Quinto quæritur, an liceat peccata venialia detegere aliorum. Cui quæsito respondeo, quod detegere peccata venialia nō est peccatum mortale, quia per huiusmodi manifestationem non læditur fama illorum, clarum siquidem est, homines sæpissimè peccare venialiter. sic docet D. Antoninus. p. 2. tit. 8. cap. 14. Siluester verb. detractio. q. 1. Martinus Nauarrus in manuali cap. 18. num. 24. Petrus Nauarrus lib. 2. de restitut. c. 4. par. 2. dub. 5. num. 312. qui tamen etiam docet vnum falsum, nempe quod referre peccata venialia ex consuetudine facta est peccatum mortale ratione personæ, de qua dicuntur, vt si dicatur de Episcopo, aut Religioso, quod rideat frequenter; aut quod soleat delectari nugis, aut iocosis verbis; quod delectetur conuersatione fæminarum, & huiusmodi, quia cum Episcopi sint in statu perfectionis, & Religiosi ad perfectionē tendere debeant, vt docet D. Thomas. 2. 2. q. 186. a. 1. multum læditur fama illorum ex horum venialium delictorum detectione, cum exinde minoris æstimari soleāt, & audientes scandalizari. sed hoc dictum puto falsum, & rationem eius nullius esse roboris, quia licet Episcopi sint in statu perfectionis, & Religiosi ad perfectionem tendant, & consequenter à consuetudine peccādi venialiter abstinere debeant, non tamen inde multum læditur fama eorum, cum sit consuetudo de leuibus, & hoc patiatur fragilitas humana; & licet scandalum sit actiuum, est tamen veniale; & licet minus isti scandalizati estiment illos, hoc tamen ex imperfectione eorum contingit.

Sextò quæritur, an peccet mortaliter, qui de aliquo dicit, verba generalia turpia, quæ sonare possunt peccatum mortale, & veniale, puta an peccet mortaliter, qui de aliquo dicit, quod sit superbus, auarus, iracundus, & huiusmodi. cui quæsito respondeo cum S. Antonino. 2. p. tit. 8. cap. 4. quem sequitur Siluester verb. detractio. q. 1. nempe talem proferentem in aliquem huiusmodi verba generalia turpia non peccare mortaliter, quia cum supradicta verba generalia possint sumi pro inclinatione naturali, vel pro motu primò primo, vel primò secundo, quæ aut nullū, aut leuem culpam important, ex quibus nō læditur, saltem notabiliter fama illorum, de quibus proferuntur, non video culpam lethalem; & multò magis, quia audientes debent in meliorem partem ea accipere, & non ex eis scandalizari. Reg. estote. de reg. iuris, vnde ipsis audientibus, & non proferenti imputari debet, quod in malam partem ea accipiant. vterque tamen Nauarrus, nempe Martinus in manuali cap. 18. num. 251. & Petrus lib. 2. de restitur. cap. 4. par. 2. dub. 6. docent in duobus casibus esse peccatum mortale huiusmodi verba de aliquo proferre, quorum primus est, quando cum notabili damno, aut periculo fit, & coram illis personis, de quibus credi potest, quod de peccatis mortalib. ea accipient, & affert Martinus Nauarrus duas experientias, ait enim se nosse quemdam virum insigniter eruditum, ac probum ab adipiscendo eggregio quodam munere impeditum ob culpas veniales vanitatis, iracundiæ; & alium ob defectum generis, visus, & virium naturalium ab amicitia valdè vtili, & honorabili esse impulsum. secundus casus est ratione personæ, de qua proferuntur, vt dicere de Episcopo, aut Religioso, quod sit auarus, vel iracundus erit peccatum mortale, cum exindè notabiliter lædatur fama eorum, etiam quando important culpam venialem. ego temen propositionem D. Antonini, & Siluestri absolutè veram esse affirmo ratione iam adducta; & ad primum casum Nauarri dico, damnū, & periculum non esse ex parte proferentis, sed esse ex parte audientis, qui voluit ex verbis illis occasionem accipere non cōferendi munus illud viro erudito, ac probo, vnde culpa potius est audientis, qui attendere debuit ad essentialia, nēpe probitatem, & doctrinam nōn consideratis leuibus culpis. idem dicendum est de eo, qui repulit ab amicitia vtili, & honorabili ob defectū natu-

naturalium. ad secundum casum dico, non lædi notabiliter fama Episcopi, vel Religiosi ex prolatione illorum verborum generalium, vt supra diximus, & multò minus, si importent culpam venialem. ex quibus patet non esse audiendum Bartolomeum Medinam, qui primo lib. instruct. Confess. cap. 14. parag. 35. ait, peccare mortaliter eum, qui aliquem in absentia mēdacem affirmat, quia licet mentiri non sit nisi peccatum veniale, aliquem tamen mendacem esse affirmare, notabilis defectus est, & proinde notabiliter læditur fama proximi. Petrus Nauarrus lib. 2. de restitut. cap. 4. par. 2. dub. 5. nu. 312. ait, opinionem Medinæ veram esse, quando non est notorium, talem esse mendacem, quando autem esset hoc notorium, non esse peccatum mortale asserere, talem absentem esse mendacem. ego puto, nec peccare mortaliter eum, qui absentem vocat mendacem, licet hoc non sit notorium, quia cum mendacium possit tantum esse peccatum veniale, ex vi verborum prolatorum non læditur notabiliter fama illius, de quo dicuntur.

Septimo quæritur, an licet referre defectus naturales alicuius alterius, puta an liceat dicere, quod talis sit cæcus, gibbosus, ignarus, indiscretus. cui dubio respondeo, non peccare mortaliter eum, qui defectus corporis, aut mentis manifestaret, quia isti defectus non auferunt bonum nomen, & bonam famam; & vlterius isti defectus solent esse noti, & manifesti. sic docent Petrus Nauarrus lib. 2. de restitur. cap. 4. par. 2. dub. 4. num. 306. Martinus Nauarrus in manuali cap. 18. num. 24 Aragona. 2. 2. q. 73. a. 2. dub. 4. Salon ibidem. a. 2. controuers. vltima, & alij, vnde non est admittenda limitatio Sairi, qui lib. 11. clauis regiæ cap. 6. num. 5 ait, quod ratione damni adiuncti potest esse peccatū mortale illos defectus reuelare, vt quando ob horum manifestationem impediretur quis ab aliquo bono consequendo, nam aut isti defectus reddunt incapacem illius boni, vt cæcitas, ignorantia respectu beneficij Curati, aut nō reddunt inhabilem, vt gibbositas, indiscretio; si detur primum, non solum non erit peccatum hos manifestare defectus, sed adhoc tenebitur quis; si autem detur secundum, cum isti defectus sint noti, & per acidens sit, quod ab aliquibus ignorentur, si illis reuelentur ab aliquo, non video quomodo peccet mortaliter iste, quia si ille, qui debet conferre beneficium, non confert illud, postquam talem defectum naturalem sciuit, hoc potius redundat in eum, qui conferre potuit, quia non debuit ob leuem defectum naturalem priuare defectuosum illo beneficio. nec etiam est admittendus casus positus à Bartolomeo Medina lib. 1. instruct. cap. 14. §. 35. qui ait peccare mortaliter eum, qui reuelaret defectus natalium alicuius ignotos, puta quod sit ex Iudeis, Saracenis, vel Mauris ortus, vel nouus Christianus, quia isti potius mallent, quod diffamarentur tanquam concubinarij, quam noui Christiani, siue Mauri, siue Saraceni, si quis autem assereret de istis, quod essent concubinarij, peccaret mortaliter, si concubinatus esset occultus, ergo etiam erit peccatum mortale asserere eos esse Mauros, aut Saracenos, aut nouos Christianos. sed hæc ratio non conuincit, quia concubinatus est occultus per se, defectus autem natalium est occultus per accidens, per se autem notus, ideò primum non licebit propalare, sed benè secundum. nec habendus est respectus ad contristationem, qua angitur quis de defectu natalium magis, quam de concubinatu, quia irrationabilis est. hæc autem, quæ diximus, vera sunt, nedum si dicantur de Mauro de præsenti, & nouo Christiano nouiter facto, sed etiam si dicātur de eis, qui iam per longum tempus à Saracenis, vel Mauris, vel Iudæis descenderunt, itaquod manifestans origines horum non peccabit mortaliter, immò benè faceret in quibusdam occasionibus, sicut benè faciunt Patres Dominicani hispani, qui, vt mihi relatum est, processus formant pro inuenienda origine Adolescentis, qui recipi ad habitum Religionis petit, quem si originem trahere ab his compererint, nullo modo recipiunt, quia experientia compertum est, hos adolescentes simul cum origine trahere etiam mores pessimos; vt ergo vnusquisque prospiciat, cum quibus conuersetur, & ne moribus horum seducatur, origines tales manifestari possunt absque peccato mortali. nec valet ratio Sairi, qui lib. 11. clauis regiæ cap. 6. num. 27. oppositum docet, quia, inquit, cum tales nec in se, nec in Parentibus peccauerint, iniustè illis infamia inuritur, quamuis enim Parentes peccato infidelitatis peccauerint, non tamen ob id digni erant infamia, & opprobrio, sed potius ex eo quod conuersi sunt, laudari merentur. non valet, inquam, ista ratio, quia licet non peccauerint in Parentibus proximis, & immediatis, peccauerunt tamē in Parentibus mediatis, à quibus sicut trahunt originem, ita contrahunt mores, nec noua infamia inuruntur, quia origo horum vel per historicos, vel traditiones hominum dinoscitur, & hoc quotidie experimur, & per accidēs est, quod ab aliquibus ignoretur; & sicut Parentes laude æstimantur ex hoc quod conuersi ad fidem Catholicam comprobantur, ita descedentes horum gloriari debent, quod à Conuersis ad fidem originem trahant, non autem infamiæ erit adscribendum. hæc quæ diximus, vera sunt, si mala desit intentio notabiliter lædendi proximum, quia ratione talis pessimæ intentionis peccatum erit mortale.

Octauo quæritur, an liceat referre alicui iniuriam mihi illatam; & an hoc sit detrahere, cum peccatum alterius detegatur. cui respondeo cū Petro Nauarro lib. 2. de restitut. cap. 4. par. 2. dub. 14. num. 346. quod si quis referat alteri iniuriam sibi illatam animo detrahendi ob liuorem vindictæ, peccat mortaliter; si autem hoc referat simpliciter, vel ad conquerendum, vel ad capiendam consolationem ab amico, vt dolor remittatur, non peccat, quia vtitur iure suo, & per accidens est, quod detegatur peccatum alterius.

Nonò quæritur, an liceat infamare se ipsum. in quo quæsito inuenio duas opiniones, quarum prima

prima est Caietani, qui in summula verb. detractio. & 2.2.q.73. a. 2. docet esse peccatum mortale ex genere suo seipsum infamare, & grauius, quam si alium infamaret, quia tenetur magis diligere famam suam propter Deum, & commune bonum, quam famam proximi; & quod tale peccatum nedum est contra Charitatem, qua quisq; tenetur se ipsum diligere, sed etiam contra iustitiam, qua homo non ita est suus, quin etiam sit pars alterius, puta Ecclesiæ, cuius membrum est, vndè sicut occidens seipsum non solum contra Charitatem facit, sed etiam contra iustitiam, offendit enim Ciuitatem, cuius est pars, & ideò punitur ab Ecclesia priuatione sepulturæ Ecclesiasticæ, ita etiam seipsum infamans facit contra Charitatem, qua quis seipsum diligere tenetur, & contra iustitiam, quia facit contra Ecclesiam, cuius membrum est, & apud quam residet eius fama, ideò tenetur ad restitutionem famæ sibi ipsi. quibus addit Caietanus, quod non excusatur à peccato mortali propter metum, aut tormenta, quia sicut nullus metus, nullumque tormentum excusat à vulneratione, aut occisione sui, ita nec ab infamatione sui. & quamuis pati detrimentum famæ propriæ sit in proprio arbitrio constitutum, si in aliorum malum non redũdat, sicut pati vulnera, & mortem, inferre tamen sibi ipsi damnum famæ criminosum est, sicut vulnerare, aut accidere se. & si in iudicio propter tormenta hoc fit, duplicatur iniquitas, quia in iudicio adiungitur mendacium perniciosum.

Caietanum sequitur Siluester verb. detractio.q. 3. quo ad duo, nempe quod infamans seipsum extra torturam peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. non sequitur autem Caietanum in hoc quod etiam peccet, si infamet seipsum in tortura, quia tũc Siluester excusat à peccato mortali infamantem seipsum, si tamen extra tormenta ratificaret ea, quæ in tormentis confessus est, per quæ diffamatur, peccaret mortaliter. eiusdẽ sententiæ Siluestri est Valentia disp. 5. q. 17. p. 2. fundamentum Caietani est, quia putat neminem esse Dominum suæ famæ, sicut nec vitæ, sed dominium residere apud Ecclesiam, siue Rempublicam. secunda opinio est Dominici Soto, qui in 4. lib de iustitia, & iure. q. 2. a. 3. & q. 6. a. 3. & lib. 5. q. 10. artic. 2. & in lib. de tegendo secreto memb. 1 q. 3. docet, quod infamare seipsum est peccatum, sed non mortale contra Charitatem, nec contra iustitiam. fundamentum eius est oppositum Caietani, quia scilicet homo est dominus suæ famæ, quod abundè probat in supradicto loco lib. 4. de iustitia, & iure. q. 2. a. 3. concl. 4. ad quem lectorem remittimus. ego cum Dominico Soto tenendum censeo, salua reuerentia, quæ Caietano viro doctissimo debetur. dicamus ergo, quod qui infamat seipsum, peccat quidem, sed non mortaliter, neque contra Charitatem, neque contra iustitiam. quod peccet, probatur, quia est præter Charitatem, qua tenemur nos, nostraque bona diligere, fama autem est bonum nostrum, vnde qui sine causa se infamat, prodigus est suæ famæ, quæ prodigalitas est peccatũ. quod autem non peccet mortaliter contra Charitatem, probatur, quia præcepto Charitatis nõ vsque adeò hæc bona tenemur diligere, vt illa negligere sit peccatum lethiferum, immò Redemptor noster splendorem omnium bonorum temporalium, bonorum scilicet, & gloriæ humanæ despectui habere admonuit, nempe vt honores, & primas sedes, & sæcularem fastum fugeremus; immò & admonemur infamiam patienter tolerare, vt ait Gregorius hom. 9. super Ezechielem. quod autem non peccet mortaliter contra iustitiam, probatur, nam si esset contra iustitiam, hoc maximè esset, quia homo non esset dominus famæ suæ, sicut nec vitæ, sed dominium resideret pænes Ecclesiam, vel Rempublicam, cui eam dispendendo iniurij sumus, sed hoc profectò non reputo verum, dominium siquidem honoris, & famæ apud hominem residet, sicut & cæterorum bonorum exteriorum, & ideò qui prodigus est suæ famæ, nulli iniuriam irrogat, nec ad aliquam restitutionem tenebitur, nullus enim sibi ipsi ad restitutionem tenetur, restitutio siquidem est actus iustitiæ, quæ non est ad se, sed ad alterum. quod confirmatur auctoritate D. Thomæ, qui 2.2.q.73. a. 4. ad 1. ait in arbitrio cuiusq; esse detrimentum suæ famę pati, ergo dominium famæ residet apud hominem, quod iterum probant exempla Sanctorum Augustini, qui peccata sua scriptis mandauit; Anselmi, qui in suis scriptis suam deplorat amissam Virginitatem; Ambrosii, qui mulieres ad se induxit, vt illa infamia sibi Episcopatum caueret, & aliorum Sanctissimorũ Virorum, qui, vt refert Baronius tom. 4. annal. Eccl. fol. 366. electi in Episcopos simulabant, se aliquod admisisse delictum, ne ordinarẽtur, quæ vtique non essent benè gesta, nisi dominium famę apud nos resideret. infamare ergo se ipsum, etiã in tormentis, non est peccatum mortale ex genere suo, quod ideò dixerim, quia ex circonstantia aliqua potest esse mortale, & ponam aliquos casus, quorum primum desumo ex Dominico Soto lib 4. de iustitia, & iure. q. 2. artic. 3. quem sequitur Petrus Nauarrus lib. 2. de restitut. cap. 4. par. 2. dub. 1. n. 121. & 122. Salon q. 3. de dominio art. 3. quando quis referens peccata sua mortalia, licet nõ grauia honori suo, in illis gloriatur, & sibi complacet iuxta illud psalm. 51. quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate, & psalm. 93. vsquequo peccatores gloriabuntur. in hoc casu multiplex occurrit peccatum, nempe infamiæ, iactantiæ, & scandali. secundus casus desumitur ex eodem Soto lib. 4. de iustitia, & iure. q. 6. a. 3. & 4. & lib. 5. q. 10. artic. 2. quando quis hæresim, vel aliud nefandissimum crimen, etiam citra iuramentum sibi imponeret, siue verè, siue falsè. hoc profectò est peccatum mortale ob insignem turpitudinem peccatorum, licet Petrus Nauarrus vbi supra asserat, non peccare hunc mortaliter. sed standum esse assero cum Dominico Soto, quẽ sequitur Aragona. 2.2. q. 62. tract. de dominij obiecto, Salon vbi supra, Nauarrus in manuali cap. 18. nu. 58. quia licet homo sit dominus suæ famæ, non debet tamen eam prodi-

gere

gere cum tanto scandalo. tertius desumitur ab eodem Soto lib 4. de iustitia, & iure.q.2.ar.3.& lib.5.q. 10. a. 2. quem sequitur Nauarrus in manuali cap.18. num.29.Salon.q.3. de dominio.ar. 3.Aragona 2.2. qu. 62. tract. de dominio, & est, quando Prælatus, qui famam suam regendis suis subditis habet obstrictam, infamat se. iste peccat mortaliter nedum contra Charitatem, sed etiam contra iustitiam, sicut qui familiam habēs alendam, aut pauperes videt grauiter patientes, sua bona in flumen projiceret. quod peccet contra Charitatem mortaliter, patet, quia vergit in periculum aliorum, vnde dicebat S. Thomas.2.2. q.73. artic. 4.ad 1. posse hominem pro libito detrimentum famæ suæ pati, nisi vergat in periculum aliorum. quod etiam peccet contra iustitiā, sua detur, quia quo iure tenetur quis ad aliquid agendum, vel conseruandum, eodem iure tenetur ad media, quę sūt vtilia, & necessaria ad hoc, sed Prælatus tenetur ex iustitia curare vitam suā tam spiritualem, quam corporalem, & vitam suorum subditorum, & domesticorum, & bonum commune, ergo etiam ad tuendam famam suam, quando ad officij executionem, vel aliorum salutem necessaria, & vtilis sit. hoc dictum est contra Petrum Nauarrum, qui lib. 2.de restit.cap.4. par. 2. dub.1. num. 123.ait huiusmodi Prælatum peccare tantum contra Charitatem, non autem contra iustitiam. quartus casus est desumptus etiam ex eodem Soto lib.5. de iustitia, q. 10.a.2. & est, quando quis iuratus crimen sibi falsum imponeret, tunc enim esset periurij reus. Sotum sequitur Martinus Nauarrus in manuali cap. 18. num.28.Petrus Nauarrus lib. 2.de restitut.cap.4. par.2. dub. 1. num.125.Salon. q. 3. de dominio. art.3. & q. 73. ar. 3.controuers. vlt. si autem sibi falsum crimen imponat quis citra iuramentum, mendacij quidem crimen non euadit, perniciosum tamen non erit, atque adeò neque ex genere suo mortale. quintus casus desumitur ex Nauarro in manuali cap.18.num.28.& in c.inter verba concl.6.corrol.44.quem sequitur Aragona. 2.2. q. 62. & in q. de dominij obiecto, Salon ibi q.3. a.3. Petrus Nauarrus lib.1.de restitut.cap.4.par. 2. dub.1. num.126.& est, quando talis infamatio vergit in damnum propriæ vitæ aut aliorum, vt si quis detegat crimen, ob quod sua, vel aliorum damnatio ad mortem, aut membri mutilatio sequatur. hic tamen casus verus est, quando id faceret sine rationabili causa, & extra tormenta, esset enim prodigalitas vitæ, quæ profectò peccatum mortale est, vt si quis diceret, se violasse Virginem, propter quod cognoscit, quod eius frater eum occidet, peccabit mortaliter crimen propalando, quia causa est suæ iniustæ occisionis, & quia manifestat iniustè peccatum alterius, cuius famæ, aut vitæ ipse renunciare non potest. sextus casus ponitur à Sairo lib. 11. clauis Regiæ cap. 3. num 18. & est, quando quis se infamat, ex cuius infamia alij eiusdem status, qui sunt in bona hominum opinione, damnum sui honoris patiuntur, vt si Religiosus crimen suum detegat, ex quo Religioni notabilis infamia sequitur, experientia enim constat, quod homines solent ex vnius vitio alios diiudicare, & contemnere, quod tamen est signum magnæ ignorantiæ, & imprudentiæ. extra hos casus non erit peccatum mortale seipsum infamare extra tormenta, & etiam in tormentis detegendo crimen occultum verū, quia homo est dominus suæ famæ, sicut bonorum externorum; vel etiam imponendo sibi crimen falsum, quia nullus tenetur cum tanto cruciatu vitam seruare, sed potest mitiorem, & breuiorem permittere mortem, vt tam longam, & acerbam euadat, & licitè commutat longa tormenta, quæ sunt prolixa mors, pro morte breuiori; & in hoc casu per accidens dat causam propriæ mortis; sed erit in his casibus tantum peccatum veniale. opinionem Soti sequuntur Martinus Nauarrus in manuali cap. 18. num. 27 & 28. Martinus Ledesma. 2.4.q.58.a.2.dub.5.pag.246.& 247.& q. 10. a. 5.dub.6. concl.10.fol.87. col.4.& q.18 art. 2. dub.5. fol. 246. & 247. Petrus Nauarrus lib. 2. de restitut.cap.4.par.2 dub.1.num.113.& seq. & par.3.de dominio.a.3.& in q 62.a.2. controuers. 23. & q. 73. artic.2. controuers. 5. Bartolomeus Medina lib. 1.instruct. c. 14. parag.76. Aragona. 2.2.tract.de dominio. Salon.2.2.quæst. 73.ar. 2. controuers. 3.Toletus lib.5.cap.66. Valentia to. 3. disp. 5. q. 6. p.5.q.17. p. 4.Sairus lib. 11.clauis regiæ cap. 3. per totum. & alij.

Quæret aliquis, an teneatur sibi restituere famam casu, quo ob confessionem criminis falsi incidit in vitæ periculum, quia puta morte condēnabitur, vel ijs, quibus necessaria erat fama, irrogauit iniuriam. cui respondebitur dicendo primò, quod confessio illa sic extorta non est, cui fides sit adhibenda, vt propter illam reus adiudicetur morti, immò neque vt propriè pro infamia ducatur, vt patet 15.q. 6. can. si quandoque. dico secundò, si persona, quæ periculum subit mortis, est priuata, non tenetur, vt ait Sairus lib. 11. clauis regiæ. cap. 3. num. 43. & ratio id suadet, quia non tenetur homo tanto cum cruciatu vitam seruare, sed potest breuiorem sibi permittere mortem, vt tam acerbā effugiat, vt rectè ait Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 10. art. 2. propè finem, si autem sibi restituat famam canendo palinodiam, iterum cruciabitur. dico tertiò, si sit persona publica, tenebitur, quia per mortem eius fieret iniuria Reipublicæ, dum eius ciuis publicus à medio tolleretur; & quia ex cōfessione falsi criminis impositi iniuria irrogatur ijs, quibus necessaria erat fama ipsius, vt iam diximus. argumenta Caietani remanent soluta ex dictis, & soluuntur à Soto loco citato, & Sairo loco citato.num. 45.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Molina tract. 4.disp. 27. Reginaldus lib. 24.n.72.& 79.Rebellus lib.4.de rest. q. 3. de detractione n.5. Azorius 3.p.lib.13.c.4.dub.9. & c. 7.dub.4.Toletus lib.5. cap. 64.

Patet etiam vnde desumpserint, quæ docent Valentia to.3.disp.5.q.6.p.5.& q.17.p.2.Azorius 3.p.lib.13.c.7.dub.2. Molina to.4.d.16.nu.5. Reginaldus lib.24.nu.76.& 79.& alij.

Quaeritur, in quibus casibus reuelare peccatum occultum non sit detrahere.

5 Respondeo dicendum, quod reuelare peccatum occultum alicuius propter eius emendationem denunciando, vel propter bonum iustitiæ publicæ accusando, non est detrahere, 2.2.q.73.a.2. ad 1.

Quod reueletur peccatum occultum alicuius propter eius emendationem denunciando, vel propter bonum iustitiæ publicæ accusando, non esse detrahere, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Iam diximus, detractionem esse detectionem criminis occulti cũ animo denigrandi famã illius, & si aliquis proferat verba, per quę fama alterius diminuitur propter bonum aliquod necessarium debitis circonstantijs obseruatis, non est peccatum, neq; potest dici detractio, inquit S. Thomas, 2.2.q.73.a.2. in corp. sed erit actus Virtutis, vt in proposito contingit, dum aliquis crimen proximi occultum reuelat denunciando illud Prælato, vt emendetur, hic enim est actus Charitatis, vel actus virtutis iustitiæ, vt dũ aliquis crimen occultum reuelat accusando Iudici, vt puniatur.

Quaeritur quomodo intelligatur dictum D. Augustini in homilia de igne purgatorio, qui inter peccata minuta ponit, quando cum omni falsitate, vel temeritate maledicimus.

6 Respondeo dicendum, quod loquitur in casu illo, quo aliquis dicit aliquod leue malum de alio non ex intentione nocendi, sed ex animi leuitate, vel ex lapsu linguæ. 2.2. q.73. a. 2. ad 3.

D. Augustinum, quando ponit detractionem inter minuta peccata, loqui de Detractione, quę dicit leue malum, vel quæ fit sine intentione nocendi, sed ex lapsu linguæ, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ex hac doctrina habemus casus, in quibus detractio est peccatum veniale, & sunt duo, vel ratione mali dicti, vel ratione animi proferentis, tunc ergo erit peccatum veniale, quãdo aliquod leue crimen occultum detegitur, per quod fama proximi parum læditur, & adest intentio parum lædendi, si enim adesset intentio multum denigrandi famam proximi, licet malum, quod dicitur, esset paruum, erit peccatum mortale ratione malæ intentionis, & tunc dicetur detractio venialis obiectiuè: est etiam peccatum veniale detractio, quando non adest intentio nocendi, licet dicatur malum de proximo ex animi leuitate, vel ex loquacitate, & tunc dicitur detractio materialis, nisi tamen malum, quod dicitur de aliquo, sit adeò graue, vt exinde notabiliter lædatur fama proximi, quia tunc esset peccatum mortale, tunc enim actus rediret in naturam suę formæ, vt iam diximus cum S. Thoma, & Caietano. & in his duobus casibus detractio ponitur à D. Augustino inter peccata minuta, siue venialia.

Quaeritur, an detractio sit grauius peccatum omnibus peccatis, quæ in proximum committuntur.

7 Respondeo dicendum, quod peccata quę committuntur in proximum sunt pensanda per se quidem secundum nocumenta, quæ proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpæ, tantò autem est maius nocumentum, quantò maius bonum demitur, cum autem sit triplex bonũ hominis, scilicet bonum animæ, quod est maximum, non potest alicui ab alio tolli, nisi occasionaliter, puta per malam persuasionem, quæ necessitatem non infert, sed alia duo bona, scilicet corporis, & exteriorum rerum possunt ab alio violenter auferri, sed quia bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum, grauiora sũt peccata, quibus infertur nocumẽtum corpori, quàm ea, quibus infertur nocumentum exterioribus rebus; vndè inter cætera peccata, quæ committuntur in proximum, homicidium grauius est, per quòd tollitur vita proximi iam actu existens, consequẽter autem adulterium, quod est contra debitum ordinem generationis humanæ, per quam est introitus ad vitam, consequenter autem sunt exteriora bona, inter quæ fama præeminet diuitijs, eo quòd propinquior est spiritualibus bonis, vndè dicitur prouerb. 22. melius est nomen bonũ, quàm diuitiæ multæ, & ideò detractio secundum suum genus est maius peccatum, quàm furtum, minus tamen quàm homicidium, vel adulterium: potest tamen esse alius ordo propter circunstantias aggrauantes, vel diminuentes, per accidens autem grauitas peccati attenditur ex parte peccantis, qui grauius peccat, si ex deliberatione peccet, quàm si peccet ex infirmitate, vel incautela, & secundum hoc peccata locutionis habẽt aliquam leuitatem, inquantum de facili ex lapsu linguæ proueniunt absq; magna præmeditatione. 2. 2.q. 73. ar. 3. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. grauiora sunt peccata, quibus infertur nocumentum corpori, quam ea, quibus infertur nocumentum rebus exterioribus. probatur, quia bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum. secunda conclusio.

clusio. detractio secundum suum genus est maius peccatum, quàm furtum, minus tamen, quam homicidium, vel adulterium, potest tamen esse alius ordo propter circonstantias aggrauantes, vel dimunuentes. hæc conclusio habet tres partes, & probatur quo ad singulas, & quo ad primam probatur, quia inter bona exteriora fama præeminet diuitijs, cum sit propinquior spiritualibus bonis. quo ad secundam probatur ex prima conclusione. tertia pars relinquitur vt nota. tertia conclusio. peccata locutionis, si attendatur eorũ grauitas per accidens ex parte peccantis, habere possunt aliquam leuitatem. probatur, quia in tantum leuiora sunt, inquantum de facili ex lapsu linguæ proueniunt absque magna præmeditatione à proferente verba.

Ex prima, & secunda conclusione habemus, quod homicidium grauius est peccatum inter vniuersa peccata, quæ mortales aduersus se inuicem committũt, quia ratio, vnde vnumquodq; peccatum, quod contra proximum committitur, malitiam sortitur, sumitur ex nocumento illato, quo enim illud peius est, eo repugnantius est Charitati, nocumentum autem tantò peius est, quantò bonum, quod per illud tollitur, maius est, bonum autem hominis maximum est corporalis vita, quæ tollitur per homicidium, & consequenter homicidium est maius peccatum quolibet alio commisso in proximum. aliquis tamen posset dicere, quod inter bona hominis maius est bonum animæ, puta gratia, per quam animà spiritualiter viuit, ergo illud erit maius peccatum, per quod tolletur huiusmodi gratia, hoc autem est peccatum mortale, ergo inducere hominem ad peccãdum mortaliter erit maius peccatum, quam homicidium. sed respondetur, quod licet bonum animæ sit omninò præstantissimum, nemo tamen potest illud alteri inuito adimere, licet possit illi occasionem eius porrigere, gratia enim solo consensu in peccatum mortale adimitur, in huiusmodi autem consensum nemo potest alterum cogere, & ideò quamuis alterum in peccatum inducere maiorem præseferat ex obiecto grauitatem, quam si illum occideres, attamẽ quia talis inductio non est coactio, nõ tam enormiter peccas, quam si temporali morte illum interimeres.

Quæritur, quòd peccatum sit detrahere Christo.

8 Respondeo dicendum, quòd illi, qui detrahunt Christo impedientes fidem mẽbrorum ipsius derogant Diuinitati eius, cui fides innititur; vndè non est simplex detractio, sed blasphemia. 2. 2. quæst. 73. art. 3. ad 1.

Quod detrahere Christo impediendo fidem membrorum ipsius non sit simplex detractio, sed blasphemia, probat D. Thomas in hoc quæsito, quia qui detrahunt Christo impedientes fidem membrorum ipsius, derogant Diuinitati eius, cui fides innititur.

Ex hac doctrina habemus id, quod supra docuimus, nempe detrahere Deo, vel rebus Sacris, non esse simplicem detractionem, sed blasphemiam, detractio enim simplex est manifestatio criminis occulti cum intentione denigrandi famam proximi, non autem Dei, Sanctorum, & aliorum ad Deum pertinentium. in proposito autẽ illi dicuntur detrahere Christo, qui in suam obmurmurant fidem, & obstant, quominus qui credituri sunt, illam suscipiant, hi blasphemi sũt, & consequenter enormius peccant, quam simplices detractores.

Quæritur, quomodo detractor sit homicida.

9 Respondeo dicendum, quòd detractor occasionaliter est homicida, inquantùm scilicet per sua verba dat alteri occasionẽ, vt proximum odiat, vel contemnat, propter quòd in Epistola Clementis dicitur, Detractores esse homicidas, scilicet occasionaliter, quia qui odit fratrem suum homicida est, vt dicitur primæ Ioannis. 3. 2.2.quæst.73.a.3. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. detractor occasionaliter est homicida, inquantum scilicet per sua verba dat alteri occasionem, vt proximum odiat, vel contemnat. probatur, quia qui odit fratrem suum, homicida est 1. Ioannis 3.

Hic aduerte, quod sicut contumeliosus non sufficienter causat inimicitiam in alio, sed occasionaliter tantum diuidit vnitos, inquantum scilicet per hoc, quod mala alterius promit, alios, quantum in se est, ab eius amicitia separat, licet ad hoc per eius verba nõ cogantur, sic detractor per se, & sufficienter non dicetur homida, sed occasionaliter, inquantum scilicet per sua verba dat alteri occasionem, vt proximum odiat, vel contemnat, & qui odit fratrem suum, homicida est, & in hoc sensu intelligendus est Clemens, quando in Epistola, quæ habetur de Pænit. d. 1. can. homicidium, ait, detractores esse homicidas, scilicet occasionaliter. Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure in alio sensu exponit hæc verba Clementis, nempe quod detractores vocantur homicidæ, eo quod animam eius, cuius famam denigrant, Virtutibus priuare, & nudare contendunt, quibus spiritualiter viuit.

Quæritur, cuius vitij filia sit detractio.

10 Respondeo dicendum, quòd detractio, quæ est in occulto non est filia iræ, sicut contumelia, sed magis inuidiæ, quæ nititur qualitercunq; minuere gloriam proximi. 2.2.q.73.a.3. ad 3.

Detractionem, quæ est in occulto, non esse fi-

liam iræ, ſicut eſt contumelia, ſed magis inuidiæ, quæ nititur qualitercunq; minuere gloriam proximi, docet D. Thomas in hoc quæſito.

Ex hac littera habemus, contumeliam oriri ex ira, ſicut enim ira quærit in manifeſto vindictam inferre, vt ait Ariſt. in 2. Reth. cap. 4. ita cõtumelia manifeſtè contra aliquem loquitur. detractionem autem oriri nõ ex ira, quia detractio loquitur contra aliquem occultè, ſed ex inuidia, quæ nititur qualitercunq; minuere gloriam proximi, detractor enim, quia liuore tabeſcit, claritudinem alienarum Virtutum conſpurcare ſtudet, vnde detractio hac inter alias macula ſordet, quod ex inuidia naſcitur, quæ ſordidiſſimũ eſt vitium, quatenus è regione maximè Charitati opponitur, Charitas enim, vt ait Paulus, nõ æmulatur, non agit perperam, non inflatur, nõ eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, quorum omnia contraria in inuidia continentur, habet enim hoc inter cuncta vitia enormiſſimum, naturæque repugnantiſſimum, vt de malo, quod abhorrendum eſt, gaudeat, de bono verò, ac potiſſimum de alienis Virtutibus, quæ amore ſunt potiſſimum venerandæ, contriſtetur, quod diabolicum eſt ingenium. huius ergo hydræ ſobolẽ ſe ſe detractores agnoſcant, & quam ſimilis ſit detractio inuidiæ, vt filia Matri, patet ex fructibus illius, vt enim verbis doctiſſimi Dominici Soti vtar, detractio mille incommodis, ac peſtibus ſcatet, obtenebrat in primis Virtutum gloriam, quæ illius cæleſtis repræſentatio eſt; more facilius committitur, pluresque inficit, quam cõtumelia, nam cum in latebris fiat, impunè, adeòq; paſſim, & quacunque nacta occaſione loquendi obrepit, cum contumelia propter metum non ſit adeò in vſu; deindè detractores ex inſidijs pugnant, obidq; quam difficillimè cauentur, & maximè dum bilingues ſunt, ac bifrontes, nempe qui in facie mulcent, inaureſque incantant, ſed in dorſo latenter commordent, quo quidem proditionis genere nil in Republica peſtilentius eſſe poteſt, nam cum nemo huiuſmodi homines caueat, ſed ſua illis pectora cuncti ſecuri pandant, ſanguinem alijs exugunt, quem in aliorum aures euomant; accedit huc, quod detractores non ſuas tantum animas perimunt, verum & cunctis, apud quos ſua ſeminant ſcommata, eandem ſpiritualem mortem inferunt, quatenus eis odium eius ingenerant, cui detrahunt, ac ſubinde pacem, & amicitiam publicam, qua ſydere nullo Reſpublica ſplendidius fulget, violant, & contenebrant. huius ergo hydræ ſobolem ſe ſe detractores agnoſcant.

Quæritur à quo oriatur detractio.

11 Reſpondeo dicendum, quòd ſuſurratio, & detractio, & exultatio in aduerſis oriuntur ex odio, inquãtùm diminuit omne bonum, & procurat omne malum ſui inimici. hæc ex inuidia proueniunt ſecundùm ſolam rationem remouendi excellentiam. q. 10. de malo a. 3. ad 3.

Duplici cõcluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. Suſurratio, detractio, & exultatio in aduerſis oriuntur ex odio, inquantum diminuit omne bonum, & procurat omne malum ſui inimici. ſecunda concluſio. hæc ex inuidia proueniunt ſecũdum ſolam rationem remouendi excellentiam.

Ad explicationẽ huius litteræ obſerua, quod nihil prohibet eadem vitia ex diuerſis vitijs ſecundum diuerſas rationes oriri, vnde ſuſurratio, detractio, exultatio in aduerſis oriũtur ex odio, & ex inuidia ſecundum diuerſas rationes; oriũtur, inquam, ex odio, inquantum diminuit omne bonum, & procurat omne malum ſui inimici; oritur ex inuidia etiam ſecundum ſolam rationẽ remouendi excellentiam, ſicut etiam odium naſcitur ex ira, & ex inuidia ſecundum diuerſas rationes; naſcitur, inquam ex ira, ſecundum quod ille, qui ad iram prouocauit, læſionem intulit; ex inuidia autem, ſecundum quod eius bonum, cui inuidiatur, apprehenditur, vt impeditiuum propriæ excellentiæ.

Quæritur, an detractio, & adulatio contrarientur, & in quo.

12 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut detractio eſt malum, ita & adulatio, quæ contrariatur ei quantum ad ea, quæ dicuntur, non autem directè quãtum ad finem, quia adulator quærit delectationem eius, cui adulatur, detractor autem non quærit eius contriſtationem, cum aliquando occultè detrahat, ſed magis quærit eius infamiam. 2. 2. q. 115. a. 1. ad 3.

Vnica concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. adulatio contrariatur detractioni quantum ad ea, quæ dicuntur, non autem directè quantum ad finem. probatur, quia adulator quærit delectationem eius, cui adulatur, detractor autem non quærit eius contriſtationem, cum aliquãdo occultè detrahat, ſed magis quærit eius infamiam.

Nihil occurrit ſcribẽdum in hoc quæſito, ideò pertranſeo.

Quæritur, ad quid ordinetur inquiſitio alienorum factorum.

13 Reſpondeo dicendum, quòd diligens inquiſitio eorum, quæ ab alijs fiunt, ordinatur ad detrahendum. 2. 2. q. 167. artic. 2. in corp.

Quod diligens inquiſitio eorum, quæ ab alijs fiunt, ordinatur ad detrahendum, docet D. Thomas in hoc quæſito.

Inquiſitionem vitæ alienæ, quam faciunt explora-

ploratores, ordinari ad detrahendum, experiētia quotidiana nos docet. de istis potest illud dici Mathei. 7. & Lucæ. 6. quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem tuum non considers? isti, si seipsos agnoscerent, aliorum facta non inuestigarent, si sua mortalia perpenderent, aliorum venialia condonarent.

Quæritur quomodo sit restituenda fama?

Respondeo dicendum, sicut verbo, Restitutio.

De Audiente Detractorem. Cap. II.

1 *Audiens detractorem, & non ei resistens peccat.*
5 *Licet simus domini famæ nostræ, non tamen aliorũ.*
Non est arbitrij nostri infamatori parcere.
2 *Audiens detractorem, si ei placeat detractio ex odio, non minus peccet, quam detrahens.*
Aliquando magis peccat audiens detrahentem, quam detrahens.
Audiens detrahentem, non tamen ei placet detractio, & non resistit ex timore, vel negligentia, vel verecundia, minus peccat, quam detrahens, & vt in pluribus peccat venialiter.
Ille cui ex officio incumbit detrahentem corrigere, si audiat ipsum, peccat mortaliter.
Peccat etiam mortaliter audiens detrahentem propter periculum, quod audiens nouit consequi, vel propter radicem, qua timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale.
6 *Quid sit consentire detractori directè, & indirectè.*
Qui inducit alterum ad detrahendum, non minus peccat, quam detractor.
Prælatus, qui tenetur corrigere detrahentem, est Prælatus detrahentis, non autem est Prælatus personæ, de qua fit detractio.
Prælatus personæ de qua detrahitur, tenetur vinculo Charitatis tueri honorem subditorum.
Recensentur casus, in quibus nullum est peccatum non occurrere detrahenti, & explicantur.
3 *Audiens detractorem debet ei resistere arguendo ipsum de peccato, vel ostendendo tristitiam in vultu.*
6 *Si detractor dicit vera, non est ei contradicendum, est. tamen eius verbum reprimendum, & quare.*
Consilium Dominici Soti circa hoc ponitur.

Quæritur, an peccet audiens detractorem non resistendo ei.

1 RESpondeo dicendum, quòd non est arbitrij sui, quod patiatur detrimentum famæ alterius; & ideò in culpam ei vertitur, si non resistit, cũ posset resistere eadem ratione, qua tenetur aliquis subleuare asinum alterius iacentem sub onere, vt præcipitur Deut. 22. 2. 2. qu. 73. artic. 4. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. in culpam audientis vertitur, si non resistit detractori, cum possit resistere eadem ratione, qua tenetur aliquis subleuare asinum alterius iacentem sub onere, vt præcipitur, Deut. 22. probatur, quia non est sui arbitrij, quod patiatur detrimentum famæ alterius.

Vt explicetur hæc doctrina obserua, quod nos sumus domini famæ nostræ, ideò in arbitrio nostro situm est detrimentum famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum; non sumus autem domini famæ aliorum, ideò dum aliquis in præsentia nostra absentis famam corrodit, nõ est nostri arbitrij infamatori parcere, & ideò vitio nobis vertitur, si non resistamus, cum facilè possumus, nam si, vt in littera dicitur, præcipiebatur, vt nemo iacentem asinum proximi leuare negligeret, vt Deut. 22. legitur, grauius profectò erit periclitantem proximi famam non protegere.

Quæritur, an audiens detrahentem magis, vel minus peccet, quam detrahens.

2 Respondeo dicendum, quòd secundùm Apostolum ad Romanos primo digni sunt morte non solum, qui peccata faciunt, sed etiam qui facientibus peccata cõsentiunt: quòd quidem contingit dupliciter, vno modo directè quando scilicet quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatũ: alio modo indirectè, scilicet quando non resistit, cum resistere posit, & hoc contingit quandoq;, non quia peccatum placet, sed propter aliquem humanum timorem. dicendum est ergo, quod si aliquis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori consentire, vndè fit particeps peccati eius, & si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio propter odium eius, cui detrahitur, non minus peccat, quàm detrahens, & quãdoque magis, vndè Bernardus dicit, detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim; si verò non placet ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multò minus, quàm detrahens, & plerumq; venialiter; quandoq; etiam hoc potest esse peccatum mortale, vel propter hoc, quod alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum, quod audiens nouit consequens, vel propter radicem, qua timor humanus quandoq; potest esse peccatum mortale. 2. 2. q. 73. a. 4. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si aliquis detractiones

ctiores audiat absque resistentia, videtur detractori cõsentire, vnde fit particeps peccati illius. prima pars relinquitur vt nota. secuda pars probatur auctoritate D. Pauli ad Rom. 1. secunda conclusio. si aliquis inducat alium ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio propter odium eius, cui detrahitur, non minus peccat, quam detrahens, & quandoq; magis. probatur auctoritate Bernardi. tertia conclusio. si audienti detrahentem non placeat detractio, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecũdia quadem omittat reprehendere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus, quã detrahens, & plerunque venialiter. quandoq; autem mortaliter. probatur vltima pars, relictis primis vt notis, quia vel audienti incumbit ex officio detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum, quod audiens nouit consequi, vel propter radicem, qua timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale.

Ad explicationem huius doctrinæ obseruandum est, quod docet D. Thomas hoc in loco, nẽpe aliquẽ posse consentire dupliciter detractori, scilicet directè, & indirectè, tunc consentit directè, quando quis inducit alterum ad detrahendum, vel delectatur in illa detractione, ista autem delectatio vel potest procedere ex odio, quo prosequitur personam, contra quam detrahitur, vel ex vanitate, & ociositate quadam. tunc consentit indirectè, quando non resistitit, cum resistere possit, & hoc procedit, non quia peccatum placeat, sed propter timorem humanum. rursus ille, qui non resistit detractioni, aut est persona priuata, aut publica, vt superior, Prælatus, vt Episcopus, Generalis, Prior respectu subditorũ, Pater respectu filiorum, Dominus respectu seruorum. qui ergo inducit alterum ad detrahendum, non minus peccat, quam detractor, quia est causa detractionis. rursus qui non inducit ad detrahendum, sed delectatur in detractione ex odio, non minus peccat, quam detrahens, immò aliquando magis peccabit, puta si delectatio ex maiori procedat odio, vt in secunda dicitur cõclusione, & in his duobus casibus valet dictũ D. Bernardi lib. 2. de consideratione ad Eugenium, detrahere, aut detrahentem audire, quid horũ damnabilius sit, non facilè dixerim, nam si non essent, qui non audirent, non essent, qui detraherent. si autem quis audiat detrahentem, non quia ei placet peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, quod est indirectè consentire detrahenti, peccat, sed minus, quam detrahens, & plerunque venialiter, sed aliquando mortaliter, & aliquando nec mortaliter, nec venialiter. quæ singula explicantur, nam talis consentiens indirectè detractioni vel est persona priuata, vel publica, si sit priuata, ad hoc quod sit indirectè causa alicuius mali, non satis est, quod vitare illud possit, sed vlterius exigitur, quod teneatur, teneri autẽ quempiã accidit aut ex iustitia, aut solum ex Charitate, priuata autem persona rigore iustitiæ non tenetur malum proximi cauere, sed tantum ex Charitate, si absque suo detrimento potest, & ideò non est per se omnino Charitati aduersum à tali infamiæ detrimento proximum non liberare; peccatum tamen erit veniale, nam vbicunque detractio ob oritur, potest quis facili negotio vrbanè, ac leniter detrahenti occurrere, quod si non faciat, negligere censetur proximi famam, & consequenter peccatum aderit veniale, si notabile damnum proximo inde non sequatur, quia si ex illa detractione magnum detrimentum obuenit personæ, cui detrahitur, tunc erit peccatum mortale contra Charitatem, sicut est peccatum mortale videre furem rapientem bona proximi, & ipsum non impedire, cum possibilitas adsit. quando etiam quis non malo animo audit, sed ex quadam leuitate, peccat venialiter, nisi ipsius auditio famam proximi notabiliter læderet, quod tunc posset contingere, quando auditio eius causa esset auditionis aliorum, vnde notabiliter læderetur fama proximi, vt benè ait Caietanus in sũmula verb. detractio. priuata etiam persona, cũ ex detractione videt periculum imminere alicui mortis, vel turbationem Reipublicæ, cum aliquo suo detrimento, tenetur occurrere, quod si non præstet, peccabit mortaliter, sicut peccabit mortaliter, quando non occurret detrahenti propter timorem humanum, qui potest esse peccatum mortale, tunc autem metus humanus ascendit ad peccatum mortale, quando iacturam temporalium bonorũ Charitati quis anteponit, vt rectè ait Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 10. ar. 4. & elicitur ex S. Thoma. 2. 2. q. 19. art. 3. non autem id facere censendus est, subiungit Sotus, quoties metu hamano cauere cessat proximi detrimentum, sed quando sua esset omnino necessaria renitentia ex præcepto, vt si detrahetur fidei, aut Religioni &c. attamen si etiam metu humano cauere cessat quis detrimentũ notabile proximi, peccabit mortaliter, sicut etiam peccat mortaliter persona publica, si in re alicuius momenti ob metum, & pudorem omittat subditos à detractione corripere, quia ad hoc ex iustitia ratione offitij tenetur. hic tamen aduerte, quod quando loquimur de Prælato, sermo est de Prælato detrahentium, inquit Sotus loco citato, quia Prælatus eorum, quibus detrahitur, non tanta iustitia eos tenetur protegere. quia iura Prælati est cauere, ne subditi peccent, quamuis, & quodammodo teneatur Charitatis vinculo subditorum honorem tueri, & de Prælato detrahentium debet intelligi S. Thomas in littera. In aliquibus etiã casibus nullum erit peccatum, nec mortale, nec veniale non occurrere detrahenti, quorum primus ponitur à Soto loco citato, quando scilicet detractor ille vsque adeò esset rigidus, atq; intractabilis, vt periculum ab illo imminere; subiungit tamen, hoc quàm rarissimè vsu venire. secundus casus est positus etiam ab eodẽ Soto, vt si detrahens sit persona Illustrissima, audiens vero famulus eius, aut alia abiecta persona, quæ loqui non audet ex verecundia, tunc sola verecundia illum excusat, etiam à veniali; subiungit

iungit tamen Toletus lib. 5. cap 67. num. 4. quod quando detrimẽtum proximi est graue, tenetur aliquem pudorem pati ob proximum. tertius casus ab eodem Toleto ponitur loco citato, quando scilicet non impedit ex timore, quia timet sibi probabiliter malum, vel nocumentum magnum, si resistat detractori, tunc enim non tenetur impedire; quando tamen parum nocumenti timeret, & nocumẽtum proximi est notabile, tenetur aliquam iacturam pati pro proximo, quamuis non notabilem. quartus casus ponitur ab eodẽ Toleto loco citato, quando scilicet putat quis probabiliter, se nihil profuturum, quia quamuis ipse audiens discedat, aut loquatur impediendo, adhuc ille nõ desistet à detractione. quintus casus ponitur à Caietano in summula verb. detractio; vt quando non malo animo quis audit, sed ex necessitate, aut pietate.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Rebellus p. p. lib. 4. q. 6. nu. 2. Azorius. 3. p. lib. 13. cap. 7. dub. 10. Molina tract. 4. disp. 34. Lessius lib. 2. c. 11. dub. 4. Reginaldus lib. 24. num. 95. Toletus lib. 5. cap. 67. per totum, & alij.

Quæritur, quomodo sit resistendum Detractori.

3 Respondeo dicendum, quòd non semper aliquis debet resistere detractori arguẽdo eum de falsitate, & maximè si sciat, verum esse, quod dicitur, sed debet eum verbis redarguere de hoc, quod peccat fratri detrahendo, vel saltem ostendere, quod ei detractio displiceat per tristitiam faciei, quia vt dicitur prouerb. 25. ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. 2. 2. q. 73. a. 4. ad 2.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. nõ semper aliquis debet resistere detractori arguendo eum de falsitate, & maximè si sciat verum esse, quod dicitur. secunda conclusio. debet eum verbis redarguere de hoc quod peccat fratri detrahẽdo. tertia conclusio. debet saltem ostendere, quod ei detractio displiceat per tristitiam faciei. probatur, quia, vt dicitur prouerb. 25. ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.

In hoc loco D. Thomas docet modum, quo resistere debeamus detractoribus, qui modus in hoc consistit, quod etsi, dum detractor vera dicit, non sit ei contradicendum, est nihilominus ei reprimendum verbum, ne aliena vulnera exulceret, aut saltem subrugata fronte illi ostendendum, eius nobis displicere sermonem. hic liceat saluberrimum documentum sapientissimi Dominici Soto inserere, qui lib. 5. de iustitia, & iure. q. 10. ar. 4. ait, quam maximè esse necessarium ad pacem, & salutem Reipublicæ, ac potissimum Christianæ familiæ detractoribus obuiam vbiq; prodire, quod certè nemo non suo gradu facilè potest perficere, & quando id non poterit, prudentis officium erit colloquio abire, vt illa ratione detractorem pudore suffundat. vnusquisq; profectò obseruet illud psalm. 100. detrahentem secretò proximo, hunc persequebar.

DEVOTIO.

1 *Dicitur Deuotio à deuouendo.*
§ *Qui dicantur deuoti.*
2 *Quid sit Deuotio.*
Deuotio est specialis actus.
§ *Explicatur diffinitio deuotionis.*
3 *Deuotio est actus Religionis.*
§ *Quomodo deuotio sit actus Religionis.*
4 *Deuotio ad Sanctos terminatur in Deum.*
§ *Quid nominis Religionis variè exponitur.*
Quare deuotio ad sanctos in Deum terminetur.
5 *Qua ratione in deuotio sit peccatum.*
6 *Deuotio abundat in mulieribus, & simplicibus.*
§ *Quare deuotio sit in mulieribus, & simplicibus.*
7 *Crebræ orationes sunt necessariæ ad Deuotionem.*
8 *Deuotio principaliter consistit circa ea, quæ sunt Diuinitatis.*
Quæ pertinent ad Christi humanitatem nos maximè excitant ad deuotionem.
9 *Causa principalis deuotionis est Deus.*
Causa extrinseca deuotionis ex parte nostra est meditatio.
Per meditationem homo concipit, quod se tradit Diuino obsequio.
Ad hoc nos incitant duo, scilicet consideratio D. Bonitatis, quæ excitat dilectionem Dei, quæ est proxima causa deuotionis, & consideratio proprij defectus.
§ *Quæ meditari debemus, recensentur.*
Qui non vacat meditationi horum semel in die, indignus est nomine Religiosi, vel Religiosæ, vel personæ spiritualis, & quare.
10 *Quæ excitent, & quæ impediant deuotionem.*
§ *Quæ dicantur meditationes affectiuæ, & speculatiuæ.*
11 *Scientia, & huiusmodi impediunt deuotionem occasionaliter.*
§ *Abusus scientiæ, non scientia per se, deuotionem impedit.*

Quæritur, vndè dicatur Deuotio.

1 Respondeo dicendum, quòd Deuotio à deuouẽdo nominatur. opusculo 17. cap. 13.

Deuotionem dici à deuouẽdo, asserit D. Thomas in hoc quæsito.

Quid nominis Deuotionis explicatur à S. Thoma in sequenti quæsito, vbi ait, quod deuotio dicitur à deuouendo, vnde deuoti dicuntur, qui seipsos quodammodo Deo deuouent, vt ei totaliter se subdant, propter quod, & olim apud Gentiles deuoti dicebantur, qui seipsos idolis deuouebant in mortem pro sui salute exercitus, sicut de duobus Decijs Titus Liuius narrat.

Quæ-

Quæritur, an Deuotio sit specialis actus.

2 Respondeo dicendum, quòd quia Deuotio dicitur à deuouendo; vndè deuoti dicuntur, qui se ipsos quodammodo Deo deuouent, vt ei se totaliter subdant, propter quòd & olim apud Gentiles deuoti dicebantur, qui se ipsos idolis deuouebant in mortem pro sui salute exercitus, sicut de duobus Decijs Titus Liuius narrat; vndè Deuotio nihil aliud esse videtur, quam voluntas quædam promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum; vndè exodi 35. dicitur, quod multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima, atque deuota primitias Domino, manifestum est autem, quod voluntas promptè faciendi, quod ad Dei seruitium pertinet, est quidam specialis actus; vndè Deuotio est specialis actus voluntatis. 2.2. quæst. 82. art. 1. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Deuotio est spetialis actus voluntatis. probatur, Deuotio est voluntas quædã promptè tradendi se ad ea, quę pertinent ad Dei famulatum, vt patet ex deriuatione nominis, & vsu Gentilium, sed hæc voluntas promptè faciẽdi, quod ad Dei seruicium pertinet, est quidam specialis actus, ergo &c.

Ex hoc loco habemus quid rei Deuotionis, quæ nil aliud est, quam voluntas quædam promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. quæ diffinitio sic à Caietano hoc in loco explicatur, quod Deuotio formaliter significat promptitudinem non absolutè, nec in quocunque actu cuiuscunq; potentiæ, sed in actu voluntatis, quo voluntas, se suaque omnia opera in Diuino cultu offert Deo. pro quorum maiori explicatione obserua, quod cum Deuotio manifestè à deuouendo dicatur, & deuoueo, quod à voueo componitur, spontè Deo promittere significet, quod maximè in huiusmodi promissionibus pẽsatur, est voluntas non quomodolibet, sed sic affecta, vt prompta sit, vnde deuoti alicui superiori dicuntur, qui voluntate sic affecta ei sunt dediti, vt prompti sint pro eo, vnde & in Ecclesiæ vsu deuotio appropriata est his, qui sic Deo affecti sunt, vt promptos seipsos ad Deum, & ea, quæ Dei sunt, habeant.

Quæritur, cuius virtutis sit actus Deuotio.

3 Respondeo dicendum, quòd Deuotio est actus Religionis. 2.2. q. 82. a. 2. in corp.

Deuotionem esse actum Religionis, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua, quod ad eandem Virtutem pertinet velle facere aliquid, & promptam voluntatem habere ad illud faciendum, quia vtriusque actus est idem obiectum, operari autem ea, quæ pertinent ad Dei cultum, seu famulatum, pertinet propriè ad Religionem, vnde & ad eam pertinet habere promptam voluntatem ad huiusmodi exequẽda, quod est esse deuotum, & sic deuotio est actus Religionis.

Quæritur, in quem terminetur Deuotio in Sanctos.

4 Respondeo dicendum, quòd Deuotio, quæ habetur ad Sanctos Dei mortuos, vel viuos non terminatur ad ipsos, sed transit in Deum, inquantùm scilicet in ministris Dei Deum veneramur. 2. 2. quæst. 82. art. 2. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. deuotio, quæ habetur ad Sãctos Dei mortuos, vel viuos, non terminatur ad ipsos, sed transit in Deum. probatur, quia in ministris Dei Deum veneramur.

Vt explicetur hæc doctrina nota, quod quia iam diximus cum S. Thoma, deuotionẽ esse actũ Religionis, quæ Religio ordinat hominẽm solũ ad Deum, dicitur enim Religio ex D. Isidoro lib. 10. cap. 17. etimolog. à relegendo ea, quæ sunt Diuini cultus; vel dicitur ex D. Augustino in 10. de Ciuit. Dei cap. 4. à reeligendo; vel dicitur à Religando, vt dicit S. Thomas. 2. 2. q. 81. a. 1. in corp. & sic Religio propriè importat ordinem ad Deum, ipse enim est, cui principaliter alligari debemus, tanquam indefficienti principio; ad quẽ etiam nostra electio assidue dirigi debet, sicut in vltimum finem; quem etiam negligenter peccãdo amittimus, & credendo, & fidem protestando recuperare debemus, ideò intantùm Sanctorum deuoti dicimur, inquantum Deum in Dei ministris veneramur.

Quæritur, quomodo indeuotio sit peccatum.

5 Respondeo dicendum, quòd Deuotio hominis est à Deo, sed secundum quòd homo potest se disponere ad Deuotionem habendam, vel etiam deuotionem impedire, secundùm hæc in deuotio est peccatũ. q. 11. de malo a. 1. ad 7.

Indeuotionem esse peccatum, inquãtum homo potest se disponere ad deuotionem habendam, vel etiam deuotionem impedire, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ex hoc loco habemus, ex duplici capite procedere, quod indeuotio sit peccatum, nempe ex hoc quod homo potest se disponere ad deuotionem, & tamen voluntariè hoc prætermittit; vel quia deuotionem impedit voluntariè.

Quæritur, in quibus abundet Deuotio.

6 Respondeo dicendum, quòd in simplicibus,

cibus, & mulieribus Deuotio abundat elationem comprimendo. 2.2.quæst.82.art.3. ad 3.

In simplicibus, & mulieribus Deuotionem abundare elationem cõprimendo, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua ex Caietano hoc in loco, quod sicut remouens prohibens ponitur causa occasionalis motus, vt auferens columnam vt causa occasionalis motus grauium superpositorum deorsum, & auferens obstaculum aquæ est causa fluxus eiusdẽ, ita simplices, & mulieres habent in se causam deuotionis, quia scilicet non habent prohibens deuotionem, & hæc causa est tumor de seipsis, non ponẽtibus autem obicem Deus dat gratiam, hinc est, quod Ecclesia fœmineũ sexum deuotum appellat.

Quæritur, quid sit necessarium ad deuotionem.

7 Respondeo dicendum, quòd mens semel ad deuotionem excitata facilius postmodum ad deuotionem pristinam reuocatur, propter quòd Augustinus in lib. de orando Deum dicit, esse necessarias crebras orationes, ne concepta deuotio totaliter extinguatur. 2.2.quæst.171.artic. 2. ad 2.

Conclusione vnica respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. mens semel ad deuotionem excitata facilius postmodum ad deuotionẽ pristinam reuocatur. hinc elicit corrolarium ex D. Augustino in lib.de orando Deum epist. 121. ca. 9. nempe esse necessarias crebras orationes, ne concepta deuotio totaliter extinguatur.

Ad explicationem conclusionis nota, quod sicut in rebus corporalibus abeunte passione remanet quædã habilitas ad hoc ꝙ iterũ patiatur, sicut lignum semel inflammatum facilius iterum inflammatur, ita mens semel ad deuotionem excitata facilius postmodum ad deuotionem pristinam reuocatur, sicut etiam in intellectu prophetæ cessãte actuali illustratione remanet quędam habilitas ad hoc quod facilius iteratò illustretur.

Dictum D. Augustini obseruẽt parum intendentes orationi.

Quæritur, quanam maximè excitent Deuotionem.

8 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt Diuinitatis sunt secundùm se maximè excitantia dilectionem, & per consequens deuotionem, quia Deus est super omnia diligendus, sed ex debilitate mentis humanæ est, quod sicut indiget manuductione ad cognitionem Diuinorum, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota, inter quæ præcipuum est humanitas Christi, secundùm quòd in præfatione dicitur, vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur; & ideò ea, quæ pertinent ad Christi humanitatem per modum cuiusdam manuductionis maximè deuotionem excitant, cum tamen Deuotio principaliter circa ea, quæ sunt Diuinitatis, consistat. 2.2.q.82.a.3.ad 2.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ea, quæ sunt Diuinitatis, sunt secundum se maximè excitantia dilectionem, & per consequens Deuotionem. probatur, quia Deus est super omnia diligendus. secunda conclusio. ea, quæ pertinent ad Christi humanitatem, excitant maximè Deuotionem per modum cuiusdam manuductionis. probatur, quia ex debilitate mentis humanæ est, quod sicut indiget manuductione ad cognitionem Diuinorũ, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota, inter quæ præcipuum est humanitas Christi iuxta illud, vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur. hinc elicitur corrolarium. Deuotio principaliter circa ea, quæ sunt Diuinitatis, consistit.

Nam immoror circa hoc quæsitum, sed pergo ad alia.

Quæritur, an contemplatio, siue meditatio sit causa deuotionis.

9 Respondeo dicendum, quòd causa deuotionis extrinseca, & principalis Deus est, de quo dicit Ambrosius super Lucam, quod Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult, Religiosum facit, & si voluisset Samaritanos ex indeuotis Deuotos fecisset: causa autem extrinseca ex parte nostra oportet, quod sit meditatio, seu contemplatio: dictum est enim, quod Deuotio est quidam voluntatis actus adhoc, quòd homo se tradat ad Diuinum obsequium, omnis autem actus voluntatis ex aliqua cõsideratione procedit, eo quòd bonum intellectum est obiectum voluntatis; vndè, & Augustinus dicit in lib. de Trinitate, quòd voluntas oritur ex intelligentia, & ideò necesse est, quod meditatio sit deuotionis causa, inquantùm scilicet homo per meditationem concipit, quòd se tradet Diuino obsequio: ad quod quidem inducit duplex consideratio, vna quidem, quæ est ex parte Diuinæ Bonitatis, & Beneficiorum ipsius secundùm psalm.72. mihi adhærere Deo bonum est, & pònere in Domino Deo spem meam: & hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima deuotionis

tionis causa; alia verò est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget, vt Deo innitatur secundùm illud. psalm. 120. leuaui oculos meos in montes, vndè veniet auxilium mihi, auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram: & hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo se subijciat, dum suæ virtuti innititur. 2.2.q.82.a.3. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. causa Deuotionis extrinseca, & principalis est Deus. probatur auctoritate D. Ambrosij vt in littera. secunda cõclusio. causa deuotionis intrinseca ex parte nostra oportet, quod sit meditatio, seu contemplatio. probatur, quia Deuotio est quidam voluntatis actus adhoc quod homo promptè se tradat ad Diuinum obsequium, sed omnis actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit, vt patet ex Augustino, ergo &c. tertia conclusio. vt homo per meditationem concipiat, quod se tradat Diuino obsequio, duplex inducit consideratio. vna ex parte Diuinæ Bonitatis, & Beneficiorum ipsius, alia ex parte hominis considerantis, suos defectus, ex quibus indiget, vt Deo innitatur. probantur singulæ partes auctoritatibus psalm. 72. & 120. hinc elicit corrolarium, quod prima consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima deuotionis causa, secunda autem excludit præsumptionem, per quam aliqnis impeditur, ne Deo se subijciat, dum suæ Virtuti innititur.

Pro explicatione huius litteræ obserua tres causas nostræ Deuotionis, vnam scilicet extrinsecam, quæ est Deus, à quo tanquã à causa efficiente omne bonum, & omne datum optimum descendit, duas autem intrinsecas, quarum prima est meditatio Dei, & beneficiorum suorum; secùnda est consideratio propriorum defectuum, in prima collocãtur Bonitas, Misericordia, Charitas Dei erga hominem, & me, Beneficia creationis ad imaginem suã, Redemptionis, Baptismi, Inspirationum, Vocationum per se, vel per alios, Expectationis ad Pænitentiam, Eucharestiæ, & cæterorum Sacramentorum, Præseruationis à tot periculis animæ, & corporis, Custodiæ Angelicæ, & reliquorum beneficiorum singularium. In secunda sunt defectus culpæ, & pænæ tam præteritæ, quam præsentis, labilitas ad peccandum, dissipatio propriæ substantiæ, assuefatio cogitatus, voluntatis, & inclinationum aliarum suarum virium ad malum, habitatio in regione longinqua ab amicitia, & conuersatione Diuina, peruersitas affectus magis sequentis temporalia, quam spiritualia commoda, vel incommoda, nuditas à Virtutibus, vulnera ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, & concupiscentiæ, vincula manuũ, & pedum, operum scilicet, & affectuum, in tenebris, in fætoribus, & amaritudinibus esse, nec horrere, vocem Pastoris interius nõ agnoscere, & quod omnibus peius est, Deum pro inimico, & hoste totius elegisse mortaliter peccãdo, & propterea tantam eidem iniuriam fecisse, vt pro Deo refutatus sit, factusque noster Deus sit venter, aut pecunia, aut delectatio &c. hæc recensentur à Caietano hoc in loco, & profectò non piguit hæc iterum transcribere. ex his meditationibus oritur Deuotio, ex his nascuntur consequenter aliæ Virtutes. hæ meditationes debent esse quotidianæ viris Religiosis, ac cæteris personis spiritualibus, & qui saltem semel in die his non vacat, Religiosi, vel Religiosæ, vel spiritualis nomine indignus profectò existit, inquit idem Caietanus, quia sicut effectus absque causa, finis absque medio, insularis portus absque nauigatione haberi nõ potest, sic nec Religio in actu absque frequentatis actibus suarum causarum, mediorum, & vehiculorum.

Quæritur, quænam impediant Deuotionem.

10 Respondeo dicendum, quòd consideratio eorum, quæ nata sunt dilectionem Dei excitare deuotionem causant, consideratio verò quorumcunque adhoc non pertinentium, sed ab eis mentem distrahentium impedit deuotionem. 2. 2. quæst. 82. art. 3. ad 1.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. considera ioeorum, quæ nata sunt dilectionem Dei excitare, deuotionem causant. secunda conclusio. consideratio quorumcunque ad hoc non pertinentium, sed ab eis mentem distrahentium impedit deuotionẽ.

Quæ sint ea, quę nata sunt dilectionem Dei excitare, in superiori quæsito sunt exposita, & horum meditationes dicuntur affectiuæ, quia procedunt ex affectu erga Deum, & affectum erga Deum intensiorem causant, meditationes autem non valentes excitare dilectionem Dei sunt subtiles meditationes speculatiuæ rerum intelligibilium, istæ potius distrahunt mentem, quam accendant voluntatem ad dilectionem Dei, & consequenter impediunt deuotionem, vt experientia comprobat quotidiana.

Quæritur, an scientia, & huiusmodi Deuotionem impediat.

11 Respondeo dicendũ, quòd scientia, & quidquid aliud ad magnitudinẽ pertinet, occasio est, quod homo consideret de se ipso, & ideò non totaliter se Deo tradat, & inde est, quod huiusmodi quandoque occasionaliter Deuotionẽ impediunt. 2.2. q.82.a.3. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. scientia, & quidquid aliud ad magnitudinem pertinet, quandoque occasionaliter Deuotionem impediunt. probatur, quia scientia, & quidquid aliud ad magnitudinem per-

pertinet, occasio est, quod homo consideret de se ipso, & ideò non totaliter se Deo tradat.

Ex hoc loco habemus, scientiam per se non esse causam impeditiuam Deuotionis, sed occasionaliter, inquantum in magnificando se ea quis abutitur, vnde non scientia, sed abusus scientiæ impedit deuotionem, in cuius signũ ipse D. Thomas, qui hæc docuit, habuit scientiam eminentissimam, vt totus testatur Orbis, & tamen deuotissimus fuit, quia sua scientia non abutebatur, cum ex ea non se magnificaret.

DIACONVS.

1 *Sexus virilis est de necessitate praecepti, & Sacramenti ordinis.*
Quae olim dicebatur Diaconissa, & Præsbytera.
§ *Quare sexus fœmineus non est aptus ad Ordines.*
2 *Diaconi dicuntur ministri.*
Ad Diaconum spectat ministrare in collatione Sacramentorum maioribus.
§ *Ex nominibus Ordinũ singulorum percipitur, quid ad vnumquodque pertineat.*
3 *Ad Diaconos spectat pradicare Euangelium per modum Catechizantis.*
Exponere Euangelium propriè pertinet ad Episcopum.
§ *Ad Diaconum spectat baptizare, & prędicare ex impositione, non autem ex offitio.*
4 *Diaconus non est proprius minister Baptismi, nec alterius Sacramenti.*
Diaconus est minister aliquorum Sacramentalium.
Munia Diaconi quę sint.
5 *Olim inferiora ministeria committebantur Diaconis propter penuriam ministrorum.*
6 *Quare Diaconi dicantur purgare.*
7 *Ad Diaconum spectabat dispensare Sanguinem Christi, non autem corpus.*
In necessitate poterat, & Corpus Cristi dispensare iubente Episcopo, vel Sacerdote.
§ *Dispensatio corporis Christi pertinet ad Sacerdotem propter tria, & quę.*

Quęritur, an sexus virilis sit de necessitate Diaconatus.

1 RESpondeo dicendum, quòd quidã dixerunt, quod sexus virilis est de necessitate præcepti, sed nõ de necessitate Sacramenti, quia etiam in Decretis fit mentio de Diaconissa, & Præsbytera. sed Diaconissa dicitur, quæ in aliquo actu Diaconi participat, sicut quæ legit homiliam in Ecclesia; Præsbytera autem dicitur vidua, quia Præsbyter idem est, quod senior. 4. sent. d. 25. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. in corp.

Proponit hoc in loco D. Thomas opinionem quamdã, & eius rationi respondet. opinio erat dicentium, sexum virilẽ esse de necessitate præcepti, sed non de necessitate Sacramenti. ratio erat, quia in Decretis fit mentio de Diaconissa, & Præsbitera. respondet, quod Diaconissa dicitur, quæ in aliquo actu Diaconi participat, sicut quæ legit homiliam in Ecclesia; Præsbitera autẽ dicitur vidua, præsbiter enim idem est, quod senior.

Ad explicationem huius doctrinæ sciendum est, sexum virilem esse nedum de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate Sacramenti, ita quod si mulieri exhibeantur omnia, quæ in Ordinibus fiunt, ordinem non suscipit, quia cum Sacramentum sit signum, in his, quæ in Sacramẽto aguntur, requiritur non solum res, sed significatio rei, & cum in sexu fœmineo nõ possit significari aliqua eminentia gradus, cum mulier sit in statu subiectionis, ideò non poterit Ordinis Sacramentum suscipere. verum hæc explicabuntur suo loco, cum de Ordine agetur cap. 2. q. 8. nec obstat canon, Diaconissam. 27. q. 1. vbi Diaconissæ, ante quadragessimum annum ordinari inhibentur. & d. 32. can. mulieres, fit mentio de mulieribus, quæ apud Græcos erant Præsbiteræ, quia Diaconissa idem est, quod ministra, & illa mulier, quæ in choro lectionibus homiliarum, & Euangeliorum destinata erat, & forsan aliqua benedictione, vt ait Dominicus Sotus. 4. sent. d. 25. q. 1. a. 2. Diaconissa dicebatur. Præsbitera autem dicitur Senior, & mulieres Præsbiterę dicũtur illæ Viduæ, quæ forsan apud Græcos eligebantur, vt curam haberent de rebus Ecclesiæ.

Quaritur, quid pertineat ad Diaconum.

2 Respondeo dicendum, quòd dicuntur Diaconi quasi ministri, quia videlicet ad Diaconos non pertinet aliquod Sacramẽtum principaliter, & quasi ex proprio officio præbere, sed adhibere ministerium alijs maioribus in Sacramentorum exhibitione, & sic ad Diaconum non pertinet quasi ex proprio officio tradere Sacramẽtum Baptismi, sed in collatione huius Sacramenti, & aliorum assistere, & ministrare maioribus; vndè Isidorus dicit, ad Diaconum pertinet assistere, & ministrare Sacerdotibus in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, in Baptismo scilicet, in Chrismate, in Patena, & Calice. 3. par. q. 67. art. 1. in corp. (q. 71. a. 8. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ad Diaconũ non pertinet quasi ex proprio officio tradere Sacramentum Baptismi, sed in collatione huius Sacramenti, & aliorum assistere, & ministrare maioribus. probatur primò ratione, quia Diaconi dicuntur quasi ministri, quia ad Diaconos non pertinet aliquod Sacramentum principaliter, & quasi ex proprio officio præbere, sed adhibere ministerium alijs maioribus in Sacramentorũ exhibitione. secundò probatur auctoritate Isidori, vt in littera.

Aduerte, quod sicut Cælestium Ordinum proprietates, & eorum offitia ex eorum nominibus accipiuntur, vt ait Dionysius cap. 7. Ecclesi. Hierarchiæ, ita etiam ex nominibus Ecclesiasticorũ Ordinum accipi potest quid ad vnumquemque pertineat Ordinem, & cum Diaconus significet idem quod minister, ad eum spectabit assistere in Baptismo, & alijs Sacramentis, & maioribus ministrare. sed hæc doctrina magis explicabitur simul cum doctrina sequentis quæsiti.

Quæritur, an ad Diaconum pertineat prædicare.

3 Respondeo dicendum, quòd ad Diaconum pertinet recitare Euangelium in Ecclesia, & prædicare ipsum per modum Cathechizantis; vndè, & Dionysius dicit, ꝙ Diaconi habẽt officium super immundos, inter quos ponit catecumenos, sed dicere idest exponere Euangelium pertinet propriè ad Episcopum, cuius actus est perficere secundum Dionysium 5. cap. Eccl. Hierarchiæ, perficere autem idem est, quod docere; vnde non sequitur, quòd ad Diaconos pertineat officium prædicandi. 3. p. quæst. 67. a. 1. ad 1.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ad Diaconum pertinet recitare Euangelium in Ecclesia, & prædicare ipsum per modum Cathechizantis. probatur ex auctoritate Dionysij, vt in littera. secunda conclusio. docere, idest exponere Euangelium pertinet propriè ad Episcopum. probatur, quia actus Episcopi est perficere secundum Dionysiũ, sed perficere est idem quod docere, ergo &c.

Vt scias, quomodo ad Diaconum spectet baptizare, de quo actu loquebatur superius quæsitũ, & prædicare, de quo actu loquitur præsens quæstio, aduerte, quod dupliciter potest intelligi, ꝙ huiusmodi actus ad Diaconum spectent, scilicet ex officio, & ex impositione, vt habemus ex Caietano. 3. p. q. 67. art. 1. ad Diaconos spectat baptizare, & prædicare ex impositione, idest si ab Episcopo, seu Præsbitero sibi imponatur, vt Pelagius Papa dicit de consecrat. d. 4. c. Diaconos. in eorũ ordinatione expressè dicitur, Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare, idest ex impositione; non spectat autem ad Diaconos baptizare, aut prædicare ex offitio, vt in ca. constat. de consecrat. dist. 4. dicitur. licet ergo actus prædicãdi propriè pertineat ad Episcopum, vt dicitur in hoc quæsito, ex impositione tamen ipsius poterit etiam pertinere ad Diaconos. in hoc sensu etiam intelliguntur Isidorus in can. perlectis, & Gregorius in can. in sancta dist. 92. officium prædicãdi Diacono tribuentes, & licet baptizare ex offitio pertineat ad Sacerdotem, ex illius tamen impositione poterit etiam ad Diaconos spectare..

Quæritur, quorum sit minister Diaconus.

4 Respondeo dicendum, quòd cum potestas Sacerdotalis ordinis sit supra potestatem Diaconi, Sacerdos habet vim purgatiuam cum illuminatiua, sed Diaconus habet purgatiuam tantùm sine illuminatiua: & quia in omnibus Sacramentis nouæ legis est illuminatio gratiæ cum purgatione, ideò non est Diaconus proprius minister Baptismi, nec alicuius Sacramenti, sed aliquorum Sacramentaliũ, sicut exorcismi, & expulsionis immundorum à Diuinis, vt cum dicit, si quis Iudeus est, abscedat; vel eruditionis eorum, qui ignorant, qualiter se habere debeant ad Diuina, vt cum dicit, flectamus genua, & humiliata vos ad benedictionem, vel aliud huiusmodi. 4. sent. d. 5. q. 2. a. 1. quæstiunc. 2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Diaconus non est proprius minister Baptismi, nec alicuius Sacramenti, sed aliquorum Sacramentalium, sicut exorcismi, & expulsionis immundorum à Diuinis; vel eruditionis eorum, qui ignorant, qualiter se habere debeant circa Diuina, vel aliud huiusmodi. hæc cõclusio habet duas partes, & probatur quo ad singulas, & primò quo ad primam, quia Sacerdos habet vim purgatiuam cum illuminatiua, Diaconus autem habet tantum purgatiuam sine illuminatiua, sed in omnibus Sacramẽtis nouæ legis est illuminatio gratiæ cum purgatione, ergo Diaconus non est proprius minister Baptismi, nec alicuius Sacramenti. quoad secundam probatur ex verbis, quæ profert, vt in littera.

Quomodo verificetur prima pars cõclusionis, scilicet quod Diaconus nõ sit proprius minister Baptismi, nec alicuius Sacramenli, iam exposuimus.

Quæritur, quare olim inferiora ministeria Diaconis committebantur.

5 Respondeo dicendum, quòd in primitiua Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur, vt patet per Dionysium 3. cap. Eccl. Hierarchiæ, vbi dicit, ministrorum alij stant ad portas templi clausas, alij aliud quid proprij ordinis operantur, alij cum Sacerdotibus proponunt super Altare Sacrum panem, & benedictionis Calicem: nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicitè in vna Diaconi potestate; sed postea ampliatus est cultus Diuinus, & Ecclesia, quod implicitè habebat in vno ordine, explicitè tra-

tradidit in diuersis. 4. sent. d. 24. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. In primitiuâ Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur. probatur auctoritate Dionisij inquientis in 3. cap. Eccl. Hierarch. Ministrorum alij stant ad portas templi clausas, alij aliud quid proprij Ordinis operantur, alij cum Sacerdotibus proponunt super Altare sacrum panem, & Benedictionis Calicem, nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicitè in vna Diaconi potestate, sed postea ampliatus est cultus Diuinus, & Ecclesia q̃ implicitè habebat in vno ordine, explicitè tradidit in diuersis.

Raritas Ministrorū in primitiua Ecclesia erat causa, quod nedum Diaconis committerentur ministeria inferiora, vt in littera dicitur, sed etiã quod eis cōmitterentur officia superiora, nempe baptizare, quod solis Sacerdotibus ex officio cōuenit, & prædicare, quod Episcopis solis competit ex offitio, permittebatur eis, vt Ambrosius super c. 4. ad Ephesios ait.

Quæritur, quare Diaconi dicantur purgare.

6 Respondeo dicendum, quòd dicuntur Diaconi purgare, inquantùm vel immundos eijciunt à cœtu fidelium, vel eos Sacris admonitionibus disponunt ad Sacramentorum receptionem. 3. par. quæst. 64. art. 1. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Dicuntur Diaconi purgare, vel inquantum immundos eijciunt à cœtu fidelium; vel quia eos sacris admonitionibus disponunt ad Sacramentorum receptionem.

Ex hac doctrina habemus, ex duplici capite Diaconos dici purgare, vel quia purgant cœtum fidelium per eiectionem immundorum; vel quia ipsos immundos purgant sacris admonitionibus eos disponendo ad sacramentorum receptionẽ.

Quæritur, an ad Diaconum pertineat dispensatio sanguinis Christi.

7 Respondeo dicendum, quòd Diaconus quasi propinquus ordini Sacerdotali aliquid participat de eius officio, vt scilicet dispenset sanguinem, non autem corpus, nisi in necessitate iubente Episcopo, vel Præsbytero, primò quidem quia sanguis Christi continetur in vase, vndè nō oportet, quod tangatur à despensante, sicut tangitur Corpus Christi: secundò quia sanguis designat redemptionem à Christo in populum deriuatam, vnde, & sanguini admiscetur aqua, quæ significat populum; & quia Diaconi sunt inter Sacerdotem, & populum, magis conuenit Diaconibus dispensatio sanguinis, quàm dispensatio Corporis. 3. p. q. 82. a. 3. ad 1. (4. sent. d. 13. q. 1. a. 3. quæst icunc. 2. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cōclusione, quæ est. Diaconus quasi propinquus ordini Sacerdotali aliquid participat de ei' offitio, vt scilicet dispenset sanguinem, non autem Corpus, nisi in necessitate iubente Episcopo, vel Præsbytero. probatur primò, quia sanguis Christi continetur in vase, vnde non oportet, quod tangatur à dispensante, sicut tangitur Corpus Christi. probatur secundò, quia sanguis designat redemptionem à Christo in populum deriuatam, vnde & sanguini admiscetur aqua, quæ significat populum, & quia Diaconi sunt inter Sacerdotẽ, & populum, magis conuenit Diaconibus dispensatio Sanguinis, quam dispensatio Corporis.

Pro explicatione huius litteræ obserua ex D. Thoma. 3. p. q. 82. arti. 3. quod dispensatio Corporis Christi pertinet ad Sacerdotem propter tria. primò quia Sacerdos consecrat in persona Christi, Christus autem sicut consecrauit corpus suum in cæna, ita & alijs sumendum dedit, vnde sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio, ita ad eum pertinet dispensatio. secundò quia sacerdos constituitur medius inter Deum, & populum, vnde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata Diuinitus populo tradere. tertiò quia in Reuerentiam huius sacramenti à nulla re contingitur, nisi consecrata, vnde corporale, & Calix consecrantur, & similiter manus sacerdotis ad tangendum hoc sacramentum, vnde nulli alij tangere licet, nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu; quia autem sanguis continetur in vase, & à dispensatore non tangitur, ideò Diaconis conceditur dispensatio sanguinis, non autem corporis Christi, vnde legitur in vita B. Laurentij Diaconi, quod Sixto Pontifici dixerit, experire, vtrum idoneum ministrū elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 2. cap. 28. num. 2.

Quæritur, an Diaconi possint habere curam animarum.

Respondeo dicendum sicut verbo. Cura animarum. q. 2.

DIGNITAS.

1 *Cultus exhibitus personis in dignitate constitutis in ordine ad bonum commune pertinet ad pietatem.*

Cultus exhibitus personis in dignitate constitutis in ordine ad eorum vtilitatem, & gloriam pertinet ad obseruantiam.

2 *Personis in dignitate constitutis debetur honor ratione excellentiæ, sicut ratione officij debetur cultus.*

§ Honor

5 *Honor est quædam recognitio excellentiæ alicuius. Cultus consistit in quodam obsequio.*

3 *Personis in dignitate constitutis debetur honor, timor, obedientia, tributa ratione diuersorum.*

4 *Ex debito legali debetur honor, & cultus à subditis suo Prælato.*

Ex debito morali debetur cultus, & honor personis in dignitate constitutis, etiam a non subditis.

5 *Dignitas Pontificalis excedit omnes alias dignitates.*

Quæritur, ad quam virtutem pertineat honor exhibitus personis in dignitate constitutis.

1 RESpondeo dicendum, quòd personis in dignitate constitutis potest aliquid exhiberi dupliciter, vno modo in ordine ad bonum commune, puta cum aliquis eis seruit in administratione Reipublicæ, & hoc iam non pertinet ad obseruantiam, sed ad pietatem, quæ cultum exhibet non solum Patri, sed etiam Patriæ; alio modo exhibetur aliquid personis in dignitate cōstitutis pertinens specialiter ad personalem eorum vtilitatem, & gloriam, & hoc propriè pertinet ad obseruantiam, secundum quòd à pietate distinguitur. 2.2.q.102.a.3. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. exhibere cultũ, & honorem personis in dignitate constitutis in ordine ad bonum commune pertinet ad pietatem, non ad obseruantiam. probatur, quia pietas cultum etiam exhibet Patriæ, sed honorare in dignitate constitutos in ordine ad bonum cōmune est quodammodo colere Patriam. secunda conclusio. Personis in dignitate constitutis exhibere cultum, & honorem in ordine ad bonũ earum speciale pertinet propriè ad obseruantiã, secundum quod distinguitur à Pietate. hæc relinquitur vt nota.

Non immoror circa hoc quæsitum, cum nil scribendum occurrat.

Quæritur, an constitutis in dignitate debeatur honor, & cultus.

2 Respondeo dicendum, quòd in eo, qui est in dignitate constitutus, primò consideratur excellentia status cum quadam potestate in subdito; secundò ipsum gubernationis officium. ratione excellentiæ debetur ei honor, qui est quædam recognitio excellentiæ alicuius, ratione autem officij gubernationis debetur ei cultus, qui in quodam obsequio consistit, dum scilicet aliquis eorum obedit imperio, & vicem beneficijs eorum pro suo modo rependit. 2.2.q.102.a.2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. alicui in dignitate constituto ratione excellentiæ debetur honor, qui est quędam recognitio excellentiæ alicuius, ratione autem officij Gubernationis debetur ei cultus, qui in quodam obsequio consistit, dum scilicet aliquis eius obedit imperio, & vicem beneficijs eius pro suo modo rependit.

Ad explicationem huius doctrinæ nota, quod ad eos, qui sunt in dignitate constituti, pertinet gubernare subditos, gubernare autem est mouere aliquos in debitum finem, sicut Nauta gubernat nauem ducendo eam ad portum, omne autē mouens habet excellentiam quamdam, & Virtutem supra id, quod mouetur; hinc est, quod in persona in dignitate constituta duo considerantur, scilicet excellentia status cum quadam potestate in subditos, & ipsum officium Gubernationis; ratione excellentiæ debetur ei honor, ratione officij gubernationis debetur ei cultus. quid sit honor, quid sit cultus, explicatur in textu; honor, inquam, est recognitio excellentiæ alicuius, siue in Sanctitate, siue in scientia, siue sanguinis nobilitate, siue in dignitate. cultus autem consistit in quodam obsequio, dum scilicet aliquis eorum obedit imperio, & vicem beneficijs eorum pro suo modo expendit.

Quæritur, ratione quorum debeatur honor, timor, obedientia, tributum in dignitate constitutis.

3 Respondeo dicendum, quòd excellentiæ eorum, qui sunt in dignitate constituti, debetur honor ratione sublimioris gradus, timor autem ratione potestatis, quã habent ad coercendum; officio vero gubernationis ipsorum debetur obedientia, per quam subditi mouentur ad imperium præsidentium; & tributa, quæ sunt quædam stipendia laboris ipsorum. 2.2. qu. 102, art. 2. ad 3.

D. Thomas respondet huic quæsito vnica conclusione, quæ est. excellentiæ eorum, qui sunt in dignitate constituti, debetur honor ratione sublimioris gradus; timor ratione potestatis, quam habent ad coercendum; officio vero gubernationis eorum debetur obedientia, per quam subditi mouentur ad imperium præsidentium; & tributa, quæ sunt quædam stipendia laboris ipsorum.

Ex hac doctrina habemus quattuor deberi in dignitate constitutis ratione diuersorum, nempe honorem, timorem, obseruantiam, & tributa. primum, & secundum, & quartum describuntur à D. Paulo Rom. 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorē, timorem; cui honorem, honorem. tertium autem describit ad heb. 13. dum ait obedite præpositis vestris, & subiacete eis.

Quæri-

Quæritur, an sit debitum omnibus honorem exhibere in dignitate constitutis.

4 Respondeo dicendum, quòd cum duplex sit debitum, vnum quidem legale, ad quod reddendum homo lege compellitur, & sic debet homo honorem, & cultum his, qui sunt in dignitate constituti Prælationem super ipsum habentes; aliud autem est debitum morale, quod ex qua dam honestate debetur, & hoc modo debemus cultum, & honorem his, qui sunt in dignitate constituti, etiam si non simus eis subiecti. 2.2.q.102.a.2. ad 2.

Data distinctione respondet D. Thomas duplici conclusione. distinctio est. quod duplex est debitum, vnum est legale, ad quod reddendum lege compellitur; & morale, quod ex quadam honestate debetur. prima conclusio. debito legali debet homo honorem, & cultũ his, qui sunt in dignitate constituti prælationem super ipsum habentes. secunda cõclusio. debito morali debemus cultum, & honorem his, qui sunt in dignitate constituti, etiam si non simus eis subiecti.

Ex hoc loco habemus Prelatis deberi ex iustitia à subditis honorẽ, & ad talẽ honorẽ exhibendũ posse cõpelli subditos. ex secunda cõclusione habemus honorẽ ex quadam congruitate morali deberi constitutis in dignitate etiã à non subditis, vnde hunc honorẽ præstantes dicuntur benè morigerati, sicut è conuerso malè morigerati appellantur, qui talibus honorem non exhibent.

Quæritur, quænam Dignitas excedat omnes alias dignitates.

5 Respondeo dicendum, quòd sicut illa, quæ pertinent ad Dei cultum excedunt temporalia, ita Dignitas Pontificalis excedit omnes alias dignitates. Lect. 1. cap. 5. ad hæbreos.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Dignitas Pontificalis excedit omnes alias dignitates. probatur à simili, sicut illa, quę pertinent ad Dei cultum, excedunt temporalia.

Non immoror circa hoc quæsitum, sed propero ad alia.

DISCORDIA.

Quæritur, an discordia sit idem quòd Rixa.

1 RESpondeo dicendum, quòd Rixa non est idem, quod discordia: nã rixa consistit in exteriori agere, sed discordia consistit in disiunctione motuum voluntatis. 2.2.q.37.art. 2. ad 1. (q. nona de malo a.3. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Rixa non est idem quod discordia. probatur, nam rixa consistit in exteriori agere, sed discordia cõsistit in disiunctione motuum voluntatis.

Discordia, quæ non est rixa, sic diffinitur à S. Thoma 2. 2. q. 37. a. 2. in corp. quod discordia importat quamdam disgregationem volũtatum, inquantum scilicet voluntas vnius stat in vno, & voluntas alicuius alterius stat in altero. hinc nota, ex hoc quod discordia importat disgregationem voluntatum, sequitur, quod qui diuersa credunt, vel opinantur, non dicuntur discordare, sed illi tantum dicuntur discordare, qui diuersa volunt, vt etiam obseruat Siluester verb. discordia, vnde discordes dicuntur quasi diuersi cordis, cor enim voluntatem significare solet iuxta illud Deut. 6. diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & illud, indurabo cor Pharaonis. exodi. 7.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet

cet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 11. num. 1. Reginaldus lib. 17. nu. 131. Beccanus 2. 2. c. 24. num. 8.

Quaeritur, an discordia sit peccatum.

2 Respondeo dicendum, quòd discordia concordię opponitur, cõcordia autem ex Charitate causatur, inquantum scilicet Charitas multorum corda coniungit in aliquod vnum, quod est principaliter quidem bonum Diuinum, secundariò autem bonum proximi, discordia igitur eadem ratione est peccatum, in quãtum huiusmodi concordiæ contrariatur; sed sciendum, quod hæc concordia per discordiam tollitur dupliciter, vno quidem modo per se, alio verò modo per accidens; per se quidẽ in humanis actibus, & motibus dicitur esse id, quod est secundum intentionem; vndè per se discordat aliquis proximo, quando scienter, & ex intentione dissentit à bono Diuino, & à proximi bono, in quo debet consentire, & hoc est peccatum mortale ex suo genere propter contrarietatem ad Charitatem, licet primi motus huius discordiæ propter imperfectionem actus sint peccata venialia; per accidens autem in humanis actibus consideratur ex hoc, quod aliquid est præter intentionem; vnde cum intentio aliquorum est ad aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem proximi, sed vnus æstimat hoc esse bonum, alius autem habet contrariam opinionem, discordia tunc est per accidens contra bonum Diuinum, vel proximi, & talis discordia non est peccatum, nec repugnat Charitati, nisi huiusmodi discordia sit vel cum errore circa ea, quæ sunt de necessitate salutis, vel pertinatia indebitè adhibeatur, cũ etiam cõcordia, quæ est Charitatis effectus, est vnio voluntatum, non vnio opinionum: ex quo patet, quod discordia quandoque est cum peccato vnius tãtum, puta cum vnus vult bonum, cui alius scienter resistit, quandoque autem est cum peccato vtriusque puta cum vterque dissentit à bono alterius, & vterque diligit bonum proprium. 2. 2. q. 37. art. 1. in corp.

Quinque conclusionibus respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. discordia per se contraueniens concordiæ est peccatum mortale ex genere suo propter cõtrarietatem ad Charitatem. probatur, quia concordia ex Charitate causatur, inquantum scilicet Charitas multorum corda coniungit in aliquid vnum, quod est principaliter quidem bonum Diuinum, secundariò autem bonum proximi, & consequenter, ꝙ contrariatur concordiæ, est contrarium Charitati, ac peccatum, secunda conclusio. primi motus discordiæ prædictæ sunt peccata venialia propter imperfectionem actus. hæc de se patet. tertia conclusio. discordia per accidens contrarians concordiæ non est peccatum mortale, nec repugnat Charitati, nisi talis discordia sit vel cũ errore circa ea, quæ sunt de necessitate salutis, vel pertinatia indebitè adhibeatur. probatur, quia hæc discordia est disiunctio opinionum, non voluntatum, & consequenter non opponitur cõcordiæ, cum ipsa non sit vnio opinionum, sed voluntatum, ratione cuius oppositionis habet ꝙ sit peccatum. quarta conclusio. discordia, de qua loquitur prima conclusio, quandoq; est cum peccato vnius tantum. probatur, quia tunc solũ est peccatum ex parte resistentis bono, quando scilicet vnus scienter resistit alteri nolenti bonũ. quinta conclusio. discordia, de qua loquitur prima conclusio, quandoque est cum peccato vtriusque. probatur, quia quando vterq; dissentit à bono alterius diligendo bonum proprium, tunc vterque peccat.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua, discordiam esse aliquando peccatum mortale, aliquando peccatum veniale, & aliquando nullũ peccatum. tunc est peccatum mortale, quando, vt ait Caietanus in summula verb. discordia, quis voluntati alterius de bono Diuino, aut humano, cui debet consentire, scienter, & ex intentione contrariatur, quia contra Charitatis concordiã directè est. dicit autẽ, cui debet consentire, quia discordiæ completum peccatum tollit concordiam, non quamcumq; sed debitam, quæ scilicet ex debito est, aut esse debet inter proximum, & se, aut alium, quia si nolit concordare cum proximo ad bonum supererogationis, puta ad ingrediendum simul Religionem, non pertinet ad discordiæ vitium, quia nõ teneter consentire ad tale bonum. & aduerte, quod ad hoc quod discordia sit peccatum mortale, debet quis contrariari voluntati alterius de bono Diuino, vel humano notabili, vt obseruat Siluester verb. discordia, & sic est intelligendum cap. oblationes diffidentium. d. 90. & c. abijt. 11. & c. Ismael. d. 56. hinc patet peccare mortaliter Consiliarios diffidentes à bono communi scienter, & notabiliter propter elationem, vel superbiam, aut malam voluntatem nolentes alijs consentire tendentibus ad bonum. cum vero bonum Diuinum, vel humanum est minimum, tunc talis discordia non erit peccatum mortale, licet adsit animus contradicendi, sed veniale. est autem peccatum veniale propter imperfectionem actus, vel ex parte volentis, vt in primis motibus, vt in littera dicitur, vel ex parte materiæ, vt si tollat concordiam in minimis, nomine autem minimorum intelliguntur in proposito quæcunq; non sunt necessaria ad salutem, vt si discordet aliquis à voluntate dicendi veritatẽ

purè

purè officiosam, idest cuius mēdacium esset peccatum veniale &c. tunc autem nullū est peccatū, quādo quis discordat quidē ab altero, sed nō vt discordet, sed vt nō minus rectè, aut rectius velit, siue operetur, vt ait Caietan' in sūmula verb. discordia, quia tūc est discordia solū materialiter, formaliter enim vterque tendit ad bonum, si tamen vterque prudenter se habet. circa tertiam conclusionem notetur, quod docent Caietanus, & Dominicus Bannes ad hunc locum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 11. num. 3. & 4. & alij.

Quæritur, an facere discordiam aliquando sit laudabile.

3 Respondeo dicendum, quòd sicut voluntas hominis adhærens Deo est quædā regula recta, à qua peccatum est discordare, ita etiam voluntas hominis Deo contraria est quædam peruersa regula, à qua bonum est discordare; facere ergo discordiam, per quam tollitur bona concordia, quam Christus facit, est graue peccatum; vnde dicitur prouerb. 6. sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, & hoc septimum ponit eum, qui seminat inter fratres discordias, sed causare discordiam, per quam tollitur mala concordia, scilicet in mala voluntate, est laudabile: & hoc modo laudabile fuit, quod Paulus posuit dissensionē inter eos, qui erant concordes in malo, nam, & dominus de se dicit Matthæi, 10. non veni pacem mittere, sed gladium. 2.2. quæst. 37. art. 1. ad secundum.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. facere discordiā, per quam tollitur bona concordia, quam Christus facit est graue peccatum. probatur auctoritate prouerb. 6. secunda conclusio. causare discordiam, per quam tollitur mala concordia, scilicet in mala voluntate, est laudabile. probatur exemplo D. Pauli, qui posuit dissensionem inter eos, qui erant concordes in malo; & exemplo Christi, qui Matthei 10. dicit, non veni pacem mittere, sed gladium.

Ex hac doctrina habemus duplicem esse discordiam, scilicet bonam, & malam. discordia bona est, quæ tollit concordiam malam, qua scilicet concordant plures in malo. discordia mala est, quæ tollit concordiam bonam, qua scilicet concordant in bono plures. Circa factum D. Pauli monent, & soluunt dubium Caietanus, & Dominicus Bannes ad hunc locum, ad quos lectorem remitto.

Quæritur, an discordia sit filia inanis gloriæ.

4 Respondeo dicendum, quòd discordia importat quandam disgregationē voluntatum, inquantùm scilicet voluntas vnius stat in vno, & voluntas alicuius alterius stat in altero, quòd autem voluntas alicuius in proprio sistat, prouenit ex hoc, quod aliquis ea, quæ sunt sua, præfert his, quæ sunt aliorum, quod cum inordinatè fit, pertinet ad superbiam, & inanem gloriam; & ideò discordia, per quam vnusquisque sequitur, quòd suum est, & recedit ab eo, quod est alterius, ponitur filia inanis gloriæ. 2.2. q. 37. a. 2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. discordia, per quam aliquis sequitur, quod suum est, & recedit ab eo, quod est alterius, est filia inanis gloriæ. probatur, discordia importat quamdam disgregationem voluntatū, inquantū scilicet voluntas stat vni' in vno, & voluntas alicuius alterius stat in altero, sed q voluntas alicuius in proprio sistat, prouenit ex hoc quod aliquis ea, quæ sunt sua, præfert his, quæ sunt aliorum, quod cum inordinatè fit pertinet ad superbiam, & inanem gloriam, ergo discordia est filia inanis gloriæ.

Conclusio D. Thomæ vera est regulariter, ita quod discordia oritur, vt in pluribus ex inani gloria; nihil obstat tamen, quominus aliquando aliunde possit oriri, aliquando enim oritur ex inuidia, vt dicetur infrà. an autem oriatur ab inani gloria tanquam à causa effectiua, vel finali, explicat Caietanus, & Dominicus Bannes ad hunc locum, ipsi legantur.

Quæritur, quomodo discordia causetur ex inuidia.

5 Respondeo dicendum, quòd in discordia consideratur, vt terminus à quo recessus à voluntate alterius, & quātum adhoc causatur ex inuidia. 2. 2. quæst. 37. artic. 2. ad 2.

Discordiā causari ex inuidia, inquātum in discordia consideratur, vt terminus à quo recessus à voluntate alterius, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Pro explicatione huius doctrinæ obserua, qd in discordia consideratur duplex terminus, scilicet terminus à quo, & terminus ad quem; terminus à quo est recessus à voluntate alterius, terminus ad quē est accessus ad id, quod est sibi proprium. si ergo in discordia consideretur terminus à quo, sic causatur ex inuidia, nam ex hoc quod dolemus de bono proximi, vt excedente nostrum, appetimus recessum à bona voluntate eiusdem, & recessum à voluntate proximi eligimus ad cōsumandam detestationem boni illius, vt

vt diminutiuum apparet nostri, vt sæpè hæc apparent inter discordias Principum vicinorum. si autem consideretur terminus ad quem, sic causatur ex inani gloria, quia ideò aliquis scienter eligit propriam voluntatem præferre iniustè alterius voluntati, vt excellat vel in re, & hoc est superbia, vel in apparẽtia, & hoc est vana gloria, & ex hoc quod aliquis excellentiam appetit in re, vel in apparentia, oritur discordia, innascitur namque, vt appetat in sua voluntate persistere, vt sic excellat. quia autem terminus ad quem est potior termino à quo, finis enim est potior principio, ideò discordia potius ponitur filia inanis gloriæ, quã inuidiæ, licet ex vtraque oriri possit secundum diuersas rationes.

Quæritur, quod bonum oriatur ex concordia, & quod malum ex discordia.

6 Respondeo dicendum, quòd concordia paruæ res crescunt, & per discordiam maximæ dilabuntur, quia virtus quantò magis est vnita, tantò est fortior, & per separationem diminuitur, vt dicitur in libro de causis. 2.2. q. 37. a. 2. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. concordia paruæ res crescunt, & per discordiam maximè dilabuntur. probatur, quia Virtus, quantò magis est vnita, tantò est fortior, & per separationem diminuitur, vt dicitur in lib. de causis.

Conclusio est D. Hieronimi super illud Mathei 12. omne regnum contra se diuisum desolabitur, vbi ait, quo modo concordia paruæ res crescunt, sic discordia maximæ dilabũtur. rationem huius affert pulchram D. Thomas, quantò enim Virtus est magis vnita, tantò est fortior, & efficacior, & cum concordia importet vnionem, ideò concordia paruæ res crescunt; per separationem autem res diminuitur, vt habemus ex lib. de causis propositione. 17. discordia autẽ importat huiusmodi separationem, ideò per discordiam maximæ dilabuntur.

DISPENSATIO.

De Dispensatione in communi.

Cap. I.

1 *Quare inuenta sit dispensatio.*
2 *Quid sit dispensatio.*
5 *Originaliter quid importet dispensatio.*
Quid nominis dispensationis exponitur.
Quid importet dispensatio secundum D. Thomam.
Discrimen ponitur inter dispensationem legis, irritationem, commutationem, abrogationem, & interpretationem legis.
3 *In Dispensatione quid debeat intendi.*
4 *In Dispensatione non est acceptio personarum.*
5 *Quomodo intelligatur dispensatio in lege humana.*

Quæritur, quare sit adinuenta dispensatio.

1 Respondeo dicendum, quòd quia in particularibus nõ potest inueniri ratio, quæ omnibus competat æqualiter propter eorum diuersitatẽ; ideò quod vniuersaliter statutum est, rationabiliter consideratis istis, quæ in pluribus accidunt, potest etiam per dispensationem rationabiliter remoueri in aliquo casu determinato. 4. sent. d. 27. q. 3. a. 3. ad 4.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. quod vniuersaliter statutum est rationabiliter consideratis istis, quæ vt in pluribus accidunt, potest etiam per dispensationem rationabiliter remoueri in aliquo casu determinato. probatur, quia in particularibus non potest inueniri ratio, quæ omnibus competat æqualiter propter eorum diuersitatem.

Pro explicatione huius litteræ obserua, quod lex ponitur respiciendo ad id, quod est vt in pluribus bonum, quia autem contingit quandoque, quod lex, quæ est ad commodum multitudinis vt in pluribus, non est conueniens huic personæ, vel in hoc casu, quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquod malum, ideò oportuit per aliquem determinari in illo particulari casu legem non esse seruandã, & hoc propriè est dispensare in lege, vnde & à Iuristis dispensatio dicitur iuris communis relaxatio, vt in sequenti videbitur quæsito. ratio ergo, quare sit adinuenta dispensatio, est quia in particularibus non potest inueniri ratio communis, quæ omnibus æqualiter competat propter particularium diuersitatem.

Quæritur, quid sit dispensatio.

2 Respondeo dicendum, quòd iuristæ dicunt, quòd dispensatio est communis iuris relaxatio. 4. sent. d. 44. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 4. ad 1.

Quod dispensatio secundum Iuristas sit communis iuris relaxatio, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Vt explicetur hæc doctrina, obserua ex Siluestro verb. dispensatio, quod dispensatio propriè, & originaliter importat pecuniarum pensionem diuersis factam; & dicitur à dispenso, idest diuersis penso, vnde secundum aliquos dispensator est pecuniarum administrator, quæ prius nõ numerabantur, sed appendebantur, siue pensabantur; hinc hoc nomen translatum est ad omnem distributionem, vnde S. Thomas 2.2. q 88. a. 10. in corp. ait dispensationem importare quandam commensuratam distributionem, vel applicationem alicuius communis ad ea, quæ sub ipso continentur, quemadmodum dicitur aliquis dispensare cibum familiæ, vnde, & in proposito dispensatio legis communis est applicatio eius ad hunc, & illum secundum eorum proportionem,

vt scilicet ille adstringatur ad totum, ille ad partem, ille ad nihil secundum eorum conditiones, inquit Siluester loco citato, & secundum Iuristas dispensatio est iuris communis relaxatio, & vocatur vulnus, quia vulnerat ius commune. Nota etiam, quod maximum reperitur discrimen inter dispensationem legis, irritationem, commutationem, abrogationem, interpretationem legis, nam dispẽsatio est relaxatio obligationis legis in aliquo particulari à superiore facta. irritatio legis est sublatio illius ex potestate Domini, cõmutatio legis est mutatio obligationis in æquale, vel melius. abrogatio legis est omnimoda sublatio legis ex potestate Domini, siue ex potestate gubernatiua. interpretatio legis requirit ingenij acumen, & eruditionem, & non potestatem gubernatiuam.

Quæritur, quid debeat intendi in dispensatione.

3 Respondeo dicendum, quòd quando cũ aliquo dispensatur, vt legem communem non seruet, non debet fieri in præiuditium boni communis, sed ex intentione, vt ad bonum commune proficiat. p. 2. quæst. 97. art. 4. ad 1.

Quod quando cum aliquo dispensatur, vt legem communem non seruet, non debet fieri in præiudicium boni communis, sed ex intentione, vt ad bonum commune proficiat, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Circa hanc doctrinam nihil mihi scribendum occurrit.

Quæritur, an in dispensatione legis sit personarum acceptio.

4 Respondeo dicendum, quòd non est acceptio personarum, si nõ seruentur æqualia in personis inæqualibus; vnde quando conditio alicuius personæ requirit rationabiliter, vt in ea aliquid specialiter obseruetur, non est personarum acceptio, si sibi aliqua specialis gratia fiat. p. 2. q. 97. art. 4. ad 2.

Huic quæsito respondet D. Thomas vnica cõclusione, quæ est. quando conditio alicuius personæ requirit rationabiliter, vt in ea aliquid specialiter obseruetur, nõ est personarum acceptio, si sibi aliqua specialis gratia fiat. probatur, quia non est acceptio personarum, si non seruentur æqualia in personis inæqualibus.

Pertransco in hoc quæsito, cum nihil mihi occurrat scribendum.

Quæritur, quomodo intelligatur dispensatio in lege humana.

5 Respondeo dicendum, quòd cum dispensatur in aliqua lege humana, non fit, vt legi humanæ non obediatur, quod est contra legem naturæ, & mandatum Diuinum, sed fit, vt hoc, quod erat lex, non sit in hoc casu. 2. 2. q. 88. a. 10. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. cum dispensatur in aliqua lege humana, non fit, vt legi humanæ non obediatur, sed fit, vt hoc quod erat lex, non sit in hoc casu. probatur prima pars, quia hoc est contra legem naturæ, & mandatum Diuinum.

Hæc doctrina tali patefiat exemplo. quando Prælatus dispensat in voto, quod ex iure naturali, & præcepto Diuino tenetur homo implere, non dispensat in præcepto iuris naturalis, vel Diuini, sed determinat id, quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circonspicere, & auctoritate superioris dispensantis fit, vt hoc, quod continebatur sub voto, non contineatur, inquantum determinatur in hoc casu, hoc non esse congruam materiã voti.

In quibus possit fieri dispensatio. Cap. II.

1 *In lege naturali non potest fieri dispensatio quo ad præcepta communia.*
In lege naturali potest fieri dispensatio quo ad alia præcepta.
In lege Diuina solus Deus potest dispensare, & cui ipse commiserit.
2 *Quando in præceptis sit facienda dispensatio.*
Præcepta data pro conseruatione boni communis, & ordine iustitiæ &c. sunt indispensabilia.
Præcepta ordinata ad supradicta sunt dispensabilia in aliquibus casibus.
Præcepta Decalogi sunt omnino indispensabilia.
Reijcitur Scotus putans præceptum tertium primæ tabulæ decalogi, & omnia alia secundæ tabulæ esse dispensabilia.
Soluuntur obiectiones petitæ ab exemplo Oseæ accedentis ad fornicariam. Abraham volentis occidere filium. Filiorum Israel surripientium bona ægiptiorum. Sansonis seipsum occidentis. Eleazari interficientis elephantem, à quo oppressus occubuit.
3 *Inseparabilitas matrimonij non potest dispensari.*
4 *Nunquàm licuit alicui habere plures vxores sine dispensatione.*
5 *Cum personis excellentibus faciliter debet fieri dispensatio circa matrimonium contrahendum.*

Quæritur, an in lege naturali, & Diuina possit dispensari.

1 Respondeo dicendum, quòd lex naturalis in quantùm continet præcepta communia, quæ nunquam fallunt, dispensationem recipere non potest, in alijs vero præceptis, quæ sunt quasi conclusiones præceptorum communium quan-

quandoque per hominem dispensatur, puta quòd mutuum non reddatur proditori Patriæ, vel aliquid huiusmodi: ad legem autem Diuinam, ita se habet quilibet homo, sicut persona priuata ad legem publicam, cui subijcitur; vnde sicut in lege humana publica non potest dispensare nisi ille, à quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse cōmiserit, ita in præceptis iuris Diuini, quæ sunt à Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel cui ipse specialiter committeret. p.2.q.97.a.4. ad 3.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. lex naturalis, inquantum continet præcepta communia, quæ nunquam fallunt, dispensationem recipere non potest; in alijs verò præceptis, quæ sunt quasi conclusiones præceptorum communium, quandoque per hominem dispensatur. secunda conclusio. In præceptis iuris Diuini, quæ sunt à Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel cui ipse specialiter committeret. probatur, quia ad legē Diuinam ita se habet quilibet homo, sicut persona priuata ad legem publicam, cui subijcitur, sed in legē humana publica nō potest dispensare nisi ille, à quo lex auctoritatem habet; vel is, cui ipse commiserit, ergo in præceptis iuris Diuini, quæ sunt à Deo, nullus potest dispēsare, nisi Deus, vel cui ipse specialiter committeret.

Ex hac doctrina quattuor elicio propositiones notandas, quarum prima est, quod lex naturalis, quatenus continet præcepta communia, quæ nunquam fallunt, dispensationem recipere non potest. probatur nam si ista præcepta nunquam fallunt, consequenter in eis non poterit fieri dispensatio, quæ fit, quando lex deficit, defectus enim legis in aliquibus particularibus est ratio dispensandi. secunda propositio est, quod in alijs præceptis, quæ sunt quasi conclusiones præceptorum communium, quandoque per hominem dispensatur, vt quod mutuum non reddatur proditori patriæ, vel aliquid huiusmodi: tertia propositio est, quod in lege humana publica non potest dispensare nisi ille, à quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit, quia tunc gerit vices superioris. quarta propositio est, quod in præceptis iuris Diuini, quæ sunt à Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel cui ipse specialiter committeret. verum hoc in sequenti explicabitur quæsito.

Quæritur, an præcepta Decalogi sint dispensabilia.

2 Respondeo dicendum, quòd in præceptis debet fieri despensatio, quando occurrit aliquis particularis casus, in quo si verbum legis obseruaretur, contrariaretur intentioni legislatoris; intentio autem legislatoris cuiuslibet ordinatur primò quidem, & principaliter ad bonum commune, secundò autem ad ordinem iustitiæ, & virtutis, secundùm quem bonum commune conseruatur, & ad ipsum peruenitur; si quæ ergo præcepta dantur, quæ contineant ipsam conseruationem boni communis, vel ipsum ordinem iustitiæ, & virtutis, huiusmodi præcepta continent intentionem legislatoris, & ideò indispensabilia sunt, puta si poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, quod nullus destrueret Rempublicam, neque proderet Ciuitatem hostibus, siue quòd nullus faceret aliquid iniustè, vel malè, huiusmodi præcepta essent indispensabilia; sed si aliqua alia præcepta traderentur ordinata ad ista præcepta, quibus determinantur aliqui speciales modi, in talibus præceptis dispensatio posset fieri, inquantùm per omissionem huiusmodi præceptorū in aliquibus casibus nō fieret præiuditium primis præceptis, quæ continent intentionem legislatoris, puta si ad conseruationem Reipublicæ statueretur in aliqua Ciuitate, quòd de singulis vicis aliqui vigilarent ad custodiam Ciuitatis obsessæ, posset cum aliquibus dispensare propter aliquam maiorem vtilitatem. Præcepta autem Decalogi continent ipsam intentionem legislatoris, scilicet Dei, nam præcepta primæ Tabulæ, quæ ordinant ad Deum, continent ipsum ordinem ab bonū commune, & finale, quod Deus est; præcepta autem secundæ Tabulæ continent ordinem iustitiæ inter homines obseruandæ, vt scilicet nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum, secundum hanc enim rationem sunt intelligenda præcepta Decalogi; & ideò præcepta Decalogi sunt omninò indispensabilia. p.2.q.100.a.8. in corp.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si quæ præcepta dentur, quæ contineant intentionem legislatoris, idest conseruationem boni communis, vel ordinem iustitiæ, & Virtutis, talia præcepta sunt indispensabilia; quod si non contineant ipsam eius intentionem, sunt dispensabilia. probatur prima pars, quia tunc in præceptis solum fieri debet dispensatio, quando occurrit casus aliquis, in quo si verbum legis obseruaretur, contrariaretur intentioni legislatoris. probatur secūda pars, quia per omissionem talium præceptorum in aliquibus casibus non fieret præiudicium intentioni legislatoris, puta quod fit dispensatio propter aliquod maius bonum communitatis, vel iustitiæ, & Virtutis. secunda conclusio. præcepta decalogi sunt omninò indispensabilia. probatur, quia

præ-

præcepta decalogi continent intentionem Dei legislatoris, nam præcepta primæ tabulæ ordinem ad bonum omnium commune, secundæ autem ordinem iustitiæ inter homines important, sed pręcepta intentionem legislatoris continentia sunt indispensabilia, ergo &c.

Circa secundam conclusionem adest Scotus. 3. sent. d. 37. q vnica docens, duo priora mandata primæ tabulæ non esse dispensabilia, tertiū autem de sanctificatione Sabbati, & omnia præcepta secundæ tabulæ esse à Deo dispensabilia. Durandus etiam 1. sent. d. 47. q. 4. docet, omnia præcepta decalogi esse prorsus indispensabilia, excipit tamen præceptum de honorandis parentibus, & non occidendo. Ocham etiam. 2. sent. q. 19. tenet, nihil adeò esse peruersum, & iniquū, quin dispensatione Diuina possit fieri licitum, atque laudabile, etiam odium Dei. sed conclusio. D. Thomæ constans, & solida est, nempe præcepta omnia decalogi esse indispensabilia, quia cōtinent in se ipsa rationem recti, & iusti, tam in ordine ad Deum, quam in ordine ad proximum, vnde ab eis defficere semper illicitum, & iniustū est. quæ his probatur efficacissimis rationibus, quarum prima est. præcepta decalogi affirmatiua præcipiunt, quod secundum se iustum est, & rectum; præcepta autem negatiua prohibent, quod secundum se est iniustum, & iniquum, ergò implicat contradictionem, quod sint dispensabilia, nam si dispensabilia sunt, ergo licet facere id, quod secundum se iniquum, & iniustum est. secunda est, præceptū de non furando non præcipit, vt aliena non accipiamus, sed ne iniustè aliena accipiamus; atque adeò præceptum de nō occidendo non præcipit, quod nunquam occidamus, sed ne iniustè occidamus, sed implicat contradictionem, quod non liceat reddere debitum, quando recta ratio naturalis dictat esse reddendum, & quod liceat iniustè accipere alienum, aut iniustè hominem occidere. tertia est, præceptum generale, nempe iniustè non est operandum, omninò est indispensabile, sed ex hoc principio colliguntur præcepta decalogi, vt conclusiones euidentes, ergo si illud principium est indispensabile, etiam præcepta decalogi erunt indispensabilia. maior probatur, nam si per dispensationem liceret iniustè operari, sequeretur, quod illicitum esset licitum, & quod iniustum esset iustum, & id, quod non est consentaneum rationi, esset consentaneum rationi, ex hoc enim quod intercedit dispensatio, est licitum, quod de suo genere est illicitum; est iustum, quod de se est iniustum &c. quæ omnia manifestam implicant contradictionem. argumenta Scoti soluuntur à Caietano in hoc loco. siquis autem objiciat aliqua exempla, quæ in sacra leguntur scriptura, quibus videtur Deus dispensasse in aliquibus decalogi præceptis, vt quandò præcepit Oseæ prophetæ, vt acciperet mulierem fornicarium, & susciperet filios fornicationis, vt legitur Oseæ cap. 1. ergo tunc dispensauit in illo decalogi præcepto, non mœchaberis. rursus quando præcepit filijs Israel, vt bona ægiptiorum secum auferrent, ergo tūc dispensauit in præcepto furti. rursus præcepit Abraham, vt occideret filium suum Isaac, vt legitur Genes. 22. ergo tunc dispensauit in præcepto decalogi, non occides. iterum videtur dispensasse cum Sansone, vt seipsum occideret cum Phylisteis, vt habetur Iudicum: 16. item cum Eleazaro, qui interfecit elefantem, à quo oppressus statim occubuit, vt legitur. 1. Machab. 6. respondebitur ad omnia ista, quod in his casibus Deus non dispensauit, sed vsus est sua plena auctoritate, quam habet Deus in omnes res, cum enim Deus sit Dominus vitæ, & mortis, & rerum omnium, potuit præcipere ablationem vitæ Isaac, Sansonis, & Eleazari; & iterum potuit adimere ægyptijs sua iustissima voluntate res, quas possidebant, & eas tradere filijs Israel. similiter ad illud, quod objicitur de Osea propheta, quod maioris est ponderis, respōdetur, quod Dominus Oseæ prophetæ non præcepit, vt accederet ad mulierem fornicariam, vt fornicaretur, cum enim fornicatio intrinsecè sit mala, à Deo non potuit præcipi, sed præcepit, vt sumeret sibi in Vxorem mulierem fornicariam, quod vtique licitum est. si quis autem objiciat verba immediatè subsequentia, & fac filios fornicationum, ergo præcepit Deus, vt fornicaretur, & ex fornicatione procrearet sibi filios. respondebitur, quod textus hebreus sic legit, vt notat Lyranus adhunc locum, sume tibi vxorem fornicationum & filios fornicationum, quasi velit dicere, simul cum fornicaria Matre, quam accipies in vxorem, accipies etiam filios progenitos ex fornicatione, quos tibi adoptabis in filios; filij tamen, qui nati sunt ex vxore, olim fornicaria, erant legitimi. aliter respondet etiam D. Thomas 2. 2. q. 104. a. 4. ad 2. quod non fuit contra Castitatem præceptū Oseæ factum, vt mulierem adulteram acciperet, quia ipse Deus est humanæ generationis ordinator, & ille est debitus modus mulieribus vtendi, quem Deus instituit. consulatur circa hos omnes casus Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure. q. 3. artic. 8. in resp ad argumenta. Præcepta ergo decalogi sunt indispensabilia etiam à Deo, & multò magis ab homine, implicat siquidē cōtradictionem, vt iam uidimus, huiusmodi præcepta esse dispensabilia, quod autem implicat contradictionem, à Deo minimè fieri potest. siquis iterum objiciat dictum D. Thomæ, qui 2. 2. q. 104. a. 4. ad 2. & alibi insinuat, ꝙ in præceptis primæ tabulæ nec Deus, nec homo potest dispensare, sed in præceptis secundæ tabulæ solus Deus dispensat. consulat Petrum Bergomensem in suis concordantijs. dub. 518.

Quæritur, an possit dispensari in matrimonio iam facto.

3 **Respondeo dicendum, quòd inseparabilitas quamuis sit de secunda intentione matrimonij, prout est in officium naturæ, tamen est de prima intentione ipsius, prout est Sacramentum Ecclesiæ, & ideò ex quo**

quo institutum est, vt sit Ecclesiæ Sacramentum, manente tali institutione non potest sub dispensatione cadere. 4. sent. d. 33. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, matrimonium, ex quo institutum est, vt sit Ecclesiæ Sacramentum, manente tali institutione non potest sub dispensatione cadere. probatur, quia inseparabilitas, quamuis sit de secunda intentione matrimonij, prout est in officium naturæ, tamen est de prima intentione ipsius, prout est Sacramentum Ecclesiæ.

Nihil in hoc quæsito occurrit scribendū, ideò pertransco.

Quæritur, an aliquando fuerit licitum habere plures vxores sine dispensatione.

4 Respondeo dicendum, quòd in Decretali quadam de Diuortijs dicitur, quòd nunquam licuit alicui habere plures vxores sine dispensatione per Diuinam inspirationem habita: nec tamen talis dispensatio datur contra rationes, quas Deus naturæ inseruit, sed præter eas; quia rationes illæ non sunt ordinatæ ad semper, sed in pluribus esse, sicut etiam non est cōtra naturam, quando aliqua accidunt in rebus naturalibus miraculosè præter ea, quæ vt frequenter solent euenire. 4. sent. d. 33. q. 1. a. 2. ad secundum.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. In decretali quadā de diuortijs dicitur, quod nunquam licuit alicui habere plures vxores sine dispensatione per Diuinam inspirationem habita. hæc relinquitur, vt nota. secunda conclusio. talis dispensatio non datur contra rationes, quas Deus naturæ inseruit, sed præter eas. probatur dupliciter, & primò quia rationes illæ non sunt ordinatæ ad semper, sed in pluribus esse. secundò probatur à simili, sicut etiam non est contra naturam, quando aliqua accidunt in rebus naturalibus miraculosè præter ea, quæ vt frequenter solent euenire.

De pluralitate vxorum agetur verb. vxor cap. 1. quæst. 1. & 2. ideò ad eum locum lectorem remitto.

Quæritur, cum quibus personis faciliter possit dispensari in matrimonio.

5 Respondeo dicendum, quòd dispensatio matrimonij contrahendi principaliter fieri consueuit propter fœdus pacis firmandum, quod quidem magis est necessarium communi vtilitati circa personas excellentes; & ideò cum eis facilius dispensatur absque peccato acceptionis personarum. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. cum personis excellentibus facilius dispensatur absque peccato acceptionis personarum. probatur, quia dispensatio Matrimonij contrahendi principaliter fieri consueuit propter fœdus pacis firmandum, quod quidem magis est necessariū communi vtilitati circa personas excellentes.

Si præferretur persona excellens pauperi sine causa in dispensatione circa Matrimonium contrahendum in gradu prohibito, profectò esset peccatum acceptionis personarum, quia autem causa dispensandi magis excellentes personas est pax magis firmanda pro bono communi, quæ causa in pauperibus vel defficit, vel non tam grādis est, ideò non accidit peccatum acceptionis personarum in huiusmodi dispensatione.

De illis, qui possunt dispensare. Cap. III.

1 *Qui regit multitudinem potest dispensare in lege humana, si adsit causa.*
Sine causa dispensare est infidelis, aut imprudentis.
5 *Ex hoc quod aliquis constitutus est Rector multitudinis, commissa est sibi auctoritas dispensandi in lege superioris quo ad tria, & quæ.*
Tria sunt necessaria in omni dispensatione, & quæ.
Qui dispensat sine causa, dissipator est legis.
Dispensatio sine causa facta est cum peccato, & aliquādo inualida est, & ponuntur aliqui casus.
Excipitur vnus casus à Bartolomeo Medina, & quis.
Dispensatio in iure positiuo sine causa facta valida est, si fiat à Papa.
Si fiat ab alijs à Papa, dispensatus non est tutus coram Deo, & Ecclesia.
Si causa allegata pro obtinenda dispensatione falsa est, & ficta, dispensatio est inualida.
Causa recensentur, propter quas potest fieri dispensatio, & quæ.
Duo notanda circa prudentiam, quæ esse debet in dispensatione, & quæ.
2 *Papa potest dispensare in omnibus, quæ sunt iuris humani, siue positiui.*
Papa non potest dispensare in his, quæ sunt iuris naturalis, vel Diuini.
Ius Duinum continetur in lege veteri, & noua.
6 *Concilium non potest irretire manus Papæ, vt in aliqua lege non valeat dispensare.*
Dispensatus à Papa sine causa in his, quæ sunt iuris positiui, tutus est in conscientia.
Papa potest dispensare in his, in quibus admiscetur obligatio iuris Diuini, aut naturalis, cum causa tamen.
3 *Papa potest dispensare in his, quæ sunt instituta ab Apostolis.*
4 *Papa potest dispensare, quod Sacerdos consecret non indutus vestibus Sacris.*
5 *Papa potest dispensare in irregularitate Bigamia totaliter.*

Episco-

Episcopus potest dispensare in irregularitate Bigamiæ quo ad minores ordines.
Etiam quo ad maiores in illis, qui volunt ingredi Religionem.
5 *Quomodo intelligatur D. Paulus, qui ait, bigamũ non posse ordinari.*
Reijcitur Toletus asserens Episcopum non posse dispensare cum bigamo quo ad minores Ordines, nec quo ad primam tonsuram.
6 *Decretalis quadam circa hoc exponitur.*
7 *In quo casu inferior possit dispensare in præcepto superioris.*
§ *Regulariter inferior non potest dispensare in præcepto, & lege superioris.*
Magistratus non potest dispensare in lege communi per se loquendo.
Episcopus non potest dispensare in lege Papæ, nec in statutis Concilij Prouincialis, quando dispensatio sit reseruata.
Archiepiscopus non potest dispensare in statutis Concilij Prouincialis, quando dispensatio est reseruata.
In casu tamen necessitatis potest.
Archiepiscopus potest excomunicari à Sinodo Prouinciali.
Quando dispensatio non est reseruata, Episcopus potest dispensare in sua diocœsi, sicut & Archiepiscopus in sua diocœsi, non tamen in diocœsibus suffraganeorum, nisi aliter constet de mente Concilij.
Statutum inferioris confirmatum à superiori non potest abrogari ab inferiori, & dispensari independenter à superiori, si confirmatio fuit essentialis.
Secus autem, si confirmatio fuit accidentalis.
Quid sit confirmatio essentialis, & accidentalis.
Inferior potest dispensare in lege superioris, si dispensatio sibi relinquatur, vel committatur expressè, vel interpretatiuè.
In aliquibus etiam casibus inferior potest dispensare in lege superioris.
Recensentur casus isti, in quibus inferior potest dispensare in lege superioris.
Quid possit facere Episcopus, quando dubitatur, an possit dispensare in lege superioris.
8 *Deus non potest dispensare, quòd homo non subdatur ordini suæ iustitiæ &c.*
9 *Præcepta decalogi in quo sensu possint dispensari à Deo, & ab homine.*
§ *Homicidium formaliter quid sit.*
Quæ occisio probibeatur quinto præcepto decalogi.
Quid importet furtum.
Quid sit fornicatio.

Quæritur, an Rectores multitudinis possint in legibus humanis dispensare.

1 RESpondeo dicendum, quòd dispẽsatio propriè importat commensurationem alicuius cõmunis ad singula; vnde etiam gubernator familiæ dicitur dispensator, in quantùm vnicuique de familia cum pondere, & mensura distribuit, & operationes, & necessaria vitæ: sic igitur & in quacunque multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat, qualiter aliquod commune præceptum sit à singulis adimplendum: contingit autem quandoque, quòd aliquod præceptum, quod est ad commodum multitudinis, vt in pluribus, non est conueniens huic personæ, vel in hoc casu; quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquod malum: periculosum autem esset, vt hoc iudicio cuiuslibet committeretur, nisi fortè propter euidens, & subitum periculum; & ideò ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ suæ auctoritati innititur, vt scilicet in personis, vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, vt præceptum legis non seruetur; si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens; infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem, si rationem dispensandi ignoraret, propter quòd Dominus dicit Lucæ 12. quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? p. 2. quæst. 97. art. 4. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. In quacunque multitudine ex eo aliquis dicitur dispẽsare, quia ordinat, qualiter aliquod commune præceptum sit à singulis adimplendum. probatur, quia dispensatio propriè importat distributionem alicuius communis cum debito pondere, & mensura factam ad singula. secunda cõclusio, ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ suæ auctoritati innititur. probatur, quia contingit quandoque, quod præceptum existens, vt in pluribus, commodum multitudini, nõ sit conueniens huic personæ, vel in hoc casu, quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel induceretur aliquod malum, sed iudicare de hoc, quid scilicet tunc agendum, & exequendum sit, non sine periculo potuisset committi cuilibet, nisi fortè propter euidens, & subitum periculum, ergo ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ suæ auctoritati innititur, vt scilicet in personis, vel in casibus, in quibus lex defficit, licentiam tribuat, vt præceptum legis non seruetur. tertia conclusio. si absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, nõ erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens. erit, inquam, infidelis, si non habet intentionem

ad

ad bonum commune; erit autem imprudens, si rationem dispensandi ignoraret.

Ad explicationē hu' doctrinæ obserua, q hoc quæsitum nō loquitur de Principe specialiter, sed de Rectore multitudinis, siue sit Princeps, siue non, vt notat Caietanus adhunc locum; ex hoc ergo quod aliquis constitutus est Rector multitudinis, commissa est sibi auctoritas dispensandi in lege Superioris quo ad tria, nempe quo ad leuia, quo ad frequentia, & quo ad propria. quo ad leuia, inquam, quia non est rationi consonum, vt recurratur ad Principem pro dispensatione in re leui, dicitur autem res leuis, quæ simplici statuto, non autem præcepto propriè dicto posita est. Quia etiam nimis graue esset ad Principem sæpè valdè remotum loco, vel cōmoditate recurrere, ideò etiā infrequenter occurrentibus poterit Rector multitudinis dispensare, vt quia frequenter accidit soluendum esse ieiunium ex rationabili, saltem secundum æstimationem causa, non est rationi consonum, vt semidebilis, aut volens æquitare, aut pesteder iter arripere sine necessitate cogente, & putans se non posse seruare ieiunium, debeat ad Papam recurrere, ideò sat erit, vt ad Episcopum recursus fiat, cuius arbitrio in aliud opus pium commutetur, saluo legis fine. iterum æquum est, vt ea, quæ sunt ita propria alicui multitudini, quod non redundant in Communitatem totius Regni, vel Reipublicæ Christianæ, moderanda relinquantur Rectori multitudinis, qui notitiam specialē eius habet, nisi fortè accidat casus ita notabilis, vt meritò Superior cōsulendus sit; tria tamē necessaria sūt in omni dispēsatione, nēpe auctoritas, causa, & prudentia. Circa auctoritatem iam dictum est, & iterum dicetur in sequentibus de illis, qui possunt dispensare. Circa causam nota, quod si quis dispensaret sine causa legitima, non dispensator, sed dissipator legis diceretur, & cōsequēter peccat, nā dicebat D. Paul'. 1. ad Corinth. 10. facultas dispēsādi data est in ædificationē, & nō in destructionē Ecclesiæ; & vlterius hoc vergeret in iniuriam aliorum, dispēsare enim cum aliquo particulari est illum eximere ab obligatione, & vinculo, quo alij vniuersi tenentur, si autem hoc fiat sine causa, profectò in aliorum iniuriam cederet. rursus si dispensatio fiat sine causa, nedum accidit peccatum, sed aliquando dispensatio nulla est, & inualida, vt si Papa dispenset in voto sine causa legitima; si dispenset cum aliquo, vt habeat plura beneficia curata; vel vt non resideat, vel si dispenset cum Episcopo, vt possit testare de bonis Ecclesiasticis, quæ pauperibus erant distribuenda. huiusmodi omnes dispensationes sine causa factæ sunt inualidæ corā Deo, vt ait Siluester verb. dispensatio. q. 3. nam Papa non habet auctoritatem supra ius Diuinum, & naturale, vt illud pro sua voluntate abroget, casus autem omnes supradicti ad ius naturale, & Diuinum pertinent. excipit tantū Bartolomeus Medina hoc in loco vnum casum, vt si Papa conferat Sacerdotium homini indigno, aut minus digno, tunc collatio est valida, alioquin nihil esset tutum, & securum in Ecclesia Dei. in his tamen, quæ solum ex iure positiuo dependent, si despensatio fiat sine causa, talis dispensatio valida est, si fiat à Papa, vt si dispensetur cum aliquo, vt contrahere possit in secundo gradu, vel si dispensetur cum Clerico beneficiato, vel in sacris existente, vt Diuinum non recitet officium, quia hæc obligatio dependet à iure humano, q legislator pro sua voluntate abrogare potest; si autē dispensatio fiat ab alijs à Papa, talis dispensatus nō est tut' corā Deo, & corā Ecclesia, quia cū tali cōceditur dispensare, intelligitur, quod hoc faciat ex causa legitima, vnde fieri debet cū causæ cognitione, vt ait Siluester verb. dispensatio. q. 3. hic etiam vnum aduertendum est, quod si causa allegata pro obtinenda dispensatione falsa est, & ficta, dispensatio etiam est inualida, & dicitur subreptitia, quia talis dispensatio innititur causæ allegatæ tanquam fundamento, si fundamentum autem non subsistat, ædificium totum ruit. quænam autem sint causæ, propterquas dispensatio possit fieri, & teneat, explicat Siluester verb. dispensatio. q. 1. prima est tempus, & colligitur ex c. necessaria, & c. pro remedio. defectus enim nostri temporis, quibus non solum merita, sed etiam corpora ipsa deffecerunt, districtionis legis non patiuntur manere censuram. secunda est vtilitas, vt scilicet alij facilius reuertantur ad bonū. 22. q. 4. ipsa pietas. & 1. q. 7. tali. tertia est qualitas personæ, & meriti, & sciētiæ. d. c. tali. & c. didici: cū alius æquè dignus non sit. quarta est necessitas, vt in d. c. tali. quinta est pietas. sexta est euentus rei. septima multitudo, siue scandalum multitudinis. dist. 50. vt constitueretur. subiungit tamen Siluester, quod quia casus sunt innumerabiles, nec dari potest in hoc regula generalis, ideò standum est in hoc arbitrio boni viri, qui si iudicauerit esse rationabilem, dispensatio erit debita. di. 50. Domino Sancto, & Prælatus peccat nō dispensando. a. 2. q. 5. quanto.

Circa prudentiam notanda sunt duo, quorum primum est, ne præbeat occasionem suspicandi, quod leges sint statutæ propter turpe lucrū, hinc est, quod consuetudo illa, quod non dispensetur in tali lege, nisi pro pecunia, abolenda est, sicut aboleuit eam Concilium Tridentinum sess. vlt. secundum est, quod legislator semper præ oculis habeat illud D. Pauli dictum, facultas dispensandi data est in ædificationem, non in destructionem Ecclesiæ.

Quæritur, in quibus Papa possit dispensare.

2 Respondeo dicendum, quòd Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita scilicet quòd quæcunq; sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ Prælatos, sunt dispensabilia à Papa; hæc enim sunt, quæ dicuntur esse iuris humani, vel iuris positiui: circa ea verò, quæ sunt iuris Diuini,

vel

vel iuris naturalis, dispensare non potest, quia ista habent efficaciam ex institutione Diuina; ius autem Diuinum est, quod pertinet ad legem nouam, vel veterem; sed hæc differentia est inter vtramque legem, quia lex vetus determinabat multa tàm in præceptis cæremonialibus pertinẽtibus ad cultum Dei, quàm etiam in præceptis iudicialibus pertinentibus ad iustitiam inter homines conseruandam, sed lex noua, quæ est lex libertatis, huiusmodi determinationes non habet, sed est cõtenta præceptis moralibus naturalis legis, & articulis fidei, & Sacramentis Gratiæ; vndè & dicitur lex fidei, & lex Gratiæ propter determinationem articulorum fidei, & efficaciam Sacramentorum; cætera verò, quæ pertinent ad determinationem humanorum iudiciorum, vel ad determinationem Diuini cultus liberè permisit Christus, quæ est nouæ legis lator, Prælatis Ecclesiæ, & Principibus Christiani populi determinãda; vnde huiusmodi determinationes pertinent ad ius humanum, in quo Papa potest dispensare, in solis verò his, quæ sunt de lege naturæ, & in articulis fidei, & Sacramentis nouæ legis dispensare, non potest, hoc enim non esset posse pro veritate, sed contra veritatem. quodlibeto 4.a.13. in corp.

Quadruplici conclusione respõdet D.Thomas huic quæsito, quarum prima est. quæcunque sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ Prælatos, sunt dispensabilia à Papa. probatur, quia hęc sũt iuris humani, & positiui, super quod Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia. secunda cõclusio. circa ea, quæ sunt iuris Diuini, vel iuris naturalis, dispensare non potest. probatur, quia ista habent efficaciam ex institutione Diuina, super quam non habet potestatem Papa. tertia cõclusio. Papa potest dispensare super ea, quæ pertinent ad determinationem humanorum iudiciorum, vel ad determinationem Diuini cultus, quæ liberè permisit Christus, qui est nouæ legis lator, Prælatis Ecclesiæ, & Principibus Christiani populi determinanda. probatur, quia huiusmodi determinationes pertinent ad ius humanum, in quo Papa potest dispensare. quarta cõclusio. In his, quæ sunt de lege naturæ, & in articulis fidei, & Sacramentis nouæ legis dispensare non potest. probatur, quia hoc non esset posse pro veritate, sed contra Veritatem.

Ex prima conclusione habemus, Papam posse dispensare in omnibus ijs, quę ad ius positiuum pertinent, ille enim, qui condidit leges, potest dispensare in lege, quam condidit, atque in omnibus alijs ab ęquali potestate statutis, puta in statutis suorum prædecessorum, & multò magis poterit dispensare in omnibus legibus Conciliorum. si autem aliquis quærat, an Concilium possit irretire manus Pontificis, vt in aliqua lege nõ valeat dispensare. dico non posse, quidquid alij dicant in contrarium, quia super huiusmodi statuta positiua ita plenariam habet Papa potestatem, vt limitari sibi non possit; immò absque causa poterit in huiusmodi positiuis statutis dispensare, & qui obtinet dispensationem, tutus est in conscientia, quia eius est destruere, cuius est cõdere, nec Papa tenetur legibus suis ligatus, & multò minus legibus inferiorum. ex secunda cõclusione habemus, Papam non posse dispensare in his, quæ sunt expressè iuris Diuini, quod scilicet pertinet ad legem nouam, vel veterem; poterit tamen dispensare in his, in quibus admiscetur obligatio iuris Diuini, aut naturalis, si legitima hoc fiat ex causa, vt iam diximus; secus autem dicendum est, si legitima non adsit causa, quia Papa nõ habet potestatem in destructionẽ, sed in ædificationem corporis Christi, vnde qui sic absque legitima causa dispensaretur, non esset tutus in conscientia quo ad Deum, licet dispensatio proueniat à Papa motu proprio, & certa scientia, & de plenitudine potestatis, vt rectè ait Caietanus in summula verb. dispensatio. hinc infert Panormitanus, quod non est tutus in conscientia ille Religiosus, cum quo sine legitima causa dispensatur, vt ad lassiorem transeat Religionem; similiter si præficitur Ecclesiæ curatæ causa legitima non existente, inquit Siluester verb. dispensatio. q.3. quomodo autem possit stare cum eo, quod docet 4. sent. d. 27. q. 3. a. 3. ad 2. vbi ait posse Papam dispensare in iure Diuino. legatur Petrus Bergomensis in suis concordantijs dub. 519.

Quæritur, an Papa possit dispensare in his, quæ sunt instituta ab Apostolis.

3 Respondeo dicendum, quòd Papa non potest dispensare quantùm ad ea, quæ sunt de iure naturali, & quantùm ad ea, quæ sunt de necessitate Sacramentorum, & fidei, sed in alijs, quæ sunt de institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nũc eandem potestatem statuendi, & destruẽdi, quam tunc habuit, potest per eum, qui primatum in Ecclesia tenet, dispensari. 4. sent. d. 27. q. 3. a. 3. ad 2.

Conclusione vnica respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. Papa non potest dispensare quãtum ad ea, quæ sunt de iure naturali, nec quantum ad ea, quæ sunt de necessitate Sacramentorum, & fidei, sed in alijs, quæ sunt de institutione Apostolorum. probatur quo ad secundã partem relicta priori vt nota ex præcedentibus, quia cum Ecclesia habeat nunc eandem potestatem statuendi, & destruendi, quam tunc habuit, potest per eum, qui primatum in Ecclesia tenet, dispensari.

Iam dictum est, Papam posse dispensare in statutis nedum suis, sed etiam, quæ processerunt ab æquali potestate, & cum Papa gaudeat æquali potestate cum Apostolis, ideò non est dubium, quin Papa possit dispensare in statutis Apostolorum.

Quæritur, an Papa possit dispensare, quod Sacerdos consecret non indutus vestibus Sacris.

4 Respondeo dicendum, quòd Papa potest dispensare, quòd aliquis Sacerdos nō indutus vestibus Sacris consecret Corpus Christi; & eadem ratio est de omnibus alijs huiusmodi, quæ ex institutione humana processerunt. quodlibeto. 4. artic. 13. in corp.

Quod Papa possit dispensare, quod aliquis Sacerdos non indutus vestibus sacris cōsecret Corpus Christi, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Iam diximus Papam habere plenariam potestatem supra ius positiuum humanum, cum autē sit de iure positiuo, quod Sacerdos consecret indutus vestibus sacris, ideò Papa poterit dispensare cum aliquo Sacerdote, vt consecrare possit non indutus vestibus sacris.

Quæritur, an Papa, & Episcopus possint dispensare in Bigamia irregularitate.

5 Respondeo dicendum, quòd Bigamiæ non est adiuncta irregularitas de iure naturali, sed de iure positiuo; nec iterum est de essentialibus ordinis, quòd aliquis non sit Bigamus, quòd patet ex hoc, quod si aliquis Bigamus ad ordines accedat, caracterem recipit, & ideò Papa potest dispensare in tali irregularitate totaliter, sed Episcopus quantum ad minores ordines; & quidam dicunt, quod etiam quantùm ad maiores in illis, qui volunt Deo in Religione seruire propter vitandum Religiosorum discursum. 4. sent. d. 27. quæst. 3. art. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Papa potest dispensare totaliter in irregularitate ex bigamia contracta; sed Episcopus, quantum ad minores ordines, & secūdum alios etiam quantum ad maiores in illis, qui volunt Deo in Religione seruire. probatur prima pars, quia bigamiæ non est adiuncta irregularitas de iure naturali, sed de iure positiuo, superquod ius Papa habet potestatem. vlterius non est de essentialibus ordinis, quod aliquis nō sit bigamus, vnde si aliquis bigamus ad ordines accedat, caracterem recipit. probatur secunda pars, vt euitetur Religiosorum discursus.

Quid sit bigamia, & quotuplex sit bigamia, supra exposuimus verb. bigamia. Papa ergo potest dispensare totaliter in bigamiæ irregularitate, vt dicit prima conclusio, quia cum bigamo potest dispensare ad omnes ordines, maiores, & minores, & ad quascunque dignitates, vt etiā Iuristæ docent, Archi. can. lector. dist. 24. Præpos. & Gemin. in eodem can. lector. & ibidem Turrecremata, quia irregularitas bigamię est introducta de iure positiuo, superquod benè Papa potest dispensare. nec obstat auctoritas Apostoli prohibentis bigamum ordinari, quia ex hac auctoritate non licet inferre, ergo est de iure Diuino hæc bigamiæ irregularitas, quia certum est, non omnia, quæ Apostoli instituerunt, iure Diuino fuisse instituta, multa siquidem fecerunt potestate accepta, sicut, & faciunt successores eorum. verum de hoc iam supra satis diximus verb. bigamia. q. 10. quibus addimus auctoritatem D. Antonini 3. p. tit. 29. de irreg. cap. 3. Dominici Soti. 4. sent. d. 27. q. 3. a. 1. Siluestri verb. bigamia. q. 6. Tabienæ eodem verb. nu. 6. Martini Ledesmæ. 2. 4. q. 68. ar. 4. Martini Nauarri in manuali cap. 27. num. 197. Durandi. 4. sent. dist. 27. q. 4. Paludani. 4. sent. d. 27. artic. 5. & multorum aliorum. quod autem Episcopus possit dispensare in bigamiæ irregularitate quo ad minores, expresſè docet D. Thomas hoc in loco, cui contradicit Toletus lib. 1. cap. 63. num. 2. asserens, Episcopum non posse dispensare cum bigamo quoad minores ordines, immò nec quoad primam tonsuram, & hanc sententiam dicit esse Panormit. cap. super eo. de bigam. nu. 5. Præpo. & Gem. can. lector. d. 34. & pro hac sua opinione facit, vt ipse asserit, can. si quis iudicem. dist. 50. ex Concilio Marisc. vbi dicitur, si quis viduā, aut ab alio dimissam duxerit, non admittatur ad Clericatum, quod si irrepserit, deijciatur. vlterius probat hoc ex ca. vni. de biga. in 6. vbi Clerici bigami omni Clericali priuilegio nudantur, & prohibentur sub anathemate deferre habitū, & tonsuram, si ergo bigami non possunt deferre habitum, & tonsuram, ergo Episcopus non potest dispensare cum eis ad minores, nam debent deferre habitum, & tonsuram, quod prohibitum est, nec Episcopus potest prohibitioni Papali contradicere, nec eam tollere. sed facilis est responsio ad hæc omnia. primò dico non esse curandum de auctoritatibus illorum Doctorum, cui præualet auctoritas D. Thomæ, quam tanti facit Ecclesia Dei. ad can. siquis viduam. respondetur, canonem illum prohibere bigamum, ne admittatur ad Clericatum sine dispensatione, saltem Episcopi, quod patet ex verbis subsequentibus, quibus dicitur, quod si irrepserit, deijciatur, quasi velit dicere, quod si absque dispensatione, saltem Episcopi, sed fraude se ingerat in susceptione Clericatus, deijciatur. ad can. Vni. de biga. 6. respondetur, loqui de bigamis non dispensatis, isti profectò sunt nudati omni priuilegio Clericali, & sunt prohibiti deferre habitum, & tonsuram, si quis autem bigamus sit ab Episcopo dispensatus ad Clericatum, & minores Ordines, iste profectò poterit deferre habitum, & tonsuram, nec huic prohibetur sub anathema-

te

te deferre habitum, & tonsuram, quia iam dispensatus est ab Episcopo, qui in hoc casu non dicetur contradicere prohibitioni Papali, nec eum tollere, quia Papa prohibet solum deferre habitum, & tonsuram bigamo non dispensato per ipsum, vel Episcopum, non autem hæc prohibitio se extendit ad bigamum per Episcopum dispensatum. subiungit D. Thomas, posse Episcopum dispensare etiam quo ad maiores in illis, qui volunt Deo seruire in aliqua Religione, quasi velit dicere, quod regulariter loquendo Episcopus non potest dispensare cum bigamo quo ad maiores ordines, vt etiam docet Hostiensis in summa de bigami. Præpos. Gem. can. lector. d. 54. & Panorm. cap. super eodem. de bigam. nu. 5. & satis probatur per c. super eo. & c. nuper. de bigam. ampliat Toletus lib. 1. cap. 63. nu. 2. hanc doctrinam dicens, Episcopum non posse dipensare, vt in susceptis maioribus Clerici ministrent, vt cõstat ex c. super eo. in casu tamen in littera allato potest secundum aliquos Episcopus dispensare cum bigamis quo ad maiores, & rationabiliter hoc dicitur, vt facilitetur ingressus in Religionem.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 19. p. 3. Henriquez lib. 2. de Sacram. Matrimo. cap. 6. §. 11. & lib. 14. de irreg. cap. 1. §. 3. & cap. 4 §. 1. & alij.

Quæritur, quomodo intelligatur Decretalis de Bigamia, qua dicitur cum Clericis, qui inquantùm in ipsis fuit, secundas mulieres sibi conuinxerunt matrimonialiter, tanqaàm cum Bigamis non licet dispensare.

6 Respondeo dicendum, quòd ostenditur eadem esse difficultas dispensandi in illis, qui de facto cum pluribus contraxerunt, ac si de iure contraxissent, non quòd subtrahatur simpliciter potestas Papæ in talibus 4. sent. d. 27. q. 3. a. 3. ad 1.

Per decretalem de bigamia, cum Clericis &c. ostendi tantum, quod eadem est difficultas dispensandi in illis, qui de facto cum pluribus contraxerunt, ac si de iure contraxissent, non autem quod subtrahatur simpliciter potestas Papæ in talibus, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Non immor circa hoc quæsitum, cum nil mihi occurrat scribendum.

Quæritur, in quo casu inferior possit dispensare in præcepto superioris.

7 Respondeo dicendum, quòd inferior potest dispensare in præcepto superioris, quando dispensatio sibi à superiore relinquitur. 4. sent. d. 15. q. 3. art. 2. quæstiunc. 1. ad 3.

Inferiorem posse dispensare in præcepto superioris, quando dispensatio sibi à superiore relinquitur, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ex hac doctrina habemus inferiorem nõ posse, regulariter loquendo, dispensare in præcepto, & lege superioris, licet in ea dispensare possit, quando dispensatio sibi à superiore relinquitur. ratio primi dicti est, quia inferior non habet potestatem supra superiorem, sed potius potestas inferioris dependet à superiore. ratio secundi dicti est, quia ex hoc quod sibi à superiore relinquitur dispensatio, vices superioris gerit, & cõsequenter potest quod superior potest. ex primo dicto habemus, Magistratum inferiorem, per se loquendo, non posse dispensare in lege communi, nec Episcopum posse dispensare in lege Papæ, immò nec in statutis Concilij Prouincialis, quãdo dispensatio fuit reseruata, quia Episcopi sunt inferiores Concilio Prouinciali, sed tunc dispensatio debet obtineri à Papa, vel à Concilio Generali, vel Prouinciali iterum congregato, vel saltem ab eo, cui dispensandi facultas data est in Concilio Prouinciali, vel Generali, vel à Sede Apostolica; immò nec Archiepiscopus potest dispensare in statutis Concilij Prouincialis, quando illarum dispensatio fuit reseruata, excepto casu aliquo, puta necessitatis, vt quando Synodus non est congregata, vel non patet recursus ad Sedem Apostolicam, quia Archiepiscopus nõ est superior toti Concilio, sed est caput Concilij, & ipsius est membrum, vt docet Nauarrus lib. 1. consiliorum tit. 31. de officio Iudicis ordinarij, cons. 7. num. 3. & 4. vbi etiam docet, posse à Synodo Prouinciali excomunicari, & dari posse apellationem ab Archiepiscopo ad Synodum Prouincialem. si vero dispensatio non est reseruata, sicut regulariter non solet reseruari, tunc præsumitur data facultas Episcopo dispensandi pro sua diocæsi, & sic etiam Archiepiscopus poterit dispensare in sua diocæsi, non autem in diocæsibus suorum suffraganeorum, nisi aliter constet de mente Concilij. sequitur vlterius, statutum inferioris confirmatum à superiore non posse ab inferiori abrogari, & in eo dispensari independenter à superiore, si confirmatio fuit essentialis, quia tunc inferior videretur dispensare in lege superioris, secus autem, si confirmatio fuit tantummodo accidentalis. pro quorum explicatione obserua, quod Confirmatio essentialis est, quando quis condit legem, ad quam condendam non habet potestatem sine confirmatione superioris, vel quando superior robur intendit addere legi, illamq; propriam facere, tunc enim lex censetur lata à superiore. Confirmatio autẽ accidentalis est, quando conditor legis habet quidem potestatem ad illam ferendam, sed ad maiorem legis auctoritatem petit confirmationem à superiore, vt nemo audeat reprobare. inconcussa ergo relinquitur hæc doctrina, quod inferior regulariter non potest dispensare in lege superioris; poterit tamen, si dispensatio sibi relinquatur, vel committatur à superiore, vel expressè, vel interpretatiuè, vt ait Bartolomeus

Medina. p.2.q.97.a.4. qui astruit, hoc esse diffinitum in lege. 1. C. de legibus. obserua tamen, quod inferior potest dispensare in lege superioris in aliquibus casibus, primò ex consuetudine, quæ optima est legum interpres, vt ex Caietano. p. 2. q.97.a.4. & ex Siluestro verb. dispensatio. q. nona habemus. qua ratione Episcopi possunt dispésare in omnibus votis simplicibus, exceptis votis Religionis, Castitatis perpetuæ, & Peregrinationis Hierosolimitanæ, Sancti Petri Romæ, S. Iacobi, quibus Nauarrus com. 1. de regul. num. 21. addit etiam votum peregrinationis ad Sacram Lauretanam ædem; sed hoc vsu esse receptum, negant alij. nota tamen cum Victoria, ista quinq; vota tunc reseruari Papæ, cum absoluta sunt, cum vero conditionata, vel pœnalia, pertinent ad Episcopum. secundò in casibus leuibus, in quibus recurrere ad Papam esset prorsus intolerabile, vt jam ex eodem Caietano vbi supra, diximus. tertiò in legibus statutis in commodum particularis oppidi, vt in loco citato asserit Bartolomeus Medina, vt lex datur, ne vinum venale aliunde vehatur, prætor potest in hac lege dispésare, maximè cósentiente populo, populus.n. potest cædere iuri suo. quartò in casibus, qui frequentissimè accidunt, vt supra cum Caietano diximus de ieiunio, cuius dispensationis casus frequenter accidunt, & recurrere ad Papam est intolerabile, tunc Episcopus poterit in his casibus dispensare. quintò potest Episcopus dispensare ratione magnæ necessitatis, vel vtilitatis nouiter emergentis, & tempore constitutionis inexcogitatæ verisimiliter, vt notat Siluester verb. dispensatio. q. nona, qui alios etiã citat Doctores. sextò quando canon dicit, posse fieri dispensationem, licet aliter expresè non indulgeat, tunc Episcopus potest, quia, vt benè notat Siluester loco citato, frustatoriè intelligeretur de Papa, qui semper potest indulgere. Quæret aliquis, an Episcopus possit dispensare in lege superioris, quãdo dubitatur, an res egeat dispensatione. cui respondebitur, Episcopum in hoc casu posse duo, quorum primum est, quod potest declarare, rem egere vel non egere dispensatione, & postquam declaratum fuerit, quod egeat dispensatione, tunc recurrendum erit ad superiorem pro dispensatione. secundum est, quod si res est in dubio æquali ex vtraque parte, puta quod egeat, vel quod non egeat dispensatione, nec magis inclinetur in vnam partẽ, potest Episcopus dispensare ad cautelam, licet tunc verè non opus sit dispensatione, potior enim est conditio possidentis. ratio huius est, quia Episcopus potest dispensare in casibus frequenter occurrentibus, frequenter autem contingit dubitare de necessitate dispensationis: si autem dubium non sit æquale ex vtraq; parte, sed magis inclinetur ad partem affirmatiuam, tunc recurrendum est ad superiorem pro dispensatione, ne nos exponamus periculo delinquendi contra legem superioris, & quia in partem affirmatiuam magis deflectimus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Sanchez lib.8.disp.17. num. 36. Salas de legibus disp. 8. & c. 9. num. 48.

Quæritur, an Deus possit dispensare, quod homo non subdatur ordini suæ Iustitiæ &c.

8 Respondeo dicendum, quòd Deus negaret se ipsum, si ordinem suæ Iustitiæ aufferret, cum ipse sit ipsa sua iustitia; & ideò in hoc Deus dispensare non potest, vt homini liceat non ordinatè se habere ad Deum, vel non subdi ordini iustitiæ eius, etiã in his, secundùm quæ homines ad inuicem ordinantur. p.2.q.100.a.8. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. In hoc Deus dispensare non potest, vt homini liceat non ordinatè se habere ad Deum, vel non subdi ordini iustitiæ eius, etiã in his, secundũ quę homines ad inuicem ordinãtur. probatur, quia Deus negaret se ipsum, si ordinẽ suæ iustitiæ aufferret, cũ ipse sit sua iustitia.

Ratio D. Thomæ fundatur super illo dicto D. Pauli secundæ ad Timoth. 2. Deus fidelis permanet, negare se ipsum non potest.

Quæritur, quomodo Deus iusserit Abrahæ occisionem filij; Iudæis vt surriperent bona ægiptiorum; & Oseæ vt sumeret fornicariam.

9 Respondeo dicendum, quòd occisio hominis prohibetur in Decalogo, secundũ quòd habet rationem indebiti, sic enim præceptum continet ipsam rationem iustitiæ; lex autem humana hoc concedere nõ potest, quod licitè homo indebitè occidatur; sed malefactores occidi, vel hostes Reipublicæ hoc non est indebitum; vnde hoc non contrariatur pæcepto Decalogi, nec talis occisio est homicidium, quod præcepto Decalogi prohibetur, vt Aug. dicit in 1. de libero arbitrio; & similiter si alicui aufferatur, quod suum erat, si debitum est, quod ipsum amittat, hoc non est furtum, vel rapina, quæ præcepto Decalogi prohibetur: & ideò quando filij Israel prȩcepto Dei tulerunt ægiptiorum spolia nõ fuit furtum, quia hoc eis debebatur ex sententia Dei. Similiter, & Abraham cum consensit occidere filium, non consensit in homicidium, quia debitum erat, eum occidi per mandatum Dei, qui est Dominus vitæ, & mortis, ipse enim est, qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus, iustis, & iniustis peccato primi parentis, cuius sententiæ si homo sit executor auctoritate Diuina, non erit homicida, sicut

nec

nec Deus; & similiter etiam Oseę accedens ad vxorem fornicariam, vel mulierē adulterum non est mæchatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam, quæ sua erat secundum mandatum Diuinum, qui est auctor institutionis matrimonij: sic igitur præcepta ipsa Decalogi quantùm ad rationem iustitiæ, quam cōtinent, immutabilia sunt, sed quantum ad aliquam determinationem per applicationē ad singulares actus, vt scilicet hoc, vel illud sit homicidium, furtum, vel adulterium, aut non, hoc quidem, est mutabile, quandoque sola auctoritate Diuina, in his scilicet, quæ à solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio, & in alijs huiusmodi; quandoque etiā auctoritare humana, sicut in his, quæ sunt commissa hominum iurisdictioni, quantùm enim ad hoc homines gerunt vicem Dei, non autem quantum ad omnia. p. 2. q. 100. a. 8. ad 3.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Abraham, cum consensit occidere filium, non consensit in homicidium. probatur, quia debitum erat eum occidi per mandatum Dei, qui est Dominus vitæ, & mortis, ipse enim est, qui pænam mortis infligit hominibus omnibus, iustis, & iniustis peccato primi Parentis, cuius sententiæ si homo sit executor auctoritate Diuina, non erit homicida, sicut nec Deus. secunda conclusio. quando filij Israel præcepto Dei tulerunt ægiptiorum spolia, non fuit furtum. probatur, quia hoc eis debebatur ex sententia Dei. tertia conclusio. Oseæ accedens ad vxorem fornicariam, vel mulierem adulteram non est mæchatus, nec fornicatus. probatur, quia accessit ad eam, quę sua erat secūdum mandatum Diuinum, qui est auctor institutionis Matrimonij. ex his elicit corrolarium tale. præcepta ipsa decalogi quantum ad rationem iustitiæ, quam continent, immutabilia sunt, sed quantum ad aliquā determinationē per applicationem ad singulares actus, vt scilicet hoc, vel illud sit homicidium, furtum, vel adulterium, aut non, hoc quidem est mutabile, quandoq; sola auctoritate Diuina, in his scilicet, quæ à solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio, & in alijs huiusmodi; quandoque etiam auctoritate humana, sicut in his, quæ sunt commissa hominum iurisdictioni. probatur hæc vltima pars, quia quātum ad hoc homines gerunt vicem Dei, non autē quantum ad omnia.

Conclusiones huius quæsiti iam supra sunt expositæ, quibus addo pro explicatione primæ cōclusionis, quod homicidium formaliter est occisio hominis indebita, & iniusta, & hæc prohibetur præcepto decalogi quinto, vnde si latro suspendatur in patibulo, non erit eius mors homicidiū, quia est debita, iusta; nec hæc prohibetur illo præcepto decalogi quinto; ita dicendum est, quod si Abraham occidisset ex mandato Dei filium suum Isaac, talis occisio hominis non fuisset homicidium, quia debita erat ex mandato Dei, qui est vitæ, & mortis Dominus, nec Abraham fuisset homicida, sicut nec Deus, cuius sententiæ fuisset executor Abraham. similiter dicēdum est circa secundam conclusionem, quod ablatio spoliorum ægiptiorum facta à filijs Israel non fuit furtum, cum fuerit facta mandato Dei, qui est omnium rerum dominus furtum enim importat indebitam, & iniustam ablationem rerū, sicut nec furari diceretur ille, qui ex mandato Domini rem apud alium detentam acciperet: similiter dicitur in casu tertiæ conclusionis, quod Oseæ non fuit fornicatus, nec mæchatus accedēs ad mulierem fornicariam, vel adulteram, quia fornicatio est accessus indebitus ad mulierem solutam, & adulterium est accessus ad mulierem copulatam matrimonio, Oseæ autem accessit ad eam, quæ sua erat secundum mandatum domini, qui est auctor institutionis Matrimonij, accessit enim ad eam affectu vxorio, tanquam ad vxorē sibi datam à Domino; & licet in primo cap. Oseæ legatur, sume sibi vxorem fornicariam, & fac filios fornicationum, non est tamen sensus, quod ex fornicatione susciperet filios, sed sensus est, vt habemus ex textu hebreo, quod simul cum muliere fornicaria, quam in vxorem susceperat, acciperet etiam eius filios ex fornicatione genitos, & eos sibi adoptaret in filios, filij tamen, quos ex ea suscepisset, postquam sibi eam in vxorem coniunxerat, erant legitimi. circa huiusmodi casus legatur Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure. q. 3. a. 8. ad finem. & 4. sent. d. 33. q. 2. art. 1.

De dispensatione votorum, & iuramentorum. Cap. IV.

1 *In dispensatione, & commutatione votorum requiritur auctoritas Prælati.*
Dispensatio votorum debet fieri in honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ.
§ *Dispensatio non conuertatur in dissipationem.*
Dispensatio omninò auffert votum.
Quando dispensatio fit ad honorem Dei.
Bonum, quod est causa dispensandi, debet esse maius non solum bono, quod erat materia voti, sed etiam bono, quod erat votum ipsum, quod est actus latriæ.
2 *Potest dispensari in voto temporalis continentiæ, sicut in alijs votis temporalibus.*
Non potest dispensari in voto cōtinentiæ solemnizato per professionem.
§ *Episcopus dispensat in voto tēporalis continentiæ.*
Papa dispensat in voto perpetuæ continentiæ.
3 *Religiosus factus Episcopus non dispensatur à voto castitatis, nec paupertatis, nec obedientiæ.*
§ *Tenetur Religiosus factus Episcopus obseruare regulares obseruantias, quæ non impediunt Pontificale offitium; secus autem, si impediunt.*

Tene-

Tenetur Religiosus factus Episcopus portare habitum suæ Religionis, qui est obligationis signũ.
Religiosus factus Episcopus tenetur obedire Papæ, & Archiepiscopo in his, in quibus subditur.
Religiosus factus Episcopus non relinquit, sed mutat votum.
Qui Religiosi Episcopi, & Cardinales sint laudandi.
In Religiosis Episcopis remanet votum obedientiæ virtualiter, & quomodo.
Ecclesia potest dispensare super continentia Episcopos assumptos ex sæculo, non autem Episcopos Religiosos, & quare.
Reijcitur Sotus putans Religiosum Episcopum habere dominium bonorum Ecclesiasticorum; & quo ad bona sæcularia inquiens esse illi aliquo modo mutatum votum paupertatis.
4 *In dispensatione debet esse causa.*
Peccat Prælatus dispensans sine causa.
Non potest quis sui ipsius iudicio stare, sed Prælati in cognoscenda causa.
In quibus casibus possit quis stare iudicio proprio.
§ *Dispensans sine causa in votis peccat mortaliter, & quare.*
Dispensans sine causa in his, quæ sunt merè iuris positiui, & minima, peccat venialiter.
Si sit dispensatio in re graui, peccat dispensans mortaliter.
5 *Papa potest dispensare in omnibus votis dispensabilibus.*
Prælati inferiores in quibus votis dispẽsare possint.
Votum continentiæ, & peregrinationis terræ Sanctæ reseruantur Papæ.
§ *Papa non potest dispensare in votis solemnizatis per professionem.*
Prælati Religionum possunt dispensare in votis, in quibus potest dispensare Episcopus, & quare.
Votum continentiæ perpetuæ simplex reseruatur Papæ.
Papa potest dispensare in voto continentiæ solemnizato per susceptionẽ Ordinis sacri, & quare.
Episcopus potest dispensare in voto temporalis continentiæ.
Papæ reseruantur vota peregrinationis S. Iacobi Compostellæ, S. Petri Romæ.
Votum Religionis reseruatur Papæ.
Vota supradicta sunt reseruata Papæ, cum sunt absoluta.
Quando sunt condicionata, vel pœnalia, dispensãtur ab Episcopo ex Victoria.

Quæritur, an dispensatio votorum debeat esse in honorem Dei, vel vtilitatem Ecclesiæ.

1 Respondeo dicendum, quòd Prælatus in Ecclesia gerit vicem Dei; & ideò in commutatione, vel dispensatione votorũ requiritur Prælati auctoritas, quæ in persona Dei determinat quid sit Deo acceptum secundùm illud secundæ ad Corinthios 2. nam, & ego quæ donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi, & signanter dicit, propter vos, quia omnis dispensatio petita à Prælato debet fieri ad honorem Christi, in cuius persona despensat, vel ad vtilitatem Ecclesiæ, quæ est eius corpus. 2. 2. q. 88. a. 12. in corp.

Conclusione duplici respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. in dispensatione votorum requiritur Prælati auctoritas, qui in persona Dei determinat, quid sit Deo acceptum, probatur, quia Prælatus in Ecclesia gerit vicem Dei secundum illud Pauli. 2. ad Corinth. 2. nam & ego quæ donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi. secunda conclusio: omnis dispensatio petita à Prælato debet fieri ad honorẽ Christi, in cuius persona dispensat; vel ad vtilitatem Ecclesiæ, quæ est eius corpus.

Circa secundam conclusionem, in qua recensentur causæ dispensandi in votis, scilicet honor Christi, vel vtilitas Ecclesiæ, nota ex Caietano hoc in loco, ne dispensatio conuertatur in dissipationẽ, quod quia dispensatio omninò aufert votum, nempe & quo ad materiam, & quo ad vinculum, ideò oportet causam obstantem executioni voti interuenire, adhoc vt licitè decernatur votum non esse seruandum, alioquin non dispensatio, sed dissipatio esset. quando autem concurrit causa obstans, quæ facit, vt executio voti sit impeditiua maioris boni, tunc profectò dispensatio esset ad honorem maiorem Christi, quia facere maius bonum est magis honorare Deum. hic tamen rursus aduerte ex eodem Caietano, quod bonum, quod est causa dispensandi, debet esse maius non solum bono, quod erat materia voti, sed etiam bono, quod erat ipsum votum, quod est actus latriæ, quia vtrumq; cessat per dispensationem, scilicet votum, & materia.

Quæritur, an in voto temporalis continentiæ possit fieri dispensatio.

2 Respondeo dicendũ, quòd in voto temporalis continentiæ dispensari potest, sicut & in voto temporalis orationis, vel temporalis abstinentiæ; sed quòd in voto continentię per professionem solemnizato nõ possit dispensari, hoc non est inquantum actus castitatis, sed inquatum incipit ad latriam pertinere per professionem Religionis. 2.2.q.88.a.11. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. In voto temporalis continentiæ dispensari potest, sicut & in voto temporalis orationis, vel temporalis abstinentiæ. secunda conclusio. quod in voto continentiæ per professionem solemnizato non possit dispensari, hoc non est inquantum actus castitatis, sed inquantum incipit ad latriam pertinere per professionem Religionis.

Profectò in voto temporalis continentiæ potest dispensari, & talis dispensatio pertinet ad Epi-

Episcopum, sicut dispensatio voti simplicis continentiæ perpetuæ pertinet ad Papam. quod autem in voto solemnizato per professionem non possit dispensari à quocunque, diffusè explicabitur in verb. votum cap. 8. q. 3.

Quæritur, an Religiosus factus Episcopus dispensentur in votis Religionis.

3 Respondeo dicendum, quòd Religiosus, qui fit Episcopus sicut non absoluitur à voto continentiæ, ita nec à voto paupertatis, quia nihil debet habere tanquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiæ, similiter etiam non absoluitur à voto obedientiæ, sed per accidens obedire non tenetur, si superiorem non habeat, sicut nec Abbas monasterij, qui tamen non est obedientiæ voto absolutus. 2.2.q.88.a. 11. ad 4. (4. sent. d. 38.q.1.a.4. quæstiunc.1. ad 5.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Religiosus, qui fit Episcopus sicut non absoluitur à voto continentiæ, ita nec à voto paupertatis. probatur, quia nihil debet habere tanquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiæ. secunda conclusio. Religiosus factus Episcopus non absoluitur à voto Obedientiæ, sed per accidens obedire non tenetur, si superiorem non habeat. probatur à simili de Abbate Monasterij, qui tamen non est obedientiæ voto absolutus.

Pro explicatione huius litteræ nota ex D. Thoma. 2.2.q. 185. art. 8. in corp. quod si quæ sunt in regularibus obseruantijs, quæ non impediant Pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, ad hæc remanet Religiosus, etiam factus Episcopus, obligatus: si quæ verò sunt in obseruantijs regularibus, quæ officio Pótificali repugnant, sicut est solitudo, silentium, & aliquæ abstinentiæ, vel vigiliæ graues, ex quibus corpore impotens redderetur ad exequendum Pontificale officium, ad huiusmodi obseruanda non tenetur; obseruantia autem votorum est de numero eorum quæ Pontificale officium non impediunt, sed magis valet ad perfectionis Custodiam, hinc est, quod Religiosus factus Episcopus ad huiusmodi obseruantiam votorum tenebitur, sicut tenetur ad portandum habitum suæ Religionis, qui est obligationis signum, verum hęc magis explicabuntur infra verb. Episcopus cap. 2. q. nona. tenebitur ergo Religiosus factus Episcopus ad obseruantiam trium votorum, nempe Cõtinentiæ, Paupertatis, & Obedientiæ. Circa votum Obedientiæ dicendum est teneri obedire Papæ, & Archiepiscopo in his, in quibus illi subditur, vnde rectè dicebat Dominicus Sotus lib. 10. de iustitia, & iure. q. 5. ar. 7. quod Religiosus factus Episcopus non relinquit obedientiam, sed mutat, vt qui Præfecto Religionis obediebat, deinde obtemperet Papæ. non tenetur tamen obedire Prælatis, etiàm supremis suæ Religionis, quia extra Religionem est. Laudandi tamé sunt illi Religiosi, qui ad Episcopalem euecti dignitatem, immò ad Cardinalatum, suæ Religionis, de qua assumpti sunt, caput in quibusdã occasionibus recognoscunt. si postea superiorem non habeant, sicut si ad supremum Ecclesiæ regimen veherentur, tunc per accidens est, quod actu non obediant, sicut per accidens est, quod Abbas monasterij non obediat, quia ille superior est in monasterio, & per accidens est, quod Generalis magister, qui est caput totius Religionis, non obediat, qui tamen a voto non eximuntur obedientiæ, in cuius signum Generalis, qui soli Papæ est subiectus, illi obedire tenetur. subiungo cum S. Thoma. 2.2.q. 185. ar. 8. ad 3. quod in Religiosis Episcopis remanet obligatio voti obedientiæ virtualiter, ita scilicet quod si eis legitimè aliquis præficiatur, obedire tenentur.

Circa continentiam profectò dicendum est, quod Religiosus factus Episcopus illi manet adstrictus non solum Sacerdotum lege, verum & Religionis, quare licet cum alijs Episcopis, qui de sæculo assumpti sunt, dispensare Ecclesia posset super continentia, non tamen cum Episcopis Religiosis, vt ait Dominicus Sotus loco citato. idem dic de voto paupertatis, nempe quod Religiosus factus Episcopus non absoluitur ab eo, quia licet multas possideat facultates ratione Episcopatus, attamé non debet eas habere tanquam proprias, nec se habere dominium super eas puret, sed se dispensatoré cõmunium bonorũ Ecclesiæ existimare debet, vt ait D. Thomas in littera, nec in hoc dispensatur cum eo. Dominicus Sotus lib. 10. de iustitia, & iure. quæ. 5. a. 7. docet D. Thomam simpliciter asserere, quod Religiosus factus Episcopus non absoluitur à paupertatis voto, quia semper habuit occulum ad illud tempus, quo Clerici in communi viuebant, ipse enim Sotus postquam distinxit duplex genus bonorum, scilicet Ecclesiasticorum, vt portio, quæ sibi obuenit ex bonis Ecclesiasticis; & sæcularium, vt est hæreditas paterna, ait, quod Religiosus factus Episcopus habet dominium bonorum Ecclesiasticorũ, sicut reliqui Episcopi ex sæculo assumpti: & quantum ad bona sæcularia ait esse illi aliquo modo mutatum votum paupertatis. primum suũ dictum probat tali ratione, reliqui Episcopi ex sæculari Clero assumpti post factam portionum diuisionem dominium habẽt suæ, Episcopis autẽ ex Religionibus euocatis eadem prorsus ratione, & modo adiudicatur sua portio, sicut & alijs, qui ex reliquo Clero eligũtur, ergo perinde eiusdem portionis dominium habent, atque reliqui; idque videtur confirmare auctoritate D. Thomę 2.2.q. 185. a. 6. secũdum suum dictum probat ex can. statutum. 18. q. 1. vbi Monacus, qui in Monacatu hæres paternus esse non poterat, idoneus declaratur eidem adeundæ hæreditati, qua vtiq; potest superstite vita perfrui, & in causam adducitur, quod ipsum electio canonica à iugo regulæ monasticæ Religionis absoluit, & sacra ordinatio

nario de Monaco Episcopum fecit; hoc cõfirmat ex vsu, quem vocat receptissimum, qui vsus habet, quod Papa cum Episcopis Monachis nõnunquam dispensat, vt sæcularia bona emant, quæ postea, quibus volunt, relinquant. sed doctrina D. Thomæ constans est, nempe Religiosum Episcopum non absolui à voto paupertatis tam respectu bonorum Ecclesiasticorum, quam sæcularium, quia tale votum fuit solemnizatũ per professionem, & sicut debitum continentiæ essentiale est statui Religionis, & Papa non potest facere, quod ille, qui est professus Religionem, non sit Religiosus; vt benè ait D. Thomas. 2. 2. q. 88. a. 11. in corp. & consequenter tale votum est indispensabile, vt suo loco verb. votum cap. 8. q. 3. explicabimus, ita votum paupertatis est solemnizatum in Religioso per professionem, & debitum paupertatis est essentiale statui Religionis, & consequenter tale votum reddetur indispensabile. quod habetur extra, de statu Monac. in fin. decretalis illius, cũ ad monasterium. vbi dicitur, abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeò annexa est Regulæ monacali vt contra eam nec Summus Põtifex possit indulgere. vnde duo dicta Soti sunt falsa, & ad rationem eius primi dicti allatam, cui dicit, se nescire respondere, dicitur, quod Episcopi è seculo assumpti vtique habent dominium suæ portionis, quia paupertatis voto non sunt adstricti, sed ab eo sunt liberi, non sic autem est de Episcopis Religiosis, qui voto solemnizato per professionem, quod est indispensabile, obligantur ad paupertatem seruandam, nec alicubi docuit oppositum D. Thomas. ad rationem etiam in fauorẽ secundi dicti allatam respondetur, quod Religiosus Episcopus vtique est idoneus ad habendã hæreditatem paternam, & ea potest perfrui, quoad vixerit, non tamen eam potest possidere tanquam proprium quoddam, nec ea perfrui, vt propria, & tanquam dominium habens super eã, sed tantum vt dispensator; quod disertis, & expressis verbis docuit D. Thomas. 2. 2. q. 185. art. 8. ad 3. vbi ait loquens de Religiosis Episcopis, proprium nullo modo habere possunt, non enim paternam hæreditatem vendicant quasi propriã, sed quasi Ecclesiæ debitam, vnde in decreto dicitur, postquam Episcopus ordinatur ad Altare, ad quod sanctificatur, qđ acquirere potuit, restituat. & ad rationẽ canonis respõdet D. Thomas 2. 2. q. 185. a. 8. ad 1 quod ille, qui fit de Monaco Episcopus absoluitur à iugo Monasticæ professionis non quantum ad omnia, sed quantum ad illa, quæ officio Pontificali repugnant. ad confirmationem dicitur cum S. Thoma. 2. 2. q. 185. a. 8. ad 3. vbi ait loquens de Religioso Episcopo, testamentum nullo modo facere potest, quia sola ei dispensatio committitur rerum Ecclesiasticarum, quæ finitur morte, ex qua incipit testamentum valere, vt Apostolus dicit ad heb. 9. si tamen ex concessione Papæ testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum, sed Apostolica auctoritate intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, vt eius dispensatio possit valere post mortem. quid clarius his verbis?

Quæritur, an Prælatus dispensans sine causa peccet.

4 Respondeo dicendum, quòd quidam dixerunt, quod ideò Prælati possunt in votis pro libito dispensare, quia in quolibet voto includitur conditionaliter voluntas Prælati superioris, sicut in voluntate subditorum, puta serui, vel filij intelligitur conditio, si placuerit Patri, vel Domino, vel si non renitantur: & sic subditus absque omni remorsu conscientiæ posset votum prætermittere, quandocunque sibi à Prælato diceretur: sed prædicta positio falsò innititur, quia cum Potestas Prælati spiritualis, qui non est Dominus, sed dispensator, in ædificationem sit data, & non destructionem, vt patet secundæ ad Corinth. 10. sicut Prælatus non potest imperare ea, quæ secundùm se Deo displicent, scilicet peccata, ita non potest prohibere ea, quæ secundùm se Deo placent, scilicet virtutis opera; & ideò absolutè potest homo vouere ea: ad Prælatum tamen pertinet dijudicare, quid sit magis virtuosum, & Deo magis acceptum; & ideò in manifestis dispensatio Prælati non excusaret à culpa, puta si Prælatus dispensaret cum aliquo super voto de ingressu Religionis nulla apparenti causa obstante: si autem esset causa apparens, per quam saltem in dubium verteretur, posset stare iudicio Prælati dispensantis, vel commutantis, non tamen iudicio proprio; quia ipse non gerit vicem Dei, nisi fortè in casu, in quo id, quod vouit, esset manifestè illicitum, & non posset opportunè ad superiorem recurrere. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 2.

Duo facit D. Thomas hoc in loco, primò adducit opinionem, & rationem opinionis quorundam, quam etiam confutat. secundò respondet quæsito triplici conclusione; quoad primum quidam dicebant, quod ideò Prælati possunt in votis pro libito dispensare, quia in quolibet voto includitur conditionaliter voluntas Prælati Superioris, sicut in voluntate subditorum, puta serui, vel filij intelligitur cõdicio, si placuerit Patri, vel Domino, vel si non renitantur, & sic subditus absque omni remorsu conscientiæ posset votum prætermittere, quandocunque sibi à Prælato diceretur. confutatur, quia cum potestas Prælati spiritualis. qui non est dominus, sed dispensator, in ædificationem sit data, & non in destructionẽ,

vt

vt patet ex D. Paulo. 2. ad Corinth. 10. adeò sicut Prælatus non potest imperare ea, quæ secundum se Deo displicent, scilicet peccata, ita non potest prohibere ea, quæ secundum se Deo placent, scilicet Virtutis opera, ideò absolutè potest homo vouere ea. quo ad secundum est prima conclusio. in manifestis dispensatio Prælati non excusaret à culpa, si fieret nulla apparenti causa obstante. hæc patet ex se, & explicatur exemplo de Prælato dispensante cum aliquo super voto de ingressu Religionis nulla apparenti causa obstante. secunda conclusio. si esset causa apparés, per quam saltem in dubium verteretur, posset stare iuditio Prælati dispensantis, vel commutantis. probatur, quia ad Prælatum pertinet diiudicare, quid sit magis virtuosum, & Deo magis acceptum. tertia conclusio. non potest stare iuditio proprio, nisi fortè in casu, in quo id, quod vouit, esset manifestè illicitum, & non posset opportunè ad superiorem recurrere. probatur prima pars, quia ipse non gerit vicem Dei.

Cum hic agatur de dispensatione voti, tractatur de his, quæ à iure Diuino pendét, & ex iure Diuino obligant, & circa hæc dispensatio facta sine causa nulla est, nec tutus in conscientia est quo ad Deum, qui dispensatur in istis sine rationabili causa, etiam à Papa motu proprio, certa scientia, & de plenitudine potestatis, quia Papa non habet potestatem in destructionem, sed in ædificationem corporis Christi, vt supra diximus, & egregiè tradit Caietanus in summula verb. dispensatio, & docet Dominicus Sotus lib. 1. de iustitia, & iure. q. 7. a. 3. in fine. & talis dispensans absq; rationabili causa peccat mortaliter, quia actus est voluntarius dissonus rationi rectæ. Difficultas tamen est, an dispensatio facta absq; rationabili causa in his, quæ sunt meri iuris positiui, teneat, & an sit peccatum. Dominicus Sotus loco citato docet, quod tenet, & secluso scandalo non est culpa forsan peior, quam venialis, quia quæ sunt meri iuris positiui, à Papæ arbitrio prorsus pendent. sed dicendum est cum Caietano in summmula verb. dispensare, ꝙ etiam dispensans in lege positiua absq; rationabili causa peccat, quia actus est voluntarius dissonus rationi rectæ, & dispensans in paruis peccabit venialiter, in notabilibus autem, si interuenit aliquid contra Diuina præcepta, seu bonos mores, peccabit mortaliter, secus autem, non. vt si absq; rationabili causa quis dispenset, vt vnus possideat multa Ecclesiastica beneficia cum excessiuis prouentibus, peccaret mortaliter, quia contra ius naturale faceret, dum communia bona, qualia sunt beneficia Ecclesiastica, ita iniquè distribuit, vt vnus ebrius sit, & infiniti esuriát: similiter si quis dispensaret, vt vnus habeat multas Ecclesias, & patet, aut creditur, vel dubitatur probabiliter inde prouenire, quod Ecclesiæ priuantur debitis curis animarum, peccaret mortaliter, quia contra ius Diuinum est, vt priuetur Ecclesia debita cura animarum. non est ergo difficultas de his, quæ ex Diuino iure obligant, vt est votum, & iuramentum. ad rationem Soti respondetur, quod licet ea, quæ sunt meri iuris positiui, à Papæ arbitrio prorsus pendeant, quia tamen data est ei potestas super ea in ædificationem, non in destructionem, ideò in illis etiã non potest dispensare absque rationabili causa, vnde nec sic dispensatus est tutus in conscientia quo ad Deum. Causas, per quas potest fieri dispensatio, explicauimus supra, & recensentur in Decret. 1. q. 7. per totum, & sunt tempus, vtilitas, persona, qualitas, & vt in summa cunctas complectar, dispensatio fieri non debet, nisi in commune bonum cadat, pro quo lex omnis constituitur.

Quæritur, in quibus votis possit dispensare Papa, & inferiores Prælati.

5 Respondeo dicendum, quòd quia Summus Pontifex gerit plenariè vicem Christi in tota Ecclesia, ipse habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis: alijs autem inferioribus Prælatis committitur dispensatio in votis, quæ communiter fiunt, & indigent frequenti dispensatione, vt habeant de facili homines, ad quem recurrant, sicut sunt vota peregrinationum, & ieiuniorum, & aliorum huiusmodi; vota verò maiora, puta cõtinentiæ, & peregrinationis terræ Sanctę reseruantur Summo Pontifici. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 3. (4. sent. d. 38. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Summus Pontifex habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis. probatur, quia ipse gerit plenariè vicem Christi in tota Ecclesia. secunda conclusio. alijs inferioribus Prælatis committitur dispensatio in votis, quæ communiter fiunt, & indigent frequenti dispensatione, sicut sunt vota peregrinationum, & ieiuniorum, & aliorum huiusmodi. probatur, vt habeant de facili homines, ad quem recurrant. tertia conclusio. vota maiora, puta continentiæ & peregrinationis terræ Sanctæ reseruantur Summo Pontifici.

Circa primam conclusionem nota, quod ait, Papam posse dispensare in omnibus votis dispẽsabilibus, quia non omnia vota sunt dispensabilia, vt sunt vota solemnizata per professionem, in his enim Papa non potest dispensare, vt suo loco dicetur. circa secundam conclusionem obserua, quod Episcopi possunt dispensare in omnibus votis, quæ communiter fiunt, vt peregrinationũ, aliarum tamen ab infra recitandis, ieiuniorum, orationum, abstinentiarum, eleemosinarum, cõtinẽtiæ tẽporalis, & huiusmodi: similiter Prælati Religiosorũ, quia habent auctoritatem quasi Episcopalẽ, possunt in talibus, in quib' possũt Episcopi, dispensare circa suos subditos. Circa tertiam con-

conclusionem aduerte, quod quando dicitur, Summo Pontifici reseruari votum continentiæ, intelligitur de voto simplici continentiæ perpetuæ, sed non solemnizatæ per professionem, hęc enim illi non reseruatur, quia continentia est essentialis statui Religionis; & de voto etiam perpetuo continentiæ solemnizatę per susceptionem sacri ordinis, quia continentia non est essenliter annexa sacro ordini, sed ex statuto Ecclesiæ, super quo Papa potest dispensare, vt suo loco dicetur. in voto autem continentiæ temporalis potest fieri dispensatio ab Episcopo. Circa votũ peregrinationis terræ Sanctæ aduerte, quod nedum hoc votum reseruatur Summo Pontifici, sed etiam vota peregrinationum Sancti Iacobi compostellæ, S. Petri Romæ, immò secundum Nauarrum com. 1. de regul. num. 21. etiam votum peregrinationis ad sacram ædem Lauretanam, sed hoc vsu non esse receptum asserunt alij. Insuper Papæ est reseruatũ votũ Religionis. circa huiusmodi tamen vota docet Victoria, talia vota reseruari Summo Pontifici, quando absoluta sunt, cum verò condicionata, vel pænalia sunt, eorum dispensatio pertinet ad Episcopum. verũ de hac materia dispensationis votorum iterum redibit sermo diffusior.

Quæritur, an possit fieri dispensatio in voto continentiæ solemnizato.

Respondeo dicendum sicut verbo. Votum, vbi plura de hac materia inuenies.

Quæritur, an possit fieri dispensatio in iuramento.

Respondeo dicendum sicut verbo. iuramentum.

Quæritur, quomodo sit intelligenda dispensatio in iuramento.

Respondeo dicendum sicut verbo. iuramentum.

Quæritur, quinam possint dispensare in iuramento.

Respondeo dicendum sicut verbo. iuramentum.

Quæritur, an ille, cui fit iuramentum, possit dispensare in eo.

Respondeo dicendum sicut verbo. iuramentum.

DISPVTATIO.

1 *Disputans de fide tanquàm de ea dubitans peccat, & est infidelis.*

Disputare de fide ad confutandum errores, vel ad exercitium est laudabile.

Disputare de fide coram sapientibus nullum periculum est.

Necessarium est disputare de fide coram simplicibus sollicitatis ab infidelibus, si tamen tunc adsint aliqui sapientes valentes confutare errores.

Periculosum est disputare de fide coram simplicibus non sollicitatis ab infidelibus.

§ *Laicus sub pœna excommunicationis non potest disputare publicè, aut priuatim de fide.*

Ista excommunicatio non est latæ sententiæ.

Et intelligitur de disputatione formali, non materiali circa fidem.

Quid sit vtraque disputatio.

Si laicus esset doctus, non prohibetur ei disputatio de fide formalis, maximè in casu necessitatis.

Aliquando laicus simplex ductus Spiritus Sancti instinctu vtilius, & efficacius loquetur contra hæreticos, quam viri docti.

Clericis prohibetur disputatio de fide publicè fienda coram turbis coadunatis secundum Siluestrũ.

Circa Clericos tamen obseruetur, quod D. Thomas docet in littera.

Disputationes, quæ a Religiosis fiunt in Capitulis in materia fidei, sunt materiales.

2 *In scholis potest disputari, an anima rationalis sit ex traduce secluso tamen scandalo.*

Existente scandalo disputans potestetur disputationem esse ad quærendam veritatem, non propter dubium.

3 *Non est disputandum cum illis, qui nihil credere volunt.*

Cum quibus est disputandum.

4 *Ad fidei confirmationẽ oportet disputare cũ infidelibus defendendo fidẽ, & conuincendo errantes.*

§ *Doctores per satisfactionem verbis, aut scriptis exhibitam magnas coronas apud Deum promerentur.*

5 *Disputatio inordinata prohibetur à D. Paulo.*

6 *In disputatione ordinata ad tollendũ errores vtendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi, cum quibus disputamus.*

In disputatione cum Iudęis, Manichęis, Schismaticis, quibus auctoritatibus vti debeamus.

In disputatione ordinata ad instruendum vti debemus rationibus.

§ *Ex Ferrariensi egregium notabile obseruetur.*

Quæritur, an liceat disputare de fide publicè cum infidelibus.

1 Respondeo dicendum, quòd in disputatione fidei duo sunt cõsideranda, vnum quidem ex parte disputantis, aliud autem ex parte audientium: ex parte quidem disputantis est cõsideranda intentio, si enim disputet tanquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens, procul dubio peccat tanquàm dubius in fide, & infidelis, si autem

tem disputet aliquis de fide ad confutandum errores, vel etiam ad exercitium laudabile est: ex parte verò audientium considerandum est, vtrum illi, qui disputationem audiunt, sint instructi, & firmi in fide, aut simplices, & in fide titubantes; & quidem coram sapientibus in fide firmis nullum periculum est disputare de fide; sed circa simplices est distinguendum, quia aut sunt sollicitati, siue pulsati ab infidelibus, puta Iudæis, vel hæreticis, siue paganis nitentibus corrumpere in eis fidem, aut omninò non sunt sollicitati super hoc, sicut in terris, in quibus non sunt infideles; in primò casu necessarium est publicè disputare de fide, dummodo inueniantur aliqui ad hoc sufficientes, & idonei, qui errores confutare possint, per hoc enim simplices in fide confirmabuntur, & tollitur infidelibus decipiendi facultas, & ipsa taciturnitas eorum, qui resistere deberent peruertentibus fidei puritatem, esset erroris confirmatio; vndè Gregorius in 2. Pastoralium, sicut incauta locutio in errorem protrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit: in secundo verò casu periculosum est publicè disputare de fide coram simplicibus, quorum fides ex hoc est firmior, quia nihil diuersum audierent ab eo, quod credunt; & ideò non expedit eis, vt verba infidelium audiant disputantium contra fidem. 2. 2. q. 10. a. 7. in corp. (Lect. 2. c. 2. secundæ ad Timotheum.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. coram sapientibus in fide firmis nullum periculum est disputare de fide. probatur, quia sapientes sunt in fide firmi: secunda conclusio. coram simplicibus, qui sunt sollicitati ab infidelibus nitentibus corrũpere in eis fidem, necessarium est publicè disputare de fide, dummodò inueniantur aliqui ad hoc sufficientes, & idonei, qui errores confutare possint. probatur, quia per hoc simplices in fide confirmabuntur, & tolletur infidelibus decipiẽdi facultas, & ipsa taciturnitas eorum, qui resistere deberent peruertentibus fidei veritatem, esset erroris confirmatio ex D. Gregorio, vt in littera. tertia conclusio. coram simplicibus, qui non sunt sollicitati ab infidelibus, sicut in terris, in quibus non sunt infideles, periculosum est publicè disputare de fide. probatur, quia fides simplicium ex hoc est firmior, quia nihil diuersum audierunt de eo, quod credunt, & ideò non expedit eis, vt verba infidelium audiant disputantium contra fidem.

Quia in disputatione adsunt disputantes, adsunt & audientes, ideò aliqua circa hos consideranda sunt. circa disputantes notat Caietanus hoc in loco, quod post obitum D. Thomæ emanauit constitutio, & habetur in cap. quicunque de hæreticis, in 6 §. inhibemus, qua cautum est sub pæna excommunicationis, ne quis laicus publicè, aut priuatim audeat disputare de fide. hęc tamẽ excomunicatio, vt notat Siluester verb. disputatio, & Dominicus Bannes adhũc locum, non est lata ipso iure, sed est ferenda à Iudice; & quia verba sunt intelligenda formaliter, & pænæ non sunt extendendæ, sed restringendæ, ideò quandò constitutio prohibet laicis disputare de fide; debet intelligi de disputatione formali, nõ de materiali circa fidem. disputatio de fide formalis est, quando suscipitur disputatio contra sentientes contrarium fidei, vel ad confirmandos dubios in fide, vel ad confutandum errorem ex professo, & hæc prohibetur sub pæna excomunicationis laicis; disputatio de fide materialis est, quando exercitij, vel honoris causa habetur, & hæc non prohibetur laico. & aduerte, quod si laicus esset doctus, ei non prohiberetur disputatio de fide formalis, maximè in casu necessitatis, in quo non secundum verba, sed secundum intẽtionem legis agendum esset, quia leges feruntur secundum id, quod vt in pluribus accidit, communiter autem, & vt in pluribus laici non sunt docti in fide, attamen si esset laicus doctus, aggredi disputationem formalem de fide & verbo, & scriptis ei non prohibetur, vt patet de Alberto Pighio Comite, qui disputauit scriptis contra errores Luteranorum, & contra Erasmum, & de Henrico octauo Anglorum Rege, qui edidit libellum dę septem Sacramentis contra Luterum, licet postea à fide deffecerit ille miser, & infelix. hic vnum non est silentio prætereundum, quod aliquãdo laicus simplex ductus speciali instinctu Spiritus Sancti vtilius, & efficacius loquetur cõtra hæreticos, quam viri docti, & Theologi eminentissimi. huius exemplum celebre habemus lib. 10. historiæ Ecclesiasticæ cap. 3. vbi narratur, quod vir simplex, & Sanctus superauit in Concilio Niceno hæreticum argutissimum, quem tot viri doctissimi lunga disputatione non potuerãt conuincere. hoc tamen exemplum potius admirandum, quam immitandum est. vltimò nota ex Siluestro verb. disputatio, quod nedum laicis, sed etiam Clericis prohibetur disputatio de fide publicè turbis coadunatis. C. de summa tri. L. nemo. circa Clericos tamen obseruanda est doctrina D. Thomæ huius loci. Circa audientes mouet, & soluit dubium Caietanus tale, continue videmus Religiosos disputare in suis Capitulis coram vulgaribus de multis materijs fidei, & hoc in locis, vbi simplices non sunt sollicitati ab infidelibus, & tamen in tertia conclusione dicitur, hoc esse periculosum. cui dubio respondetur, quod loquitur D. Thomas in tertia conclusione de disputatione formali de fide, disputatio autem, quæ fit in Capitulis à Religiosis in materia fidei, est materialis, & fit gratia honoris,

exercitij &c. & in qua est sola diuersitas argumentorum, non mentium.

Quaeritur, an in scholis possit disputari, an anima Christi, & omnes aliae animae rationales sint ex traduce.

2 Respondeo dicendum, quòd non videò cur hoc non liceat, nisi fortè in casu, si ex hoc apud aliquos scandalũ oriretur, sicut aliquando contingit, quòd aliqui simplices audientes de his, quae sunt fidei, disputari in scholis, credunt, ea ratione de his disputari, quasi dubitetur de fidei veritate, sed in tali casu posset disputans ad hanc opinionem amputandam protestari quòd disputaret nõ propter de veritate, sed propter inquirendam veritatis rationem. opusculo 11. a. 22.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quaesito, quarum prima est. non video, cur non liceat disputare, an Anima Christi, & omnes aliae animae rationales sint ex traduce, nisi fortè in casu, si ex hoc apud aliquos scandalum oriretur. probatur haec secunda pars à simili, sicut aliquando contingit, quod aliqui simplices audientes de his, quae sunt fidei, disputare in scholis, credunt ea ratione de his disputari, quasi dubitetur de fidei veritate. secunda conclusio. in tali casu posset disputans ad hanc opinionem amputandam protestari, quod disputaret non propter de Veritate, sed propter inquirendam veritatis rationem.

Circa hanc doctrinam non immoror, cũ nihil occurrat scribendum.

Quaeritur, cum quibus sit disputandum.

3 Respondeo dicendum, quòd non est disputandum cum illis, qui nihil in Sacramento Eucharestiae, & in alijs, quae sunt fidei volunt credere, nisi hoc quòd per naturalem rationem probari potest, sed benè cum illis est disputandum, qui ex principijs fidei disputant, & qui ex principijs naturalibus nõ volunt probare, quae sunt fidei, sed sustinere, quia quae sunt fidei, quamuis sint supra rationem, non tamen sunt contra rationem, aliàs Deus esset sibi contrarius, si alia posuisset in ratione, quã rei veritas habet. 4. sent. d. 11. in exposit. litterae.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quaesito, quarum prima est. non est disputandũ cum illis, qui nihil in Sacramento Eucharestiae, & in alijs, quae sunt fidei, volunt credere, nisi hoc, quod per naturalem rationem probari potest. haec relinquitur vt nota. secunda conclusio. cum illis, est disputandũ, qui ex principijs fidei disputant, & qui ex principijs naturalibus non volunt probare, quae sunt fidei, sed sustinere. probatur secunda pars, quia quae sunt fidei, quamuis sint supra rationem, non tamen sunt contra rationem, aliàs Deus esset sibi contrarius, si alia posuisset in ratione, quam rei veritas habet.

Cum Sacramentum Eucharestię sit Sacramentum fidei, & ea, quae sunt fidei, sint supra rationẽ naturalem, profectò non erit disputandum cum illis, qui de Sacramento Eucharestiae, & de alijs articulis fidei non aliud credunt, quam quod per rationem naturalem probari potest, quae tamen in rebus Diuinis defficiens est, quia ex tali disputatione nil boni enasceretur. isti profectò sunt derelinquendi tanquam metientes Diuina per suam Phantasiam, tanquam nescientes transcendere imagenationem, quod stultorum, & insipientium proprium est, cum quibus baculo potius, quam ratione pugnandum est. Cum duobus ergo generibus personarum erit disputandum, primò cum illis, qui ex principijs fidei disputant, quia isti arguunt ex proprijs. secundò cũ illis, qui ex principijs naturalibus non volunt probare, quae sunt fidei, sed sustinere, qui scilicet volunt sustinere fidem non repugnare principijs naturalibus, licet enim, quae sunt fidei, sint supra rationem, non tamen sunt contra rationem, in cuius signum ipse Sanctus Doctor ferè semper in sua Theologia adducit dicta, rationes Aristotelis, & caeterorum Phylosophorum, vt ostendat Theologiam, quae agit de transcendentibus rationem, non repugnare Phylosophyae, quae agit de naturalibus, & humanam rationem non excedentibus.

Quaeritur, quo fine sit aliquando disputandum cum Infidelibus.

4 Respondeo dicendum, quòd oportet ad fidei confirmationem aliquando cum infidelibus disputare, quandoq; quidem defendendo fidem secundùm illud primae Petri 3. parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae est in vobis spe, & fide, quandoq; autem ad conuincendos errantes secundùm illud ad Titum primo, vt sit potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. 2. 2. q. 10. a. 7. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quaesito, quae est. oportet ad fidei confirmationẽ aliquando cum infidelibus disputare, quandoq; quidem defendendo fidem, quandoq; autem ad conuincendos errantes. probatur vtraque pars auctoritatibus Primae Petri. 3. & Pauli ad Titũ. 1.

Ex auctoritate Petri hic allata elicit Seraphinus à Porrecta, quod Sancti Doctores scolastici, & caeteri similes propter satisfactionem suis scriptis, aut verbis exhibitam magnas coronas, quãtum est ex satisfactione ipsa, apud Deum promeruerunt.

Qua-

Quaeritur, quae disputatio prohibeatur.

5 Respondeo dicendum, quòd Apostolus prohibet disputationẽ inordinatam, quae magis fit contentione verborum, quàm firmitate sententiarum. 2.2. quaest. 10. artic. 7. ad 1.

Apostolum prohibere disputationem inordinatam, quae magis fit contentione verborum, quam firmitate sententiarum, docet D. Thomas in hoc quaesito.

Ideò supra D. Thomas in secunda conclusione volebat eos, qui essent disputaturi coram simplicibus sollicitatis ab infidelibus, esse sufficientes, & idoneos, vt veritate, ac firmitate sententiarũ errores confutare possent, vt veritate, & firmitate sententiarum, non autem verbis contentiosis disputatio protraheretur eorum. primum horum est proprium sapientium, & in Theologia maximè peritorum. secundum est abusus sciolorum, & inperitorum.

Quaeritur, an magister determinans quaestiones Theologicas magis vti debeat auctoritatibus, quam rationibus.

6 Respondeo dicendum, quòd quilibet actus exequẽdus est, secundùm quòd conuenit ad suum finẽ, disputatio autẽ ad duplicem finem potest ordinari, quaedam enim disputatio ordinatur ad remouendũ dubitationem, an ita sit, & in tali disputatione Theologica maximè vtendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi, cum quibus disputatur, puta si cum Iudęis disputetur, oportet inducere auctoritates veteris testamenti; si cum Manichęis, qui vetus testamentum respuunt, oportet vti solum auctoritatibus noui testamenti; si autẽ cum Schismaticis, qui recipiunt vet⁹, & nouum testamentum, non autem Doctrinam Sanctorum nostrorũ sicut sunt Graeci, oportet cum eis disputare ex auctoritatibus noui, vel veteris testamẽti, & illorum doctorum, quos ipsi recipiunt; si autem nullam auctoritatem recipiunt, oportet ad eos conuincendos ad rationes naturales confugere: quaedã verò disputatio est magistralis in scholis non ad remouendum errorẽ, sed ad instruendum auditores, vt inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit, & tunc oportet rationibus inniti inuestigantibus veritatis radicem, & facientibus scire, quomodo sit verum, quòd dicitur, alioquin si nudis auctoritatibus magister quaestionum determinet, certificabitur quidem auditor, quòd ita est, sed nihil scientiae, vel intellectus acquiret, & vacuus abscedet. quodlibeto 4. a. 18. (primo contrahentes cap. 2.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quęsito, quarum prima est. in disputatione Theologia, quae ordinatur ad remouendum dubitationem, an ita sit, maximè vtendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi, cum quibus disputatur, si autem nullam auctoritatem recipiunt, oportet ad eos conuincendos ad rationes naturales confugere. prima pars explicatur de Iudęis, Manichęis, & Schismaticis, cum quibus diuersis auctoritatibus vtendum est, vt in littera. secunda conclusio. in disputatione magistrali, quae fit in scholis non ad remouendum errorem, sed ad instruendum auditores, vt inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit, oportet rationibus inniti inuestigantibus veritatis radicem, & facientibus scire, quomodo sit verum, quod dicitur. probatur, quia si nudis auctoritatibus Magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est, sed nihil scientiae, vel intellectus acquiret, & vacuus abscedet.

Circa primam conclusionem obseruandum est, quod docet Ferrariensis primò contra Gentes cap. 2. quod quia lumen nostrum naturale à Diuinis rebus inferius quàm maximè distat, nõ potest sua virtute ad Diuina perspicaciter eleuari, ideò sunt quidam errores circa Diuina, quos efficaci ratione eliminare non possumus, propterea quando etiam Diuinam scripturam talium errorum seminatores non recipiunt, magis praetermittendi sunt, quam inefficaci ratione impugnandi.

DISSENSIO.

1 *Paci opponitur dissensio.*
Concordia, qua dissensio opponatur?
2 *Primum malum multitudinis est dissensio, & ab eo caetera oriuntur.*

Quaeritur, cui opponatur dissensio.

1 Respondeo dicendum, quòd paci opponitur duplex dissensio, scilicet dissensio hominis ad se ipsum, & dissẽsio hominis ad alterum: concordiae autem opponitur haec sola secunda dissensio. 2.2. q. 29. a. 1. ad. 3.

Quod paci opponitur duplex dissensio, scilicet dissensio hominis ad seipsum, & dissensio hominis ad alterum, concordiae autem sola dissensio secunda, docet D. Thomas in hoc quaesito.

Non immoror in hoc quęsito, quia nihil occurrit scribendum.

Quaeritur, an dissensio sit primum malum multitudinis.

2 Respondeo dicendum, quòd primum malum

malum est dissensio, vndè cætera oriuntur, vbi enim est dissensio, nihil rectum est: sed contra videtur esse, quòd dicitur Eccl. 10. initium omnis peccati est superbia, & primæ Thimothei vltimo, radix omnium malorũ est cupiditas: dicẽdum est autem, quòd hæ auctoritates loquuntur quantum ad peccata personalia singularium hominum, quorum primum est superbia ex parte auersionis, & cupiditas ex parte conuersionis, sed nunc loquimur de peccatis multitudinis, inter quæ primum est dissensio, per quam soluitur rigor disciplinæ, vnde dicitur Iacobi 3. vbi est zelus, & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Lect. cap. 11. primæ ad Corinth.

Duo facit D. Thomas in hoc quæsito, primò respondet quæsito vnica conclusione, secundò affert, & soluit dubitationem contra conclusionem. quo ad primum conclusio est. primum malum est dissensio, vndè cætera oriuntur. probatur, quia vbi est dissensio, nihil est rectũ. quo ad secundum est talis dubitatio. Eccl. 10. dicitur, initium omnis peccati est superbia, & 1. Timoth. vltimo dicitur, radix omnium malorum est cupiditas, ergo &c. respondet, quod hæ auctoritates loquuntur quantum ad peccata personalia singularium hominum, quorum primum est superbia ex parte auersionis, & cupiditas ex parte conuersionis, nunc autem loquimur de peccatis multitudinis, inter quæ primum est dissensio, per quam dissoluitur rigor disciplinæ, quod probatur per D. Iacobum. 3.

Pertransco, cum nil occurrat scribendum.

DIVINATIO.

Quæritur, vndè dicantur aliqui Diuini.

1 Respondeo dicendum, quòd Diuini dicuntur, quia sibi actum Dei vẽdicant in prædictione futurorum, & præcipuè quantùm ad cultum falsum Deorum. super c. 8. Isaiæ.

Quod Diuini dicantur, quia sibi actum Dei vẽdicant in prædictione futurorum, & præcipuè quantum ad cultum falsum Deorum, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Etimologiam huius nominis Diuini tradit D. Isidorus lib. 8. etimolog. cap. 9. vbi ait, quod Diuini ideò sunt dicti, quasi Deo pleni, diuinitate enim se plenos simulant, & astutia quadã fraudulentiæ hominibus futura coniectant.

Quæritur, an Diuinatio sit peccatum.

2 Respondeo dicendum, quòd nomine Diuinationis intelligitur quædam prænunciatio futurorum, futura autem dupliciter prænosci possunt, vno quidem modo in suis causis, alio modo in se ipsis; causæ autem futurorum tripliciter se habent, quædam enim producunt ex necessitate, & semper suos effectus, & huiusmodi effectus futuri per certitudinem prænosci, & prænunciari possunt ex consideratione suarum causarum, sicut Astrologi prænunciant æclipses futuras, quædam verò causæ producunt suos effectus non ex necessitate, & semper, sed vt in pluribus, rarò tamen deficiunt, & per huiusmodi causas possunt prænosci effectus futuri, nõ quidem per certitudinem, sed per quãdam coniecturam, sicut astrologi per considerationem stellarum quædam prænoscere, & prænunciare possunt de pluuijs, & siccitatibus, & Medici de sanitate, vel morte; quædam verò causæ sunt, quæ si secundùm

dùm se cõsiderentur, se habent ad vtrumlibet, quod præcipuè videtur de potentijs rationalibus, quæ se habent ad opposita secundùm Phylosophum, & tales effectus, vel etiam si qui effectus, vt in paucioribus casu accidunt ex naturalibus causis per considerationem causarum prænosci non possunt, quia eorum causæ non habent inclinationem determinatam ad huiusmodi effectus; & ideò effectus huiusmodi prænosci non possunt, nisi in se ipsis considerentur, homines autem in se ipsis huiusmodi effectus considerare possunt solum dùm sunt præsentes, sicut cum homo videt sortem currere, & ambulare, sed considerare huiusmodi in se ipsis antequàm fiant, est Dei proprium, qui solus in sua æternitate videt ea, quæ futura sunt, quasi præsentia, vndè dicitur Isaiæ 41. anunciante, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos: si quis ergo huiusmodi futura prænunciare, aut prænoscere quocunque modo præsumpserit, nisi Deo reuelante, manifestè vsurpat sibi quod Dei est, & ex hoc aliqui Diuini dicũtur, vndè dicit Isidorus in lib. etimologiarum, Diuini dicti quasi Deo pleni; Diuinitate enim se plenos simulant, & astutia quadam fraudulentiæ hominibus futura coniectant. Diuinatio ergo non dicitur, si quis prænunciat ea, quæ ex necessitate eueniunt, vel vt in pluribus, quæ humana ratione prænosci possunt, neq; etiam si quis futura alia contingentia Deo reuelante cognoscat, tunc enim non ipse diuinat, idest quòd Diuinum est, facit, sed magis quòd Diuinum est, suscipit; tunc autem solum dicitur diuinare, quando sibi indebito modo vsurpet prænuntiationem futurorum euentuum, hoc autem constat esse peccatum; vndè Diuinatio semper est peccatum, & propter hoc Hieronymus dicit super Mathæum, quod Diuinatio semper in malam partem accipitur. 2.2.q.95.a.1.in corp.(3.contrahentes cap.154. (2.sent.d.15.q.1.a.3.ad 4. (super cap. 3. Isaiæ.

Conclusione vnica respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. Diuinatio semper est peccatũ. probatur, quia tunc solum dicitur quis diuinare, quando sibi indebito modo vsurpat prænunciationem futurorum euentuum humana ratione naturaliter incognoscibilium, sed hoc constat esse peccatum, ergo &c. minor probatur, quia indebitè vsurpat id, quod proprium est Dei. hinc elicit corrolarium, quod Diuinatio secundum D. Hieronimum super Matheum semper in malã partem accipitur.

Ex littera D. Thomæ habemus quid rei Diuinationis, nam diuinatio non dicitur, si quis prænunciat ea, quæ ex necessitate eueniunt, vel vt in pluribus, quæ humana ratione prænosci possunt; neque etiam si quis futura alia contingentia Deo reuelante cognoscat, tunc enim non ipse diuinat, idest quod diuinum est, facit, sed magis, quod Diuinum est, suscipit. tunc autem solũ dicitur diuinare, quãdo sibi indebito modo vsurpet prænunciationem futurorum euentuum, naturaliter scilicet incognoscibilium; seu dicamus, est indebita vsurpatio cognitionis futurorũ euentuum, vel etiam præteritorum, aut præsentium occultorum, vt docet Caietanus in summula verb. diuinatio. dicitur autem indebita vsurpatio ab indebito modo præcognoscendi ea, quia nimirum quærit explicitè, vel implicitè auxilio Dæmonis ea scire, quæ à solo Deo petenda sunt, qualia sunt futura, præterita, præsentia occulta, quæ naturaliter humana ratione cognosci non possunt ista in spetie sunt ea, quæ à Diuina voluntate sola dependent, vt salus huius, dãnatio alterius; quæ pendent ex libertate hominis, quæ sunt futura contingentia, & consequenter possunt, & non possunt euenire; quæ sunt occulta, vel absentia, vel præterita, vnde igominiam Deo irrogat, dum aliunde vanis inuentionibus eorum cognitionem procurat, & consequenter diuinatio est peccatum, quia contra rectam rationem est, & est prohibita iure Diuino, Canonico, & Ciuili. est, inquam, prohibita iure Diuino, nam Deut. 18. dicitur, non inueniatur in te, qui Ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, auguria &c. neque Pythones consulat, nec Diuinos. Iure canonico item inhibetur, vt patet. 26. q. 5. & nouissimè in extrauagãti à Sixto quinto edita contra exercẽtes Astrologiæ iudiciariæ artem, & alia quæcunque Diuinationum genera, librosq; de eis legentes, ac tenentes, anno 1585. nonis Ianuarij Pontificatus sui anno primo, quæ incipit, cæli, & terræ Creatori. Iure etiam ciuili prohibetur, vt patet C. de maleficijs, præcipuè L. nemo. Diuinatio ex suo genere est peccatũ mortale, pro quanto Dæmoniaco innititur auxilio. notat tamen Caietanus in summula verb. Diuinatio, quod contingit frequenter esse veniale, vel propter imperfectionẽ actus; vel quia actus dæmoniacus non est secundum se, nec ex intentione tacita, vel expressa exercentis illum, vt accidit in multis vanis; vel quia non putatur actus dæmoniacus, vt accidit multis, in quibus sola vanitatis deformitas apparet, vt qui in libro fortunæ, vel rota Pitagoræ volunt scire aliqua, & in apertione librorum, & similibus, quæ ex casu, seu fortuna creduntur. pro quorum explicatione dat regulam generalem, quando nulla interuenit Dæmonis inuocatio, nec explicita, nec tacita, & non est mala intentio, non incurritur mortale peccatum. tunc autem dicitur adesse tacita Dæmonis inuocatio, quando aliqua

qua

quæ re, aut verbo quis vtitur, quasi habente virtutem ad effectum aliquem, ad quem constat nec naturalem, nec Diuinam habere Virtutem, & tunc dicitur consentire in dæmoniacum auxiliũ, quia ad virtutem illius tacitè recurrit, dum sic vtitur re, aut verbo illo. quando ergo interuenit tacita Dæmonis inuocatio, si cognita, aut credita, aut dubia est, est peccatum mortale; si vero ignorata est, itaquod si cognosceretur, non fieret, non est peccatum mortale, quia iste propriè, & formaliter non inuocat tacitè Dæmonem, sed tantum materialiter, & inuoluntariè, quod non facit hominem socium Dæmoniorum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Sairus lib. 4. clauis regiæ cap 5. num. 1. & 2. Toletus lib. 4. cap. 15. nu. 1. 2. & alij.

Quæritur, quare Diuinatio sit peccatum.

3 Respondeo dicendum, quòd prædicta Diuinatio est peccatum, tùm propter mendatium, quia asserunt incerta pro veris, tùm propter deceptionem, tùm propter vsurpationem Diuinitatis: similiter dicitur Diuinatio, si fiant consilio Dæmonum qualitercunq;: qui quidem possunt aliqua futura prædicere, vel quorum ipsi sunt causa, vel quæ ipsi sciunt per reuelationem bonorum Angelorum, vel quæ sciunt naturali cognitione in his, quæ habent causas determinatas in natura, latentes tamen nobis, & notas eis; tùm propter perspicacitatem intelligentiæ; tùm propter experimentum longi temporis: & tamen semper est peccatum inquirere ab eis, & apostasia à fide, vt dicit Augustinus: & hoc propter tres rationes, primò quia quamuis vera dicant, tamen semper intentio eorum est ad fallendum: secundò quia certitudinalem cognitionem habere non possunt, nisi de his, quæ per reuelationem sciunt; tertiò quia non possumus simul esse participes Donorum Dei, & Diaboli: & hæc inter omnes præcipua est. super cap. tertio Isaiæ.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Diuinatio est peccatũ. probatur ex triplici capite, primò quia est mendacium. secundò quia est deceptio. tertiò quia est vsurpatio Diuinitatis. secunda conclusio. Dæmones possunt aliqua prædicere. probatur. quia cognoscunt ea, quæ causant; vel etiã & reuelatione bonorum Angelorum; vel cognitione naturali; ex perspicacitate intelligentiæ, & experientia longi temporis. tertia conclusio. semper est peccatum inquirere a Dæmonibus, & est apostasia à fide. probatur primò ex D. Augustino. secundò ratione malæ intentionis. tertiò ratione incertæ cognitionis. quartò quia non possumus simul esse participes donorum Dei, & Diaboli.

Profectò Diuinatio est peccatum ex multiplici capite, & primò quia interuenit mendacium in prædictione futurorum facta à Dæmonibus, asserunt enim incerta pro veris, & certis, cum Dæmones certò non cognoscant dependentia à nostro libero arbitrio, & multò minus dependentia à Voluntate Diuina, nec occulta, sed ex quibusdam coniecturis ea percipiant. secundò quia adest deceptio, Diabolus enim sæuissimus est hostis generis humani, qui continuè nititur suis insidijs, fraudibus aliquid moliri contra hominem, ipsum decipere. tertiò quia in Diuinatione vsurpat sibi Dæmon Diuinitatem, dum ea, quæ sunt propria Dei, sibi attribuit, nempe prædictionem eorum, quæ naturaliter cognosci nequeunt, Isaiæ enim 41. dicitur, anunciate, quæ ventura sunt in futurũ, & sciemus, quia Dij estis vos. notandum verò est, quod aliquorum, quæ prædicunt hominibus, habent certam notitiam, & cognitionem, vt eorum, quæ sibi reuelantur; aliorum autem habent cognitionem incertam, & coniecturalem, longè tamen plura de rebus futuris, alijsq; occultis cognoscere possunt, quã homines, cognoscunt siquidem primò nostras affectiones, & inclinationes; secundò causas naturales, & virtutes earum, vt solis, lunæ, cælorum, elementorum &c. tertiò longam habent experientiam; quartò scripturas melius intelligunt, quam homines; quintò sciunt ea, quorum ipsi Dæmones sunt causa. Dæmones inquam ex perfectione, perspicacitate, & subtilitate intellectus sui considerantes ad quid noster inclinetur affectus, & quid possit Virtus causæ naturalis, coniectat, quid facturi sint homines; quod si Medici ex pulsu aliquando animi affectiones cognoscunt, multò magis hoc præstare poterunt Dæmones, qui multò subtilius huiusmodi immutationes corporales perpendunt, & percipiunt. D. etiam Thomas p. p. q. 57. a. 4. in corp. docebat, cogitationem hominis interdum non solum per actum exteriorem, verum etiam per vultus immutationẽ cognosci ab alio homine, multò magis poterit à Dæmonibus cognosci, qui subtilius tales corporales immutationes perpendunt, vnde Augustinus ait in lib. de diuinatione Dæmonũ c. 5. quod aliquãdo hominũ dispositiones nõ solũ voce prolatas, verum ẽt cogitatione conceptas, cũ signa quædã in corpore exprimuntur ex animo, tota facilitate perdiscunt; ex longa etiã experientia, & magna notitia rerum naturalium multa norunt, vt ecclipses, epidimiæ pluuiæ, & huiusmodi, quæ certò ventura sunt ex causis suis naturalibus, quæ tamen euenire contingenter nos putamus, & dum ista nobis prænunciant Dæmones, futura contingentia prædicere existimamus, vt quia vident occultas causas ruinæ domus, si domus ruinam nobis nuncient, futurum contingens prænunciasse dicimus; quia etiam Dæmones morbum secretum alicuius intuentur, & tempus naturale mortis, si hoc illi annuncient, futurum contingens prædicere dicimus; ex do-

ctrina etiam aliena nunciant Dæmones, vt quæ à bono Angelo ex permissione Diuina discunt per reuelationem, aut per scripturas, quas melius, quam nos cognoscunt; ex dolosa etiã cautela, qua proponunt aliqua facere, & prædicunt. his ergo, & alijs modis Dæmones notitiam rerũ habentes prædicunt hominibus, quos deditos vanis huiusmodi inquisitionibus cognoscunt, sicque eos decipiunt, ac fallunt; & quamuis vera dicant, semper tamen intentio Dæmonum est ad decipiendum, vnde semper est peccatum inquirere ab eis, & apostasia à fide, vt ait Augustinus, quia vel certa non annunciant, vel falsa prædicunt, vel si vera nunciant, semper intentio eorũ est ad decipiendum; & quia non possumus simul esse participes Donorum Dei, & Diaboli, quod vtique præcipuum est, & maximè pensandum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 4. cap. 15. num. 1. 2. 3. Sairus lib. 4. clauis regiæ cap. 5. nu. 4. Martinus Delrius lib. 4. magicarum disquisitionum. cap. 2. quæst. 2. Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 38. num. 7. Valentia. 2. 2. q. 12. p. 3. Reginaldus lib. 17. num. 163. & seq. & alij.

Quæritur, quod peccatum sit in tali Diuinatione.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut grauiter peccat, qui illud, quòd est Dei, creaturæ impendit per idolatriæ cultum, ita etiam grauiter peccant, qui ea, quæ à Deo expetenda sunt, auxilio Dæmonum implorant, & huiusmodi est vaticinatio de futuro: vndè dicitur Isaiæ 8. nunquid non populus à Deo suo &c. & similiter etiam alijs operibus magicis, in quibus complementum operis ex virtute Dæmonum expectatur: in his enim omnibus est apostasia a fide per pactum initum cum Dæmone, vel verbotenus, si inuocatio intersit, vel facto aliquo, etiam si sacrificia desint. 2. sent. d. 7. q. 3. ar. 2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. in vaticinatione de futuro, & alijs operibus magicis, in quibus complementũ operis ex virtute Dæmonum expectatur, est peccatum graue, & apostasia à fide. probatur prima pars, quia sicut grauiter peccat, qui illud, quod est Dei, creaturæ impendit per idolatriæ cultũ, ita etiam grauiter peccant, qui ea, quæ à Deo expetenda sunt, auxilio Dæmonum implorant. secunda pars probatur, quia adest pactum initum cum Dæmone vel verbotenus, si inuocatio intersit, vel facto aliquo, etiam si sacrificia desint.

Perpendant, qui huiusmodi vanitatibus diuinationũ intendunt, grauitatem peccati, in quod incurrunt, comparatur siquidem idolatriæ in hoc loco, vt patet ex probatione prima; & est apostasia à fide ratione pacti initi cum Dæmone vel verbo, vel facto, & per hoc iuditio Inquisitorum subduntur, & inquisiti puniuntur.

Quæritur, an sint aliqua veræ artes ad cognoscendos euentus futuros liberè &c.

5 Respondeo dicendum, quòd Artes quædam sunt ad prænoscendum futuros euentus, qui ex necessitate, vel frequenter proueniunt, quæ ad Diuinationem non pertinent: sed ad alios futuros euentus cognoscendos non sunt aliquæ veræ artes, seu disciplinæ, sed fallaces, & vanæ ex deceptione Dæmonum introductę, vt dicit Augustinus in 21. de Ciuitate Dei. 2. 2. q. 95. a. 1. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. artes quædam sunt ad prænoscendum futuros euentus, qui ex necessitate, vel frequenter proueniunt, quæ ad diuinationem non pertinent. hæc relinquitur vt nota. secunda conclusio. ad alios futuros euentus cognoscendos non sunt aliquæ veræ artes, seu disciplinæ, sed fallaces, & vanæ ex deceptione Dæmonum introductæ. probatur ex D. Augustino 21. de ciuitate Dei.

Probatio primæ conclusionis est, quia diuinatio, de qua in proposito, est prædictio indebita futurorum euentuum, quæ naturaliter cognosci non possunt, quæ autem semper, vel vt in pluribus à suis causis ex necessitate eueniunt, naturaliter percipi possunt; & istæ artes talia docentes sunt licitæ, & scientificæ, sicut artes diuinatoriæ prædicentes futuros euentus naturaliter incognoscibiles sunt illicitæ, vanæ, superstitiosæ, fallaces, deceptoriæ.

Quæritur, an Diuinatio sit species superstitionis.

6 Respondeo dicendum, quòd quia superstitio importat indebitùm cultum Diuinitatis: ad cultum autem Dei pertinet aliquid dupliciter, vno modo cum aliquid Deo offertur, vel sacrificium, vel oblatio, vel aliquid huiusmodi; alio modo cum aliquid Diuinum assumitur: & ideo ad superstitionem pertinet non solùm cum sacrificium Dæmonibus offertur per Idolatriam, sed etiam cum aliquis assumit auxilium Demonum ad aliquid faciendum, vel cognoscendum: omnis autem Diuinatio ex operatione Dæmonum prouenit, vel quia expressè Demones inuocantur ad futura manifestanda, vel quia Dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum impli-

plicent vanitate, de qua vanitate dicitur in psalm. 39. non respexit in vanitates, & insanias falsas: vana autem inquisitio futurorum est, quando aliquis futurum prænoscere tentat, vndè prænosci non potest: manifestum est ergo, quòd Diuinatio species superstitionis est. 2. 2. q. 95. a. 2. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. diuinatio species superstitionis est. probatur, ad superstitionem pertinet, cum quis assumit auxilium Dæmonum ad aliquid faciendum, vel cognoscendum, sed omnis diuinatio ex operatione Dæmonum prouenit, vel quia expresse dæmones inuocantur ad futura manifestanda, vel quia Dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum implicent vanitate.

Ex hac littera habemus, quod ratio superstitionis in diuinationibus est, quia auxilium dæmoniacum assumitur, & ideò adhoc, vt aduertit Caietanus hoc in loco, oportet semper inspicere, & hinc scire, quod diuinatio ex genere suo est peccatum mortale, & ab Ecclesia damnata tanquam diabolici cultus pars ex propria natura operis, vt habetur in Decret. 26. q. 1. 2. 3. 4. 5. & 7. quãdo autem hæc diuinatio superstitiosa sit peccatum [illegible]iale, supra explicauimus cũ Caietano in [illegible]ummula, qui etiam consulendus est in ho[illegible], quibus tamen addimus, non dari e[illegible]n materiæ à mortali excusantem, si di[illegible]iat seriò, secus autem, si fiat ioco.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Sairus lib. 4. clauis regiæ cap. 5. n. 2.

Quæritur, an Diuinatio pertineat ad curiositatem.

7 Respondeo dicendum, quòd Diuinatio pertinet ad curiositatem quantùm ad finem intentum, qui est præcognitio futurorum, sed pertinet ad superstitionem quantùm ad modum operationis. 2. 2. q. 95. a. 2. ad 1.

Diuinationem pertinere ad curiositatem, & ad superstitionem secundum diuersas rationes, docet D. Thomas in hoc quæsito. explicatur, quia quantùm ad finem intentum, qui est præcognitio futurorum, pertinet ad curiositatem, sed quantùm ad modum operationis pertinet ad superstitionem.

Ex hac doctrina habemus idem posse esse spetiem diuersorum generum secundum diuersas rationes consideratum, non autem secundum eandem. diuinatio siquidem considerata quo ad finem, qui est præcognitio futurorum, pertinet ad curiositatem; eadem diuinatio considerata quo ad modum operationis, vt scilicet assumit auxilium Dæmonum ad aliquid cognoscendum, vel faciendum, pertinet ad superstitionem.

Quæritur, an Diuinatio pertineat ad cultum Dæmonum.

8 Respondeo dicendum, quòd Diuinatio pertinet ad cultum Dæmonum inquantùm aliquis vtitur quodam pacto tacito, vel expresso cum Dæmonibus. 2. 2. q. 95. a. 2. ad 2.

Diuinationem pertinere ad cultum Dæmonũ, docet D. Thomas in hoc quæsito, inquantum scilicet aliquis vtitur quodam pacto tacito, vel expresso cum Dæmonibus.

Hæc ex superioribus remanent explicata.

Quæritur, an sit terminare Diuinationis species.

9 Respondeo dicendum, quòd omnis Diuinatio vtitur ad præcognitionem futuri euentus aliquo Dæmonum consilio, vel auxilio, quod quidem, vel expresse imploratur, vel præter intentionem hominis se occultè Dæmon ingerit ad prænunciandum futura quædam, quæ hominibus sunt ignota, eis autem cognita per modos. Dæmones autem expresse inuocati solent futura prænunciare multipliciter: quandoq; quidem præstigiosis quibusdam apparitionibus se aspectui, & auditui hominum ingerentes ad prænunciandum futura; & hæc species vocatur Præstigium ex eo quod oculi hominum præstiguntur, quandoq; autem per somnia, & hęc vocatur Diuinatio somniorum: quandoque verò per mortuorum aliquorum apparitionem, vel locutionem, & hæc vocatur Nicromantia, quia vt dicit Isidorus in lib. etimologiarum, necron græcè mortuus, mantiá verò Diuinatio nuncupatur, quia quibusdam præcantationibus adhibito sanguine videtur resuscitati mortui diuinare, & ad interrogata respondere: quandoque verò futura prænunciant per homines viuos, sicut in Areptitijs patet, & hæc est Diuinatio per Pytones, & vt Isidorus dicit Pytones à Pytone Apolline sunt dicti, qui dicebatur esse auctor Diuinandi: quandoque verò futura prænunciant per aliquas figuras, vel signa, quæ in rebus inanimatis apparent, quæ quidem si appareãt in aliquo corpore terrestri, puta in ligno, vel ferro, vel lapide polito vocatur Geomantia; si autem in aqua Ydromantia; si autem in aere, Aeromantia; si autem in igne, Pyromantia; si autem in visceribus animalium immolatorũ in aris

Dæmonum, vocatur Aruſpitium. Diuinatio autem, quæ fit abſque expreſſa Dæmonum inuocatione in duo genera diuiditur, quorum primùm eſt, quando ad prænoſcendum futura aliquid conſideramus in diſpoſitionibus aliquarum rerum, & ſi quidem aliquis conetur futura prænoſcere ex coſideratione ſitus, & motus ſyderum pertineret ad Aſtrologos, qui & Genethliaci dicuntur propter natalium conſiderationes dierum; ſi verò per motus, vel voces Auium, ſeu quorumque animalium, ſiue per ſternutationes hominũ, vel membrororum ſaltus, hoc pertinet generaliter ad Augurium, quod dicitur à garritu Auium, ſicut Auſpicium ab inſpectione Auium, quorum primùm pertinet ad aures, ſecundum ad oculos; in auibus enim huiuſmodi præcipuè conſiderari ſolent: ſi vero huiuſmodi conſideratio fiat circa verba hominum abſque intentione dicta, quæ quis retorquet ad futurum, quod vult prænoſcere, hoc vocatur Omen, & ſicut Valerius maximus dicit, omnium obſeruatio aliquo contractu Religioni annexa eſt, quoniam non fortuito motu, ſed Diuina prouidentia conſtare creditur, quæ fuit, & Romanis deliberantibus vtrum ad alium locum migrarent fortè eo tempore, Centurio quidam exclamauit, ſignifer ſtatue ſignum, hic optimè manebimus, quam vocem auditam pro Omine acceperunt, tranſeundi conſilium omittentes; ſi autem conſiderentur aliquæ diſpoſitiones figurarum in aliquibus corporibus viſui occurrentes, erit alia Diuinationis ſpecies, nam ex lineamentis manus conſideratis Diuinatio ſumpta Chiromantia vocatur, quaſi Diuinatio manus, chiros enim græcè dicitur manus: Diuinatio vero ex quibuſdam ſignis in ſpatula alicuius animalis apparentibus Spatulantia vocatur. Ad ſecundùm verò Diuinationis genus, quod eſt ſine expreſſa Dæmonum inuocatione, pertinet Diuinatio, quæ fit ex conſideratione eorum, quæ eueniunt ex quibuſdam, quæ ab hominibus ſeriò fiunt ad aliquid occultum inquirẽdum ſiue per protractionem punctorum, quod pertinet ad artem Geomantiæ, ſiue per conſiderationem figurarum, quæ proueniunt ex plumbo liquefacto in aqua proiecto, ſiue ex quibuſdam ſchedulis ſcriptis, vel non ſcriptis occultò repoſitis, dum conſideratur quis, quam accipiat, vel etiam ex feſtucis inæqualibus propoſitis quis maiorem, vel minorem accipiat, vel taxillorum proiectione, quis plura puncta proijciat, vel etiã dum conſideratur, quid aperienti librum occurrat, quæ omnia ſortium nomen habent: ſic ergo patet triplex Diuinationis genus, quorum primùm eſt per manifeſtam Dæmonum inuocationem, quod pertinet ad Nicromanticos, ſecundùm autem eſt per ſolam conſiderationem diſpoſitionis, vel motus alterius rei, quod pertinet ad augures, tertiùm eſt, dum facimus aliquid, vt nobis manifeſtetur aliquid occultum, quod pertinet ad ſortes, ſub quolibet autem horum multa continentur. 2.2. q.95.a.3. in corp. (opuſculo 25. cap. 3.

Duplici concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. triplex eſt genus diuinationis. probatur, quia vel eſt per manifeſtam Dæmonum inuocationem, quod pertinet ad Nicromanticos; vel eſt per ſolam conſiderationem diſpoſitionis, vel motus alicuius rei, q̃d pertinet ad augures; vel per hoc quod facimus aliquid, vt manifeſtetur nobis aliquid occultum, quod pertinet ad ſortes. ſecunda concluſio. ſub quolibet trium generum ſupradictorum multæ ſpecies continentur. probatur, quia ſub primo continetur Præſtigium, Diuinatio Somniorum, Nicromantia, Diuinatio per Pythones, Geomantia, Hidromãtia, Aeromantia, Piromantia, Aruſpicium, in his omnibus interuenit expreſſa Dæmonum inuocatio. ſub ſecundo cõtinetur Aſtrologia natalium conſideratiua, Augurium, Auſpicium, Omen, Chiromantia, Spatulamantia. in his omnibus implicantur opera Dæmonum, & Diuinatio fit per conſiderationem diſpoſitionis aliquarum aliarum rerum. ſub tertio continetur protractio punctorum, proiectio taxillorũ, apertio librorum &c. vt in textu. in his omnibus implicatur operatio Dæmonis, & diuinatio fit ex facto aliquo ad manifeſtationẽ alicuius occulti.

Antequam ad explicationem ſingularum ſpecierum diuinationis deueniamus, declarandum eſt, quid ſit expreſsè, & tacitè Dæmonem inuocare. tunc ergo dicitur quis expreſsè Dæmonem inuocare, quando verbo, aue facto aliquo Dæmonem inuocat, & intẽdit pactum inire cum eo, vt quoties ipſum imploret, toties diuinet. tunc dicitur aliquis tacitè Dæmonem inuocare, quando aliquis licet non intendat Dæmonem implorare, attamen opus aliquod aggreditur, in quo immiſcetur operatio Dæmonis expreſsè inuocati ab aliquo homine primo, qui pactum inniuit cum eo, vt quoties tale opus fiat ab aliquo, toties diuinet; itaquod in expreſſa inuocatione Dæmonis interuenit actualis illius imploratio, & actuale pactum, in tacita autem interuenit tantummodo virtualis imploratio, & virtuale pactum, ſcilicet in virtute illius primi hominis, qui expreſsè implorauit

plorauit Dæmonem, & cùm eo actualiter pactum iniuit, vnde licet aliquis expresè intendat Dæmonem non inuocare in operatione, quam facit, attamen quia vtitur talibus medijs ex se insufficientibus ad habendam cognitionem, nec valẽtibus eam causare nisi medio Dæmonis auxilio inuocati ab aliquo primo homine, ideò dicitur tacitè, & virtualiter Dæmonem inuocare. vel dicamus cum Caietano hoc in loco, quod expressa inuocatio Dæmonis à tacita distinguitur pænes intentionem hominis, quæ dupliciter dicitur expressa, primò cum quis inuocat Dæmonem, secundò cũ aliquid facit, quod scit ex Diaboli virtute operari, vt faciunt incantatores, in his duobus modis expresè Dæmon inuocatur ex intentione, verbo, vel facto, & tunc interuenit pactum factum, & si non cum illo homine, factum tamen cum aliquo alio, qui assistet illis operibus ostendendo, vel operando. tacita autem inuocatio Dæmonum tunc solum est, quando aliquis talibus se implicat, vt dignum sit Dæmonem se illis immiscere, quamuis hoc sit præter intentionem talis hominis. hæc Caietanus, à quo desumpsit de verbo ad verbum, quę docet Sairus lib. 4. clauis regiæ cap. 5. num. 5. vnde patet non bene diffinitam fuisse expressam, & tacitam Dæmonis inuocationem ab Azorio p. p. lib. 1. cap. 13. Lessio lib. 2. c. 43. dubit. 5. Sanchez in summa lib. 2. ca. 38. num. 13, Suarez de Religione tom. 1. lib. 2. de superstitione. c. 9 num. 17. Valentia. 2. 2. disp. 6. q. 22. p. 2. & 4. Reginaldo lib. 17. num. 165. & à quodam neoterico tom. 2. disp. 3 q. 5. p. 3. num. 4. de diuinatione, siue superstitione.

Nunc superest singulas Diuinationis species explanare, in quibus expresè Dæmon imploratur, & prima dicitur Præstigium, ex eo dictum, quod occuli hominum præstriguntur, inquantum scilicet Dæmones expresè inuocati præstrigiosis quibusdam apparitionibus se aspectui, & auditui hominum ingerunt ad prænunciandum futura, vt ait D. Thomas in littera, idest varijs præstigiosis apparitionibus, idest fictis, & apparentibus figuris, ita se aspectui, & auditui hominum ingerunt, vt eorum oculos perstringant. fiunt autem huiusmodi apparitiones quinque modis. vt hic narrat Caietanus, à quo desumpsit, quæ docet Valentia tom. 3. disp. 6. q. 12. p. 2. tribus secundum sensus exteriores, & duobus secundũ interiores. primò ergo aliquando Dęmon offert sensibus vera corpora occultè, & celeriter aliunde exportata; vel obijcit sensibus corpora à se facta applicando actiua passiuis, sicut facti sunt serpentes per Magos Faraonis. Exodi. 7. & simile quid narrat D. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 18. de volucribus, in quas socij Diomedis, qui submersi fuerant, conuersi erant. secundò aliquando etiam Dæmon offert exterius non verum corpus, sed similitudinem aliquam corporis, ex naturalium tamen operatione consurgentem, vt Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 18. narrat de socijs Vlissis in bestias conuersis; & de arcadibus, quod cum stagnum quoddam traijcerent, vertabantur in lupos, sic etiam, vt notat Caietanus hoc in loco, Dæmones solent sæpè apparere in phialis aquæ, vel aliquo corpore polito, scilicet per aliquas similitudines corporis à Dæmonibus procuratas, cum ad hoc inuocantur, & frequenter accidit, cum Dęmones in assumptis corporibus humanis apparent vigilantibus, conuersantur cum eis familiariter colloquentes, & cõcumbentes, quandoque etiam munera vera afferentes eisdem, non enim habent veras carnes, & vera ossa, nec mẽbra, sed carnis, & membrorum similitudinem non solum visibilem, sed palpabilem, & solidam, itaut sentiantur tanquam humanę personæ, prout narrat Caietanus, se à personis fide dignis ex propria experientia narrantibus audiuisse; subiungit tamen idem Caietanus in duobus defficere ab humanis corporibus, primò in temperamento carnis, nam Dæmon confessus est, cũ eius caro quasi glacialis molesta esset tactui humanæ carnis, se non posse melius facere, non potest enim sic commiscere naturalia absque vera generatione hominis, vt carnem humanam efficiat; & simili ratione non potest semen humanum efficere propter perfectionem horum, & similium effectuum requirentium propria naturalia actiua perfecta. ex quibus patet, quod verissimum est, quod Christus post resurrectionem dixit, palpate, & videte, quia spiritus, seu dæmonium carnẽ, & ossa non habet, Ioannis 20. & Lucæ vlt. secundò in delectatione tactus, & concubitus, est enim tantò personarum humanarum commixtio naturalis delectabilior, quantò verum superexcedit verisimili. tertiò facit exterius aliqua apparere, quæ nec in veritate corpora sunt, nec corporum habent similitudinem, nec extra sunt, sed solum illudendo sensibus externis, itaut videatur homo sibi exterius videre, quod nullo modo est, quod facit commouẽdo spiritus, & humores, sicut ex simili commotione febricitãtes, & phrenetici videntur sibi videre similitudines varias in parietibus, & huiusmodi, vt habemus ex Arist. in lib. de somno, & vigilia. secundum etiam sensus interiores Dæmones causant apparitiones, sicut contingit in alienatione à sensibus, & quãdo sensus exteriores ligantur siue per nimiam attentionem, vt contingit, ait Caietanus, in superbis contemplatiuis, qui à Dæmone illuduntur in varijs imaginibus; siue per alterationum corporum, vt per vnctiones, vt accidit illis, qui se ire credunt vesperè quintæ feriæ ad ludos Dianæ, vel similia diabolica, quę licet esse in imaginatione afferat Caietanus experientia teste circa vetulam illam, de qua audiuit à persona fide digna, quod promiserat se ituram in camerã illius personæ, quæ tamen vetula in propria camera reperta est nuda insensibiliter constituta, quam etiam postea confusam conuertit; & circa aliam mulierem amãtem virum quemdam, à qua sciuit, quod Diabolus vnxit eam nudam suadens illi, quod sic duceret eam ad domum sui dilecti, & postmodum postquam fuit extra se multo tempore, & crederet se cum suo dilecto fuisse &c. inuenit se in suo loco ita laxatam, quod refectio-

ne

ne indiguit &c. non tamen negat, quin verè, & realiter aliquãdo huiusmodi mulieres Deo permittente de loco ad locum deferantur à Dæmone, licet hoc rarissimè accidere testetur. operatur etiam Dæmon in homine sine alienatione à sensibus, quemadmodum ex infirmitate accidit freneticis, qui vident, & audiunt, quæ non sunt. hæc omnia facit Dæmon intus in sensibus commouendo humores, spiritus, componendoq; diuersimodè, vt diffusè habet D. Thomas in 9. disp. de malo q. 16. quæ est de Dæmonibus.

Secunda species Diuinationis dicitur Diuinatio somniorum, & est quando homo à Dæmone responsum, & instructionẽ expectat per somnia de qua agemus infra. q. 15.

Tertia species est Nicromantia, quæ scilicet fit per mortuorum aliquorum apparitionem, vel locutionem, quod deducitur ex nominis etimologia, dicitur enim Nicromantia teste Isidoro in lib. 8. cap. 9. etimolog. à Necron, idest mortuus, & mantia, idest diuinatio, quia quibusdam præcantationibus adhibito sanguine videntur resuscitati mortui diuinare, & ad interrogata respõdere. pro quorum explicatione obserua, quod Nicromantia tunc exercetur, quando certis carminibus, quæ præcantationes à D. Thoma dicuntur, & adhibito sanguine, cuius amator est Dæmon, cruor enim aquæ immisceri solet in Nicromantia, vt facilius Dæmon prouocetur, mortui videntur resurgere, & loqui, & futura docere; licet enim Dęmon nullam animam reuocare possit ad hanc lucem, fingit tamen esse mortuum, assumendo corpus, ac si anima esset. aliqui tamẽ docent id præstare posse ex permissione Diuina, sicut fecit de Samuele, licet alij affirment Deum id fecisse, non Dæmonem, nec Phitonissam. Caietanus. 2. 2. q. 95. art. 4. ait, hanc litem adhuc sub Iudice esse. quod enim verè fuerit anima Samuelis, habetur Ecclesiastici. 46. vbi dicitur de Samuele, post hæc dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ. quod autem fuerit Dæmon in forma Samuelis, in decret. 26. q. 5. cap. nec mirum. habetur ex D. Augustino de Ciuit. Dei. Ad huiusmodi autem cadauera suscitanda sanguis adijcitur, vnde hæc diuinatio fieri solet in mortuis animalibus, vel in figura mortuorum animalium, vt ex quid nominis Nicromantiæ elicimus.

Quarta species diuinationis dicitur Diuinatio per Pitones, quæ exercetur, quando Dæmones futura prænunciant per homines viuos, & arreptitios, qui dicuntur Pytones ab Appolline Pithio, qui putabatur olim primus auctor diuinandi.

Quinta species dicitur Geomantia, quæ tunc exercetur, quando Dæmon docet per figuras, signa apparentia in aliquo corpore terrestri, vt in ligno, ferro, aut lapide polito.

Sexta species dicitur hydromantia, quę exercetur, quando Dæmon docet per figuras in aquis apparentes.

Septima species dicitur Aeromantia, quę tunc exercetur, cum Dęmon docet per figuras in aere apparentes.

Octaua species dicitur Piromantia, quę tunc exercetur, quando Dęmon docet per figuras in igne apparentes.

Nona species dicitur Aruspiciũ, quę tunc exercetur, quando Dęmon per signa apparentia in visceribus animalium sacrificatorum in aris futura prenunciat.

Hęc sunt species diuinationis, in quibus expresse inuocatur Dęmon.

Prima species diuinationis secundi generis dicitur Astrologia, siue Genethlia, quę tunc exercetur, quando ex motu, & situ siderum inquirũtur natalia hominum, vt ex his humanorum effectuum cognitio, & euentuum contingẽtium quęratur. verum de hac specie infra. q. 13. latior erit sermo, & iã supra verb. astrologia de hac egimus.

Secunda species vocatur Augurium, quod dicitur à garritu auium, quodque tunc exercetur, quando ex garritu auium, vel ex vocibus quorũcunque animalium, aut etiam ex sternutationibus hominum quęritur cognitio occultorum. verum hęc explicabuntur infra. q. 16.

Tertia species nuncupatur Auspicium sic dictũ ab inspectione auium, & tunc exercetur, quando ex volatu auium, aut ex alio motu quorumcunq; animalium quęritur cognitio occultarum rerũ.

Quarta species dicitur Omen, quod tunc exercetur, quando verba hominum casu aliquo prolatorum retorquet quis ad futurum, quod vult pręcognoscere.

Quinta species dicitur Chiromantia, quasi diuinatio manus à chiros, quod est manus, & mantia idest diuinatio, quę tunc exercetur, quando ex lineamentis, & figuris manuum inquiritur futurorum cognitio.

Sexta species vocatur Spatulamantia, quę tunc exercetur, quando ex quibusdam signis in spatula alicuius animalis apparentibus quęritur futurorum notitia.

Tertij generis diuinationis prima species est, quę exercetur ex consideratione eorum, quę eueniunt ex protractione punctorum facta seriò ab homine ad aliquid occultum inquirendum.

Secunda est sortilegium, quod cõsistit in actibus humanis consultò factis, siue fiat ex consideratione figurarum, quę proueniunt ex plumbo liquefacto, & in aqua proiecto, siue ex quibusdam schedulis scriptis, vel non scriptis in occultò repositis, dum consideratur quis quam recipiat; vel etiam ex festucis inæqualibus propositis quis maiorem, vel minorem accipiat; vel taxillorum proiectione, siue emissione quis plura pũcta proijciat, siue emittat; vel ex consideratione eius, quod aperienti librum primò occurrit. dum ergo ex istis cognitio inquiritur futurorum, est implicita Diuinatio, & inuocatio Dæmonum, quæ generali nomine dicitur sortilegium, verum de sortilegio, siue sortibus diffusior sermo habebitur infra. q. 17.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 4. cap. 15. à num. 4. vsque ad 8. Sairus lib. 4. clauis regiæ cap. 5. à num. 5. vsque ad 15. Valentia. 2. 2. disp. 6. quæst. 12. p. 3. Sanchez lib.

lib. 2. cap. 38. num. 39. & 44. & 46. Delrius lib. 4. cap. 3. q. 4. Lessius lib. 2. cap. 43. dub. 7 num. 45. Azorius p. p. lib. 9. c. 16. & alij.

Quæritur, an Diuinatio, quæ fit per inuocationem Dæmonum sit licita.

10 Respondeo dicendum, quòd omnis Diuinatio, quæ fit per inuocationes Dæmonum est illicita duplici ratione, quarum prima sumitur ex parte principij diuinationis, quod scilicet est pactum expressum cum Dæmone initum per ipsam Dæmonis inuocationem, & hoc est omnino illicitum; vnde contra quosdam dicitur Isaiæ 28. dixistis percussimus fædus cũ morte, & cum inferno fecimus pactum, & adhuc grauius esset, si sacrificium, vel reuerentia Dæmoni inuocato exhiberetur: secunda vero ratio sumitur ex parte futuri euentus, Dæmon enim, qui intendit perditionem hominum ex huiusmodi suis responsis, etiam si aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere adhoc, quod ei credatur, & sic intendit perducere in aliquid, quod sit saluti humanæ nociuum; vnde Atanasius exponens illud, quod habetur Lucæ 4. increpauit illum dicens, obmutesce, dicit, quamuis vera fateretur Dęmon, compescebat tamẽ Christus eius sermonem, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget, & nos etiam assuefaciat, ne curemus de talibus, & si vera loqui videatur, ne fas enim est, vt cum adsit nobis scriptura Diuina, à Diabolo instruamur. 2. 2. q. 95. a. 4. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. omnis diuinatio, quæ fit per inuocationem Dæmonum est illicita duplici ratione. probatur, quia huiusmodi diuinatio est illicita & propter diuinationis principium, quod est pactum expresse initum cũ Dæmone; & propter futurum ex hoc euentum, idest aliquid saluti humanæ nociuum.

Ex hac conclusione habemus diuinationem omnem, quæ fit per inuocationem Dæmonis esse peccatum mortale, nam talis diuinatio est illicita ex suo genere, quod genus contrarium est Virtuti Religionis, quæ est necessaria ad salutẽ, tale autem illicitum ex suo genere est peccatum mortale, vt notat Caietanus hoc in loco. circa primam rationem nota, quod nomine pacti initi cum dæmone duo possumus intelligere, primò conuentionem aliquam cum Dæmone factam, vt puta tu facias, aut dicas hoc, & ego hoc. secundò socialem actum cum Dæmone, & in hoc secũdo sensu sumitur à S. Thoma, quia ipse expresse in littera ait, quod est pactum expresse cum Dæmone initum per ipsam Dęmonis inuocationem, itaquod inuocatio expressa dæmonis est pactum expressum cum Dæmone initum, & inuocatio tacita est pactum tacitum, inuocatio autem est actus socialis. an autem hæc inuocatio dæmonum possit fieri absque cultu Dæmonis, legatur Caietanus hoc in loco. tantum ego obseruo grauitatem huius peccati ex hoc quod Dæmonum inuocatio dicitur socialis actus, societas enim cum hoste humani generis siue consumata, siue inita solùm est perniciosa, & læsæ Maiestatis Rea, & est contra fidelitatem Deo debitam, & contra nosmetipsos, quia Dæmones dolosi sunt semper, vbique, & in omnibus. hinc est, quod D. Augustinus in 2. de doctrina Christiana vocat hanc amicitiam infidelem, & dolosam; & proculdubio hæc societas ad apostasiam à fide pertinet, vt supra cum S. Thoma diximus. perspice ẽt ex alio capite huius peccati immanitatem, quòd sicut conuersatio, & familiaritas in hac vita cum Angelis, & Sanctis apparentibus aliquando nobis inchoata quædam Patriæ fælicitas est, ita societas, & familiaritas cum Dæmonibus inchoata damnatio est, & initium æternæ damnationis, & consequenter talis societas est iniquitas consumata.

Quæritur, an liceat inquirere aliquid à Dæmone sponte occurrente.

11 Respondeo dicendum, quòd inquirere aliquid à Dæmone sponte occurrente quandoq; licet propter vtilitatem aliorum, maximè quando Diuina virtute potest compelli ad vera dicenda: Dęmonem autem inuocare ad cognitionem occultorum acquirendam ab ipso nunquam licet. 2. 2. q. 95. a. 4. ad 1.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarũ prima est. inquirere aliquid à Dæmone sponte occurrente quandoque licet propter vtilitatem aliorum, maximè quando Diuina virtute potest compelli ad vera dicenda. secunda conclusio. Dæmonem inuocare ad cognitionem occultorum acquirendam ab ipso nũquam licet. hæ duæ conclusiones relinquuntur, vt notæ.

Primam conclusionem probat exemplũ Christi, qui, vt habemus Mathei 5. à Dæmone interrogauit, quod sibi nomen est, qui respondit, legio, multi enim sumus, quod considerans Beda lib. 3. in Lucam ait, non velut inscius Dominus inquirit, sed vt confessa peste, quam tolerabat, virtus curantis gratior emicaret.

Quæritur, quantum sit detrimentum ex inuocatione Dæmonum proueniens.

12 Respondeo dicendum, quòd nulla vtilitas temporalis potest comparari detrimento spiritualis salutis, quod immi-

net ex inquisitione occultorum per Dæmonum inuocationem. 2.2.quæst. 95. art. 4. ad 3.

Nullam vtilitatem temporalem posse comparari detrimẽto spiritualis salutis, quod imminet ex inquisitione occultorum per Dæmonum inuocationem, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ex hac doctrina habemus per nullam vtilitatem temporalem, quamuis maximam, licitum esse dæmonem inuocare, & ab eo inquirere occulta, quia salus spiritualis animæ, quæ in huiusmodi inuocatione periclitatur, prçponderat cuilibet bono temporali, licet maximo.

Quæritur, an Diuinatio, quæ fit per astra sit illicita.

13 Respondeo dicendum, quòd Diuinationi, quæ ex opinione falsa, vel vana procedit, ingerit se operatio Dæmonis, vt hominũ animos implicet vanitati, aut falsitati: vana autem, aut falsa opinione vtitur, si quis ex consideratione stellarum futura velit prægnoscere, quæ per ea præcognosci non possunt: est ergo considerandum, quid per cælestium corporum inspectionem de futuris possit præcognosci, & de his quidem, quç ex necessitate eueniunt manifestum est, quòd per consideratione̅ stellarum possunt præcognosci, sicut Astrologi prænunciant eclipses futuras. Circa præcognitionem vero futurorum euentuũ ex consideratione stellarum diuersi diuersa dixerunt. Fuerunt enim, qui dicerent, quòd stellæ potius significant, quàm faciant ea, quæ ex earum consideratione prænunciantur: sed hoc irrationabiliter dicitur: omne enim corporale signum, vel est effectus eius, cuius est signum, sicut fumus significat ignem, à quo causatur, vel procedit ab eadem causa, & sic dùm designat causã, per consequens significat effectum, sicut iris quandoque significat serenitatem inquantùm causa eius, est causa serenitatis, non potest autem dici, quod dispositiones cælestium corporum, & motus sint effectus futurorum euentuum, nec iterum possunt reduci in aliquam superiorem causam communem, quæ sit corporalis, possunt autem reduci in vnam causam communem, quæ est prouidentia Diuina: sed alia ratione disponuntur à Diuina prouidentia motus, & situs cælestium corporum, & alia ratione euentus contingentium futurorum, quia illa disponuntur secundùm rationem necessitatis, vt semper, & eodem modo proueniant; hæc autem secundùm rationem contingentiæ, vt variabiliter contingãt: vnde non potest esse, quod ex inspectione syderum accipiatur præcognitio futurorum, nisi sicut ex causis prçcognoscuntur effectus: duplices autem effectus subtrahuntur causalitati cælestium corporum, primò quidem omnes effectus per accidens contingentes, siue in rebus humanis, siue in rebus naturalibus; quia vt probatur in 6. Mataph. ens per accidens non habet causam, & præcipuè naturalem, cuiusmodi est virtus cælestium corporum, quia quòd per accidens fit, neque est ens proprium, neque vnum, sicut quòd lapide cadente fiat terrçmotus, vel quòd homine fodiente sepulcrum inueniatur thesaurus, hæc enim, & huiusmodi non sunt simpliciter vnum, sed simpliciter multa; operatio autem naturæ semper terminatur ad aliquid vnum, sicut, & procedit ab vno principio, quòd est forma rei naturalis; secundò autem subtrahũtur causalitati cælestium corporũ actus liberi arbitrij, quod est facultas voluntatis, & rationis intellectus enim, siue ratio non est corpus, nec actus organi corporei, & per consequens, nec voluntas, quæ est in ratione, vt patet per phylosophum in 3. de anima, nullum autem corpus potest imprimere in rem incorpoream; vnde impossibile est, quòd corpora cælestia directè imprimant in intellectum, & voluntatem, hoc enim esset ponere intellectum non differre à sensu, quòd Aristoteles in lib. primò de anima imponit his, qui dicebant, quòd talis voluntas est in hominibus, qualem *in die in*ducit Pater viuorum, Deorumque, scilicet sol, vel cœlum; vnde corpora cælestia nõ possunt esse per se causa operationum liberi arbitrij, possuut tamen adhoc dispositiuè inclinare inquantùm inprimũt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitiuas, quæ sunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus; quia tamen vires sensitiuæ obediunt rationi, vt patet per phylosophum in 3. de anima, & primò eth. nulla necessitas ex hoc libero arbitrio imponitur, sed contra inclinationem cælestium corporũ homo potest per rationem operari: si quis ergo cõsideratione astrorum vtatur ad præcognoscendos futuros casuales, vel fortuitos euentus, aut etiam ad cognosendum

per

per certitudinem futura opera hominum procedit hoc ex falsa, & vana opinione; & sic operatio Dæmonis se immiscet; vnde erit Diuinatio superstitiosa, & illicita, si verò aliquis vtatur consideratione astrorum ad præcognoscendum futura, quæ ex cælestibus causantur corporibus, puta siccitates, & pluuias, & alia huiusmodi, non erit illicita Diuinatio, nec superstitiosa. 2.2.quæst.95. art. 5. in corp. (opusculo 26.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæstioni, quarum prima est. si quis consideratione astrorum vtatur ad præcognoscendum futuros casuales, vel fortuitos euentus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum, procedit hoc ex vana, & falsa opinione, & sic operatio Dæmonis se immiscet, vnde erit diuinatio superstitiosa, & illicita. probatur prima pars, quia causalitati corporum cælestium re vera subtrahuntur omnes effectus per accidens contingentes etiam in naturalibus, & actus liberi arbitrij. cæteræ partes patent. secunda conclusio, si aliquis vtatur consideratione astrorum ad præcognoscendum futura, quæ ex cælestibus causantur corporibus, vt siccitatem, pluuias, & alia huiusmodi, non erit illicita diuinatio, nec superstitiosa. probatur, quia cognoscere effectus ex causa sua, qui possunt ex illa esse, non est illicitum, neque superstitiosum.

Ad declarationem huius litteræ explicãdum est, in quo formaliter consistat illicita inquisitio occultorum per cælestia, & dicendum, quod in hoc consistit, quod est vana, aut falsa, ita quod illa sola inquisitio occultorum per astra est illicita, quæ est vana, aut falsa. tunc autem est vana, aut falsa, quando per ea vult quis præcognoscere, quę per ipsa cęlestia pręcognosci nequaquã possunt; si enim præcognosci possent, non esset inquisitio vana, aut falsa, nec illicita, nec superstitiosa, nec talis, vt ei Dæmon se immisceat, nec est prohibita, & ista sunt ea, de quibus loquitur secunda conclusio. si autem per cælestia cognosci nequeunt, inquisitio ipsa ex sua temeritate meretur, vt Dæmon se immisceat, & superstitiosa est, pernicies animæ est, damnata ab Ecclesia est, & prohibita, & ista sunt ea, de quibus loquitur prima conclusio, vt futuri casuales, vel fortuiti euẽtus, & actus liberi arbitrij, & multò magis ea, quæ Pater posuit in sua potestate, vnde in Concilio Lateranensi sub Leone decimo sess. 11. sancitum est. tempus quoq; præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem iudicij prædicare, vel asserere nequaquam præsumant, cum veritas dicat, non esse nostrum nosse tempora, vel momenta. si quis ergo Astrologus situ, & motu astrorum vtatur ad cognoscendos futuros casuales effectus, aut actus liberi arbitrij, eosque certò euenturos prænunciet, nedum peccat mortaliter sed etiam puniendus est per Ordinarios locorum, aut Inquisitores, quorum censuræ subijciuntur ex constitutione Sixti quinti huiusmodi Astrologi iudiciarij, qui scilicet certum iudicium dant circa dependentia à libero arbitrio, pro quorum maiori explicatione obseruandum est ex Caietano hoc in loco, quod aliud est velle scire per certitudinem quid futurum sit, & aliud est scire per coniecturam, quantum scilicet est ex tali inclinatione: inquirere per certitudinem, cognitionem futurorum contingentium ex cælestibus est vanum, superstitiosum, diabolicum, & ab Ecclesia damnatum, & meritò, quia futura contingentia non de necessitate causantur à cælo. inquirere autem cognitionem inclinationum siue hominum, siue aliarum rerum corporearum ad electiones nostras, quæ naturæ facultatem non excedunt, & alia casualia, siue fortuita, non est malum, nec damnatum, quia tales inclinationes sunt effectus corporum cælestium, cognoscere autem effectus causarum naturalium per eas non est malum; & de cognitione certa futurorum operum hominum loquitur, vt patet, prima conclusio, quæ statuitur contra Astrologos iudiciarios. verum hæc diffusè explicauimus supra verb. Astrologia. q. 1. vbi et notauimus constitutionem Vrbani Octaui contra huiusmodi Astrologos iudiciarios, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut eius consanguineorum iudicia facere, nec non eos, qui illos desuper consulere præsumpserint. consulat lector eum locum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Valentia. 2.2.disp.6.q. 12.p.4. Martinus Delrius lib. 4. c. 2. Lessius lib. 2. ca. 43. Sanchez in summa lib. 2.c.38. num.33. Suarez lib. 2. de superstitione. ca. 11. Reginaldus lib. 17.num.172. Azorius p.p. lib.9.c.13. & alij.

Quæritur, quare astrologi aliqua vera de hominibus prænunciant.

14 Respondeo dicendum, quòd astrologi ex cõsideratione astrorum frequenter vera prænuncient contingit dupliciter: vno quidem modo, quia plures hominum passiones corporales sequuntur, & ideò actus eorum disponuntur, vt in pluribus secundùm inclinationem cælestium corporum, pauci autem sunt, idest soli sapientes, qui ratione huiusmodi inclinationes moderẽtur: & ideò astrologi in multis vera prænunciant, & præcipuè in communibus euẽtibus, qui dependent ex multitudine, alio modo propter Dæmones se immiscentes; vnde Augustinus in 2. super Genesim ad litteram dicit, fatendum est quando à mathematicis vera dicuntur; instinctu quodam altissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur, quòd tamen ad decipiendos homines fit spirituum immundorum operatione, qui quædam vera de tem-

temporalibus rebus nosse permittuntur; vnde concludit, qua propter bono Christiano, siue matematici, siue quilibet impiè diuinantium, & maximè dicentes vera, cauẽdi sunt, ne consortio Dæmoniorum animam deceptam pacto quodam societatis irretiant. 2.2.q.95.a.5.ad 2.

Conclusione vnica respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. Astrologi in multis vera prænunciant, & præcipuè in communibus euentibus, qui dependent ex multitudine, & hoc ex duplici capite. probatur, quia primò plures hominum passiones corporales sequuntur, & ideò actus eorum disponuntur, vt in pluribus secundum inclinationem cælestium corporum, pauci autem sũt, idest soli sapientes, qui ratione huiusmodi inclinationes moderentur. secundò propter Dæmones se immiscentes. quod probatur auctoritate D. Augustini.

Duas ex hac littera habemus causas, per quas Astrologi in multis vera prænunciant, quarum prima est pluralitas hominum sequentium passiones corporales, sequentium sensum, qui subditur causalitati corporum cælestium. secundò est operatio Dæmonum se immiscentium in huiusmodi futurorum cognitione.

Quæritur, an Diuinatio, quæ fit per somnia, sit illicita.

15 Respondeo dicendum, quòd considerare oportet, quid sit verum circa præcognitionem futurorum de somnijs: sunt autem somnia futurorum euentuum quandoque quidem causa, puta cum mens alicuius solicita ex his, quæ videt in somnijs inducitur ad aliquid faciendum, vel vitandũ: quandoq; verò somnia sunt signa aliquorum futurorum euentuum inquantùm reducuntur ad aliquam causam communem somnijs, & futuris euentibus; & secundùm hoc plurimum præcognitiones futurorum in somnijs fiunt: est ergo considerandum, quæ sit causa somniorum, & an possit esse causa futurorum euentuum, vel ea possit cognoscere: sciendum est ergo, quod somniorum quidem quandoque est causa interius, quandoque exterius; interior autem somniorum causa est duplex, vna quidem animalis, inquantùm scilicet ea occurrunt hominis phantasiæ in dormiendo, circa quæ eius cogitatio, & affectio fuit immorata in vigilando, & talis causa somniorum non est causa futurorum euentuum; vnde huiusmodi somnia per accidens se habent ad futuros euentus, & si quandoq; simul concurrant, erit casuale; quandoq; vero causa intrinseca somniorum est corporalis, nam ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia conueniens tali dispositioni, sicut homini, in quo abundant frigidi humores occurrunt in somnijs, quòd sit, vel in aqua, vel niue, & propter hæc medici dicunt esse intendendum somnijs ad cognoscendum interiores dispositiones: causa autem somniorum exterior similiter est duplex, scilicet corporalis, & spiritualis; corporalis quidem inquantùm imaginatio dormientis immutatur vel ab aere continenti, vel ex impressione corporis cælestis, vt sic dormienti aliquæ phantasiæ appareant conformes cælestium dispositionum: spiritualis autem est, quandoq; quidem à Deo, qui ministerio Angelorum aliqua hominibus reuelat in somnijs, secundùm illud numeri 12. si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei vel per somnium loquar ad illum, quandoq; vero operatione Dæmonum aliquæ phantasiæ dormientibus apparent, ex quibus quandoque aliqua futura reuelant his, qui cum eis habent pacta illicita: sic ergo dicendum, quòd si quis vtatur somnijs ad præcognoscenda futura secundùm quòd somnia procedunt ex reuelatione Diuina, vel ex causa naturali intrinseca, siue extrinseca quantùm potest se virtus talis extendere, non erit illicita Diuinatio, si autem huiusmodi Diuinatio causetur ex reuelatione Dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa; quia ad hoc inuocantur, vel tacita quia huiusmodi Diuinatio extenditur, ad quod se nõ potest extendere, erit Diuinatio illicita, & superstitiosa. 2.2.q.95.a.6.in corp. (2.sent. d.7.q.2.a.2. ad 6.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est, si quis vtatur somnijs ad præcognoscenda futura, secundùm quod somnia procedunt ex reuelatione Diuina, vel ex causa naturali intrinseca, siue extrinseca, quantum potest se virtus talis intendere, nõ erit illicita diuinatio. probatur prima pars, quia Deus ministerio Angelorum aliqua hominibus reuelat in somnijs, vt patet ex Num.12. ergo &c. probatur secunda pars, non ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia conueniens tali dispositioni, ergo &c. probatur tertia pars, quia immaginatio dormientis immutatur vel ab aere continenti, vel ex impressione corporis cælestis, vt sic dormienti aliquę phãtasiæ appareant conformes cælestium dispositioni, ergo &c. secunda conclusio. si diuinatio per somnia causetur ex reuelatione Dæmonum, cum quibus

quibus pacta habentur expressa, quia adhoc inuocantur, vel tacita, quia huiusmodi diuinatio extenditur, ad quod non potest se extendere, erit diuinatio illicita, & superstitiosa. hæc relinquitur vt nota ex se, & ex supradictis.

Non est dubitandum aliqua Deum reuelasse suis seruis in somnijs, sicut fecit Ioseph. Genesis. 41. & Daniel, cap. 2. & 4. & in nouo testamento alteri Ioseph Sponso Beatissimæ Virginis Mariæ, vt legitur Mathei. cap. 1. & 2. seclusa tamen reuelatione, seclusa etiam causalitate causæ naturalis intrinsecæ, siue extrinsecæ respectu effectuũ, ad quos virtus illarum potest se extẽdere, vt dicit prima conclusio, obseruare somnia est temerarium periculosum, & illicitum. est, inquam, temerarium ex duplici capite, scilicet ex parte principij, & ex parte termini, ratione, inquam, principij, dum somnium temerè attribuitur alicui certæ causæ, puta cælo, quia cum possit à multis causis prouenire, vt in littera dicitur, à causa scilicet extrinseca, à corpore nempe circonstante, vt aere, à quo immaginatio excitatur, à cælo naliter imprimente, ab Angelo bono, vel malo; & etiam à causa intrinseca, puta cogitatione pręcedente in vigilia, solemus enim somniare ea, quæ cogitauimus, & à naturali complexione, temeritatis est vnum determinatè inferre, inquit Caietanus in summula verb. somniorum obseruatio. rursus temerarium est ex parte termini, dum somnium determinatur ad futurum vnum aliquid significandum, ex hoc enim quod ignoratur causa somnij, remanet incertum, an somnium significet illud futurum, quia ex causa pendet significatio, somnium autem posse prouenire ex multis causis iam dictum est, nec putandum est ita ex hac causa prouenire, quin etiã possit ab alia procedere, & ideò semper temerarium inuenitur iuditium, si vt certum fiat. est etiam periculosũ, quia dum quis vanis, & incertis coniecturis vtitur quasi certis ad cognoscendum futura, meretur, vt diabolica illusio se immisceat, ac de vanis fiant perniciosa, & sic in tacitam Dæmonum societatem incidatur, dum paulatim ita homo credit somnijs, vt somnijs vtatur pro regula suarum actionum. hinc aduertit Sairus lib. 4. clauis regiæ cap 5. n. 7. ne quis temerè ex somnijs aliquid sibi certò persuadeat, cum videantur euentu cõprobari, quia accidit, vt vel casu postea res eueniat, vel Dæmone procurante, vt hac ratione facilius hominem per somnia illaqueare possit, & consequenter erit etiam illicitum, & profectò peccatum mortale, & grauissimum. seclusa tamẽ Dæmonis operatione poterit esse in somniorum obseruatione peccatum tantum veniale, & aliquando mortale. tunc aderit peccatum veniale, quando licet adsit temeritas tam ex parte principij, quam ex parte termini, est tamen iudicium temerarium de re singulari in nullius damnum. est etiam peccatum veniale, cum quis tantam fidem adhibet somnijs, vt per hoc omittat, vel cõmittat contra aliquid, adquod tenetur, quamuis illud non sit de necessitate salutis, vt dicit Caietanus in summula verb. somniorum obseruatio. ratio est, quia non contra, sed præter Charitatẽ agitur, & erratur in intellectu, & peccatur in affectu. tunc autem erit peccatum mortale, quando quis per somnia committit, vel omittit contra necessaria ad salutem. ab hac ergo somniorũ obseruatione abstinendum est, scriptum est enim Ecclesiastici 34. multos errare fecerunt somnia. quia autem in littera dicitur somnia posse procedere ex reuelatione Diuina aliquando, & aliquando ex operatione Dæmonis, videndum est, quomodo discerni possint somnia huiusmodi, & dicendum, quod si somnium impellat aliquem ad opus malum, iudicandum est illud esse à Dæmone; è conuerso verò, si moueat somniantem ad opus bonum, putandum erit esse à Deo, licet etiam tunc illud opus faciendum sit cum timore, nisi adsit alia causa illud agendi, Diabolus enim aliquando transfigurat se in Angelum lucis, vt hac ratione facilius homines decipere possit. si iterum post somnium animus somniantis maneat confusus, turbatus, & minus aptus ad opus spirituale, & bonum, signum est tale somnium à Dęmone prouenire; è contrario verò, si post somnium animus somniantis remanet pacatior, hilarior, & promptior ad bonum, putandum erit esse à Deo. semper tamen opus est prudentia, & petendum lumen à Deo, quo possimus spiritus dijudicare, & bonum à malo discernere. concludamus ergo adhibendam esse tantum fidem somnijs, quę ex reuelatione Diuina, vel etiam ijs, quæ à causa naturali proueniunt, quo ad ea tamen tantùm, quæ per ipsa cognosci possunt, vt exemplificabatur in littera, non quo ad alia, adquæ naturaliter non se extendunt; istis, inquam, adhibere fidem aliquam, & ex his desumere aliquam suspicionem de futuris contingentibus, non tamen certam cognitionem, non est illicitũ, cum nil superstitionis contineant; cæteris verò somnijs nulla fides prorsus adhibenda est.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Sairus lib 4. clauis regiæ ca. 5. n. 7. Suarez lib. 2. de superstitione. cap. 13. Sanchez in summa lib. 2. cap. 38. num. 35. Valentia. 2. 2. disp. 6. quæst. 12. p. 3. & alij.

Quæritur, an Diuinatio, quæ fit per auguria, & Omina, & alias huiusmodi obseruationes exteriorum rerum, sit illicita.

16 Respondeo dicendum, quòd motus, & garritus auium, vel quæcunque dispositiones in huiusmodi rebus cõsideratæ manifestum est, quod non sunt causa futurorum euentuũ; vnde ex his futura cognosci non possunt sicut ex causis, relinquitur ergo quod si ex eis aliqua futura cognoscantur, hoc erit inquantùm sunt effectus aliquarum causarum, quæ etiam sunt causantes, vel præcognoscentes futuros euentus; causa autem operationum brutorum animalium est instinctus quidam, quo mo-

uentur motu naturali, non enim habent dominium ſui actus, hic autem inſtinctus poteſt ex duplici cauſa procedere, vno quidem modo ex cauſa corporali cũ enim bruta animalia non habeant, niſi animam ſenſitiuam, cuius omnes potentiæ ſunt actus corporalium organorum, ſubiacet eorum anima diſpoſitioni cõtinentium corporũ, & primordialiter cæleſtium; & ideò nihil prohibet aliquas eorum operationes eſſe futurorum ſigna, inquantùm conformantur diſpoſitionibus corporum cæleſtium, & aeris continentis, ex quibus proueniunt aliqui futuri euentus: in hoc tamen duo conſiderari oportet, primùm quidem vt operationes huiuſmodi nõ extendantur, niſi ad præcognoſcenda futura, quæ cauſantur per motus cæleſtiũ corporum; ſecundò vt non extendantur, niſi ad ea, quæ aliqualiter poſſunt ad huiuſmodi animalia pertinere: conſequuntur enim per cæleſtia corpora cognitionem quandam naturalem, & inſtinctum ad ea, quę corũ vitę ſunt neceſſaria, ſicut ſunt immutationes, quæ fiunt per pluuias, & ventus, & alia huiuſmodi; alio modo inſtinctus huiuſmodi cauſantur ex cauſa ſpirituali, ſcilicet vel ex Deo, vt patet in columba ſuper Chriſtum deſcendente, & in coruo, qui pauit Heliam, & in Cete, qui euomuit, & eiecit Ionam, vel ẽt ex Dæmonibus qui vtuntur huiuſmodi operationibus brutorum animalium ad inplicandos animos hominum vanis opinionibus, & eadem ratio videtur eſſe de omnibus alijs huiuſmodi, præterquam de ominibus, quia verba humana, quæ accipiuntur pro Omine non ſubduntur diſpoſitioni ſtellarum, diſponuntur tamen ſecundùm Diuinam prouidentiam, & quandoq; ſecundùm Dęmonum operationem: ſic ergo dicendum, quod omnis huiuſmodi Diuinatio, ſi extendatur vltra illud, ad quòd poteſt pertingere ſecundùm ordinem naturę, vel Diuinæ prouidentiæ, eſt ſuperſtitioſa, & illicita. 2.2.q.95.a.7. in corp.

Concluſione vnica reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. omnis huiuſmodi diuinatio, ſi extendatur vltra illud, ad quod poteſt pertingere ſecundum ordinem naturæ, vel Diuinæ prouidentiæ, eſt ſuperſtitioſa, & illicita. hæc relinquitur vt nota ex terminis.

Pro explicatione huius litteræ obſeruandum eſt, quod, vt iam diximus, augurium fit per garritus animalium, ſeu auium, ſicut auſpicium per volatus auium, Omen autem fit per verba alicu us hominis caſu aliquo, & aliqua intentione prolata, & ex his vult cognoſcere futurũ, vt quia miles dixit ſocio, Siſtam, Dux audiẽs hæc verba non vult ducere exercitũ. circa ergo auguriũ, & auſpiciũ nota, ꝙ animalia bruta ducuntur in ſuis operationibus inſtinctu naturali, cũ non habeãt dominium ſuorum actuum. hic autem inſtinctus ex duplici poteſt procedere cauſa, ſcilicet à cauſa naturali extrinſeca, nempe diſpoſitione corporum continentium, vt aeris, & præcipuè cæleſtium; & à cauſa ſpirituali, puta à Deo, vt patet in columba ſuper Chriſtum deſcendente, & in coruo, qui pauit Eliam, & in Cete, qui euomuit Ionam; & etiam à Dæmone, qui vtitur huiuſmodi operationibus brutorum ad implicandos animos hominum vanis opinionibus. hoc ſtante dico primò, licitum eſſe per garritus, & volatus auium præcognoſcere futura, quæ cauſantur per motus cæleſtium corporum, & quæ aliqualiter poſſunt ad huiuſmodi animalia bruta pertinere, vt immutationes per pluuias, ventus, & alia huiuſmodi, hæc enim naturaliter talia animalia prænunciare ſolent, quia conſequuntur per cæleſtia corpora cognitionem quandam naturalem, & inſtinctum ad ea, quæ eorum vitæ ſunt neceſſaria, vt Mergi mare linquentes ſignificant tempeſtatem futuram, Veſpertiliones longè volantes à domibus ſignificant ſerenitatem, corui volitantes, & ſæpè crocitantes circa domum aliquã ſignificant mortem proximè futuram alicuius infirmi, cuius fætorem à longe huiuſmodi bruta, vtpote vi perſpicacis odoratus, ſentiunt. dico vlterius multò magis nos poſſe præcognoſcere futura ex operationibus auium, ſi à Deo ſic per ſuã prouidentiam diſponente moueantur, vnde aliquos cognoſcimus futuros Pontifices indicio columbæ ſuper eos volantis vt legimus de S. Fabiano, & patet ex exemplis in littera allatis. dico tertiò, quod diuinatio, quæ ita fit per auguria, & auſpicia, vt extendatur vltra illud, ad ꝙ pertingere poteſt ſecundum ordinem inſtinctus naturalis, vel Diuinæ prouidentiæ, eſt illicita, & ſuperſtitioſa, quia tunc adeſt tacita dæmonis inuocatio, qualia ſunt contingentia, quæ à libero hominis arbitrio pendent, vel à ſola voluntate; & hæc diuinatio prohibita eſt in ſacris litteris Deut. 18. non inueniatur in te, qui obſeruet auguria; & Leuit. 19. non augurabimini. poſſet tamen aliquis arguere, quod aliqui Sancti; & Deo cari habuerint ſcientiam augurandi, de qua etiã gloriabantur, vt patet de Ioſeph. Geneſis. 44. qui dixit fratribus ſuis, an ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia? reſpondetur tamen, hoc Ioſeph dixiſſe non ſeriò, ſed ioco referens hoc ad vulgi opinionem, quam habebat de illo, ſicut diſpenſator ipſius Ioſeph paulò ante dixerat, ſchiphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.

Circa Omen ſciendum eſt, quod vt in littera dicitur, verba humana, quæ accipiunt pro Omine, non ſubduntur diſpoſitioni ſtellarum, diſpo-

nantur tamen quandoq; secundum Diuinā prouidentiam, vt patet de Gedeone, qui vt legitur Iud.7. obseruauit recitationem,& expositionem somnij accipiens ea pro Omine quasi ordinata ad sui instructionem à Diuina prouidentia; & Genesis 24. de Eliezer seruo Abrahæ, qui attendit verba puellæ oratione præmissa ad Deum, & tunc diuinatio,quæ dicitur Omen,est licita. disponuntur quandoq; etiam verba humana secundum operationem Dæmonum,& tunc erit illicita, & superstitiosa, vt patet.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib.4.cap.15.num.7. Saiurus lib.4.cap.5.num.13.

Quæritur, an Diuinatio sortium sit illicita.

17 Respondeo dicendum, quòd sortes propriè dicuntur, cum aliquid fit, vt eius euentu considerato aliquid occultum innotescat: & quidem si quæratur iudicio sortium, quid cui sit adhibendum, siue illud sit res possessa,siue sit honor, siue Dignitas, seu pœna, aut actio aliqua, vocatur sors diuisoria; si autem inquiratur, quid agere oporteat, vocatur sors consultoria; si vero quæratur quid sit futurum, vocatur sors Diuinatoria; actus autem hominum, qui requiruntur ad sortes non subduntur dispositioni stellarum, nec etiā euentus ipsorum; vnde si quis ea intentione sortibus vtatur, quasi huiusmodi actus humani, qui requiruntur ad sortes secundùm dispositionem stellarum sortiantur effectum, vana, & falsa est opinio, & per consequens non carens Dæmonum suggestione, ex quo talis Diuinatio erit superstitiosa, & illicita, hac autem causa remota necesse est, quod sortialium actuum expectetur euentus, vel ex fortuna, vel ex aliqua spirituali causa dirigente; & si quidem ex fortuna, quod locum habere potest solum in diuisoria sorte, non videtur habere, nisi fortè vitium vanitatis, sicut si aliqui non volentes aliquid concorditer diuidere, velint sortibus ad diuisionem vti, quasi fortunæ exponentes quis quam partem accipiat; si verò ex spirituali causa expectetur sortium iudicium, quandoque quidem expectatur ex Dæmonibus, sicut legitur Ezech. 21. quòd Rex Babilonis stetit in biuio in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiscens sagittas interrogauit idola,& ea consuluit, & tamē sortes sunt illicitæ, & secundùm canones prohibentur, quandoq; vero expectatur à Deo secundùm illud prouerb. 16. sortes mittuntur in signum, sed à Domino temperantur, & talis sors secundùm se non est malum, vt Augustinus dicit super Lucam: potest tamen in hoc quadrupliciter peccatum incidere, primò quidem si absque vlla necessitate ad sortes recurratur, hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere; vnde Ambrosius dicit super Lucam, qui sorte eligitur humano iudicio non cōpræhenditur; secundò si quis etiam in necessitate absque reuerantia Dei sortibus vtatur; vnde super actus Apostolorum dicit Beda, sed si qui necessitate aliqua compulsi Deū putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant, hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis egisse; tertiò si Diuina oracula ad terrena negocia conuertantur; vnde Augustinus dicit ad inquisitiones Ianuarij, his qui de paginis Euangelicis sortes legunt, etsi optandum sit, vt potius faciant, quàm ad Dæmonia consulenda concurrant, tamen ista mihi displicet consuetudo, ad negocia sæcularia, & ad vitæ huius vanitatem Diuina oracula velle conuertere: quartò si electionibus Ecclesiasticis, quæ spiritus Sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus vtantur; vnde sicut Beda dicit super actus Apostolorum, Matthias ante Pentecostem ordinatus sorte quæritur, quia scilicet notanda erat plenitudo Spiritus Sancti in Ecclesia effusa; septem autem Diaconi postea non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati; secus autem est in temporalibus dignitatibus, quæ ad terrenam dispositionem ordinantur, in quarum electione plerumq; homines sortibus vtuntur, sicut, & in temporalium rerum diuisione; si verò necessitas immineat, licitum est cum debita reuerentia sortibus Diuinum iudicium implorare; vnde Augustinus dicit in epistola ad Honoratum, si inter Dei ministros sit disceptio, qui eorum persecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia, si hæc disceptatio aliter non poterit terminari, quantùm mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant sorte eligendi sunt; & in primo de Doctrina Christiana dicit, si cui abundaret aliquid, quod oporteret dari eis, qui non haberent, nec duobus dari potuisset, si sibi occurrant duo, quo-

quorum neuter alium, vel indigentia, vel vrgente aliqua necessitate superaret, nihil iustius faceres, quàm vt sortè eligeres, cui dandum esset, quod dari vtriq; non possunt. 2.2.q.95.a.8. in corp. (Ecc. 4. cap. 1. ad ephesios (Lect. 3. cap.1.ad Colossenses (opusculo 25.cap.5.

Quintuplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si quis ea intentione vtatur sortibus quasi actus humani, qui requiruntur ad sortes, secundum dispositionem stellarum sortiantur effectum, vana, & falsa est opinio, & per consequens non carens Dæmonum ingestione, ex quo talis diuinatio erit superstitiosa, & illicita. probatur prima pars, quia actus humani, qui requiruntur ad sortes, non subdūtur dispositioni stellarum, nec euentus ipsorum. cæteræ partes patent. secunda conclusio. si sortialium actuum expectatur euentus ex fortuna, quod locum habere potest solum in diuinatoria sorte, non videtur habere nisi forte vitium vanitatis. probatur exemplo in temporalium rerum diuisione. tertia conclusio. si expectetur sortium iuditium ex Dæmonibus, tales sortes sunt illicitæ, & per canones prohibentur. prima pars patet de se. secunda pars præsuponitur ex decretis 26. q. 5. cap. sortes. quarta conclusio. si expectatur iudicium sortium à Domino, talis sors secundum se non est malum, potest tamen in hoc quadrupliciter peccatum incidere. probatur prima pars ex D. Augustino. probatur secunda pars, quia primò peccatum interueniet, si vel absque necessitate vlla ad sortes recurratur, quia hoc videtur ad Dei tentationem pertinere. quod probatur ex D. Ambrosio. secundò si quis etiam in necessitate absq; reuerentia Dei sortibus vtatur; quod probatur ex Beda. tertiò si diuina oracula ad terrena negotia conuertantur. quod probatur ex D. Augustino. quartò si in electionibus Ecclesiasticis, quæ Sancti Spiritus inspiratione fieri debent, aliqui sortibus vtātur. quod probatur ex Beda. secus autem est in temporalibus dignitatibus, quæ ad terrenam dispositionem ordinantur, in quarum electione plerumq; homines sortibus vtuntur. quod probatur à simili in rerum temporalium diuisione. quinta conclusio. si necessitas immineat, licitum est cū debita reuerentia sortibus Diuinum iuditiū implorare. probatur ex D. Augustino.

Ex hoc textu D. Thomę habemus. primò quod quid est sortium, quod sortes propriè dicuntur, cum aliquid fit, scilicet ab homine, vt eius euentu considerato aliquid occultum innotescat. idē habemus opus. 25. cap. 1. idem docet S. Antoninus. p. 2. tit. 12. c. 1. §. 8. Siluester verb. superstitio. q. nona. Tabiena verb. sors §. 1. secundò habemus diuisionem sortium, quod sors alia est diuisoria, vt si eius iuditio quæratur, quid cui sit adhibendum, siue illud sit res possessa, siue sit honor, siue dignitas, seu pæna, seu actio aliqua. alia est consultoria, vt si quæratur, quid agere oporteat. alia est sors diuinatoria, vt si quæratur, quid sit futurum. tertiò habemus euentus sortium expectari posse à triplici causa, scilicet cælo, fortuna, vel spirituali causa, vt à Deo, vel etiam Dæmone. si expectetur è cælo quasi actus humani, qui ad sortes requiruntur secundum dispositionem stellarum sortiantur effectum, vana, & falsa est opinio, & per consequens non carens Dæmonum ingestione, ex quo talis diuinatio erit superstitiosa, & illicita, vt dicit prima conclusio, quæ profectò verissima sunt, quia cum actus humani, qui requiruntur ad sortes, & euentus ipsorum, non subdantur dispositioni stellarum, talis sors est diuinatoria, quæ ferè semper est peccatū mortale, quia ibi vt plurimum tacitè inuocatur Dæmon, & societas cum Dæmone peccatum est ex suo genere mortale, & prohibita est omnibus, vt habemus. 1. ad Corinth. 10. nolo vos fieri socios Dæmonum. dixi hanc sortem diuinatoriam esse ferè semper peccatum mortale, quia siquis non expectaret, aut quæreret cognitionem ex emissione sortium, quasi illa sufficiat ad cognitionem futurorum pariendam, sed potius intenderet exinde expectare responsum, seu iuditium à Deo, tunc existente rationabili causa excusatur vsus sortium ad aliquid cognoscendum secundū illud prouerb. 16. sortes mittuntur in sinum, sed à Domino tēperantur; sic legitur Iosue. 7. quod *Iosue* ex præcepto Domini iuditio Domini puniuit, Acham, qui de anathemate surripuerat. Saul ēt sorte deprehendit filium suum Ioatham mel comedisse, vt habetur 1. Reg. 14. Ionas etiam à facie Domini fugiens sorte deprehensus est, & in mare deiectus, vt legitur Ionæ primo. si verò expectetur euentus sortium à fortuna, non videtur habere vitium nisi fortè vanitatis, vt dicit secunda conclusio, sicut si aliqui non valentes aliquid concorditer diuidere, velint sortibus ad diuisionem vti, quasi fortunæ exponentes quis quam partem accipiat. hæc secunda conclusio D. Thomæ solum habet locum in sorte diuisoria, quæ vtique licita est, quando tres adsunt conditiones, quarum prima est, ne in tali diuisione committatur iniustitia, quia si res, quæ *in sorte mittitur*, sit vnius, nec ad eam par ius habeant alij, interquos mittitur sors, tunc talis sors diuisoria non est licita, quia interuenit iniustitia contra verum Dominum, quia ad eam admittuntur illi, qui æquale ius ad rem non habent. similiter interuenit iniustititia, si excludantur alij, qui par ius habent ad eam rem, cum enim æquales sint in iure, ad sortium etiam æqualitatem admitti, nō autem excludi debent. secunda conditio est, quando sit ad contentiones, siue contradictiones humanas sedandas, quæ aliter terminari nō possunt; in hoc siquidem casu licitum est cum debita reuerentia sortibus Diuinum iuditium implorare iuxta illud prouerb. 18. contradictiones cōprimit sors, puta si tempore epidimiæ, aut persecutionis necessaria sit ad salutem ouium præsentia curatorum, & sufficiant tantum duo inter tot, nec possit Episcopus eos cōcordare, nec scit, quos duos ex istis constituat, tunc posset iuditiū à Deo per sortes expectare, vt habemus ex D. Augu-

Augustino Epist. 108. ad Honoratum. si etiam tempore obsidionis Ciuitatis Clerus dubitaret, qui fugere, aut remanere deberet, sortibus controuersia dirimi potest, vt ait Sairus lib. 4. clauis regiæ cap. 5. nu. 20. similiter si duo in necessitate æquali extrema essent, quorum vni tantum ab aliquo subueniri possit, tunc sorte consulendus est Deus, quis illorum duorum sustentādus esset, vt docet D. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana. cap. 28. similiter si Princeps, vel alius, qui plurimos habet morte puniendos, & aliquibus intendit parcere, nec determinatur ad hunc, vel illum, tunc sortibus, puta emissione taxillorum potest hoc determinare, sicut etiam quia terrenæ dignitatis officium ad temporalia disponenda ordinatur, potest etiam licitè ad huiusmodi sortes recurri, si aliter electio concors esse non potest, licet enim Rector quærendus sit non sorte, sed industria prudens, tolerabilius tamen est sorte Rectorem sæcularem quærere, quam populum dissensionibus laborare, vt docet D. Thomas opusc. 25. cap. 5. hic tamen obserua ex Caietano hoc in loco, & in summula verb. sors. Tabiena eodem verbo. vers. quinto. quod dupliciter contingit vti sortibus in temporalibus dignitatibus, primò promiscuè ita vt vnusquisque de populo bonus, & malus, aptus, & ineptus sorti subsit Principatus, vel talis regiminis habendi, & sic peccatum est non superstitionis, sed fatuitatis, & iniquitatis contra bonum commune, inquit Caietanus, & benè, quia est contra naturalem dignitatem rationalis creaturæ, cui datum est, vt ratione prouideat sibi, & alijs; & contra commune Reipublicæ bonum, quod quilibet tenetur tutari, & non in discrimen ponere, vt accideret in tali casu. secundò contingit vti sortibus in dictis dignitatibus post nominatos multos, qui pro idoneis ad huiusmodi officia communiter habentur, sic quod super illos tantum nominatos, seu cōscriptos sortes cadere possunt, & sic sortes sicut licitæ in huiusmodi temporalibus dignitatibus, quia in huiusmodi terrenis dignitatibus agitur de re temporali, in spiritualibus autem de re Diuina, & hæreditate æterna & ideò in illis pax ciuium præcipuum bonum est, adquod ordinantur sortes, in istis pax Dei, quæ exceperat omnem sensum bonum est, quod à solo Spiritu Sancto effici potest, & ideò sortes repelluntur in dignitatibus spiritualibus, & non in temporalibus. tertia conditio est, ne talis diuinatio per sortes diuisorias fiat in dignitatibus Ecclesiasticis, & beneficijs, talia enim sortiri nō licet, vt habetur cap. finali, de sortilegijs, & docet D. Thomas hoc in loco, & opusc. 25. cap. 5. D. Antoninus p. 2. tit. 12. ca. 1. §. 8. Siluester verb. superstitio. q. 9. Tabiena verb. sors vers. quinto. Caietanus hoc in loco, & alij, licet quidam neotericus tom. 2. disp. 3. q. 5. p. 3. nu. 12. hoc attribuat Azorio, Sanchez, Suarez, Lessio. verum de hoc iam iam diffusius agetur. stantibus his conditionibus sortes diuisoriæ ex genere suo sunt licitæ, & in illis nullum apparet peccatum. in causa tamen potest esse peccatum, sicut etiam ratione materiæ, vt ait Caietanus hoc in loco. in causa, inquam, si ex leuitate fiant, tunc accidit peccatum vanitatis, vt ait D. Thomas in littera. ratione materię etiam adest peccatum, puta si ad sortes recurratur in his, quæ per electionem fieri debent, aut aliundè, quam ex fortuna cognosci, aut haberi debent. si sortium euentus expectetur à causa spirituali, puta Dęmone, sicut legitur de Rege Babilonis Ezech. 21. quod stetit in biuio in capite duarum viarum diuinationem quærens, commiscens sagittas interrogauit idola, & extra consuluit, talis diuinatio per sortes est illicita, & per canones prohibita, quia est sors consultoria, quæ semper est peccatum mortale, quod dicitur sacrilegij crimen. si vero sortium euentus, siue iudicium expectetur à Deo, qui temperat sortes, vt dicitur prouerb. 16. talis diuinatio per sortes secundum se non est malum, vt dicit quarta conclusio, si hæc quattuor concurrant conditiones, nempe necessitas, reuerentia, modus proportionatus, & ne fiat in electionibus Ecclesiasticis, idest tunc licet expectare iudicium sortiū à Deo, quando adest causa rationabilis, & necessitas, & si fiat cum debita reuerentia, & deuotione in tali necessitate; & ne Diuina oracula ad negotia terrena conuertantur; & non fiat in electionibus Ecclesiasticis. è contra vero est illicita in quatuor casibus, vt ait D. Thomas, licet quidam neotericus tom. 2. disp. 3. q. 5. p. 3. nu. 14. hoc ad scribat Sanchez, Reginaldo, Azorio, Suarez, primò quando recursus fit ad sortes absq; vlla necessitate, quia, vt dicit D. Thomas, hoc esset Deum tentare, vt si quis industria sua posset aliquid facere, attamen ea prætermissa recurrit ad iuditiū sortium, iste peccat, vt habemus ex S. Thoma opusc. 25. cap. 5. in necessitate ergo tantùm expectandum est iuditium sortium à Deo, vnde dicitur 2. Paralip. 20. cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solū habeamus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. in tali necessitate Dauid consuluit Dominum dicens, vt habemus 1. Reg. 30. persequatur latrunculos hos, & comprahendam eos, an non? secundò si existente necessitate requiratur sortibus iuditiū Diuinum irreuerenter, & absque deuotione, peccatum est, vt ait D. Thomas hoc in loco, & in opus. 25. cap. 5. Siluester verb. superstitio. q. 9. Tabiena verb. sors. num. 6. non est tamen peccatum mortale, ait Caietanus in summula verb. sors. est tamen peccatum veniale, vt ait Toletus lib. 4. cap. 15. nu. 9. nisi irreuerentia notabilis sit. tertiò accidit peccatum in hac sortium diuinatione, si Diuina oracula ad terrena negotia conuertantur, vt ait D. Augustinus epistola 119. cap. 20. & D. Thomas hoc in loco, & opus. 25. cap. 5. Siluester, & Tabiena locis citatis, quia iam dictū est, quod nullus debet inquirere ea per sortes, quæ per suā industriam vel cognoscere, vel ad effectum perducere potest, negotia autem terrena industria, & opera humana perfici possunt, ideò oracula Diuina in negotia sæcularia nō debent conuerti, nec in his terrenis adhiberi, nec in his reb' Deus consulendus est. notat tamen Siluester verb. super-

perstitio. q. 9. quod negotia propriè sunt circa temporalia lucra, nō circa damna vitanda. quartò accidit peccatum, quādo quis vtitur sortibus in electionibus Ecclesiasticis, quæ Spiritus Sancti inspiratione fieri debent, vt habemus ex D. Thoma hoc in loco, & opusc. 25. cap. 5. D. Antonino p. 2. tit. 12. cap. 1. §. 8. Siluestro verb. superstitio. q. nona. Tabiena verb. sors, & expressè habetur in cap. finali, de sortilegijs. istæ siquidem electiones spirituales, quibus eliguntur personæ ad dignitates Ecclesiasticas, siue etiam ad beneficia, debent fieri inspiratione Spiritus Sancti, & electorum concordia, qui autem sorte eligitur, non eligitur inspiratione Diuina, nec iuditio humano. siquis autem objiciat, quod D. Mathias electus fuit in Apostolum sorte; vt legimus Act. 1. respondebitur ex Beda, cuius verba referuntur à S. Thoma in textu. licet etiam possimus dicere hoc factum fuisse ex priuilegio, priuilegia autem singulorum legem facere non possunt. arg. cap. hinc est. § quod priuilegium, 16. q. 1. & cap. sanè, de priuil. nec audiendus est Lessius, qui lib. 2. c. 43. nu. 58. putat posse plures idoneos nominari, & vnum eorum per sortes ad offitium eligi, modò hoc fiat absque damno boni communis, & iniuria proximi, quia nullum ius, aut præceptum violatur. nō est, inquam, audiendus; quia electio per sortes vniuersaliter prohibetur in rebus Ecclesiasticis, cap. Ecclesia, de sortilegijs. vnde violatur ius, & præceptum Ecclesiasticum; & huiusmodi electiones spirituales Diuina inspiratione fieri debent. si quis autem objiciat, quod electio ad officia sæcularia per sortes facta non prohibetur, ergo etiam electio ad offi ia Ecclesiastica nō censebitur illicita, si fiat per sortes. respondebimus negando consequentiam; tum quia in temporali dignitate agitur de re humana temporali, in spirituali autem de re Diuina, & æterna hæreditate, vt supradiximus cum Caietano, licet hoc quidam neotericus tom. 2. disp. 3. q. 5. p. 3. num. 13. hoc adscribat Azorio, Suarez, Reginaldo, Sanchez, Lessio, Sairo. tum quia iure canonico prohibentur sortes in Ecclesia, vt patet ex ca. Ecclesia de sortilegijs. non prohibentur autem sortes in dignitatum sęcularium electione subiungit tamē Caietanus in summula verb. sors, quod seclusa iuris positiui prohibitione non apparet peccatum aliquod, si electio spiritualis, siue Ecclesiastica sortibus committatur super aliquos prælectos æquè idoneos; quod probat ex electione facta in personam D. Mathiæ; & quia vti sortibus non est ex suo genere malum. idem docet ferè de verbo ad verbū Naldus verb. sors, qui ad confirmandum hujus Caietani ab ipso innominati doctrinam adducit statutum Leonis decimi incipiens, cum Dudum &c. quo decernit, vt Canonicatus, & præbendæ iure peritis conferantur in quibusdam Hispaniarum Ecclesijs; forma quadam in electionibus seruata, & si plures electi paria vota tulissent, tunc sorte dirimatur, quis eorum præferendus sit, ita quod sors loco electionis, & prouisionis habenda sit. affert etiam aliud diploma eiusdē Pontificis incipiens, Suprema &c. probat eandem doctrinam ex vsu Religionis Canonicorum S. Saluatoris approbato per duplex diploma Sixti quinti, quorum vnū incipit, solicitudini pastoralis officij &c. alterū vero incipit, ex varietate temporum &c. quæ Religio Discretum Prælati euntis ad Capitulum, quem Prædicatores socium nominant, sorte, non scrutinio eligit; & ex vsu Religionis Oliuetanæ, quæ etiam eundem socium, siue discretum sorte eligit, quem etiam vsum auctoritate Apostolica confirmauit Paulus Sfondratus S. R. E. Cardinalis eiusdem Religionis vigilantissimus Protector, stante etiam prohibitione licitum erit sortibus implorare Diuinum iuditium cum debita reuerentia, si necessitas immineat, vt dicit quinta conclusio, quæ probatur duplici auctoritate D. Augustini, quarum prima desumitur ex Epist. 186. ad Honoratum, secunda desumitur ex lib. 1. cap. 18. de doctrina Christiana.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Reginaldus lib. 17 num. 174. Azorius lib. 9 cap. 12. & 21. Suarez de Religione tom. 1. lib. 2. de superstitione cap. 12. num. 16. Sanchez in summa lib. 2. c. 38. n. 69. Toletus lib. 4. cap. 15. n. 8. & 9. Lessius lib. 2. c. 43. nu. 58. & alij.

Quæritur, an iudicium ferri candentis, & aquæ feruentis sit illicitum.

18 Respondeo dicendum, quòd iudicium ferri candentis, & aquæ feruentis ordinatur quidem ad alicuius peccati occulti inquisitionē per aliquid, quod ab homine fit, & in hoc conuenit cum sortibus: inquantùm tamen expectatur aliquis miraculosus effectus à Deo excedit communem sortium rationem; vndè huiusmodi iudicium illicitum redditur, tùm quia ordinatur ad iudicanda occulta, quæ Diuino iudicio reseruantur, tùm etiam quia huiusmodi iudicium non est auctoritate Diuina sancitum; vnde 2. q. 5. in decreto Stephani Papæ dicitur Ferri candentis, vt aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet sacri non censent canones, & quòd Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum, spōtanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, concessa sunt nostro regimini iudicare; occulta vero, & incognita illi sunt de relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum: & eadem ratio videtur esse de lege Duellorum, nisi quòd plus accedit ad communem rationem sortium, inquantùm non expectatur ibi miraculosus effectus, nisi quando pugiles sunt val-

valde impares virtute, vel arte 2. 2. q. 95. a. 4. ad 3.

Conclusione duplici respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est, iuditium ferri candentis, & aquæ feruentis est illicitum. probatur quadrupliciter, primò quia licet conueniat cum sortibus, inquantum ordinatur ad alicuius peccati occulti inquisitionem per aliquid, quod ab homine fit, inquantum tamen expectatur aliquis miraculosus effectus à Deo, excedit communem sortium rationem. secundò quia ordinatur ad iudicanda occulta, quæ Diuino iuditio reseruantur. tertiò quia huiusmodi iuditium non est auctoritate Diuina sancitum. quartò quia prohibetur decreto Stephani Papæ. secunda conclusio. eadem ratio videtur esse de lege duellorum, nisi quod plus accedit ad communem rationem sortium, inquantum non expectatur ibi miraculosus effectus, nisi quando pugiles sunt valdè impares virtute, vel arte.

Circa primam conclusionem sufficiat explicasse terminos eius. olim quando vxor erat suspecta apud maritum de adulterio, ei offerebatur ferrũ candens, & ignitum, vel aqua ferens, & bulliẽs tangenda, & quorum tactu si manus illæsa remanebat, innocens reputabatur, si autem ambusta euadebat, nocens iudicabatur; quod indicium profectò est illicitum, quia in tali experimento tentatur Deus, dum ab eo effectus miraculosus expectatur.

Circa duellum sciendum, est quod duellum idem est, vt à quid nominis exordiamur, quod quod duorum bellum, & græcè dicitur Monomachia, idest singula is concertatio, siue pugna. sic autem diffinitur duellum propriè dictum, de quo est sermo in præsenti littera, quod scilicet inter vulgares purgationes computatur, quod est singulare certamen factũ ad manifestãdam veritatẽ, dũ scilicet aliqui confidunt, ꝙ victoria sua erit testis veritatis, ꝙ nẽpe est innocẽs, aut habet ius, & huiusmodi. tale certamen est prohibitum ab Ecclesia. extra de purgatione vulgari, & in cap. Monomachiam. 2. q. 5. & hoc duellum licet magis accedat ad rationem sortium, vt in littera dicitur, malum tamen est ex suo genere, & est sortilegium, quia vt ait Caietanus hoc in loco, in propria ratione claudit repugnantiam ad rectã rationem, nempe inducere in testimonium, quod non est testimonium, quia constat habentes ius succumbere aliquando in duello, vt habemus in cap. significantibus, extra de purgatione vulgari. huiusmodi ergo duellum est malum ex suo genere, vt mendacium, & ex suo genere est perniciosum, quia contra rectam rationem eligit vterque percutere proximum, & contra rectam rationem vita vtriusque ex proposito exponitur mortis, & vulnerum periculo, cum Dei tentatione, & Diuini fit vsurpatio iuditij, & diabolica inuentio adimpletur, vt in Decretis loco allegato dicitur, & in c. consuluisti, ibidem. si quis autem obijciat duellum Dauid cum Goliad, dequo tamen non repræhenditur, respondebitur, quod duellum illud ex speciali Diuina dispositione, & reuelatione processit, & in eo expectabatur miraculosus effectus, pugiles enim impares virtute erant, vnde non licet ab hoc ad alia arguere, habemus enim ex regula iuris 28 quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. & Regulam 74. quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum.

Loquentes autem de duelluo absolutè, & vniuersaliter sumpto illud sic diffinimus, quod est singularis pugna ab vtraq; parte spontè suscepta, vt ait Siluester verb. duellum in principio; vel est duorum bellũ ex condicto, vt ait Caietanus hoc in loco. quando ergo duo spontè suscipiunt pugnam inter se, & eligunt determinatum locum, tempus determinatum, determinata arma patrinos, dicitur duellare, & pugnare ex cõdicto, siue conuentione, vnde qui ira concitatus indicit alteri bellum, & iste acceptat, & pugnant singulariter, vt solet accidere in dies inter prouocantes se inuicem iniurijs, non dicuntur duellare isti, quia ex ira, non ex condicto, seu ex composito, siue conuentione pugnant. istud duellũ est duplex, vnum priuatum, alterum publicum, duellũ priuatum est, quando duo singulariter concertant, & pugnant ex condicto, seu ex composito, seu conuentione statuto tempore, & in loco conuento, licet nulli sint vocati ad id Patrini, & socij, nullæue prouocatoriæ litteræ, aut denunciationis cartulæ præcesserint. publicum autem est singulare duorum certamen ex condicto, seu ex composito, seu conuentione statuto tempore, & in loco conuento, & Patrini, socijq; ad id vocantur, & prouocatoriæ litteræ, aut denunciationis cartulæ præcedunt, istud duellum non est ex suo genere malum, inquit Caietanus hoc in loco, sicut nec bellum, eiusdem siquidem spetiei sunt bellum, & duellũ, nec in alio differunt, nisi quod bellum est à multis factum, duellum autẽ à duobus; in bello accidit homicidium factum à multis, in duello autem accidit homicidium factum ab vno, vnum autem, & multa non variant spetiem. reddetur ergo illicitum ratione causæ, per quam suscipitur duellum. loquimur autem de susceptione duelli, non de indictione, quia constat nunquam licere indicere bellum, sed esse peccatum mortale, quia eligitur percussio proximi, & expositio propriæ, & alienæ vitæ periculo absque sufficiente talis belli causa. sex autem sunt causæ potissimæ, ad quas singularis pugna ordinatur, quarum prima est manifestatio veritatis, & hac de causa suscipere, seu acceptare duellum est peccatum mortale sortilegum ratione multiplici, quia ibi Diuini vsurpatio fit iuditij, diabolica adimpletur inuentio, inducitur in testimonium, quod non est testimonium, & contra rationem rectam eligitur percussio proximi, & periculum vitæ. secunda causa est ostentatio virium, & sic etiam est peccatum mortale, quia contra rectam rationem eligitur percussio proximi cum periculo vitæ, vnde peccant mortaliter bellantes decẽ hinc, & decem inde, vt tempore belli fit spectuali

gratia, quia talis conflictus ordinatur ad ostentationem virium, non autem ad debellādum, vel minuendum hostis virtutem, q̄ est belli finis, vnde non excusabuntur propter tempus belli, quasi sit partialis conflictus cum hostibus. tertia causa est euitatio ignominiæ, ne scilicet quis reputetur quasi vilis, & degeneris animi, si non acceptet duellum, & tunc etiam est peccatū mortale, quia contra rectam rationem non vulgarium, & idiotarum, sed sapientum eligitur proximi percussio, & vitæ periculum; ratio autem desumpta ex euitatione iacturæ honoris sui tunc solùm valet, quando uis vi repellitur, vt communiter dicitur de aggresso deffendente se ab aggressore cum moderamine inculpatæ tutelæ, cui scilicet nulla alia via patet ad tuendum se ipsum, de quo Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 1. a. 8. quarta causa est terminatio litis ciuilis, vel criminalis, & sic est peccatum mortale, quia pugna percussiua non est proportionatum medium ad terminandas huiusmodi lites, ad hoc enim quod actus moralis sit licitus, oportet medium non esse disproportionatum fini, huic autem fini, qui est terminatio litis, proportionatum est medium aut conuenientia partium, idest vt partes conueniant, & concordent; aut scientia Iudicis, vt scilicet per Iudicem terminetur lis, aut pugna bellica ex parte habentis iustitiam cum conditionibus requisitis ad iustum bellū. aduerte tamen, quod quando alicui amputandum esset membrum, vel vita eripienda per sententiam Iudicis iniustam, nisi cum accusatore in arenam, vel duellum descenderet, tunc licitum est suscipere auctoritate Principis duellum, vt ait Caietanus in summula verb. duellum, & hoc in loco, quem sequitur Nauarrus in manuali cap. 15. n. 9. Viguerius instit. moral. num. 124. Toletus lib. 5. cap. 6. num. 32. Naldus verb. duellum. n. 1. quia tunc non est propriè duellum, sed est deffensio contra inuadentem se personaliter ad mortem, vel mutilationem. quinta causa est indulgentia multitudinis, quando scilicet inter duas partes est bellum, & parcendo multitudini resoluitur de consensu partium totum bellum in duellum, vt legitur de Cosdroe filio, & Heraclio in historia exaltationis Sanctæ Crucis, & sic non est licitum subire duellum, inquit Caietanus, quia in hoc casu declinatur à natura belli ex vna parte iusti ad naturam duelli, quod aduersatur rationi rectæ; ponit tamen Caietanus casum, in quo ex hac causa licebit nō solum duellum suscipere, sed etiam prouocare, quando scilicet pars habēs bellum iustum videt se aliter succumbere, nisi bellum iustum resoluat in duellum, tunc enim quasi certum casum transfert in dubium, & in spem victoriæ vtēdo omnibus viribus suis, vt melius potest, putat enim se melius vti viribus suis in duello, quam in bello, & hoc est deffendere se omni meliori modo, quo potest. sic Caietanus hoc in loco, & in summula verb. duellum, quem sequitur Nauarrus in manuali cap. 15. n. 9. Naldus verb. duellum. num. 1. sexta causa est defensio, & sic etiam non est licitum duellum, quia iā diximus duorum bellum ex condicto non esse cōueniens medium ad defensionem litis ciuilis, aut criminalis, ergo nec erit conueniens medium ad sui defensionem; & si aliquis actualiter impetatur, licebit tunc uim ui repellere, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, sed hoc propriè non erit duellum, quia duellum importat duorū bellum ex condicto. ex his omnibus elicimus, tantum in duobus casibus licitum esse vti duello, nempe quando quis bello iniusto appetitus acceptaret singulare certamen, & quādo alicui per sententiam iniustam vita, aut membrum amputandum esset, nisi cum accusatore in arenam, vel duellum descendat. in cæteris casibus est illicitum duellum, & prohibitum à Concilio Tridentino sess. 25. de reformat. cap. 19. à Pio quarto, à Gregorio tertiodecimo per bullam incipientem, Ad tollendum, & nouissimè à Clemente octauo per bullam incipientē, illius vices. quæ quia summarium omnium aliarum prohibitionum continet, hic illius substantiam inserere liceat.

Hæc bulla est cōtra omnes pugnantes in duello siue publicè, siue priuatim, & renouat primò bullam Pij quarti editam contra quoscunq; Principes, & domicellos, ac alios omnes permittentes in suis dominijs, & terris duella fieri, aut singularia certamina, aut diffidationes facientes, & ad id inuitantes, procurantes, auxilium, consilium, vel fauorem dantes, illisque astantes, & interesentes, nec nō cartulas desuper subscribētes aut publicantes, seu de illis se intromittētes. qui omnes, & singuli Imperatore, ac Regibus inferiores pęnam excommunicationis maioris incurrunt, si laici fuerint; si autem Ecclesiastici fuerint, vltra excommunicationis maioris pænā, incurrunt etiam pænam priuationum omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum, & inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, & ab his pænis à nullo præterquam à Papa absolui possunt.

Secundò innouat decretum Concilij Tridentini, quo statuitur, vt Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso excommunicati sint, ac iurisdictione, & dominio Ciuitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuentur de facto, & si feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. qui vero pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excomunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pænam incurrunt, & vt homicidæ iuxta sacros canones puniri debent; si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepultura. illi etiam, qui consilium in causa duelli tam iure, quam facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores excomunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo tenentur, non obstante quocunque priuilegio, seu praua consuetudine, etiam immemorabili.

Ter-

Tertiò confirmat bullam Gregorij tertij decimi, vbi dictos Concilij Tridentini pœnas extendit contra omnes illos, qui non publicè, sed priuatim ex condicto statuto tempore, & in loco conuento Monomachiam commiserint, etiamsi nulli Patrini, socijque ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæue prouocatoriæ litteræ, aut denunciationis cartulæ præcesserint; quas etiam pœnas extendit contra locorum Dominos, si certamen ex condicto permiserint, aut quantum in se fuerit, non prohibuerint; nec non contra eos omnes, qui duellum huiusmodi fieri mandauerint, instigauerint, auxilium, consiliū, vel fauorem dederint, aut equos, arma, pecuniā, commeatum, & alia subsidia scienter subministrauerint, aut ex composito spectatores, vel socios sese quouismodo præbuerint, etiam si illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint; si per ipsos non steterit, quominus illa committatur.

Quartò confirmat omnes prędictos tres, nempe Pij quarti, Concilij Tridentini, & Gregorij tertij decimi constitutiones, ac decretum locum habere vult vbique Gentium, & terrarum inter quascunq; personas, etiam armatas, & in castris, seu propugnaculis militantes, etiam in terris, & dominijs hæreticorum.

Quintò explicat in particulari personas, quæ prædictas pœnas incurrunt, & sunt istæ. primò quilibet miles, qui in bello publico, & forsan iusto indicto contra alterum in aduersariorū exercitu militantem, siue alias hostium castris, præsidijs, aut terris degentem priuatas inimicitias, & simultates publicæ causæ intermiscendo etiam Ducum permissu ex condicto ad singulare certamen descendit, aut illum prouocat. secundò qui pactiones ineunt de derimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus vtrinque illatus fuerit; vel si conueniant, vt non singuli cum singulis, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent. tertiò locum tenentes, militum Duces, & Capitanei, in castris, vel extra ea, in alieno, vel hostili solo, qui cum militibus exercitus aduersariorum Monomachiam in quocunque casu per præsentem, vel prædictas constitutiones prohibito permittunt, vel quantum in ipsis est, nō prohibent, aut post admissum crimen veniam, & impunitatem concedunt. quartò omnes, & singuli, qui suo, vel alieno nomine scripta manifesta, seu fides vulgò appellata, hac duella prohibita, aut libellos, Epistolas, earumque exempla dictant, componunt, scribunt, mittunt, defferūt, diuulgant, affigunt, exemplant, typis imprimūt, subscribunt, intimant, vel etiam verbo denunciant, seu attestantur. scripta vero, quæ in hac bulla prohibentur, sunt omnia illa scripta, manifesta, seu fides vulgò appellata, quæ vel expressè prouocant ad huiusmodi certamen, vel sunt quasi quædam præparatoria ad cartulas, seu libellos prouocatorios, & ad duellum, & illorum veluti radices, aut semina, vt plurimum lacessendi aliquem ad pugnam, & suscitandæ simultatis, atque inimicitiæ materiam, & occasionem præbent, dum in illis per modum Epistolæ, libelli, aut publicæ attestationis, & intimationis, siue per authentica documenta, siue per vnius, pluriumue chirographum, subscriptiones, aut relationes sub prætextu proprij, vel alieni honoris, & famæ, more militari, atque vt vulgò dicitur Caualere, seu tuendi, aut lædēdi, siue ad illatæ, propulsatæue contumeliæ, aut iniuriæ probationem, seu tollendam illius suspicionem rei alicuius gestæ ad id pertinentis, vel verborum, aut responsionum series, & ordo narratur; vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeò firmiter asseritur, aut negatur, vt qui contradixerit, is siue nominatim, siue in genere mendatij arguatur, aut mentiri dicatur; aut ad hunc effectum ex militari etiam consuetudine quęritur, declaratur, aut respondetur, qua mente, aut quo sensu quispiam eiusmodi, quod ad superius expressa spectat, gestum, dictumue sit, vel offert se quispiam contra certam, vel incertam personam, vel generatim contra quemcunq; ad probandum armis, & verificandum etiam inito certamine aliquid ita esse, aut fuisse, vel non fuisse prohibentur etiam quæcunque denunciationes, declarationes, & testificationes talium rerum supradicta quoquomodo concernentium, & ab huiusmodi causas in locis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo cōuenire solet, etiam si in scripto factæ fuerint. quintò qui alijs ad singulare certamen publicè, vel occulte ineundum, vel ad prouocandū aliquem ad pugnam, siue huius generis scripta, quæ manifesta, quæque cartulæ prouocatoriæ appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, defferenda, diuulganda, auxilium, consilium, operā, vel fauorem præstiterint, siue id suaserint, aut mandauerint. quiue in præmissis, vel eorum aliquo se quomodolibet intermiscuerint, etiam si neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, & aperta prouocati subsecuta fuerit, neque scriptiones prædictæ, quæ manifesta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimatæ extiterint, si per eos non steterit, quominus publicatio, aut denunciatio fieret.

Sextò omnes, & quicunque publicè, vel priuatim, palam, vel occultè, in quibuscunque locis, modis, & formis, ac casibus in hac bulla, & alijs prædictis constitutionibus, nempe Pij quarti, & Concilij Tridentini decretis, comprehensis, singulare certamen, quod duellum vulgò dicitur, ex composito ineuntes, nec non id scelus suadētes, aut prouocantes, equos, arma, & commeatus præbentes, aut comitātes, vel circa cartulas, seu libellos, litteras, nuncias, aut quæcunq; alia scripta huiusmodi quomodolibet peccantes, huiusque delicti socij de industria spectatores, patrini, fautores, defensores quacunque Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant Dignitate, hi omnes, si singulares personæ sint, cuiuslibet communitatis, Vniuersitatis, collegij, aut Reipublicæ maiorem excomunicationem ipso facto incurrunt, & si in ipso conflictu obierint, sepultura Eccles-

ecclesiastica perpetuò priuantur. Ciuitates verò, Terræ, Opida, vel castra, & loca, in quorum territorijs id facimus scientibus, & tacitè, vel expressè permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut Magistratibus, vel Senatu, aut populo, admissum fuerit, interdicto Ecclesiastico supponuntur, cuius interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionem ab alio, quã à Summo Pontifice pro tempore existente, pænitentia, & satisfactione congruè peracta, nisi in mortis articulo constituti nequeant obtinere, etiã prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibusuis personis tam Ecclesiasticis cuiuscunque ordinis, aut Militiæ, status, gradus, aut conditionis existentibus, quam laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia insignitis, per Sedem Apostolicam in genere, vel in specie concessorum. quæ omnia quoad præmissa nemini suffragari possunt; pænis alijs tam spiritualibus, quam temporalibus contra eos inflictis nihilominus in suo robore permansuris.

Hæc volui summariè transcribere, vt vnusquisque percipiat atrocitatē, grauitatem huius sceleris à Diabolo inuenti, & introducti, vt ex cruenta corporum morte, animarum etiam interitum, & perniciem lucretur; à quo si abstinere homines nolunt Charitate, qua Deum prosequi tenentur, saltem timore tot pænarũ id præstent.

Pro quorum explicatione aliqua sunt obseruãda, & primò quòd Concilium Tridentinum prohibuit solum duellum publicum, Gregorius autē tertius decimus prohibet etiam duellum priuatum, vt patet ex eius verbis. secũdò nota vnum, quod alicui videbitur nouum, & admirabile, & forsan insolitum, nempe quod ex composito, siue ex condicto spectatores, socij, & adiuuantes, vel comeantes duellum inituros, subiaceant excommunicationi latæ per Gregorium tertium decimum, & principales ipsi Rei nõ incurrant eam, nisi actualiter duellum commiserint. sed hoc profectò non est nouum, mos enim est, adiuuãtes plus aliquando puniri, quam principalem delinquentem, & plus, quam si ipsi soli peccatum cõmitterent, vt patet in casu posito à Sairo lib. 3. clauis regiæ cap. 4. q. 6. quando scilicet Episcopus prohibet ludum aliquem sub pæna excommunicationis, si postea ludat Episcopus cum aliquo, socius incurrit excommunicationem, non autem Episcopus. iterum si quis occidat Patrem alienum, non dicitur Patricida, dicetur tamen Patricida, si adiuuat filium, qui proprio Patri mortem inferat. Host. in sũma de his, qui filios occid. §. 1. iterum si quis vxori res mariti subtrahenti opem, consiliumue accomodauerit, furti tenebitur, cum tamen ipsa nõ teneatur. L. si quis vxori, de furtis; sicut & socius filij familias furantis bona Patris non est immunis ab excommunicatione, si feratur contra surripientem talia bona, filius autem sic; sicut etiam filio familias furante vna cum socio bona paterna, si excommunicatio feratur contra non reuelantes, filius erit immunis ab ea, non autem socius, quia est verisimile, quod Pater nolit filium excomunicatione ligari. Vgolinus de offic. Ep[i]s. p. 2. cap. 17. nota tertiò quod quia Gregorius loquitur de spectatoribus ex condicto, & ex composito, intelligendus erit de illis spectatoribus, qui nedum de industria, seu data opera, prout de his simpliciter meminit constitutio Clementis Octaui, sed etiam ex tractatu, seu conuentione præhabita cum ipsis pugnaturis ad locum certaminis causa illud spectãdi descendunt, ex quo ipsi duellantes redduntur audaciores. qui verò in extrauag. Clementina dicuntur de industria spectatores, erunt intelligendi omnes illi, qui non obiter, & ab alios fines illac trãseuntes, vbi duellum committitur, curiosè, & casu quodam illud aspiciunt. hi profectò non incurrunt pænas, sed qui dedita opera, & propria voluntate ducti illuc conueniunt, vbi norunt aggrediendum esse certamen, vt illud aspiciant. obserua quartò id, quod dicitur de prouocantibus, qui non secuta pugna censentur immunes à pænis bullæ Gregorij, non procedere in terminis Clementinę, quæ apertè comprehendit, & afficit prouocantes, & acceptantes, etiam si postea nullum sit commissum duellum. aduerte quintò, ex supradictis sequi, quod si Clericus offerat, vel acceptet duellum, irregularis erit ratione infamiæ, qua notatur ex Concilio Tridentino, & cap. porrò, & ibi Panormi. num. 1. de Cleric. pugnan. in duello.

Ex his patet, vnde desumpserit, quæ docet Toletus lib. 5. cap. 6. num. 32.

DIVORTIVM.

De Diuortio. Cap. I.

1 *Ecclesia potest facere diuortium inter aliquos, quãdo cognoscit errorem in matrimonio.*

§ *Quid sit diuortium.*

Quid nominis diuortij datur.

Duplex separatio, & qua.

Separandum est matrimonium inter affines, & cõsanguineos contractum nedum quo ad thorum, & habitationem, sed etiam quoad vinculum.

2 *Ad Ecclesiam pertinet separare eos, inter quos non potest esse matrimonium, & præcipuè consanguineos, & affines.*

§ *Matrimonium contractum inter affines, & consanguineos est tantum vocale.*

Quid sit matrimonium vocale.

§ *Quando duo fratres habent duas sorores in vxores, si vnus frater repellatur à matrimonio propter consanguinitem alius non separatur in foro contentioso, si non accusatur.*

Si vnus frater habet certam scientiam de impedimento, nec exigere, nec reddere debet debitum.

Si habet opionem tantùm, debet reddere, sed non exigere.

Si nec opinionem, nec scientiam, potest reddere, & exigere.

§ *Redduntur rationes eorum, quæ dicuntur in tertia conclusione.*

4 In

4 *In causa diuortij vir, & vxor ad paria iudicantur.*
Adulterium & viri, & vxoris est sufficiens causa diuortij.
Adulterium vt est contra fidem matrimonialem est æqualis causa diuortij in vtroque.
Adulterium vt est contra bonum prolis est maius peccatum in vxore, quàm in viro, & consequenter maior causa est in ea.
5 *In quo sensu verum sit, quod in causa diuortij vir, & vxor ad paria iudicentur.*
Vir, & vxor in causa diuortij ad paria se habent, sed non pariter, & quomodo.
5 *Quod bonum sequatur ex diuortio.*

Quæritur, an Ecclesia possit facere diuortium, & quomodo.

1 RESpondeo dicendum, quòd quamuis Ecclesia dono, & auctoritate Diuina fulciatur, tamen inquantùm est hominum congregatio aliquid ex defectu humano in actibus eius prouenit, quod non est Diuinum; & ideò illa coniunctio, quę fit in facie Ecclesiæ impedimẽtum ignorantis, non habet inseparabilitatem ex auctoritate Diuina, sed est contra auctoritatem Diuinam errore humano inducta, quæ excusat à peccato, cum sit error facti, quamdiu manet, & propter hoc quãdo impediendum ad notitiam Ecclesię venit, debet prædictam coniunctionem separare. 4. sent. d. 41. a. 5. quæstiunc. 1. ad 1.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. illa cõiunctio, quę fit in facie Ecclesię impedimentum ignorantis, non habet inseparabilitatem ex auctoritate Diuina, sed est contra auctoritatem Diuinam errore humano inducta. probatur, quia quamuis Ecclesia dono, & auctoritate Diuina fulciatur, tamen inquantum est hominum cõgregatio, aliquid ex defectu humano in actibus eius prouenit, quod non est Diuinũ. secunda conclusio. hic error excusat à peccato, quamdiu manet. probatur, quia est error facti. hinc elicitur corrolarium. quando impedimentum ad notitiam Ecclesiæ venit debet prædictam coniunctionem separare.

Pro huius litteræ expositione nota hãc doctrinam esse responsionem ad tale argumentũ. quos coniunxit Deus, homo separare non debet, sed Deus facere intelligitur quod Ecclesia facit, quę quandoque affines, vel consanguineos igoranter coniungit, ergo si postea in notitiam veniant, nõ sunt separandi. responsio est, quod quando affines, vel consanguinei coniunguntur in matrimonium ignorante Ecclesia affinitatem, vel consanguinitatẽ, talis coniunctionis inseparabilitas est contra auctoritatem Diuinã, & ideò Ecclesia debet illam coniunctionem separare, quando ad eius notitiam venerit impedimentum affinitatis, vel consanguinitatis, licet manente errore excusetur à peccato, quia est error facti. pro quorum maiori dilucidatione nota, quod diuortium licitum, vt docet Siluester verb. diuortium in principio est viri ab vxore, vel è conuerso, separatio legitima, idest non sine lege, vel ratione facta, quia quos Deus coniunxit, homo non separet. 31. q. 1. §. & obijcitur. & dicitur diuortium, vt quid nominis explicemus, quasi diuersitas mentium; vel quia hi, qui matrimonium distrahunt, in diuersas partes eunt. ff. de diuor. L. 1. in casu autem in littera proposito adest rationabilis causa separandi coniunctos per matrimonium, quia adest impedimentum dirimens, nempe affinitas, vel consanguinitas, & per hoc non erat matrimonium verè, sed vocaliter tantum, vt notat Siluester verb. diuortium. q. 1. ideò quando tale impedimentum ad notitiam Ecclesiæ deueniet, debet statim coniunctos separare per diuortium, quia coniunctio talis erat contra auctoritatem Dei, qui intelligitur facere, quod facit Ecclesia, & cum Ecclesia prohibeat matrimoniũ inter affines, & consanguineos, Deus etiam hoc intendit, ideò cõiunctio per matrimonium facta inter affines, & consanguineos dicitur esse contra auctoritatem Diuinam, ideò tollenda erit per diuortium, quando ad Ecclesiæ notitiam venerit impedimentum dirimens. erit, inquàm, tollenda talis coniunctio nedum quoad thorum, & quoad cohabitationem, sed etiam quo ad vinculum, datur siquidem duplex separatio, vna quo ad vinculum, quæ est quando vterque, vel alter coniugum potest cum alio de nouo contrahere, & est dissolutio matrimonij quoad substantiam, alia est quoad conuersationem coniugalem vinculo stante, & hęc est duplex, scilicet quo ad thorum, & quo ad cohabitationem. consanguinitas autem, & affinitas sunt impedimenta dirimentia matrimonium, dirimentia, inquam, quo ad substãtiam, quia verè non est matrimonium inter affines, & consanguineos contractum, sed tantum vocaliter.

Quæritur, inter quos Ecclesia intendat facere Diuortium.

2 RSpondeo dicendum, quòd cum omnis concubitus præter legitimum matrimonium sit peccatum mortale, quòd Ecclesia omnibus modis impedire conatur ad ipsam pertinet eos, inter quos non potest esse verum matrimonium, sperare, & præcipuè consanguineos, & affines, qui sine incęstu contrahere non possunt carnaliter. 4. sent. d. 41. a. 5. quæst. 1. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ad Ecclesiam pertinet, eos, inter quos non potest esse verum matrimonium, separare, & præcipuè consanguineos, & affines, qui sine incestu contrahere non possunt carnaliter. probatur, quia Ecclesia omnibus modis impedi-

pedire conatur peccatum mortale, omnis autem concubitus præter legitimum matrimonium est peccatum mortale.

Ex hac littera habemus matrimonium initum inter habentes impedimenta dirimentia esse tãtum matrimonium vocale, non verum, vt supra diximus cum Siluestro, qui diffinit matrimoniũ vocale hoc pacto, quod est illud, quod sequitur impedimentum dirimens, vt est matrimonium inter affines, & consanguineos. si tamen huiusmodi matrimonium fiat in facie Ecclesiæ impedimentum nescientis, reputabitur verum matrimonium, quod tamen verè non est, & ideò statim quod ad eius notitiam venerit impedimentum, debet illud dirimere, vel super eo dispensare, si potest dispensare, vt coniunctos liberet à peccato mortali. legatur de hac materia Dominicus Sotus 4. sent. d. 41. q. vnica. a. 5.

Quæritur, an quando duo fratres habent duas sorores in vxores, si vnus separatur propter consanguinitatem, alius separari debeat.

3 Respondeo dicendum, quòd res inter alios acta alij non præiudicat in foro contentioso; vnde, quamuis vnus frater repellatur à matrimonio vnius sororum ex causa consanguinitatis, non propter hoc separat Ecclesia illud matrimonium, quod non accusatur; sed in foro conscientiæ non oportet, quòd semper obligetur adhoc alius frater ad dimittendum vxorem suam, quia frequenter tales accusationes ex malenolentia procedunt, & per falsos testes probantur; vnde non oportet, quòd conscientiam suam informet, ex his, quæ sunt circa aliud matrimonium facta, sed distinguendum videtur in hoc, quia aut habet certam scientiam de impedimento matrimonij, aut opinionem, aut neutrum; si primò modo nec exigere, nec redere debitum debet; si secundò debet reddere, sed non exigere; si tertiò potest & reddere, & exigere. 4. sentent. d. 41. artic. 5. quæstiunc. 1. ad 3.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est, quamuis vnus frater repellatur à matrimonio vnius sororum ex causa consanguinitatis, non propter hoc separat illud matrimonium, quod non accusatur, puta matrimonium contractum inter alium fratrẽ, & aliam sororem. probatur, quia res inter alios acta alij non præiudicat in foro contentioso. secunda conclusio. in foro conscientiæ non oportet, quod semper obligetur ad hoc alius frater ad dimittendum vxorem suam. probatur, quia frequenter tales accusationes ex maleuolentia procedunt, & per falsos testes probantur, vnde non oportet, quod conscientiam suam informet ex his, quæ sunt circa aliud matrimonium facta. tertia conclusio. talis frater aut habet certam scientiam de impedimento matrimonij, aut opinionem, aut neutrum. si habet primum, tunc nec exigere, nec reddere debitum debet. si habet secundum, tunc debet reddere, sed non exigere. si tertium adest, tunc & reddere, & exigere potest.

Ista doctrina est responsio ad tale argumentum, si matrimonium esset dirimendum propter consanguinitatem, ergo in casu, quo duo fratres habent duas sorores in vxores, si vnus separatur propter consanguinitatem, & alius separari deberet pari ratione, quod tamen non videtur. cui argumento sic respondetur in forma, quod aliud est loqui de hoc casu in foro contentioso, & aliud in foro conscientiæ. in foro, contentioso poterit vnum matrimonium vnius fratris dirimi, alterum alterius fratris non, quia vnum erit accusatum, alterum non, & res acta inter alios alij non præiudicat; in foro autem conscientiæ tenetur nec exigere, nec reddere debitum, si certã scientiam habet de impedimento consanguinitatis, vt colligitur ex cap. inquisitioni. de sent. excom. & ratio est, quia aliter peccaret mortaliter cognoscendo mulierem, quæ non est verè sua vxor; si autem habet tantùm opinionem, debet reddere, non autem exigere, quidquid dicat Coninchus disp. 34. dub. 10. nu. 103. quod debeat reddere, suadetur ex hoc quod nullus potest priuare alterum iure suo, & possessione illi acquisita, qui autem habet opinionem de inualiditate matrimonij priuaret alterum iure, & possessione sua non reddendo debitum, nec oppositum docuit Siluester verb. matrimonium. 4. q. nona, vt falsò sibi imponit neotericus quidam tom. 1. q. 4. p. 4. num. 15. hoc etiam habetur in cap. inquisitioni. 44. quod autem non debeat exigere, probatur, quia si posset exigere, maximè esset, quia est in possessione matrimonij bona fide contracti, sed possessio non suffragatur opininanti, ergo qui bona fide contraxit matrimonium, & postea opinatur matrimonium inualidum esse, non potest exigere: si nec scientiam, nec opinionem habet, potest & reddere, & exigere, quia tunc manet in bona fide, & vtitur consequenter iure suo, & alteri reddit ius suum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Reginaldus lib. 31. nu. 301. Sanchez lib. 2. d. 44. num. 3. Gutierez cap. 49. num. 1. & 31. & cap. 50. num. 4. Coninchus disp. 34. dub. 10. num. 96. & alij.

Quæritur, an vir, & vxor in causa diuortij ad paria debeant iudicari.

4 Respondeo dicendum, quòd in causa diuortij vir, & vxor ad paria iudicantur, vt idem sit licitum, & illicitum vni, quod alteri; non tamen pariter iudicantur ad illa, quia causa diuortij est maior in vno,

vno, quam in alio, cum tamen in vtroque sit causa sufficiens ad diuortium: diuortium.n. est in pænam adulterij inquantùm est contra matrimonij Bonum, quantùm autem ad bonum fidei, ad quam coniuges æqualiter sibi inuicem tenentur, tantùm peccat contra matrimonium adulterium vnius, sicut adulterium alterius, & hæc causa in vtroq; sufficit ad diuortium; sed quantùm ad bonum prolis plus peccat adulterium vxoris, quã viri; & ideò maior causa diuortij est in vxore; quam in viro, & sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur, nec tamen iniustè, quia vtroque est causa sufficiens ad hanc pœnam, sic etiam est de duobus, qui damnantur ad mortis eiusdem pœnam quamuis alius altero grauius peccauerit. 4. sent. d. 35. a. 4. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. in causa diuortij vir, & vxor ad paria iudicantur, vt idem sit licitum, & illicitum vni, quod alteri, non tamen pariter iudicantur ad illa. probatur prima pars, quia in vtroq; est causa sufficiens ad diuortium, puta adulterium, inquantum est contra bonum fidei, ad quam coniuges æqualiter sibi inuicem tenentur, & contra quam tantum peccat adulterium vnius, quantum adulterium alterius, & hæc causa in vtroque sufficit ad diuortium. secunda pars probatur, quia causa diuortij est maior in vno, quam in alio, quantum enim ad bonum prolis plus peccat adulterium vxoris, quam viri, & ideò maior causa diuortij est in vxore, quam in viro. secunda conclusio. non tamen in hoc casu iniustè agitur. probatur, quia in vtroq; est causa sufficiens ad hanc pænam. probatur etiam à simili de duobus, qui damnantur ad mortis eiusdem pænam, quamuis alius altero grauius peccauerit.

Ad explicationem huius litteræ obserua, quod quando dicimus in prima parte conclusionis, in causa diuortij virum, & vxorem ad paria iudicari, sensus est, quod par facultas cõceditur vxori dimittendi virum, & viro dimittendi vxorẽ. & hoc verum est, & sancitum ab Ecclesia, vt habemus can. Christiana. 32. q. 5. vbi Innocentius ait, Christiana Religio adulterium in vtroq; sexu pari ratione condemnat, & can. Apostolus, & can. vxor à viro. & ex Concilio Mileuitano, can. placuit. quando autem dicitur in secunda parte conclusionis, quod vir, & vxor non iudicantur pariter ad illa, sensus est, quod non est par causa in vtroq; vnde consueuit dici, ad paria se habere, sed non pariter, & in littera dicitur, quod ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur, quia & si vir, quia est caput, & custos vxoris, peius delinquat contra secundum finem matrimonij, qui est gubernatio familiæ, attamen vxor longè scelestius, & perniciosius contra primarium finẽ delinquit propter prolis incertitudinem, cuius est causa. nihilominus fractio fidei, quam sibi inuicem debent coniuges, in viro sufficiens est, vt ius faciat vxori diuortium petendi, diuortium, inquam, à thoro, & conuersatione coniugali, vt patet. 23 q. 1. dixit dominus. legatur Dominicus Sotus. 4. sent. d. 36 q. vnica. a. 4.

Quæritur, quod bonum sequatur ex diuortio in vxore.

5 Respondeo dicendum, quòd ipsa confusio, quam reportat de diuortio debet eã cohibere à peccato, quòd si cohibere non potest, minus malum est, quòd sola ipsa peccet, quàm quòd vir peccati eius sit particeps. 4. sent. d. 35. a. 5. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. confusio, quam reportat mulier de diuortio, debet eam cohibere à peccato. secunda conclusio. si cohibere non potest, minus malum est, quod sola ipsa peccet, quam quod vir peccati eius sit particeps.

Bonum duplex ex hac littera habemus oriri ex diuortio, quorum primum est abstinentia à peccato, & hæc procedit ex confusione consequente diuortium. secundum est minus malum, quia dum vxor adultera separata est per diuortium, si iterum adulteretur, illius peccati nõ erit particeps maritus, sicut esset adulterij particeps si illud permitteret in vxore, dũ ei cõiunctus est.

De causis, per quas Diuortium fieri potest.

Cap. II.

1 *Odium est causa diuortij.*
Christus posuit fornicationem causam diuortij.
Aliæ causæ extrinsecæ recensentur diuortij.
§ *Odium passiuum vxoris est causa sufficiens diuortij.*
Diuortium tripliciter accipi potest, & quomodo.
Dissoluitur matrimonium quoad vinculum per professionem Religionis approbatæ & hoc est de fide; si tamen matrimonium non sit consumatum.
Dissoluitur matrimonium quo ad thorum, & habitationem propter fornicationem, Iudicis tamen auctoritate.
Ob fornicationem diuiditur matrimonium quoad thorum tantum sola Euangelij auctoritate.
Odium passiuum vxoris est sufficiens causa diuortij quo ad thorum, & habitationem, si interueniat Iudicis sententia, & quare.
Non simplex odium viri in vxorem est sufficiens causa diuortij, sed debent esse causæ legitimæ odij.
Christus non admisit aliam causam legitimam odij, quam fornicationem.
2 *Quare liceat dimittere vxorem fornicariam.*
Septem casus, in quibus non licet dimittere vxorem fornicariam.

§ *Adul-*

Quæritur, an causa diuortij sit odium vxoris.

1 RESpondeo dicendum, quòd causa permissionis repudiandi vxorem fuit vitatio vxoricidij, vt sancti communiter dicunt, proxima autem homicidij est odium; & ideò proxima causa repudij est odium sed odiū ex aliqua causa causatur, sicut & amor; & ideò etiā oportet alias causas repudij ponere remotas, quæ erant causa odij, dicit autem Augustinus in glos. Deut. 24. multæ erant in lege causæ dimittendi vxores. Christus solam fornicationem excepit, cæteras molestias iubet pro fide, & castitate coniugij sustineri, hæ autem causæ intelliguntur fœditates in corpore puta infirmitas, vel aliqua notabilis macula, vel in anima, sicut fornicatio, vel aliquid huiusmodi, quod in moribus inhonestatem facit: sed quidā

has

has causas magis coarctant satis propabiliter dicentes, quòd non licebat vxorem repudiare, nisi propter aliquam causam post matrimonium superuenientem, nec propter quamlibet talem, sed propter illas solum, quæ possunt bonum prolis impedire, vel in corpore, vt sterilitas, aut lepra, vel aliquid huiusmodi, vel in anima, vt si esset malorum morum, quos filij ex conuersatione ad ipsam immittarentur, sed quædam glosa super Deut. 24. cum non inuenerit gratiam &c. videtur magis arctare, scilicet ad peccatum cum dicit, ibi per fæditatem peccatum intelligi, sed peccatum glosa nominat non solum in moribus animæ, sed etiam in natura corporis. 4. sent. d. 33. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1. in corp.

Quintuplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. proxima causa repudij est odium. probatur, causa permissionis repudiandi vxorem fuit vitatio vxoricidij, vt sancti communiter docent, sed proxima causa homicidij est odium, ergo &c. secunda conclusio. multæ erant in lege causæ remotæ dimittendi vxores, Christus solam fornicationem excepit, cæteras molestias iubet pro fide, & castitate coniugij sustineri; hæ autem causæ intelliguntur fæditates in corpore, puta infirmitas, vel aliqua notabilis macula; vel in anima, sicut fornicatio, vel aliquid huiusmodi, quod in moribus inhonestatem facit. probatur ex D. Augustino in glos. Deu. 24. tertia conclusio. aliqui satis probabiliter dicunt, quod non licebat vxorē repudiare nisi propter aliquam causam post matrimonium superuenientem, nec propter quamlibet talem, sed propter illas solum quæ possunt bonum prolis impedire, vel in corpore, vt sterilitas, aut lepra, aut aliquid huiusmodi; vel in anima, vt si esset malorum morum, quos filij ex conuersatione ad ipsam immitarentur. quarta conclusio. quædam glosa videtur magis arctare, scilicet ad peccatum, cum dicit, per fæditatem intelligi peccatum. quinta conclusio. glosa peccatum nominat non solum in moribus animæ, sed etiam in natura corporis.

Relictis causis, quibus in veteri lege secundū alios licebat diuortium facere, ad duas deueniendum est, quibus nunc in noua lege licet diuortium, nempe odium vxoris, & fornicationem; & de fornicatione satis dicetur in sequentibus quæsitis, tantum ergo de odio vxoris dicetur, de odio, inquam, passiuo vxoris, quando scilicet vir odio habet vxorem secūdum illud Malachiæ. 3. si odio habueris eam, dimitte illam, tunc potest fieri diuortium à thoro, & cohabitatione. pro quo nota, diuortium, quod legitimam viri, & vxoris separationem significat, tripliciter accipi posse, primò pro dissolutione, seu diuisione matrimonij quoad totum, idest quoad vinculū, & substantiam; secundò pro dissolutione, seu diuisione quoad thorum, & habitationem, quoad thorum, inquam, idest quoad carnalem copulā, & quoad habitationem, inquam, simul in eadem domo; tertiò pro dissolutione matrimonij quo ad thorum tantum, idest quo ad carnalem copulam. separatio, dissolutio, & diuisio matrimonij quo ad vinculum fit propter aliquod impedimētum dirimens cognitum post contractum matrimonium, vt supradiximus, & hæc separatio debet fieri auctoritate Ecclesiæ; diuiditur etiam quoad vinculum per professionem Religionis approbatæ. c. ex publico, de conuer. coniug. ca. commissum, de spons. quod esse de fide diffiniuit Concilium Tridentinum, si tamen matrimoniū non fuerit consumatum carnali copula. diuiditur autem quoad thorum, & habitationem, & non quoad vinculum propter fornicationem, Iudicis tamen auctoritate iuxta illud Lucæ 16. quicunque dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem, & c. relatum. in cap. dixit Dominus. 32 q. 1. & c. Dominus, eadem causa. quęst. 7. diuiditur autem quoad thorum tantum ob fornicationem per solam Euāgelij auctoritatem, sine alia Iudicis sententia, vt communiter docent omnes. odium ergo vxoris est sufficiens causa diuortium faciendi quoad thorū, & habitationē, si tū interueniat Iudicis sententia, vt euitetur vxoricidium, quod posset sequi ex odio, vt in littera dicitur, si in eadem manerent domo. aduertendum tamen ex Dominico Soto. 4. sent. d. 33. q. 2. artic. 2 quod non simplex odium mariti in vxorem est sufficiēs causa diuortium faciendi, sed debent adesse causæ legitimæ odij, sic enim interpretatur dictum Malachiæ, si odio habueris eam, dimitte illam, idest si causas habueris odij legitimas, puta si non inuenies eam Virginem, & huiusmodi. & iure merito hoc dictum est, quia si sufficeret simplex odium mariti, iniuria fieret vxori aliquando, cum illud odium possit ex sola iniquitate viri absque alia causa prodire. nota tamen, quod Christus non aliam odij legitimam causam admisit, quam vxoris fornicationem, quæ re vera in promptu est, vt vxoricidij causa esse possit, sola enim fornicatio, inquit Hieronymus, vxoris vincit affectum. c. dixit dominus. 32. q. 1. tale etiam odium ex legitima causa procedēs est multo magis sufficiens ad separationem faciendam. quoad thorum tantum sine Iudicis sententia, sed proprio arbitrio ex sola auctoritate sibi ex Euangelio tradita.

Quæritur, an propter fornicationem liceat viro vxorem dimittere.

2 Respondeo dicendum, quòd Dominus dimittere vxorem concessit propter fornicationem in pœnam illius, qui fidem fregit, & in fauorem illius, qui seruauit, vt non sit astrictus ad reddendum debitum ei, qui non seruauit fidem, & propter hoc excipiuntur septem casus, in quibus non licet viro vxorem dimittere fornicantem, in

in quibus vel vxor à culpa immunis est, vel vtrique sunt æqualiter culpabiles, primus est, si ipse vir similiter fornicatus fuerit; secundus si ipse vxorem prostituerit; tertius si vxor virum suum mortuum probabiliter credens propter longam eius absentiam alteri nupserit; quartus est, si latenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante; quintus si fuerit vi oppressa; sextus si reconciliauerit eam sibi post adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoscens; septimus si matrimonio in infidelitate vtriusq; contracto vir dederit vxori libellum repudij, & vxor alteri nupserit, tunc enim si vtrique conuertantur, tenetur eã vir recipere. 4. sent. d.35.a.1. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Dominus dimittere vxorem concessit propter fornicationem in pœnam illius, qui fidem fregit, & in fauorem illius, qui seruauit, vt non sit adstrictus ad reddẽdum debitum ei, qui non seruauit fidem. secunda conclusio. excipiuntur septem casus, in quibus non licet viro vxorem dimittere fornicantem, in quibus vel vxor à culpa immunis est, vel vtriq; sunt æqualiter culpabiles, vt in littera.

Ad explicationem huius litteræ obserua circa primam conclusionem, quod licet adulterium, quod generali vocabulo vocatur fornicatio non sit sufficiens causa faciendi diuortium quoad vinculum, est tamen causa sufficiens faciendi diuortium quo ad thorum, & habitationem tam in fæmina, quam in viro, vt habetur c. gaudemus, & c. ex litteris, & Mathei 5. vbi dicitur, qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam Mœchari. ratio etiam id suadet, quia coniuges tenentur sibi inuicem seruare fidem, ergo si vnus eorum non seruat fidem, nec alter tenetur eam seruare, frangenti enim fidem fides frangatur eidem L. si cũ venerit. ff. pro loco &c. & c. peruenit. 2. de iureiurando. fides autem in matrimonio data violatur profectò per fornicationem, cum enim per matrimonium sint duo in carne vna, vt legitur Genesis. 2. per comixtionẽ seminum scilicet in vase debito factam, profectò fit diuisio carnis per fornicationem, & commixtionem carnalem cum alio, quam cum proprio coniuge, & consequenter fides violatur. duas alias rationes addit Dominicus Sotus. 4. sent. d. 36. q. vnica. a. 1. quas tu in Auctore legas. cum autem sit sermo de fornicatione, intelligi debet fornicatio consumata, vnde animus fornicandi, vel alij actus impudici sufficiens non sunt causa diuortium faciendi, quia per huiusmodi actus impudicos, & per animum fornicandi non diuiditur caro; qua etiam ratione pollutio extraordinaria cum alia, vel secum tantum, non est causa sufficiens diuortij, quia caro propriè non diuiditur, vt docet Petrus Ledesma. q. 62. ar. 1. dub. 4. quidquid dicat Emanuel sà verb. diuortium. idem dicendum esse affirmo de concubitu viri cum mortua muliere, aut cum Bestia mortua, aut cum statua; iste concubitus profectò non est sufficiens causa diuortij, nam per huiusmodi actus impudicos non diuiditur caro.

Circa secundam conclusionem, & casus septẽ positos in littera, & super cap. 5. Mathei, in quibus non licet dimittere vxorem fornicantem, nota, quod primus, qui est, si ipse vir similiter fornicatus fuerit, habetur ca. tua fraternitas. & cap. significasti, de diuortijs. ratio huius est, quia diuortium concessum est in pœnam frangentis fidem, & in fauorem seruantis fidem, vt in littera dicitur; si ergo etiam vir fregit fidem, non meretur diuortij fauorem; & vlterius, quia paria delicta mutua compensatione delentur; & præterea propter rationem, quæ in q. 6. affertur infra. secundus casus, qui est de eo, qui prostituit vxorem, habetur cap. discretionem, de eo, qui cognoscit consanguineam vxoris suę ratio huius est, quia volenti non fit iniuria; qui casus ampliatur ad eum maritum, qui potuit prohibere fornicationem, & noluit. tertius casus, qui est de vxore, quæ credens probabiliter mortuum virum suum propter longã eius absentiam alteri nupsit, est decisio canonis, cum per bellicam. 34. q. 2. quartus casus, qui est de vxore latenter cognita ab aliquo sub spetie viri sui. lectum subintrante, est D. Augustini in lib. de fide, & operibus. can. si virgo. & Concilij Triburiensis can. in lectum. 34. q. 3. quintus casus, qui est de vxore vi oppressa, est D. Augustini lib. 2. de Ciuit. Dei, qui refertur can. ita ne, & can. proposito. 32. q. 5. ratio trium supradictorum immediatè casuum est, quia in his casibus non interuenit culpa. sextus casus, qui est de marito, qui sibi reconciliauit vxorem post adulterium perpetratum carnaliter eam cognoscens, habetur 32. q. 1. can. dixit dominus. nam per illam reconciliationem cessit iuri suo. nota tamen ex Dominico Soto. 4. senten. d. 36. q. vnica. ar. 1. quod debet tale adulterium esse cognitum à marito, quia si vxorem cognoscit, quã adulteram esse ignoret, non censetur eam sibi reconciliare. nota circa hos sex casus, quod cognoscens vxorem ab alio cognitam irregularitatem bigamiæ incurrit, vt dicit idem Sotus. 4. sent. d. 36. art. 1. septimus casus est, si matrimonio in infidelitate vtriusque cõtracto vir dederit vxori libellum repudij, & vxor alteri nupserit, tunc si vtrique conuertantur, tenetur eam vir recipere. quibus additur octauus casus, quando scilicet vir dedit occasionem fæminæ adulterandi, quia noluit reddere debitum, tunc si adulteretur fæmina, tenetur vir reddere debitum 33. q. 5. can. secundum verba. & ponitur iste casus à S. Thoma super cap. 7. primæ ad Corinth. lect. 2. & est tertius in ordine. quem sequitur Armilla verb. matrim. num. 73. Toletus lib. 7. cap. 20. nu. 5. vnde non sunt audiendi Sanchez lib. 10. d. 5. num. 7. Coninchus d. 35. nu. 7. Henriquez lib. 11. cap. 17. n. 4. Reginaldus lib. 31. nu. 321. Gutierez cap. 129. n. 8. qui hunc casum negant.

Ex

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 7. cap. 20. num. 2. & 5. Henriquez lib. 11. cap. 17. num. 3. & 5. Sanchez lib. 10. disp. 5. nu. 19. Coninchus disp. 34. dub. 2. nu. 11. Reginaldus lib. 31. n. 331. & 332. & alij.

Quæritur, an proprio iudicio possit vir vxorem fornicantem dimittere.

3 Respondeo dicendum, quòd vir potest dimittere vxorem dupliciter vno modo quãtùm ad thorum tantum, & sic potest eã dimittere, quàm citò sibi constat de fornicatione vxoris proprio arbitrio, nec tenetur reddere debitum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur, & taliter reddens nullum sibi præiuditium facit, alio modo quantùm ad thorum, & cohabitationem, & hoc modo non potest dimitti, nisi iudicio Ecclesiæ, & si alias dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, nisi possit ei vir incontinenti fornicationem probare, hæc autem dimissio diuortium dicitur, & ideò concedendum est, quod diuortium non potest celebrari nisi iudicio Ecclesiæ. 4. sen. d. 35. art. 3. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione iuxta duplex membrum distinctionis, quæ est. quod vir potest dimittere vxorem dupliciter, vno modo quantum ad thorum tantum, alio modo quantum ad thorum, & cohabitationem. prima conclusio. vir potest dimittere vxorem quantum ad thorum proprio arbitrio, quam citò sibi constat de fornicatione vxoris, nec tenetur reddere debitum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur, & taliter reddens nullum sibi præiuditium facit. secunda conclusio. vxor non potest dimitti quoad thorum, & cohabitationem nisi iuditio Ecclesiæ, & si aliàs dimissa fuit, debet cogi ad cohabitandum, nisi possit ei vir incontinenti fornicationem probare. hinc elicit corrolarium, quod quia hæc dimissio diuortium dicitur, ideò concedendum est, quod diuortium nõ potest celebrari nisi iuditio Ecclesiæ.

Ad explicationem huius litteræ nota, quod aliud est loqui de diuortio faciendo etquo ad thorum, etquo ad cohabitationem in foro conscientiæ, & aliud est loqui de eo in foro externo, nam in foro conscientiæ coniux innocens potest facere proprio arbitrio diuortium nedum à thoro, sed etiam ab habitatione, si desit scandalum, propter fornicationem alterius, vt habetur c. dixit dominus. 32. q. 1. ratio etiam id suadet, quia iure naturæ frãgenti fidem fides frangenda est, cum ergo alter coniugum fidem fregerit fornicando, siue adulterando, alter innocens non tenebitur seruare fidem ei, sed proprio arbitrio poterit facere diuortium negando debitum, & ab eius amplexu abstinendo, & in longinqua recedendo. dixi, negando debitum, quia si post notum adulterium cognouerit maritus vxorem, bigamiæ irregularitatem incurrit, vt dicit Dominicus Sotus. 4. sent. d. 36. q. vnica. art. 1. & 3. & tunc se iure petendi diuortium priuat, vt supra diximus, talia autem incommoda non tenetur subire. dixi etiam in longinqua recedẽdo, quia, vt ait idem Sotus. 4. sent. d. 36. q. vnica. a. 3. re vera in conscientia nec debet ei copulam, nec alimenta, nec humanum conjectum. dixi, nisi adsit scandalum, quia si adsit scandalum, non debet diuortium quo ad cohabitationem fieri proprio arbitrio, sed expectanda erit Ecclesiæ sententia; secluso scandalo tutas habent separati conscientias, & si vir vult peregrè proficisci, & vxorem deserere, nullum eum ius vetabit, vt loco citato ait Sotus. in foro autem externo non potest fieri diuortium quoad cohabitationem proprio arbitrio, sed requiritur iuditium Ecclesiæ; & si aliàs dimissa fuit, debet cogi ad cohabitandũ, quia publicum supplicium nemo nisi Iudex publicus inferre valet, idque testibus, aut alia legitima via iuridicè comprobatum, expellere autem è domo vxorem, quam publicè sibi copulauit, est publicum supplicium; hocque diffinitum habemus ex decreto Alexandri tertij. c. porrò, de diuortijs, in quo habetur, quod quamuis crimen publicum esset, & notorium, semper tamen est adeundus Iudex. hic tamen obserua ex Siluestro verb. diuortium. q. 8. quod adulterium potest esse tam notorium, vt possit maritus eam absque alio iuditio deserere, vt si adultera in ædes adulteri, vel è conuerso se receperit, & ibi publicè maneat; aliàs si priuata auctoritate quis vxorem dimittat, & ipsa restitutionem petat, cõpellendus est illam in domum recipere, nisi incontinenti possit ei vir fornicationem probare, ait D. Thomas, idest nisi incontinenti testimonia ipse legitima fornicationis perhibeat iuxta c. litteras; de restitu. spoliato. ex his liquet verum esse corrolarium, nempe quod diuortium fieri priuata auctoritate non potest, sed sola publica Ecclesiæ, quia diuortium non dicit solum abstinentiam illam occultam, & priuatam ab vsu coniugali, sed etiam diuersionem hanc, vt nomen sonat, vt facultas innocenti fiat non cohabitandi cum vxore, neque in re familiari communicandi.

Siquis autem quærat, quænam notitia adulterij requiratur, vt vir possit vxori debitum negare. respondebitur cum Dominico Soto. 4. sent. d. 36. q. vnica. a. 3. quod illa notitia satis erit, quę sufficiet ad faciendum diuortium in foro Ecclesiæ, vt si vir inueniat vxorem cum adultero in eodem cubili, aut aliter amplexatos; nec minora inditia sufficerent, vnde non quælibet suspicio sufficit, sed requiritur suspicio vehementissima, quæ pro testimonio, & præsumptione valeat.

Siquis iterum quærat, an postquam vir cognouit adulterium vxoris, possit petere debitum ab ea. respondeo non posse licite petere, quia si petit, iam sibi eam reconciliauit; sic idem Sotus ibidem respondit.

Iterū si quærat, an vxor adultera secreta, quæ tamen certò credit, quod si maritus cognosceret suum adulterium, eam expelleret, possit petere debitum ab eo. respondeo posse petere, quia quamdiù adulterium occultum est, possidet ius petēdi, nec adultera debet se ipsam prodere, nec se ipsam accusare, sed ad maritum, vel Iudicem pertinet eam spoliare iure suo. sic idem Sotus ibidem ex Caietano respondet, quos secuti postea sunt Petrus Ledesma. q.62.a.1.dub.1. Sanchez lib.2.d.68.num.4. Henriquez lib.11.cap.13. nu.6. Emanuel Sà verb. adulterium. num. 3. Coninchus d.35.dub.1.num.4.& d.23.dub.12.n.19. Gutierez c.34.nu.10.

Quærenti etiam, an si mulier querelam apud Iudicem deponat, quod vir suus ei debitum negat, qui tamen maritus cognoscit vxoris adulterium sed tamen illud probare non potest, an Iudex possit cogere maritum ad reddendū debitum. respondebitur, posse Iudicem compellere talem maritum, etiā censuris, vt reddat; iterum potest compellere eum, vt illam domi retineat, & alat, quia debet iudicare secundum allegata, & probata. nota tamen, quod licet sententia in foro exteriori fuerit legitima, attamen quia fuit fundata in falsa præsumptione, non ligat conscientiam, vnde nec tenetur ad illam accedere, nec ligabitur excomunicatione in foro conscientiæ, & in tali casu debet exteriora iuditia, & molestias patienter tolerare. si tamen cōpellatur reddere, taliter reddens nullū sibi præiuditium facit, vt in littera dicitur, puta quod tūc censeatur sibi eam reconciliasse, vt dicitur in sextò casu in superiori quæsito notato.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Abulensis super cap.19. Mathei. q. 72.

Quæritur, an vir teneatur ex præcepto vxorem fornicantem dimittere.

4 Respondeo dicendum, quòd dimissio vxoris fornicantis introducta est ad corrigendum vxoris crimen per talem pœnam, pæna autem corrigens non requiritur, vbi emendatio iam præcessit; & ideò si mulier de peccato pæniteat, vir non tenetur eam dimittere, si autem non pæniteat, tenetur, ne peccato eius consentire videatur, dum correctionem debitam nō opponit. 4. sent. d.35.a.2. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si mulier de peccato pæniteat, vir non tenetur eam dimittere. probatur, quia dimissio vxoris fornicantis introducta est ad corrigendum vxoris crimen per talem pænam, pæna autem corrigens non requiritur, vbi emendatio iam præcessit. secunda cōclusio. si mulier non pæniteat, tenetur. probatur, ne peccato eius consentire videatur, dum correctionem debitam non apponit.

Primam conclusionem docuit D. Augustinus ad Pollentium lib. 3. can. quod autem 32. 1. vbi ait, non esse durum reputandum, vt coniux adultera per pænitentiam sanata viro reconcilietur. suadet etiam ratio, quia potest vir iuri suo cædere, & vxori emendatæ pænam diuortij condonare, postquam per emendacionem fuerit deleta culpa; immò consilium est, inquit Dominicus Sotus. 4. sent. d.36.q. unica.art.2. uxorem adulteram, sed emendatam retinere, quia si mulier emendata mariti præsidio uidet se destitutā, periculum subibit, ne per inopiam oppressa turpem procuret quæstum; hac tamen in re opus est moderamine D. Gregorij in lib. qui Pastor inscribitur, vbi ait, debet maritus recipere peccatricē q̄ pęnitētiā egit, sed non sæpè, nam sæpè relapsa spē emendacionis adimit. secundā cōclusionem probant auctoritas Christi, Mathei 5. & c. si uir, de adulterijs, D. Chrisostomus super Matheum c. 11. & refertur 32. q. 1. ubi ait, sicut crudelis, & iniquus est, qui castam dimittit uxorem, sic fatuus est, & iniustus, qui retinet meretricem, patronus enim turpitudinis est, qui cælat crimen vxoris nā habetur prouerb. 18. qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, qui autem tenet adulteram, stultus est, & insipiens; immò si retinet eā, debet pænitere, vnde subdit can. si quis vir, qui vxorem, postquam in adulterio eam deprehendit, cognouit, duobus annis pæniteat, & quousque à crimine fuerit purgata, ab eius matrimonio abstineat. D. Hieronimus ibidem can. dixit Dominus. qui tenet adulterum, stultus, & impius est. rationes suadēt plurimæ. primò quia dum retinet, & non castigat adulteram vxorem pertinacem, eius peccato conniuere, & consentire videtur, vt in littera dicitur, & habetur can. consentire. 83. dist. secundò quia periculo se subijcit prolis, vt vxor illi falsos hæredes supponat. tertiò violat significationem sacramenti vnitatis Christi cum Ecclesia. Dominicus Sotus 4. senten. d. 36. q. vnica. a. 2. asserit oppositum, sub censura tamen peritiorum, nempe quod viri non tenentur vxores, quantumcunque pertinaces, & absque spe emendacionis obstinatas, *simpliciter*, & absolutè loquendo, relinquere. quod primò probat, quia si verba Christi perpendantur, non iubet, sed permittit. secundò quia si teneretur vir vxorem adulteram dimittere, hoc est ex vno duorum horum capitum, scilicet vel quia. si non dimittit, consentire videretur in crimen, qua ratione scandalum dat, ac si patronus, particepsq; eius fiat; vel quia sperat, quod per diuortium vxor emendabitur, & aliàs non. sed primum, inquit ipse, non obstat, quia si vehementibus carnis illecebris maritus vexetur, & nequeat ab vxore, nisi cum magno periculo abstinere, tunc re vera non tenetur tali periculo se obijcere, vt vxorem relinquat, & tunc si esset scādalum, esset potius scandalum acceptum, quam datum. item si est vir infirmus, aut pauper, qui labore manuū suarum viuit, quam ob rem vxore nimis indiget, quæ ei in re familiari seruiat, nec tunc tenetur se incommodare abijciendo illam. in his, & similibus casibus, inquit, Sotus, satis est, quod vir uxorem

rem acriter reprehendat, & cautè custodiat, ita vt vicini intelligere valeant, se inuitò, & ægerrimè ferente illam delinquere, sed manere cum illa necessitate compulsum. vlterius ad petendũ diuortiũ requiritur processus non facilis, & ideò non tenetur tanta se onerare molestia. præterea diuortium facere in viri etiam infamiam resultat, quare viri ingenui vxorem citius iure enecant, quam relinquant, quod tamen rarissimè consulendum est. non obstat secundum, quandò scilicet non esset alia emendationis spes, quam illam relinquere, quia tunc nullum esset remedium ab vxore abstinere, & multò minus eam domo expellere, immò esset maius periculum, vt peior fieret. vlterius quando illud esset necessarium, non tenetur vir cum tanto detrimento vxori mederi; si autem tantum non pateretur detrimentum, consilium esset, vt faceret. his addit auctoritatem Abulensis super Matheũ cap. 19. qu. 71. sed miror, quod hic doctissimus vir discesserit à doctrina D. Thomæ, & communi in re tam patula, & maximè propter rationes tã infirmas. conclusio D. Thomæ solidissima est, & rationibus efficacissimis, & auctoritatibus Sanctorum Chrisostomi, Hieronimi irrefragabilibus comprobata, quibus addo, quod si maritus uxorem adulteram non expelleret, facilè illi debitũ reddet, & sic fiet bigamus, ut supra notauimus cum Dominico Soto, quod etiam docet Siluester uerb. debitum coniugale. q. 1. & ulterius faceret contra statutum Ecclesiæ. C. siquis uxorem. 31. q. 2. & c. si uir, de adulterijs. unde superest argumentis Soti in contrarium factis respondere. ad primum ergo fundatũ in uerbis Christi dicitur, non esse simplicem permissionem, sed esse præceptum Domini, ut postea etiam ipse Sotus fatetur in calce articuli citati. ad secundum dicitur, quod ex utroque capite tenetur uir uxorē adulteram pertinacem dimittere, ne scilicet uideatur consentire in illius peccatum, si illam non reijciat, ex quo sequitur scandalum; & ut emendetur ex confusione resultante per expulsionem. primum autem casum in contrarium concedit Toletus ex Siluestro lib. 7. cap. 20. num. 4. ratio id suadet, quia non tenetur cum periculo animæ suæ procurare correctionem alterius, nec tunc dicetur consentire in crimen uxoris, sed suæ prouidere saluti, & in hoc casu scandalum esset acceptum, & non datum, nec ad euitandum scandalum tenetur suas molestias alijs patefacere. similiter possumus cõcedere secundum casum, qui tamen casus non sunt contra conclusionem D. Thomæ, quæ uera est regulariter, & ut in pluribus; sicut etiam reddere debitum uxori adulteræ peccatum est mortale, & contra statutum Ecclesiæ, siquis uxorem. 31. q. 2. quod regulariter uerũ est, attamen sunt aliqui casus, in quibus licebit reddere debitum adulteræ, ut notat Armilla uerb. debitum coniugale. num. 16. ad aliud dico, quod pro emendatione animæ uxoris, & ne uideatur ipse consentire in peccatum illius, debet maritus subire onera, molestias, quæ in formatione processus contingunt, ordo enim Charitatis hoc postulat, ut bonum spirituale animæ proximi præferamus commodis nostris, sicut tenemur magis diligere proximum, quam corpus nostrum, ut docet D. Thomas. 2. 2. q. 26. art. 5 in corp. & opusc. 18. ad aliud etiam respondetur, falsum esse, quod diuortium resultet in infamiã uiri, immò in suum fauorem, quia dum petit diuortium, se non consentire in uxoris crimen profitetur, sibi displicere illius peccatum protestatur, & iniuriam sibi factam ab uxore uindicat iuridicè, quod in maximum illius cædit honorem. ad primum autem argumentum, quod ex alio capite petitur, dicitur, quod expulsio uxoris adulteræ ordinatur per se ad emendationem illius, ut ex hac confusione resipiscat, si postea uxor peior euadat, ipsa uiderit, & hoc per accidens est. ad secundum dicitur, quod si loquatur Sotus de detrimento corporali, dico, quod ordo Charitatis postulat, ut postponamus commoda corporalia saluti animæ proximi; si autem loquatur de detrimento suo spirituali, quia scilicet uidet in se periculum incontinentiæ, si uxorem expellat è domo, sic dico, quod in tali casu non tenetur eam expellere, ut iam diximus; si autem tantum non pateretur detrimentum siue corporale, siue spirituale, præceptũ est, & non consilium, ut uxorem expellat. Abulensi non est necesse, ut respondeamus, cum eius auctoritati, quæ parum ueranda est, ex aduerso opponamus auctoritates Chrisostomi, & Hieronimi, canones, & quod plus est, auctoritatum Christi, & Ecclesiæ, contra quorum præcepta profectò facit, qui uxorem adulteram, & pertinacem non dimittit. & consequenter talis peccabit mortaliter. hæc quæ diximus, uera sunt de uiro respectu uxoris adulteræ, quãdo adulterium uxoris est publicum, & legitimè probari potest. an autem sit eadem ratio de uxore respectu mariti adulteri, ut scilicet teneatur eum quoad domũ deserere, legatur D. Thomas super cap. 5. D. Mathei. nunc paucis exponendũ est, & dicendum primò, quod nulli canones sunt, qui in hac parte de uxoribus loquantur, sed solis uiris uidentur iubere, ut à pertinaci adultera recedant. secundò dico, vxorem non teneri deserere quoad domum maritum adulterum, quia in ea cessat ratio, quæ est in viro respectu vxoris, vt scilicet per confusionem emendetur, quia vxor, cum non sit caput viri, potestatem non habet cũ corrigendi, & corripiendi, quod si corrigere eum vult, hoc potius præstet verbo, quam facto, vt Armilla verb. debitum coniugale nu. 16. asserit ex Palludano; & cum adulterium viri ægerrimè ferant vxores, vt vsu comperimus, & Zelotypia maximè excruantur, nullum indicium, quod in crimen viri consentiant, dabunt, si in eadem domo cum Maritis adulteris commaneant vxores, & consequenter nullum præbent scandalũ, nec vlla notabuntur infamia. tertiò dico, consilium esse virorum prudẽtum, ne vxor viri adulteri thorum diuidat, quia illa abstinentia non solum non cędit in remedium viro, sed potius est illi occasio maioris præcipitij, quia tunc recrudescere solent viri, & deteriores fieri, unde Petrus

trus

trus Ledesma.q.61.ar.2.conclusione. 1.ait, vxorem rarò teneri denegare debitum viro adultero, vt ipsum corrigat, qui denegatio debiti vt plurimum est occasio maioris mali, ex hoc siquidem quod maritus est adulter, & incontinens, si ei negetur debitum, vel perseuerabit in adulterio cum eadem, vel alia muliere, vel sæpè in mollitiei peccatum labetur.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Reginaldus lib. 31. nu.329. Sanchez lib. 10.disp.13.num.10. Rebellus lib.2.q.17 num.11. Gutierez cap.129. num. 15. Coninchus disp. 35. dub.3. Abulensis super c.19. Mathei.q.70. & alij.

Quæritur, quando peccet, vel non peccet vir dimittendo vxorem fornicariam.

5 Respondeo dicendum, quòd vir si dimittat vxorem fornicantem liuore vindictæ peccat, si autem ad infamiam propriam cauendam, ne videatur particeps criminis, vel ad vitium vxoris corrigendum, vel ad euitandum prolis incertitudinem; nõ peccat. 4.sent.d.35.a.1.ad 1.

Duplici cõclusione respondet D.Thomas huic quæsito, quarum prima est. Vir, si dimitat vxorem fornicantem liuore vindictæ, peccat. hæc relinquitur, vt nota ex terminis. secunda cõclusio. si vir dimittat vxorem ad infamiam propriã cauendam, ne videatur particeps criminis; vel ad vitium vxoris corrigendum, vel ad euitandã prolis incertitudinem, non peccat. hæc relinquitur, vt nota ex supradictis.

Prima conclusio profectò patet, vbi enim adest liuor vindictæ, adest finis peccaminosus. secũda etiam conclusio liquet, quia ratione recensitorum in conclusione secunda tenetur vir vxorẽ dimittere.

Quæritur, an possit fieri diuortium, quando vterque fornicatur.

6 Respondeo dicendum, quòd diuortium ex causa fornicationis fit vno accusante alium, & quia nullus potest accusare, qui in simili crimine existit, quando vterque fornicatur, diuortium celebrari non potest, quamuis magis peccatur cõtra matrimonium vtroque fornicante; quam altero tantùm. 4.sent.d.35.a.1.ad 2.

Conclusione vnica respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. quando vterque fornicatur, diuortium celebrari non potest. probatur, quia diuortium ex causa fornicationis fit vno accusante alium, sed nullus potest accusare, qui in simili crimine existit, ergo &c.

Iste casus habetur ca. Tua fraternitas. & cap. significasti, de diuortijs. legantur ea, quæ circa hunc casum diximus supra. q. 2.

Quæritur, an vir teneatur dimittere vxorem fornicantem, sed pænitentem.

7 Respondeo dicendum, quòd peccatum fornicationis in vxore potest corrigi non tantùm pæna separationis, sed etiam verbis, & verbere; & ideò si aliàs ad correctionem sit parata; non tenetur vir prędictam pœnam ad eius correctionem adhibere. 4.sent.d.35.a.2.ad 1.

Vnica conclusione respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. si vxor adultera aliàs ad correctionem sit parata, non tenetur vir pænam diuortij ad eius correctionem adhibere. probatur, quia peccatum fornicationis in vxore potest corrigi non tantum pæna separationis, sed etiam verbis, & verbere.

Circa hanc doctrinam obserua, quod quando vxor adultera sit parata corrigi, nedum vir eius non tenetur eam dimittere, quia tunc cessant fines, per quos fit diuortium, sed potest absque peccato ei reddere debitum, non tamen ad hoc tenetur, vt ait Toletus lib. 7. cap.20. num. 4. ex Ricardo. 4. sent. d. 32.

Quæritur, an vir possit totaliter dimittere pœnam vxori fornicanti.

8 Respondeo dicendum, quòd vxor fornicando non tantùm peccat in virum, sed etiam in se ipsam, & in Deum; & ideò vir non totaliter potest pœnam dimittere, nisi emendatio sequatur. 4. sentent. d. 35. art. 2. ad 6.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cõclusione, quæ est. Vir non totaliter potest pęnam dimittere vxori fornicanti, nisi emendatio sequatur. probatur, quia vxor fornicando non tãtum peccat in virum, sed etiam in se ipsam, & in Deum.

Perpendat vxor fornicaria grauitatem peccati sui ex hac littera. Vxor ergo fornicãdo primò peccat in Deum, quia committit peccatum mortale contra sextum præceptum decalogi; & contra Sacramentum Matrimonij significantis vnionem vnius Christi cum vna Ecclesia, fornicando autem hanc significationem violat. peccat secũdò in virum frangendo fidem matrimonij sibi debitam; & supponendo illi falsos hæredes suæ facultatis. peccat tertiò inseipsam, quia fœdat animam suam peccato læthali, maculat honorẽ suum; quia ergo vxor peccat contra seipsam, cõtra virum suum, & contra Deum, ideò totaliter non potest ei vir dimittere penam, nisi emendetur, quam tamen pænam totaliter posset dimittere vir, si peccaret tantum in eum, quia quilibet potest dimittere alteri, quod in se peccauit.

Quæritur, an per peccatum contra naturam debeat fieri diuortium.

9 Respondeo dicendum, quòd etiam propter

pter vitium contra naturam poteſt procedi ad diuortium, ſed tamen non fit ita mẽtio de ipſo, tum quia eſt paſſio innominabilis, tum quia rarius accidit, tum quia nõ ita cauſat incertitudinem prolis. 4. ſent. d. 35. a. 1. ad 4.

Concluſione vnica reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. propter vitium contra naturã poteſt procedi ad diuortium, ſed tamen non fit ita mentio de ipſo. hæc concluſio relinquitur, vt nota quo ad primam partem. quo ad ſecundam probatur, quia eſt paſſio innominabilis, & quia rarius accidit, & quia non ita cauſat incertitudinem prolis.

Nomine vitij contra naturam S. Thomas intelligit peccatum ſodomiæ, beſtialitatis, & pollutionis extraordinariæ cum alio, vel alia, etiam extra clauſtra pudoris, etiam cum ſua, & ſecundum aliquos pollutionis ſpontè à ſe procuratæ; licet hoc neget Silueſter verb. diuortium. qu. 7. quia per eam nec diuiſit, nec diuidere tentauit carnem ſuam. ratio autem concluſionis poteſt eſſe, quia nomine fornicationis, per quam licet facere diuortium, intelligitur omnis illicitus coitus, vt ait Silueſter verb. diuortium. q. 7. & Dominicus Sotus. 4. ſent. d. 36. quæſt. vnica. art. 1. & habetur. 32. quæſt. 7. non ſolum. & q. 4. cap. meretrices. quibus poſſumus addere aliam rationem, quia per ſodomiam diuidens carnem ſuam in alium perfectè, & conſumatè dicitur violare fidẽ matrimonij, vnde in hoc non eſt audiendus Innocentius, qui in c. maritus, tenet oppoſitum, quia per tale vitium profectò fit maior iniuria matrimonio. Circa tamen pollutionem extraordinariam cum alio, vel alia, etiam extra clauſtra pudoris, etiam ſi erat ſua, ea non exiſtente in culpa, nota cum Silueſtro loco citato, hoc debere intelligi, ſi non vult corrigi; ſicut ſi corrigi non velit, qui ſuam extraordinariè polluit, dimitti debet, quia tunc immineret vxori periculum ſalutis, cui poteſt, & debet prouidere. de diuor. gaudemus, aliter non poteſt dimitti.

Ex hoc loco hauſit, quæ docent Henriquez lib. 11. de matrimonio. cap. 8. 13. Abulenſis. q. 67. in cap. 19. Mathei, & alij.

Quæritur, an propter infidelitatem poſſit fieri diuortium.

10 Reſpondeo dicendum, quòd quia fornicatio eſt directè contra bona matrimonij, quia tollitur per eam certitudo prolis, & fides frangitur, & ſignificatio non ſeruatur, dum vnus coniugum pluribus carnem ſuam diuidit; & ideò alia crimina, quamuis fortè ſint maiora fornicatione, non cauſant diuortium, ſed quia infidelitas, quæ dicitur ſpiritualis fornicatio, etiã eſt contra matrimonij bonum, quòd eſt proles educanda ad cultum Dei, etiam ipſa facit diuortium, ſed tamen aliter, quam corporalis fornicatio, quia propter vnum actum fornicationis carnalis poteſt procedi ad diuortium, non autem propter vnũ actum infidelitatis, ſed propter conſuetudinem, quæ pertinatiam oſtendit, in qua infidelitas perficitur. 4. ſent. d. 35. a. 1. ad 3.

Triplici concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. alia crimina, quamuis fortè ſint maiora fornicatione, non cauſant diuortium. probatur, quia fornicatio eſt directè contra bona matrimonij, quia tollitur per eam certitudo prolis, & fides frangitur, & ſignificatio nõ ſeruatur dum vnus coniugum carnem ſuam diuidit. ſecunda concluſio. infidelitas etiam facit diuortium. probatur, quia infidelitas, quæ dicitur ſpiritualis fornicatio, eſt etiam contra matrimonij bonum, quod eſt proles educanda ad cultum Dei. tertia concluſio. infidelitas aliter facit diuortium, quam corporalis fornicatio. probatur, quia propter vnum actum fornicationis carnalis poteſt procedi ad diuortium, non autem propter vnum actum infidelitatis, ſed propter conſuetudinem, quæ pertinaciam oſtendit, in qua infidelitas perficitur.

Ex prima concluſione habemus, diuortium fieri ob adulterium, non quod ſit crimen grauiſſimum omnium, nec quia ſit grauius multis alijs, ſed quia adulterium ex diametro pugnat cũ bonis matrimonij recenſitis in littera, tollit ſiquidẽ adultera prolis certitudinem, frangit matrimonij fidem, & ſignificationem Sacramenti, quæ eſt vnius cum vna, cuſtodia; alia autem peccata licet ſint adulterio grauiora hæc non præſtant, ſaltem non omnia, quod dico propter vitium ſodomiticum, per quod iam diximus violari fidem matrimonij, & diuidi carnem, in alium. circa ſecundam concluſionem, & eius probationẽ nota, quod nomine fornicationis ſpiritualis intelligitur infidelitas, idolatria, apoſtaſia à fide, ideſt tranſitus ad Iudaiſmum, aut paganiſmum, vt rectè notauit Dominicus Sotus. 4. ſent. d. 36. q. vnica. a. 1. quibus addit Silueſter verb. diuortium. q. 7. hæreſim. iſta ergo delicta ſunt ſufficiens cauſa ad diuortium petendũ, & præcipuè, ſi ad infidelitatem trahit coniugem ſuam, quia ſunt contra bonum matrimonij, quod eſt proles educanda ad cultum Dei. hæc ergo fornicatio ſpiritualis dicitur cauſa diuortij faciendi, non quod de ea locutus ſit Chriſtus, quando dixit, cauſa fornicationis dimittendam eſſe vxorem, ibi enim loquitur tantum de carnali fornicatione, ſed quia eſt periculoſa ad peruertendam Religionem. hæc concluſio habetur can. idolatria. 28. q. 1. & cap. quæſiuit, de diuortijs. limitatur tamen à Silueſtro loco citato, quod ſi talis corrigere ſe vellet, non deberet dimitti. verum de hoc aliàs dicetur verb. matrimonium. cap. 12. interim legatur Silueſter verb. diuortium. qu. 10. notanda etiam eſt moderatio, quam facit S. Thomas in tertia concluſione, & eius probatione.

hæc

hæc sint dicta de causis diuortij, quibus adduntur aliæ, quæ lege ciuili expressæ sunt, vt L. consensu. C. de repudijs, vt si mulier sit venefica, vel liberorum interfectrix, vel substantiæ mariti depredatrix &c. has tamen causas non esse in vsu Ecclesiæ, asserit Dominicus Sotus. 4. sent. d. 36. q. vnica. ar. 1. adducit tamen præter fornicationem etiam enormem sæuitiam mariti, quando scilicet vxor legitimè probat periculum sibi mortis à viro imminere, & in hoc casu, vel cautio securitatis sufficiens danda est, vel discedendi facultas, & tunc maritus debet vel dotem illi reddere, vel alimenta. cap. litteras circa finem, de restitut. spoliatorum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Henriquez lib. 11. cap. 15. nu. 6. & alij.

De modo procedendi in causa Diuortij. Cap. III.

1 *In causa diuortij procedendum est per testes.*
In causa diuortij idem potest esse accusator, & testis.
Consanguinei admittuntur ad testificandum, & multa alia obseruantur.
§ *Per simplex dictum coniugum, etiam iuratum, nō debet dissolui matrimonium iam contractum.*
Debent esse plura testimonia in hac causa, & quare.
Explicantur spetialia, quæ inueniuntur in hac causa.
2 *Ad separationem matrimonij inter affines, & consanguineos contracti procedendum est per viam accusationis.*
§ *Matrimonium illegitimum potest accusari.*
Quando matrimonium non est verum, sed tantum vocale propter aliquod impedimentum, petatur dispensatio super impedimentum, si est dispensabile.
Si non est dispensabile, habitent coniuges, vt frater, & soror.
Refertur casus memorabilis, & quid in tali casu sit faciendum, explicatur.
3 *Vir habens suspectam vxorem de fornicatione potest eam cum testibus inuenire in actu fornicationis.*
Si de hoc facto non constat possunt esse violentæ suspitiones.
§ *Quid sint violentæ suspiciones.*
4 *Pænitentia vxoris fornicariæ debet inducere virum, ne eam accuset.*
Non potest tamen adhoc cogi.
5 *Causæ repudij non scribebantur in libello in speciali, sed in generali.*
Quare scribebantur secundum Iosephum, & Augustinum.
6 *Modus quo debet fieri diuortium, quando allegatur impotentia coeundi.*
Si vir asserat carnalem copulam præcessisse, & mulier neget standum est iuramento viri, nisi mulier velit probare virum esse mentitum per aspectum sui corporis.
Si vir iurat falsum, & vxor non potest probare contrarium, prouidendum est sibi de iacendo seorsum.
Si vir neget carnalem copulam præcessisse, & vxor affirmet, non est standum iuramento viri.
§ *Sextæ conclusionis verba explicantur.*
7 *Quid facere debeat Ecclesia, quando cognouit se deceptam esse in causa diuortij per falsos testes.*

Quæritur, an in causa diuortij inter affines, & consanguineos non sit procedendum per testes.

1 Respondeo dicendum, quòd in hac causa oportet, quod per testes veritas patefiat, sicut, & in alijs, tamen vt iuristæ dicunt, in hac causa multa specialia inueniuntur, scilicet quòd idem potest esse accusator, & testis, & quod non iuratur de calumnia, cum sit quasi causa spiritualis, & quòd consanguinei admittuntur ad testificandum, & quod non obseruatur omnino ordo iudiciarius, quia tali denuntiatione facta contumax potest excomunicari lite non contestata, & valet hoc testimonium de auditu, & post publicationem testium testes possunt induci, & hoc totum est, vt peccatum impediatur, quod in tali coniunctione esse potest. 4. sent. d. 41. a. 5. quæstiunc. 3. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. in causa diuortij inter affines, & consanguineos oportet, quod per testes veritas patefiat. probatur, quia sic proceditur etiam in alijs causis. secunda conclusio. in hac causa multa spetialia inueniuntur. primò quòd idem potest esse accusator, & testis. secundò quod non iuratur de calumnia, cum sit quasi causa spiritualis. tertiò quod consanguinei admittuntur ad testificandum. quartò quod non obseruatur omninò ordo iudiciarius, quia tali denunciatione facta contumax potest excomunicari lite non contestata. quintò valet hoc testimonium de auditu. sextò post publicationem testium testes possunt induci. probatur, quia hoc solum est, vt peccatum impediatur, quod in tali coniunctione esse potest.

Doctrina huius quæsiti abundè à nobis explicata est supra verb. accusatio. cap. 2. q. 6. breuiter aliqua sunt nunc obseruanda pro explicatione huius litteræ, quæ primò dicit, quod in causa diuortij fiendi propter impedimentum dirimēs inuentum, puta propter consanguinitatem, vel affinitatem, procedendum est per testes, sicut in alijs fit causis, quia propter simplex dictum coniugum, etiam iuratum non debet matrimonium iam contractum dissolui. cap. consanguinei, de sent. & re iudicata. & debent esse plura testimonia, quia melior est conditio possidentis. secundò asserit, quod in hac causa plura inueniuntur spe-

specialia, vt quod idem possit esse accusator, & testis, quia si hæc accusatio fiat ab alijs, quam à coniuge, potius est denunciatio, denunciator autem gerit etiam vicem testis. præterea in hac causa non iuratur de calumnia, idest accusator non iurat se bona fide, & non animo calumniandi agere. vlterius in hac causa admittuntur consanguinei ad testificandum, quod tamen non admittitur in alijs causis. ca. si testes. 4. q. 3. deinde in hac causa non adamussim ordo iudiciarius seruatur, quia denunciatione facta contumax potest excomunicari lite non contestata, idest licet pars contraria nundum responderit actori. valet etiam in hac causa testimonium de auditu, idest admittitur etiam testimonium de auditu. & vltimò post publicationem testium testes possunt adduci, idest post publicationes testium et alij testes admittuntur, quæ fundamenta habeant hæc peculiaria in causa matrimonij, supra exposuimus verb. accusatio. cap. 2. q. 6.

Quæritur, an ad separationem matrimonij, quod est inter affines, & consanguineos contractum, procedendum sit per viam accusationis.

2 Respondeo dicendum, quòd quia accusatio adhoc est instituta, ne aliquis sustineatur quasi innocens, qui culpam habet, sicut autem ex ignorantia facti contingit, quòd aliquis homo reputatur innocens, qui in culpa est, ita ex ignorantia alicuius circunstantiæ contingit, quòd aliquod factum reputatur licitum, quod illicitum est; & ideò sicut homo accusatur quandoque, ita & factum ipsum accusari potest, & sic matrimonium accusatur quādo propter ignorantiam impedimēti æstimatur legitimum, quod est illegitimum. 4. sent. d. 41. a. 5. quæstiunc. 2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, matrimonium accusatur, quando propter ignorantiam impedimenti æstimatur legitimum, quod est illegitimum. probatur, quia accusatio ad hoc est instituta, ne aliquis sustineatur innocens, qui culpam habet, sed sicut ex ignorantia facti contingit, quod aliquis homo reputetur innocens, qui in culpa est, ita ex ignorantia alicuius circonstantiæ cōtingit, quod aliquod factum reputatur licitum, quod illicitum est, ergo sicut homo accusatur, ita & factum ipsum accusari potest, ergo & matrimonium, quando per ignorantiam &c.

Non est dubium, matrimonium illegitimum posse accusari. dicet modò aliquis, quid faciendum est, quando accusator non potest probare impedimentum dirimens, & consequenter coniuges compellentur ab Ecclesia per censuras permanere in matrimonio, quod tamen verum non est matrimonium, sed tantum vocale, quia vere adest impedimentum affinitatis, vel consanguinitatis, quod dirimit illud, sed non potest probari. In hoc casu petenda esset dispēsatio super impedimentum, si tamen est dispensabile; si non est dispensabile, deberent habitare coniuges vt frater, & soror. sed quid dicendum est ad casum mihi relatum de filio, qui habuit rem cum propria Matre, quæ concepit ex eo, & peperit filiam, quæ in Xenodochium secretò delata fuit, ibi nutrita creuit vsque ad tempus, quo matrimonio collocanda erat, Pater eius, qui peregrè profectus erat, domum redijt, & filiæ suæ à se tamen ignoratæ amore captus fuit, eamque duxit in vxorem. casus profectò memorabilis, cum eadem persona sit vxor, filia, & soror; est vxor, quia eam sibi copulauit in matrimonium; filia autem, quia à se genita fuit; soror autem, quia ex eodem ventre nata fuit, quo & maritus, siue Pater eius. hic adest impedimentum, super quo non potest fieri dispensatio, quia primus gradus est in recta linea consanguinitatis, qui est indispensabilis: mater etiam non debuit impedimentum manifestare, vt suo consuleret honori. quid ergo agendum in hoc casu? inprimis dico, quod si Mater sciuit matrimonium contrahendum inter illos, debuit secretò admonere filium, ne contraheret cum tali puella, quia ab ambobus genita erat, nec honoris sui patiebatur detrimentum apud filium, quia iam secuta erat copula, per quam filius poterat faciliter cognoscere à se fuisse genitam puellam illam, si autem matre ignorante contractum est matrimonium, debet iterum secretò admonere filium de consanguinitate reperta inter ipsum, & puellam; & ideò consulat vxori ingressum in Religionem, quam & ipse amplectatur. quod si ad hoc non flectitur, discedat ab eo loco, & in longinquas proficiscatur partes. quod si hoc difficile erit, vir abstineat à petendo debitum, reddat tamen petenti; nullo autem modo puellæ manifestetur delictum cum Matre perpetratum, sed in bona relinquatur fide, & vir pæniteat.

Quæritur, quomodo fornicatio vxoris possit probari.

3 Respondeo dicendum, quòd quandoque vir vxorem suspectam habens ei insidiatur, & depræhendere eam potest cum testibus in crimine fornicationis, & sic potest ad accusationem procedere; & præterea si de facto isto non constat, possunt esse violentæ suspitiones fornicationis, quibus probatis videtur fornicatio esse probata, vt si inueniatur solus cum sola horis, & locis suspectis, & nudus cum nuda. 4. sent. d. 35. a. 3. ad 4.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. quando vir vxorem suspectam habet, ei insidiatur, & deprehēdere eam potest cum testibus in crimine forni-

cationis, & sic potest ad accusationem procedere. secunda conclusio. si de facto isto non cōstat, possunt esse violentæ suspiciones fornicationis, quibus probatis videtur fornicatio esse probata, vt si inueniatur solus cum sola horis, & locis suspectis, & nudus cum nuda.

Ex hac littera habemus, quod duplici via potest vir deuenire in cognitionem fornicationis uxoris suspectæ, primò tendendo ei insidias, vt possit eam in fragranti crimine deprehendere coram testibus, qui sint oculati testes; quia autē difficilimum est inuenire testes oculatos turpitudinis, recurrendum erit postea ad suspiciones violētas fornicationis, quæ, vt docet D. Thomas. 4. sent. d. 9. ar. 5. quæstiuncula 2. in corp. sunt, ad quarum contrarium non admittitur probatio, vt si inueniatur solus cum sola horis, & locis suspectis, vt tempore noctis, in lecto, in cubili, vel alio loco secreto, & nudus cum nuda; vel alia expiscari inditia, quæ sufficiant ad diuortium faciendum.

Quæritur, an quando vir videt vxorem fornicariam, pænitentem debeat non accusare illam.

4 Respondeo dicendum, quòd pęnitentia vxoris debet inducere virum, vt vxorem fornicantem non accuset, aut dimittat; sed tamen non potest adhoc cogi, nec potest per pænitentiam vxor eum ab accusatione repellere, quia cessante culpa, & quantùm ad actum, & quantùm ad maculā adhuc manet aliquid de reatu; & cessante etiam reatu quo ad Deum adhuc manet reatus quo ad pœnam humano iudicio inferendam, quia homo non videt cor, sicut Deus. 4. sent. d. 35. a. 6. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Pænitentia vxoris debet inducere virum, vt vxorem fornicantem non accuset, aut dimittat, sed tamen non potest ad hoc cogi, nec potest per pænitentiam vxor eum ab accusatione repellere. probatur secunda pars relicta prima, vt clara ex dictis, quia cessante culpa, & quantum ad actum, & quantum ad maculam ad huc manet aliquid de reatu; & cessante etiā reatu quoad Deum manet reatus quoad pænam humano iuditio inferendam, quia homo non videt cor, sicut Deus.

Non probatur prima pars conclusionis à S. Thoma, nempe quod Pænitentia vxoris debet inducere virum, vt vxorem fornicantem non accuset, aut dimittat, quia ex dictis liquet, quibus diximus diuortium ad hoc esse concessum, vt per confusionē, quæ sequitur ad ipsum, mulier adultera emendetur, vnde si sit emendata ante diuortium, pænitentia talis debet virum emollire, & ad veniam inducere; non cogit tamen eum ratione allata in littera, cui additur, quia si adultera ante diuortium alleget in inditio pænitentiam, & correctionem suam, non auditur, nisi ad mitigandum virum, ita nec post diuortium ipsum cogit.

Quæritur, quare causa Diuortij in libello scribebantur.

5 Respondeo dicendum, quòd causæ repudij in speciali non scribebantur in libello, sed in generali, vt ostenderetur iustum repudium: sed secundùm Iosephum vt mulier habens libellum conscriptum de repudio alteri posset nubere, aliàs etiam ei traditum non fuisse; vnde secundùm eū erat scriptura talis; Promitto tibi, quòd nunquam tecum conueniam: sed secundùm Augustinum ideò libellus scribebatur, vt mora interueniente, & consilio scribarum dissuadente vir à proposito repudiandi desisteret. 4. sent. d. 33. q. 2. art. 3. quæstiunc. 2. in corp.

Conclusione vnica respondet D Thomas huic quæsito, quæ est. causæ repudij in speciali nō scribebantur in libello, sed in generali, vt ostenderetur iustum repudium; secundum Iosephum autem, vt mulier habens libellum conscriptum de repudio alteri posset nubere; secundum Augustinum autem, ut mora interueniente, & consilio scribarum dissuadente uir à proposito repudiandi desisteret.

Cum hæc ad libellum repudij spectent, qui modò non est in usu, ideò pertranseo. de repudio legatur Dominicus Sotus. 4. sent. d. 33. q. 2. a. 2.

Quæritur, quomodo Diuortium fieri debeat, cum impotentia coeundi allegatur.

6 Respondeo dicendum, quòd Diuortium hoc modo fieri debet, cum impotētia coeundi allegatur: si vterque confiteatur scilicet vir, & vxor: si est euidens impedimentum, vt in Eunuchis, possunt statim separari, si autem non est euidens, præcipiendum est eis, vt adhuc cohabitent bona fide carnali copulæ operam dantes: quod si vsq; ad triennium fieri nequit, tunc iurabit vterq; quòd bona fide operam dantes carnaliter coniungi non potuerunt: & vt diuortium nō de facili celebretur, requiritur quòd septē de proquinquis, qui melius de hoc possunt per signa probabilia scire veritatem, iurent, quod credant eos verum dixisse; item sciendum, quod quando vir asserit copulam carnalem præcessisse, mulier negat, standum est iuramento viri; nisi per aspectum corporis sui mulier probare velit virum esse mentitum: si tamen vir falsum iurat, & vxor contrarium nō possit pro-

probare, poteſt ſibi prouidere de ſeorſum iacendo, ne ex impetitione viri ad libidinem prouocetur, & periculum incontinentiæ immineat: ſi autem vir neget carnalem copulam præceſſiſſe, non eſt ſtandũ iuramento eius, quamuis ſit caput mulieris, ſi mulier affi met: quia ſic daretur facultas multis viris dimittendi vxores ſuas. 4. ſent. d. 34. in expoſit. litterę.

Sextuplici concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. ſi uterque confiteatur, ſcilicet uir, & uxor, ſi eſt euidens impedimentum impotentiæ coeundi, ut in Eunuchis, poſſunt ſtatim ſeparari. ſecunda concluſio. ſi non eſt euidens, pręcipiendum eſt eis, ut adhuc cohabitent bona fide carnali copulæ operam dātes. tertia concluſio. ſi uſque ad triennium fieri nequit, tunc iurabit uterque, quod bona fide operam dantes carnaliter coniungi non potuerunt. quarta concluſio. requiritur, ut ſeptem de propinquis, qui melius de hoc poſſunt per ſigna probabilia ſcire ueritatem, iurent, quod credant eos uerum dixiſſe. probatur, quia hoc fit, ut diuortium non de facili celebretur. quinta concluſio. quando uir aſſerit copulam carnalem præceſſiſſe, mulier negat, ſtandum eſt iuramēto uiri, niſi per aſpectum corporis ſui mulier probare uelit, uirum eſſe mentitum. ſexta concluſio, ſi uir falſum iurat, & uxor contrarium non poſſit probare, poteſt ſibi prouidere de ſeorſum iacendo, ne ex impetitione uiri ad libidinem prouocetur, & periculum incontinentiæ immineat. ſeptima concluſio. ſi uir neget carnalem copulam præceſſiſſe, non eſt ſtandum iuramento eius, quamuis ſit caput mulieris, ſi mulier affirmet. probatur, quia ſic daretur facultas multis uiris dimittendi uxores ſuas.

Hæc ita claré, & dilucidè, & ordinatè explicantur à D. Thoma, vt noſtro non egeant labore. tantum obſeruanda eſt ſexta concluſio, in qua dicitur, quod ſi vir falſum iurat, nempe quod præceſſerit copula, & vxor non poſſit probare contrarium, nempe quod copula non præceſſerit, debet tunc vxori prouideri de ſeorſum iacendo, ideſt de lecto ſeparato à lecto viri, in quo lecto ſeparato iaceat, ne ex impetitione viri ad libidinem prouocetur, ideſt ne ex acceſſu ad eam, ſeu inuaſione viri ad libidinem prouocetur.

Quæritur, quid facere debeat Ecclesia, quando cognoſcit ſe deceptam per falſos teſtes in cauſa diuortij.

7 Reſpondeo dicendum, quòd cum Eccleſia non intendat priuare aliquem iure ſuo, ſi decepta per falſos teſtes ſeparauerit matrimonium altera perſonarum expoliata vi, iuſtè debet ei fieri reſtitutio, etiã ſi altera votum emiſiſſet Religionis; ita tamen quòd ei non liceret petere debitum, ſed ſolum reddere: quando autem mulier ad reintegrationē matrimonij agit, diſtinguendum eſt, quia ſi agit petitorio, vt ſcilicet ei detur aliquis vir, qui cum ea contraxit, antequam fiat reſtitutio tractabitur de exceptione ex parte mariti propoſita, ſi autem agat poſſeſſorio, primò reſtituendus eſt ſibi vir, quàm exceptio prædicta tractetur, & eadem ratio eſt, ſi vir agat: ſed excipiuntur ab vtroque communiter quinque caſus; primus eſt, quando vir excipiēdo proponit publicam fornicationē vxoris: ſecundus quando proponit gradum conſanguinitatis iure Diuino prohibitum, tamen ſi differatur, oportet fieri reſtitutionem per ſententiam: ſed ille non tenebitur reddere debitum, ſi habet conſcientiam de conſanguinitate prædicta: tertius ſi obijciatur exceptio rei iudicatæ, à qua non eſt appellatum: quartus quando eſt tanta ſæuitia viri, quod non poteſt ſufficiens cautio adhiberi, puta quòd vir perſequitur vxorem odio capitali: quintus eſt, quando ille, qui agit, ſpoliauit alium ſine cauſa. 4. ſent. d. 41. in expoſit. litteræ (d. 35. a. 5. ad 3.

Quintuplici concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt ſi Eccleſia decepta per falſos teſtes ſeparauerit matrimonium altera perſonarum expoliata vi, iuſtè debet ei fieri reſtitutio, etiamſi altera votum emiſiſſet Religionis. probatur quia Eccleſia non intendit priuare aliquem iure ſuo. hinc tamen elicit corrolarium tale, nempe quod iſti, qui vouit, non diceret petere debitum, ſed ſolum reddere. ſecunda concluſio. quando mulier ad reintegrationem matrimonij agit, ſi agit petitorio, tractabitur de exceptione ex parte mariti propoſita, antequam fiat reſtitutio. tertia concluſio. ſi agat poſſeſſorio, primò reſtituendus eſt ſibi vir, quam exceptio prædicta tractetur. quarta concluſio. eadem eſt ratio, ſi vir agat. quinta concluſio. excipiuntur ab vtroque cōmuniter quinque caſus, vt in littera.

Duo tractat D. Thomas in hoc quæſito, primò oſtendit, quomodo ſe gerere debeat Eccleſia, quando decepta per falſos teſtes (fallax eſt enim hominum teſtimonium) ſeparauit matrimoniũ, & inquit, quod debet fieri reſtitutio, ideſt iterũ coniuges coniungere, quia Eccleſia non intendit priuare aliquem ſuo iure, vir autem ius habet in mulierem, & mulier in virum, & hoc verum eſt, etiam ſi alter coniugum emiſerit votum Religionis, qui tamen vouens non poteſt petere, ſed tantum reddere petenti debitum. ſecundò oſtendit, quomodo procedendum ſit ad reintegrationem matrimonij, ſicut enim poteſt accuſari matrimoniũ, vt dirimatur, ita poteſt defendi, vt reintegretur. modus autem eſt iſtę, ſi mu-

mulier agat ad reintegrationem matrimonij, idest vt reintegretur, quod dissolutum erat, vel agit petitorio, vel possessorio, si agit petitorio, idest si mulier petit, vt sibi detur vir, qui contraxit cum ea, antequam ei restituatur vir, & ad habitandū cogatur, prius tractabitur de exceptione ex parte mariti proposita, vt ait secunda conclusio, idest tractabitur de oppositione, quam facit maritus contra vxorem; si autem agat possessorio, nempe cum iure matrimonij vsi fuerint, prius restituēdus est ei vir, deinde oppositio viri contra vxorem tractanda est, vt dicit tertia cōclusio. idem dicendum est de viro, si ipse agat, vt dicit quarta cōclusio. excipiuntur tamen quinq; casus ab vtroque, scilicet viro, & vxore, quorum primus est, quando vir opponendo proponit publicam fornicationem vxoris. secundus est, cum proponit gradum consanguinitatis iure Diuino prohibitum, super quo Ecclesia non potest dispēsare, sed si differatur, necesse est fieri restitutionē per sententiam, vir tamen non tenebitur reddere debitum, si habeat consciētiam de consanguinitate. tertius est, si obijciatur exceptio rei iudicatæ, à qua non est appellatum, idest quando opponitur sententia, à qua non est appellatum. quartus est, quando est tanta sæuitia viri, quod non potest sufficiens cautio adhiberi, sicut quando vir prosequitur odio capitali vxorem, tunc enim sequestranda est vxor, vt c. ex transmissa, & c. litteras. de restit. spoliato. quintus est, quādo ille, qui agit, spoliauit alium sine causa, spoliauit, inquam, alium sine causa iure suo, quod habet super corpus actoris.

De obseruandis post Diuortium. Cap. IV.

1 *Post diuortium vnus coniugum non potest alteri nubere alio viuente.*

§ *Oppositum conclusionis D. Thomæ est apertissimus error.*

Conclusio D. Thomæ sacris est sancita canonibus.

Roboratur funiculo triplici, & quibus.

2 *Post diuortium vxor potest vouere continentiam etiam inuito viro, si tamen Ecclesia non fuit decepta per falsos testes.*

Quando Ecclesia fuit decepta per falsos testes, vxor etiam post votum professionis debet restitui viro, eique reddere tenetur debitum, sed non potest petere.

§ *Post diuortium si vir, vel mulier habeant copulā cum alio, vel alia, adulterantur.*

Vterque potest post diuortium votum castitatis siue solemne, siue simplex emittere altero in sæculo manente.

Non dissoluitur matrimonium per votum solemne.

Est tamen votum solemne, & simplex validum.

Si se reconciliauerint, petant dispensationem de voto simplici.

Maritus dimissus potest ordinari in sacris relicta vxore in sæculo.

Si diuortium non fuit validum, altero petente saltem debet Ecclesia illos reconciliare.

Tunc qui emisit votum, quamuis solemne, tenetur exire è monasterio, & reddere debitum, sed non exigere, licet etiam votum fuerit solum simplex.

Iste tamen habet iustam causam, vt cum illo dispensetur.

3 *Diuortium est in fauorem viri.*

Vxor tenetur redire ad virum, si fuerit reuocata, & tenetur ei reddere debitum.

Hoc tamen non potest, si emisit votum continentiæ de consensu viri.

§ *Reijcitur Sotus putans, quod sententia ipsa diuortij valeat pro vouendi licentia.*

4 *Vir si committat adulterium post diuortium, non debet cogi ad recipiendam vxorem adulteram.*

Index in hoc casu debet eum cogere, vt caueat periculo animæ eius, & scandalo aliorum.

§ *Tria asserta Soti circa hanc doctrinam expendūtur.*

5 *Peccat vir adulter petens diuortium.*

Post sententiam de diuortio, si vxor petat debitum, & reconciliationem, vir tenetur ad vtrumq;

6 *Vir post diuortium potest sibi reconciliare vxorem emendatam.*

Vir non debet reconciliare sibi vxorem non emendatam.

7 *Mulier potest nubere alteri post mortem spiritualem viri per ingressum viri in Religionem.*

§ *Canones concedunt duos menses post matrimonium ratum, & non consummatum, vt in eis vir, siue vxor possit deliberare de ingressu in Religionē.*

Quomodo intelligatur illud dictum, quos Deus cōiunxit, homo non separet.

Dum vnus coniugum ingreditur Religionem, eos Deus separat, & non homo.

8 *Vxor debet expectare professionem viri.*

Quæritur, an post diuortium vir alteri nubere possit.

1 RESpondeo dicendum, quòd nihil adueniens supra matrimonium potest ipsum dissoluere, ideò adulterium non facit, quin sit verum matrimonium, manet enim, vt dicit Augustinus inter viuentes cōiugale vinculum, quod nec separatio, nec cum alio iunctio potest auferre, & ideò non licet vni altero viuente ad aliam copulam transire. 4. senten. d. 35. artic. 5. in corp. (super cap. 7. primæ ad Corinthios.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cōclusione, quæ est. post diuortium non licet vni altero viuente ad aliam copulam transire. probatur, quia nihil adueniens supra matrimonium potest ipsum dissoluere, ergo adulterium non facit, quin sit verum matrimonium, manet enim inter viuentes coniugale vinculum, quod nec separatio, nec cum alio iunctio potest auferre, inquit D. Augustinus, ergo &c.

Conclusio D. Thomæ est expressè D. Pauli inquientis. 1. ad Corinth. 7. præcipio non ego, sed Domi-

Dominus vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam. ex quo patet, oppositum huius conclusionis esse apertissimum errorem. est apertè sanctionibus canonicis diffinita, vt patet ca. ex litteris, de diuortijs, quibus lex præscribitur viro, & vxori, vt post diuortiū, nisi reconciliari maluerint, in perpetua castitate vitam deinceps ducant. adest etiam Concilium Florentinum, vbi in Armenorum instructione sic legitur, quamuis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non inde aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonij vinculum legitimè cōtracti perpetuum sit. hancque conclusionem Dominicus Sotus 4 sent. d. 36. q. vnica. a. 5. funiculo triplici, vt ipse ait, scilicet sacræ scripturæ fundamento, & Sanctorum testimonio, ac rationum energia corroborat, quæ modò non est necesse adducere. hoc solū addo, quod cum per diuortium ratione adulterij celebratum matrimonium siue consumatum, siue ratum non dissoluatur quoad vinculum, & substantiam, inde necessario sequitur, non posse ad secundas nuptias dari transitum.

Quæritur, an vxor dimissa possit nubere alteri, vel continentiam vouere.

2 Respondeo dicendum, quòd quamuis vxor post diuortium non teneatur viro adultero ad debitum reddendum, & cohabitandum, tamen adhuc manet vinculum matrimonij ex quo adhoc tenebatur: & ideò non potest ad aliam copulam transire viro viuente: potest tamen continentiam vouere viro inuito, nisi videatur Ecclesiam deceptam fuisse per falsos testes sententiando de diuortio, quia in tali casu, etiam si votum professionis emisisset, restitueretur viro, & teneretur debitum reddere, sed non liceret ei exigere. 4. sent. d. 35. a. 5. ad 3. (d. 33. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 3. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. non potest vxor post diuortium ad aliam copulam transire viro viuente. probatur, quia quamuis vxor post diuortium non teneatur viro adultero ad debitum reddēdum, & cohabitandum, tamen adhuc manet vinculum matrimonij, exquo adhoc tenebatur. secunda conclusio. potest tamen continentiam vouere viro inuito, nisi videatur Ecclesiam deceptam fuisse per falsos testes sententiando de diuortio. prima pars relinquitur, vt nota. secunda pars probatur, quia in tali casu, etiam si votum professionis emisisset, restitueretur viro, & teneretur debitum reddere, sed non liceret ei exigere.

Ad explicationem huius litteræ nota, quod licet post diuortium tam vxor, quam maritus sint liberi ab obligatione reddendi debitum, & cohabitandi in eadem domo, non dirimitur tamen matrimonium quoad substantiam, seu quoad vinculum, vt iam diximus, in cuius signum si vir ad aliam accedat, siue etiam mulier cum alio copulam habeat, sunt adulterij Rei. vterque tamen potest votum castitatis siue solemne, siue simplex emittere altero manente in sæculo, attamen neque per votum ipsum solemne dissoluitur matrimonium, est nihilominus votum ipsum, quantumuis simplex, validum, ita vt qui vouit, non possit amplius debitum reddere coniugi, neque ab illo exigere propter votum. quamuis se reconciliare voluerint, nisi per dispensationem, si esset votum simplex, secus autem, si esset solenne; immò, vt subiungit Dominicus Sotus. 4 sent d. 36 q vnica. a. 6. maritus dimissus potest ordinari in sacris, & Presbyteratus ordine initiari relicta vxore in sæculo. si tamen postea Ecclesia se cognoscat deceptam per falsos testes, & consequenter diuortium re vera non esse validū, debet saltem altero petente iteratò illos reconciliare, & tunc ille, qui votum emisit, quamuis solemne, tenetur exire è monasterio, & debitum reddere, non tamen exigere, quamuis votum nō fuerit nisi simplex, quandoquidem bona fide susceptum est; habet tamen iustam causam, vt cum illo dispensetur, postquā cogitur cū ea habitare.

Quæritur, an vxor teneatur redire ad virum, si fuerit reuocata.

3 Respondeo dicendum, quòd cum diuortium sit inductum in fauorem viri, non auffertur ei ius petendi debitum, vel reuocandi vxorem: vndè vxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, si fuerit reuocata; nisi de licentia eius votum continentiæ emiserit. 4. sent. d. 35. ar. 6. ad 3.

D Thomas respondet huic quæsito vnica conclusione, quæ est. vxor adultera tenetur marito reddere debitum, & ad eum redire, si fuerit reuocata, nisi de licentia eius votum continentiæ emiserit. probatur, quia cum diuortium sit inductum in fauorem viri, non auffertur ei ius petendi debitum, vel reuocandi uxorem.

Ratio, quā affert D. Thomas hoc in loco, profectò est efficax, uir enim innocens ex iniuria sibi illata ab uxore propter adulterium commissum non debet priuari iure petendi debitum, si ergo uir habet ius petendi, ergo uxor tenetur ei reddere debitum, & redire ad eum, si ab ipso fuerit reuocata. limitat tamē hoc D. Thomas, nisi uxor de licentia mariti emiserit uotum castitatis, quia tunc uxor non tenetur reddere debitum uiro, qui iam per licentiam concessam uxori uouendi iure petendi se priuauit, sed tenetur reddere uotum, & illius obseruantiam Deo, cui facta est promissio per uotum. Dominicus Sotus. 4. senten. d. 36. q. unica. a. 6. credit, quod sententia ipsa diuortij ualeat pro uouendi licentia, nam postquam ipse noluit illi parcere, & persistit usque ad sententiam, re uera per talem sententiam uxor liberatur,

tur, vt saltem, antequam ipse eam repetat, possit ipso inconsulto votum castitatis facere, vnde subiungit, quod si sit solemne, nunquam eam Ecclesia reuocabit ad virum, quantumcunque ipse petat, immò licet fuerit simplex, si legitimè illa iurauerit, & probauerit illud iam votum emisisse. sed profectò doctrina D. Thomæ solida est, nam ex hoc quod per diuortium per Ecclesiæ sententiam celebratum vir innocens non priuatur iure petendi debitum, consequenter vxor semper tenetur ei reddere illud, etiam post diuortium, si reuocata fuerit, & reuocanti tenetur obtemperare; si ergo tenetur reddere debitum, quomodo vxor poterit post diuortium per sententiam Ecclesiæ celebratum votum castitatis emittere absque mariti licentia? nec ratio Soti aliquid concludit, nam licet vir noluerit vxori adulteræ parcere, & perstiterit vsq; ad sententiam, attamē per hoc non renunciauit iuri suo, quod habet in petendo debitum, sed retinet illud, & ideò nō potuit vxor impedimentum opponere petitioni debiti per emissionem voti absque licentia mariti, vnde si absque tali facultate emittat votum, nullum est.

Quaeritur, an vir teneatur recipere vxorèm adulteram post adulterium ab ipso factum post diuortium.

4 Respondeo dicendum, quòd propter adulterium, quod vir prius innocens post diuortium committit, secundum rigorem iuris nō debet cogi ad recipiendam vxorem adulteram; prius tamen secundùm æquitatem iuris Iudex ex officio suo debet eum cogere, vt caueat periculo animæ eius & scandalo aliorum, quamuis vxor non possit reconciliationem petere. 4. sent. d. 35. ar. 6. ad 4.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. propter adulterium, quod vir prius innocens post diuortium committit, secundum rigorem iuris non debet cogi ad recipiendam vxorem adulteram. secunda conclusio. prius tamen secundum æquitatem iuris Iudex ex officio suo debet eū cogere. probatur, vt caueat periculo animæ eius, & scandalo aliorum. tertia conclusio. vxor tamen non potest reconciliationem petere.

Primam conclusionem D. Thomas non probat, sed relinquit eam, vt notam, nam iam diximus, quod per diuortium vir absoluitur ab obligatione reddendi debitum vxori, & consequenter contractus ille societatis quoad thorum, & cohabitationem dissolutus est, vnde licet postea vir peccet in Deum adulterando, quia manet verum matrimonium, non tamen videtur peccare in vxorem iam dimissam, & consequenter nō potest cogi de rigore iuris, vt ad illam reuertatur, vt dicit prima conclusio; secundum tamen æquitatem iuris dabet Iudex ex officio suo eum cogere, vt prouideat saluti animæ eius, quæ per adulterium periclitatur, & scandalo aliorum, quod per adulterium datur. vxor tamen reconciliationem petere non potest, vt dicit tertia conclusio, quia iustè diuortium celebratum est propter illius adulterium, & in pænam illius. circa hanc doctrinam Dominicus Sotus. 4. sent. d. 36. quæst. vnica. a. 6. tria dicit, quorum primum est, quod vir post diuortiū adulteratus non tenetur in cōscientia ante compulsionem Ecclesiæ ad vxorem redire, quia si fortè tenetur, non est nisi in pænā criminis, quam ideò exequi ante condemnationem non tenetur, cum non debeat idem esse reus, & Iudex, quod vtique verum est. secundum est, quod neque Iudex ex offitio tenetur eum cōpellere, ni forsan perditissimè viueret, & magnum suis adulterijs scandalū daret; quod etiam verum est, si intelligatur de compulsione secundum iuris æquitatem. tertium est, quod si vxor cum in iuditium defferat reconciliationem petens, Ecclesia tanquam inobedientem suis mandatis, quibus ei præcipit, vt castè viueret, propter sua scandala potest eum compellere, vt cum sua vxore viuat. hoc dictum sopponit vxorē posse petere reconciliationem, quod tamen negat D. Thomas.

Quæritur, an vir adulter teneatur ad debitum reddendum & ad reconciliationem petente vxore post diuortium.

5 Respondeo dicendum, quòd si adulterium sit occultum, per hoc non auffertur ius excipiendi contra accusationem viri vxori adulteræ, quamuis desit sibi probatio: & ideò peccat vir diuortium petens, & si post sententiam de diuortio vxor petat debitum, vel reconciliationem, vir tenetur ad vtrumque. 4. sentent. d. 35. artic. 6. ad 5.

Conclusione duplici respondet D. Thomas huic quæsito, quarum est. Vir adulterans occultè peccat petēdo diuortium ob adulterium vxoris. probatur, quia licet adulterium sit occultū, non per hoc auffertur ius excipiendi contra accusationem viri vxori adulteræ, quamuis desit sibi probatio. secunda conclusio. si post sententiam de diuortio vxor petat debitum, vel reconciliationem, vir tenetur ad vtrumque.

Casus est iste, datur uir adulter occultus, qui accusat uxorem de adulterio, quam etiam conuincit, Ecclesia, siue Iudex per sententiam celebrat diuortium, quæritur, an peccet uir adulter accusando uxorem, & an uxor possit petere debitum, uel reconciliationem. huic casui postulanti duo respondetur rectè per duas conclusiones, quarum prima est. quod talis adulter occultus peccat accusans adulteram uxorē de eodem crimine, quippequi, cū dicat nō mæchandū, mæchatur, & licet eius adulterium sit occultum, & in iudicio probari nō possit ab uxore, per hoc tamen

tamen ei non aufferetur ius excipiendi, & opponendi cõtra accusationem uiri, puta quod etiam ipse uir adulterium comisit,& uxori intulit iniuriam,illique fidem uiolauit,& consequẽter quod non possit iustè fieri diuortium. hinc sequitur ueritas secundæ conclusionis, quod in hoc casu, quo uir ante diuortium fuit adulter, si uxor petat debitum, uel reconciliationem, in conscientia tenetur vxori parcere, quia, vt diximus, licet illa eius crimen probare non possit, non inde iure suo priuatur, sicut qui verè æs alienum contraxit, licet creditor id probare non possit, est tamen debitor verè.

Quæritur, an vir possit, & debeat sibi reconciliare vxorem emendatam post diuortium.

6 Respondeo dicendum, quòd si vxor post diuortium de peccato pœnitentiam agens emendata fuerit, potest eam sibi vir reconciliare; si autem in peccato incorrigibilis maneat, non debet eam ad se assumere eadem ratione, qua non licebat eam nolentem à peccato desistere, retinere. 4. sent.d.35.art. 6. in corp. (d. 33. q. 2. art. 2. quæstiunc. 4. in corp.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si vxor post diuortium de peccato pœnitentiam agens emendata fuerit, potest eam sibi vir reconciliare. secunda conclusio. si autem in peccato incorrigibilis maneat, non debet eam ad se sumere. probatur eadem ratione, qua non licet eam nolentem à peccato desistere, retinere.

Prima conclusio relinquitur vt nota à S. Doctore, quia iam dictum est, diuortium fieri propter crimen, ergo cessante crimine potest & diuortium cessare, siue antequam fiat, siue postquã factum est. vlterius cum diuortium celebretur in fauorem innocentis, qui absoluitur ab obligatione reddendi debitum, eandem libertatem, quam ante diuortium habebat ad retinẽdam vxorem, habet postea ad reassumendam, si iuri suo vult cedere, sed ante diuortium potest eam emendatã retinere, ergo & post diuortium potest eam emẽdatam reassumere, & sibi reconciliare. præterea sententia Ecclesiæ diuortium celebrantis non est cogens, nec merè permissoria, vt tenet Scotus, sed est licentiam præbens, vt docet D. Thomas. 4. senten.d.35. artic. 6. ad 1. licentiam, inquam, præbens, vt possit fieri diuortium, vnde sicut in libertate viri innocentis erat ante diuortium vxorem emendatam retinere, ita in eius libertate situm est eam post diuortium emendatam reassumere.

Quæritur, an vxor possit nubere alteri post ingressum viri in Religionem.

7 Respondeo dicendum, quòd sicut corporalis mors viri hoc modo vinculum matrimoniale soluit. vt mulier nubat, cui vult secundùm Apostoli sententiam, ita etiam post mortem spirituale viri per Religionis ingressum poterit, cui voluerit, nubere. 4. sent. d. 27. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Respondet D Thomas huic quæsito vnica conclusione, quæ est. vxor potest nubere, cui voluerit, post ingressum sui viri in Religionem. probatur, quia sicut corporalis mors viri hoc modo vinculum matrimoniale soluit, vt mulier nubat, cui vult secundum Apostoli sententiam, ita post mortẽ spiritualem viri per Religionis ingressum poterit, cui voluerit, nubere.

Doctrina D. Thomæ hoc in loco allata est de viro ingresso Religionem ante carnalem copulã, idest post matrimonium ratum, & non consumatum, canones enim concedunt duos menses post matrimonium ratum, & non consumatum, vt in eis vir, siue mulier possit deliberare de ingressu in Religionem, si ergo vir ingrediatur, mulier poterit nubere, cui voluerit, & è conuerso, si mulier ingressa fuerit Religionem, vir poterit nubere, cui voluerit. hæc conclusio D. Thomæ habetur cap. verum, de conuer. coniugatorum. contra quam si quis obijciat illud, quos Deus coniunxit, homo non separet, ergo post matrimonium ratũ non poterit alter coniugum ingredi Religionẽ, & consequenter alius non poterit nubere, cui voluerit. respondebitur, quod antecedens intelligitur de matrimonio consumato, itaut sit sensus, quos Deus coniunxit per matrimonium consumatum, homo non separet, eo quia per copulam fiunt duo in carne vna. secundò dicitur, quod in transitu ad Religionem coniuges Deus, non homo separat, qui Deus interna inspiratione separat diuino iure eos.

Quæritur, an mulier debeat expectare professionem viri.

8 Respondeo dicendum, quòd non intelligitur mortuus sæculo per Religionis ingressum, quousque professionem emiserit; & ideò vsque ad tempus illud tenetur eum vxor sua expectare. 4. sent.d.25. q.1. a. 3. quæstiunc. 3. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. vxor tenetur expectare tempus professionis uiri, antequã alteri nubat. probatur, quia vir non intelligitur mortuus sæculo per Religionis ingressum, quousque professionem emiserit.

Quia vir, vel mulier ante professionem potest ad sæculum redire, sola enim professio ligat ad perseuerandum in Religione, ideò mulier, antequam alteri nubat, debet expectare professionem viri, & è conuerso antequam vir aliam ducat in vxorem, debet mulieris expectare professionem.

Quæ-

Quaritur, an mulier possit nubere alteri post professionem viri ante tempus emissam.

Respondeo dicendum sicut verbo, debitum coniugale. q. 21.

DOCTOR.

1 *Docere est actus Charitatis, vel misericordia.*
2 *Tria requiruntur adhoc, quod vnus alium doceat de rebus Diuinis.*
3 *Tria requiruntur, vt vnus alium instruat in aliqua scientia.*
4 *Melius est docere Sacram Doctrinam, quàm impendere curam huius, vel illius saluti.*
Episcopi, & Doctores omisso officio proprio deberent intendere saluti animarum in casu necessitatis.
5 *Bonum commune Diuinius est bono particulari.*
Prima conclusio vera est regulariter.
Offitium pradicationis verbi Dei sublime est.
5 *Qui est in peccato mortali notorio peccat, si doceat ex officio Pralationis, & ex officio magisterij.*
Qui est in peccato mortali occulto, peccat, si doceat ex officio Pralationis, non autem si doceat ex officio magisterij.
5 *Qui pradicat non habens offitium Pralationis, nec ex auctoritate Pralationem habētis, peccat mortaliter, & quare.*
Quare pradicans ex offitio in peccato mortali notorio peccet mortaliter; & docens ex gradu magisterij. nec in his casibus sufficit contritio.
Qui pradicat verbum Dei existens in peccato mortali occulto peccat mortaliter secundum Caietanum, & quomodo intelligendus Caietanus.
Qui pradicat ex offitio existens in peccato mortali occulto, sed nullum dedit sinistrum exemplum, non peccat, si cum timore, & reuerentia pradicet ex Soto, & quare.
6 *Quid pra oculis habere debeat Doctor.*
7 *Qui docet falsam doctrinam, tenetur eam reuocare.*
In quibus casibus doctor teneatur prouidere damno spirituali auditorum exponendo suam doctrinā.
In quo casu doctor non teneatur cessare à sua doctrina.
8 *Nullus sapiens debet repellere doctrinam parui.*
9 *Doctor debet docere prouectos & incipientes.*
10 *Mulier non debet docere publicè.*
Mulier potest priuatim aliquos domesticos instruere:
11 *Gratia sermonis potest competere mulieribus priuatim, & familiariter colloquendo.*
Gratia sermonis colloquendo totam Ecclesiam non conceditur mulieribus.
5 *Abbatissis, Priorissis permittitur, immò mandatur docere publicè suam Ecclesiam secundum quid, non autem permittitur eis docere ex officio totā Ecclesiam.*
12 *Gratia sermonis subtrahitur aliquando propter culpam auditoris, & loquentis.*
13 *Tribus modis quis deprauat auctoritatem sacra scriptura.*

Quaritur, cuius virtutis sit actus docere.

1 Respondeo dicendum, quòd docere est actus Charitatis, vel misericordię, secundùm quòd ex tali habitu inclinamur ad huiusmodi exercitium. 4. sent. d. 49. q. 5. a. 5. quæstiunc. 1. ad 1.

Quod docere sit actus Charitatis, vel misericordiæ, probat D. Thomas hoc in loco, quia ex tali habitu inclinamur ad huiusmodi exercitium.

Nihil mihi scribendum occurrit circa hanc doctrinam, ideò pertranseo.

Quaritur, quot, & qua requirantur, vt vnus alium doceat res Diuinas.

2 Respondeo dicendum, quòd adhoc, quòd homo alterum instruat in rebus Diuinis, quæ sunt supra rationem, tria requiruntur; primò quidem quòd homo sit sortitus plenitudinem cognitionis Diuinorū, vt ex hoc instruere alios possit: secundò vt possit confirmare, vel probare ea, quæ dicit, aliàs non esset efficax eius doctrina: tertiò vt ea, quæ concipit, possit conuenienter auditoribus proferre. p. 2. q. 111. a. 4. in corp.

D. Thomas respondet huic quæsito vnica cōclusione, quæ est. tria requiruntur ad hoc quod homo alterum instruat in rebus Diuinis, primò quod homo sit sortitus plenitudinem cognitionis Diuinorum, secundò vt possit confirmare, vel probare ea, quæ dicit. tertiò vt ea, quæ concipit, possit conuenienter auditoribus proferre. probatur quoad primam partem, vt ex hoc instruere alios possit. quoad secūdam probatur, quia aliàs non esset efficax eius doctrina. tertia relinquitur, ut nota.

Pertranseo, cum nil occurrat scribendum circa hoc quæsitum.

Quaritur, quot, & qua requirantur, vt vnus alium instruat in scientia aliqua.

3 Respondeo dicendum, quòd oportet, quòd ille, qui debet alium instruere in aliqua scientia, primò vt principia illius sciētiæ sint ei certissima: secūdò oportet, quod Doctor rectè se habet circa principales cōclusiones scientiæ: tertiò oportet, vt etiam abundet exemplis, & cognitione effectuū, per quos interdum oportet manifestare causas. p. 2. q. 111. a. 4. in corp.

Tria requiri in eo, qui debet alium instruere in aliqua scientia, docet D. Thomas in hoc quæsito. primò ut principia illius scientiæ sint ei certissima. secundò oportet, quod Doctor rectè se habeat circa principales conclusiones scientiæ. tertiò oportet, ut etiam abundet exemplis, & co-

cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifestare causas.

Non immoror circa hunc locum, cum nil occurrat scribendum.

Quaeritur, an sit melius docere Sacram Doctrinam, quam impendere particularem curam saluti huius, vel illius.

4 Respondeo dicendum, quòd simpliciter melius est docere Sacram Doctrinam, & magis meritorium, si bona intẽtione agatur, quàm impendere particularem curam saluti huius, & illius: vnde Apostolus de se dicit primæ ad Corinthios primò, non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare; quamuis baptizare sit opus maximè conferens saluti animarum: & secundæ ad Timoth. 2. idem Apostolus commendat fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere. Ipsa enim ratio demonstrat, quòd melius est erudire de pertinentibus ad salutem eos, qui & in se, & & in alijs proficere possunt, quã simplices, qui in se tantùm proficere possunt: in aliquo tamen casu necessitate imminente deberent, & Episcopi, & Doctores intermisso proprio officio particulariter intendere saluti animarum. quodlibeto 1. artic. 14. in corp.

Dupliciconclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. simpliciter melius est docere sacram scripturam, & magis meritorium, si bona intentione agatur, quam impendere particularem curam saluti huius, & illius. probatur primò duplici auctoritate Apostoli, ut in littera. secundò ratione, quia ratio demonstrat, quod melius est erudire de pertinentibus ad salutem eos, qui & in se, & in alijs proficere possunt, quã simplices tantum, qui in se tantum proficere possunt. secunda conclusio, in aliquo casu, necessitate imminente deberent & Episcopi, & Doctores intermisso proprio officio particulariter intendere saluti animarum.

Quia bonum commune Diuinius est, quam bonum particulare, & docere sacram doctrinam sit actus communis, & publicus, hinc sequitur melius esse, & magis meritorium docere, Euangelizare, prædicare, quibus actibus communis salus procuratur, quam impendere particularem curam saluti huius, vel illius, & hoc verum est regulariter, in casu tamen necessitatis, inquo periclitaretur salus animæ huius, vel illius singularis, melius esset huic intendere, quam docere, & prædicare, quia isti actus publici, & communes alio tempore possunt exerceri, quod præstari non poterit circa salutem huius particularis, trãsacto enim tempore necessitatis actũ est de illo.

Ex prima conclusione habemus, quam sublime sit offitium Prædicationis Verbi Dei, omnium siquidem Diuinorum Diuinissimum est cooperari ad salutem animarum, & maximè ad salutem communem quod vtique præstatur per Prædicationem Verbi Dei.

Quaeritur, an docens sacram scripturam in peccato mortali peccet mortaliter.

5 Respondeo dicendum, quòd docere sacram scripturam dupliciter contingit, vno modo ex officio Prælationis, sicut qui prædicat, docet, nõ enim licet alicui prædicare, nisi officium Prælationis habeat, vel ex auctoritate alicuius Prælationem habentis Rom. 11. quomodo prædicabunt, nisi mittantur: alio modo ex officio magisterij, sicut Magistri Theologiæ docent: dicunt ergo quidam quòd ille, qui primò modo docet, peccat mortaliter, si sit in peccato mortali notorio, non autem ille, qui secundo modo docet. sed hoc est falsum, quia eorum qui docent sacram scripturam est idem finis, & eorum, qui sacram scripturam ediderunt; vnde cum adhoc ordinetur scripturæ editio, vt ad vitam æternam homo perueniat, vt patet Ioannis 20. quicunq; impedit finem doctrinæ docendo, peccat, impedit autem qui sacram scripturam in peccato docet, quia ore profitetur se nosse Deum, factis autem negat, & dicendum, quòd ille, qui est in peccato notorio, peccat, siue sic, siue sic doceat, sed ille, qui est in peccato occulto, peccat, si primò modo doceat, non autem si secundo. 4. sent. d. 19. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. ad 4.

Data distinctione, & confutata vna opinione respondet D. Thomas quæsito vnica conclusione distinctio est, quod docere sacram scripturam dupliciter contingit, vno modo ex offitio Prælationis, vt prædicare, non enim licet alicui prędicare, nisi officium Prælationis habeat, vel ex auctoritate alicuius Prælationem habentis; alio modo ex offitio magisterij, sicut magistri Theologiæ docent. quo ad secundum aliqui dicebãt, quod qui primo modo docet, peccat mortaliter, si sit in peccato mortali notorio, non autem qui secundo modo docet. confutatur hęc opinio tali ratione, quicunque impedit finem doctrinæ peccat, sed tam qui docent ex offitio Pręlationis, quam qui docent ex offitio magisterij in peccato mortali, impediunt finem doctrinæ, ergo &c. probatur minor, nam idem est finis eorum, qui docent sacram scripturam, & eorum, qui sacram scripturam ediderunt, qui est peruentio hominis ad vitam ęternam, hic autem finis impeditur per peccatum mortale prædicatoris, quia ore profitetur se nosse Deum, factis autem negat. quoad

tertiū ponitur hæc conclusio. ille, qui est in peccato notorio, peccat, siue sic, siue sic doceat, sed ille, qui est in peccato occulto, peccat, si primo modo doceat, non autem si secundo.

In distinctione circa quod dicebat non licere alicui prædicare, nisi officiū Prælationis habeat, vel ex auctoritate alicuius Prælationem habentis iuxta Apostoli sententiam Rom. 11. quomodo prædicabunt, nisi mittantur, & iura in ca. excomunicamus. extra de hæ. nota, quod qui oppositum faceret, diceretur prædicare sine auctoritate, & consequentèr talis peccaret mortaliter, quia hoc interdicitur sub pæna excomunicationis, vt obseruat Caietanus in summula verb. Prędicatorum peccata in principio. Circa conclusionem obserua, quod quando D. Thomas ait, Prædicantem ex officio peccare, si sit in peccato notorio, loquitur de peccato mortali, ita quod qui est in peccato mortali notorio, ita ut sit publicus peccator, peccat mortaliter, si prædicet, ratione scandali, quod directè fructui Prædicationis opponitur iuxta D. Gregorium in Pastorali, necesse est, cuius vita despicitur, eius prædicatio contemnatur; Aristoteles etiam 10. eth. dicebat, dum sermones moribus dissonant, contemnuntur, & veritatem interimunt; D. etiam Paulus Rom. 2. inquiebat, per huiusmodi Prædicatores, qui prædicant non furandum, & furantur, nomen Dei blasphemari inter gentes; ratione etiam iniuriæ, quæ fit prædicationi iuxta illud psalm. 49. quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? existimasti inique, quod ero tui similis, quasi dicens bona, & nō faciens bona, vt exponit Caietanus; vel quasi bona iubens, & mala faciens, vt exponit Dominicus Sotus. arguam, & statuam contra faciem tuam, idest, vt idem Sotus exponit, teipsum tuis proponam oculis, vt in te cernas, vtrum tua prædicatio tuis sit moribus congruens. idem dic de docente sacram doctrinā ex officio, siue gradu Magisterij, & existente in peccato mortali notorio, nempe quod talis peccat mortaliter, quia tale peccatum directè opponitur fini docētis sacram doctrinam, qui est peruentio hominis ad vitam æternam, dum enim ore proficetur se nosse Deum, & factis Deum negat, eius instructio nullius est fructus apud scandalizatos ex illius pessimis moribus, quibus etiam iniuria infertur sacræ doctrinæ: nec in his casibus sufficeret contritio, quia licet per contritionem tollatur iniuria facta prædicationi Verbi Dei, & sacræ doctrinæ manifestationi, non aufertur tamen scandalum, per quod impeditur finis vtriusque, nisi cōtritio, & pænitentia esset publica, sicut peccatum fuit publicum, existente enim contritione, & pęnitentia publica, & notoria, Prædicatio Verbi Dei, & explanatio sacræ doctrinæ esset fructuosa. si autē Prædicator Verbi Dei sit in peccato mortali occulto, tantum sibi noto, peccat mortaliter, si prædicet in peccato mortali, vt etiam obseruat Caietanus in summula verb. Prædicatorum peccata, Armilla verb. Predicare nu. 2. quia iniuria fit prædicationi Verbi Dei à Christo institutæ, euacuans, quantum in se est, auctoritatem Prædicatorum Christi, quasi verbo, & non facto Prædicatores fuerint instituti, velut declamatores quidam. subdit tamen Caietanus, hoc intelligēdum esse de eo, qui sic indignè prædicat, vt prædicatione tanquam declamatione abutatur, & de contemnente prædicationem; qui autem prædicat indignus, non ut prædicet indignus, sed vellet prædicare mundus, licet per accidens ex humana passione, & fragilitate, incuria, & huiusmodi indignus prædicet, quamuis peccet, non tamen mortaliter, quia prædicare non est secundum se actus alicuius sacramenti. hanc moderationem Caietani admitto, sed eius rationem nō approbo, quia, vt ipse ait 2.2.q.187. art.1. licet prædicare secundum se non sit actus alicuius ordinis, aut sacramenti, quia tamen Ecclesiastica lege factus est actus ordinis sacri, solis enim Diaconibus, & Superioribus licet prædicare, ideò prędicationis actus iam est sanctus vtrinque, scilicet & secundum se, & secundum sanctificationem ministri ad hunc actum, quamuis nō primò, sed secundariò: & subiungit, sicut sacrilegij crimen incurrit exercens actus sacrorum Ordinum in peccato mortali, ita sacrilegus est exercens prædicationis actum in peccato mortali. excusat tamen ipsum à mortali ratione passionis, seu fragilitatis humanæ, vel incuriæ, vel alterius huiusmodi. immò Sotus 4. senten. 1.q.5. artic.6. ait, quod quando quis est occultus peccator, & nullum sinistrum dedit exemplum, & tunc maximè quando ex officio incumbit, non esset peccatum cum timore, & reuerentia prædicare, quia posset sua prædicatio esse fructuosa. quod vtique verū est, dum enim accedit cum timore, & reuerentia, iam accedit contritus, quæ contritio sufficit ad tantum officium dignè exercendum, dum et accedit cum timore, & reuerentia, Deum timet, & veneratur; si postea quis existens in peccato mortali occulto doceat ex officio magisterij, non peccabit, inquit S. Thomas, & intellige, mortaliter, & in nullo casu, excepto contemptu, quia contemptus esset mortalis in proposito, vt si quis Magister ita imprudenter officium docendi sacram doctrinam vilipenderet, vt indignum non putaret illud in peccato exercere.

Quæritur, quid cauere debeat docens.

6 Respondeo dicendum, quod timeat, ne præter voluntatem Dei, vel auctoritatē sanctarum scripturarum, vel præter vtilitatem fratrum doceat, nec etiam quod docendum est, taceat. opusculo 19. cap. 3.

In hoc loco D. Thomas asserit, quod docens timeat, ne præter voluntatem Dei, vel auctoritatem Sanctarum scripturarum, vel præter vtilitatem fratrum doceat, nec etiam, quod docendum est, taceat.

Non immoror hoc in loco, cum nil occurrat scribendum.

Quæ-

Quæritur, an si per doctrinam alicuius aliqui retrahantur à meliori bono, ille teneatur reuocare suam doctrinam.

7 Respondeo dicendum, quòd hic distinguendum videtur, si enim doctor doceat falsam doctrinam, tenetur eam modis omnibus reuocare, & maximè si ex ea spirituale damnum sequatur; si verò doceat veram doctrinam, potest ex ea sequi detrimentum spirituale in auditoribus dupliciter, vno modo ex defectu ipsius qui docet, & hoc dupliciter vno modo quia doctrinā subtilē, & altā proponeret rudibus, qui nō essēt illius doctrinæ capaces, qui ex hoc detrimentum salutis incurrerent, alio modo quia confusè, & inordinatè proponit non præferens maiora minoribus, & in his casibus tenetur Doctor, ex cuius doctrina dānum spirituale accidit, contra hoc damnū remedium ponere, inquantùm potest exponendo saltem doctrinam suam; alio modo potest contingere ex defectu aliorum, puta si aliqui dicendo aliqua erronea inducerent homines ad aliquam Religionē, vt si dicerent, quòd quicunq; intrat talem Religionem, statim erit æqualis meriti, sicut B. Petrus, & in hoc casu non tenetur cessare à sua doctrina, intrare enim Religionem propter errorem non est bonum; vnde sic non retrahit homines à meliori bono talis doctor, & hoc est, quod Gregorius dicit in Pastorali, sicut incauta locutio in errorem protrahit, ita indiscretum silētium eos, qui erudiri poterant, in errorem derelinquit. quodlibeto. 5. artic. 25. in corp.

Data triplici distinctione respondet D. Thomas quæsito triplici cōclusione. prima distinctio est. aut Doctor docet falsam doctrinam, aut veram. secunda distinctio. si Doctor docet veram doctrinam, potest sequi detrimentum spirituale in auditoribus dupliciter, vel ex defectu ipsius, qui docet, vel ex defectu aliorum. tertia distinctio. si ex defectu ipsius, qui docet, hoc dupliciter contingit, vno modo quia doctrinam subtilē, & altam proponit rudibus, qui non essent illius doctrinæ capaces, qui ex hoc detrimentum salutis incurrerent, alio modo quia confusè, & inordinatè proponit non præferens maiora minoribus. prima conclusio. si Doctor doceat falsam doctrinam, tenetur eam modis omnibus reuocare, & maximè si ex ea spirituale damnum sequitur. hæc relinquitur, vt nota. secunda conclusio. si Doctor doceat veram doctrinam, & sequitur spirituale damnum ex defectu ipsius, qui docet in vtroque sensu, tenetur Doctor contra hoc damnum remedium ponere, inquantum potest, exponendo saltem doctrinam suam. hæc etiam relinquitur, vt nota. tertia conclusio. si Doctor doceat veram doctrinam, & sequitur detrimentum spirituale ex defectu aliorum, non tenetur cessare à sua doctrina. probatur ex D. Gregorio in Pastorali, vt in littera.

Hæc D. Thomæ doctrina non patitur aliquam difficultatem, sufficiat tantum explicasse tertiam conclusionem, inqua ponitur talis casus. sit aliquis Doctor, qui veram doctrinam doceat circa ingressum in Religionem suos auditores, ex his auditoribus sint aliqui, qui dicendo aliqua erronea, & falsa inducant homines ad aliquam Religionem, vt si dicerent, quod quicunque intrat talem Religionem, statim erit æqualis meriti, sicut B. Petrus, hoc enim est erroneum; in hoc casu Doctor non debet cessare à sua doctrina, sed perseuerare in ea, licet sit contra id, quod isti sui auditores asserunt, & licet retrahat homines ab illa Religione, & consequenter sequatur damnū spirituale; non debet, inquam, cessare, quia sic non retrahit homines à meliori bono, cum nec intrare Religionem propter errorem sit bonum, comparatiuum enim supponit positiuum, cum ergo intrare Religionem propter errorem non sit bonum, retrahere homines ab hoc non est retrahere à meliori bono, & tenetur hos, qui erudiri possunt, per suam doctrinam in errorem non relinquere, vt ait D. Gregorius in littera citatus.

Quæritur, an sapiens debeat repellere doctrinam parui.

8 Respondeo dicendum, quòd nullus homo, quantumcunque sapiens debet à quocumque paruo doctrinam repellere; vnde Apostolus docet primæ Corinth. 14. quòd si minori aliquid reuelatum fuerit, quod tunc maiores debent tacere, & eum audire, Danielis 13. dicitur, quòd totus populus, & seniores audierunt iudicium pueri iunioris, scilicet Danielis, cuius Spiritū Dominus suscitauit. Lect. 3. super cap. nonum Ioannis.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. nullus homo, quantumcunque sapiens debet à quocunque paruo doctrinam repellere. probatur auctoritate Apostoli 1. ad Corinth. 14. & Danielis 13.

Non immoror circa hoc quæsitum, cum nil occurrat scribendum.

Quæritur, quos docere debeat Doctor.

9 Respondeo dicendum, quòd Catholicæ veritatis Doctor non solum prouectos debet instruere, sed ad eum pertinet etiā incipientes erudire. in prologo primæ partis.

Quod Catholicæ veritatis Doctor non solum prouectos debet instruere, sed ad eum pertinet

etiam incipientes erudire, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Propero ad alia, cum nil mihi occurrat scribendum in hoc loco.

Quæritur, an mulieri debeat permitti docere.

10 Respondeo dicendum, quòd mulieri nõ permittitur publicè docere in Ecclesia: pmittitur autẽ ei priuatim aliquos domestica admonitione instruere. 3. p. q. 55. a. 1. ad 3. (q. 67. a. 4. ad 1. (Lect. 7. cap. 14. primæ ad Corinth. (Lect. 3. cap. 2. primæ ad Timotheum.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. mulieri non permittitur publicè docere in Ecclesia. secunda cõclusio. permittitur ei priuatim aliquos domestica admonitione instruere.

Hæc doctrina simul explicabitur cum doctrina sequentis quæsiti.

Quæritur, an gratia sermonis competat mulieribus.

11 Respondeo dicendum, quòd sermone potest aliquis vti dupliciter, vno modo priuatè ad vnum, vel paucos familiariter colloquendo, & quantùm ad hoc gratia sermonis potest competere mulieribus; alio modo publicè alloquendo totam Ecclesiam, & hoc mulieri non conceditur. primò quidem, & principaliter propter conditionem fæminei sexus, qui debet esse subditus viro, vt patet Genesis 3. docere autem, & persuadere publicè in Ecclesia non pertinet ad subditos, sed ad Prælatos; magis tamen viri subditi ex commissione possunt exequi, quia non habent huiusmodi subiectionem ex naturali sexu, sicut mulieres, sed ex aliquo accidentaliter superueniente: secundò ne animi hominum alliciantur ad libidinem, dicitur enim Eccl. 9. colloquium illius quasi ignis exardescit: tertio quia, vt communiter mulieres non sunt in sapientia perfectæ, vt eis possit conuenienter publica Doctrina committi. 2. 2. quæst. 177. artic. 2. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione distinctio est. quod sermone potest aliquis vti dupliciter, vno modo priuatè ad vnum, vel paucos familiares colloquendo, alio modo publicè colloquendo totam Ecclesiã. prima conclusio. gratia sermonis quantum ad priuatam collocutionem potest competere mulieribus. probatur, quia priuatè vnum, vel paucos familiariter instruere potest mulier. secunda conclusio. gratia sermonis quantum ad publicam collocutionem ad totam Ecclesiam non conceditur mulieri. probatur tripliciter, & primò quia docere, & persuadere publicè in Ecclesia non pertinet ad subditos, sed ad Prælatos, sed sexus fæmineus debet esse subditus viro, vt patet Genesis. 3. ergo &c. hinc elicit corrolariũ, quod magis viri subditi ex commissione possunt exequi. probatur, quia non habent huiusmodi subiectionum ex naturali sexu, sicut mulieres, sed ex aliquo accidentaliter superueniente. secundò probatur conclusio. ne animi hominum alliciãtur ad libidinem, dicitur Eccl. 9. colloquium illius quasi ignis exardescit. tertiò quia vt communiter mulieres nõ sunt in sapiẽtia perfectæ, vt eis possit cõuenienter publica doctrina cõmitti.

Sensus distinctionis est, quod sermone vti cõtingit dupliciter, scilicet publicè, idest ex publico officio, vt Prædicatores faciunt, alloquitotã Ecclesiam, idest populum communiter ad prædicationem concurrentem, qui constat ex Clericis, & laicis vtriusque sexus; & priuatè, idest vnum, vel paucos familiariter colloquendo. primum ergo nũquam permittitur mulieribus propter rationes in littera allatas, quibus adduntur auctoritates D. Pauli, primæ enim ad Timoth. 2. dicitur, docere mulieri non permitto, & primæ ad Corinth. 14. dicitur mulieres in Ecclesijs taceant. secundum autem conceditur. verum hic enascitur dubium, quia videmus Præfectas Monialium, vt Abbatissas, Priorissas proponere verbum Dei suis monialibus in Capitulo, ergo mulieribus permissum est publicè docere. respondetur tamen quod mulieribus non est permissum docere publicè, idest ex officio publico totã Ecclesiam, idest populum conflatum ex Clericis, & laicis vtriusque sexus, partibus quasi essentialibus, vt ait Caietanus hoc in loco, Ecclesiæ, sed eis permittitur, immò mandatur docere publicè suam Ecclesiam secundum quid, quod præstant, dum verbum Dei suis monialibus in Capitulo proponunt.

Quæritur, quibus de causis gratia sermonis subtrahatur aliquando.

12 Respondeo dicendum, quòd gratia sermonis quandoque subtrahitur propter auditoris culpam, quandoq; autem propter culpam ipsius loquentis. 2. 2. qu. 177. art. 1. ad 3.

Quod gratia sermonis quandoque subtrahitur propter auditoris culpam, quãdoque autem propter culpam ipsius loquentis, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Non immoror hoc in loco, cum nil occurrat scribendum.

Quæritur, quot, & quibus modis deprauetur auctoritas sacræ scripturæ.

13 Respondeo dicendum, quòd tribus mo-

modis deprauat quis auctoritatem sacræ scripturæ, aliquando sicut cum dicitur de vno, & exponitur de alio, sicut si dicitur de vno iusto, & exponitur de Christo, verbi gratia, Qui potuit transgredi, & non est trăsgressus, Eccl. 31. itē pater maior me est, hoc dicitur de Xpo secūdùm quòd homo, vnde si exponatur de eo, secundùm quòd filius Dei, deprauatur auctoritas: secundò modo deprauat, quando inducit quis auctoritatem ad aliquid, ad quod non est auctoritas, sicut illud prouerb. 21. & Rom. 12. si esurierit inimicus tuus, ciba illum &c. si enim aliquid facit alicui, vt ille puniatur à Deo, hoc facit contra sensum auctoritatis: tertiò modo quādo illud, quod est pro se, de auctoritate accipit, & aliud, quando est contra se, dimittit, quod est mos hæretici. super cap. 4. Matthæi.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. tribus modis deprauat quis auctoritatem sacræ scripturæ, primò sicut cum dicitur de vno, & exponitur de alio. secundò quādo inducit quis auctoritatē ad aliquid, ad quod non est auctoritas. tertiò quando illud, quod est pro se, de auctoritate accipit, & aliud, quando est contra se, dimittit, quod est mos hæretici. explicatur quoad duo prima exēplis, vt in littera.

In hoc loco nihil mihi occurrit scribendum.

DOLVS.

Quæritur, quid sit dolus, & an pertineat ad astutiam.

1 Respondeo dicēdum, quòd ad astutiam pertinet assumere vias non rectas, sed simulatas, & apparentes ad aliquem finem prosequendum, vel bonum, vel malum; assumptio autem harum viarum potest dupliciter considerari, vno quidem modo in ipsa excogitatione viarum huiusmodi, & hoc propriè pertinet ad astutiam, sicut etiam excogitatio rectarum viarum ad debitum finem pertinet ad prudentiam; alio modo potest considerari talium viarum assumptio secundùm executionem operis, & secundùm hoc pertinet ad dolum; & ideò dolus importat quamdam executionem astutiæ, & secundùm hoc ad astutiam pertinet. 2. 2. q. 55. a. 4. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. dolus importat quamdam executionem astutiæ, & secundum hoc ad astutiam pertinet. probatur, quia ad astutiā propriè pertinet excogitatio viarum non rectarum, sed simulatarum, & apparentium ad aliquem finem prosequendum, vel bonum, vel malum; dolus autem est executio talium viarum, ergo dolus importat executionem astutiæ, & secundum hoc ad astutiam pertinet.

Ex hoc loco habemus, dolum esse executionē astutiæ verbis, vel factis ad decipiendum ordinatum, & consequenter esse peccatum. quando autem sit peccatum mortale; aut veniale, iudicandum est iuxta subiectam materiam, cum enim dolus sit ordinatus ad decipiendum, si intendatur deceptio perniciosa, est peccatum mortale, si vero intenditur officiosa, aut iocosa, erit peccatum veniale, vt habet Caietanus in summula verb. dolus.

Quæritur, an Dolus aliquando accipiatur in bonam partem.

2 Respondeo dicendum, quòd sicut astutia propriè accipitur in malo, abusiuè autem in bono; ita etiam, & dolus, qui est astutiæ executio. 2. 2. q. 55. a. 4. ad 1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. dolus, qui est astutiæ executio, aliquando accipitur abusiuè in bono. probatur à simili, quia sicut astutia propriè accipitur in malo, abusiuè autem in bono, ita etiam dolus, qui est astutiæ executio.

Quod dolus accipiatur aliquando in bono, probatur ex illo. 2. ad Corinth. 12. cum essem astutus, dolo vos cæpi; in viro autem perfecto, qualis erat D. Paulus, non inuenitur dolus in malo, sicut nec astutia in malo, sed in bono.

Quæritur, an dolus sit in corde, ore, & factis.

3 Respondeo dicendum, quòd executio astutiæ ad decipiendum, primò quidem, & principaliter fit per verba, quæ præcipuum locum tenent inter signa, quibus homo significat aliquid alteri, vt patet per Augustinum in lib. de Doctrina Christiana & ideò dolus maximè attribuitur, locutioni; contingit tamen esse dolum & in factis secundùm illud Psalm. 104. & dolum facerent in seruos eius: est etiam dolus in corde secundum illud Eccl. 19. Interiora eius plena sunt dolo; sed hoc est, secundùm quòd aliquis dolos excogitat secundùm illud Psalmi 37. & dolos tota die meditabantur. 2. 2. q. 55. ar. 4. ad 2.

Tri-

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. dolus maximè attribuitur locutioni. probatur, quia executio astutiæ ad decipiendum primò, & principaliter fit per verba, quæ præcipuum locum tenent inter signa, quibus homo significat aliquid alteri, vt patet ex D. Augustino in lib. de doctrina Christiana. secunda conclusio. contingit esse dolum & in factis. probatur ex psalm. 104. tertia conclusio. est etiã dolus in corde. probatur ex Eccl. 19. hinc elicit corrolarium tale, sed hoc est, secũdum quod aliquis dolos excogitat secundum illud psalm. 37. & dolos tota die meditabantur.

Circa tertiam conclusionem, & corrolarium nota, quod ex hoc dolus dicitur esse in corde, secundum quod aliquis dolos excogitat, quia hoc propriè est astutia, quam iam diximus esse excogitationem viarum simulatarum, quæ tamen vocatur dolus ab executione sua intenta.

Quæritur, quomodo accipiatur dolus in foro Ecclesiæ, & conscientiæ.

4 Respondeo dicendum, quòd quantum ad forum exterius Ecclesiæ, in quo secundùm ea, quæ apparent, iudicatur, accipitur dolus non latens in corde, sed aliquo modo per signa exteriora expressus, vt cum se alio nomine vocat, sed non quantùm ad forum conscientiæ. 4. sent. d. 27. in exposit. litteræ.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. quantum ad forũ exterius Ecclesiæ, in quo secundum ea, quæ apparent, iudicatur, accipitur dolus non latens in corde, sed aliquo modo per signa expressus, vt cum se alio nomine vocat, sed non quantum ad forum conscientiæ.

Vt explicetur hæc littera difficilis captu, nota, quod ista doctrina allata est ad declarationem textus Magistri inquientis, quod causa efficiens matrimonij est consensus non quilibet, sed per verba expressus, vnde si quis consentiat mente, & non exprimat verbis, vel alijs certis signis, talis consensus non efficit matrimonium; si autem verbis explicant, quod tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi, vel dolus, obligatio illa verborum, quibus consentiunt dicentes, accipio te in virum, & ego te in vxorem, matrimonium facit. hæc magister. inquit modò D. Thomas in explicationem horum vltimorum verborũ, quod si qui verbis explicant, quod tamen corde non volunt, idest si interius non consentiant in matrimonium, & tamen exterius per verba videtur consentire in illud, censebitur matrimonium inter illos contractum quãtum ad forum exterius Ecclesiæ, quæ iudicat secundum exteriora, relinquendo interiora tanquam iudicanda à Deo, qui est scrutor cordium, non autem quantum ad forum conscientiæ, quia verè interius non consenserunt, nec verè adfuit causa efficiens matrimonij. dum autem dicebat Magister, si non sit coactio, vel dolus, nomine, dolus, accipitur dolus non latens in corde, sed aliquo modo per signa exteriora expressus, vt cũ se alio nomine vocat, quia si adsit hic dolus exterior, matrimonium non tenebit, quia nec hoc fuit consensus purè exterior.

DOMINICA DIES.

1 *Ex præcepto Ecclesiæ obseruantia Dominicæ succedit Sabbato.*
§ *Dominica dies à quo dicta.*
Quæ dicatur Dominica dies.
Præceptum de sanctificatione Sabbati partim erat morale, partim ceremoniale, vt morale mutari non potuit, vt ceremoniale autem potuit mutari.
2 *Prohibitio operandi in die Dominico non est ita arcta, sicut in Sabbato aliàs.*

Quæritur, cui obseruantiæ successit obseruantia diei Dominicæ.

1 Respondeo dicendum, quòd obseruantia diei Dominicæ in noua lege succedit obseruantiæ Sabbati non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetndine populi Christiani. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 4.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. obseruantia diei Dominicæ in noua lege succedit obseruantiæ Sabbati non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani.

Ad explicationem huius litteræ obserua, quod dies Dominica dicta est à Domino, vt notat Siluester verb. dominica in principio, & dominica dies dicitur illa, quæ in honorem Domini nostri Iesu Christi propter resurrectionem eius, per quã recreatus est mundus, celebratur. de con. d. 3. ista ergo dies Dominica succedit Sabbato non Diuina, sed Ecclesiastica constitutione, quod vtique fieri potuit, quia præceptum de sanctificatione Sabbati erat & morale, & ceremoniale, seu figuratiuũ; quatenus erat morale, vt scilicet aliquod tempus daretur Creatori, mutari non potuit; secus autẽ, inquantum erat ceremoniale, & figuratiuum, idest quantum ad diem taxatam.

Quæritur, an prohibitio operandi in die Dominico sit arcta, sicut aliàs in die Sabbati.

2 Respondeo dicendum, quòd non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, sicut in die Sabbati, sed quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die Sabbati prohibebantur, sicut decoctio ciborum, & alia huiusmodi; & etiam in quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur in noua, quàm in veteri lege, quia figura pertinet

ad

ad protestationem veritatis, quàm nec in modico præterire oportet; opera autem secundùm se considerata immutari possũt pro loco, & tempore. 2.2.q.122.a.4.ad 4.

Conclusione vnica respõdet D. Thomas huic quæsito, quę est. non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, sicut in die Sabbati, probatur, quia quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die Sabbati prohibebantur, sicut decoctio ciborum, & alia huiusmodi; & etiam in quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur in noua, quam in veteri lege, quia figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet, opera autem secundum se considerata immutari possunt pro loco, & tempore.

Ad explicationem huius litteræ obserua, quod ratio, quare non sit ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, sicut in die Sabbati est, quia obseruatio diei Dominicæ non est figuralis, sicut fuit obseruatio Sabbati in veteri lege, vt optimè docet D. Thomas hoc in loco, figura autẽ pertinet ad protestationẽ veritatis, quã nec in modico præterire oportet; opera autẽ secundum se cõsiderata immutari possunt pro loco, & tempore.

DOMINIVM.

Quæritur, quot, & quæ includat hoc nomen Dominus.

1 RESpondeo dicendum, quòd hoc nomẽ Dominus tria in suo intellectu includit, scilicet potentiam coercendi subditos, & ordinem ad subditos, qui consequitur talem potestatem, & terminationem ordinis subditorũ ad Dominum. q.7. de potentia. a.10. ad 4.

Quod hoc nomen Dominus tria in suo intellectu includit, docet D. Thomas in hoc quæsito, scilicet potentiam coercendi subditos; & ordinem ad subditos, qui consequitur talem potestatem; & terminationem ordinis subditorum ad Dominum.

Non immoror circa hoc quæsitum, cũ nil occurrat scribendum.

Quo iure sit introductum Dominium.

2 Respondeo dicendum, quòd dominium introductum est de iure gentium, quod est ius humanum. 2.2.q.12.a.2. in corp.

Dominium esse introductum de iure Gẽtium, quod est ius humanum, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Per-

pertranseo, cum nil circa hoc quæstum occurrat scribendum.

Quæritur, an infideles possint habere Prælationem, seu Dominium super fideles.

3 Respondeo dicendum, quòd circa hoc dupliciter loqui possumus, vno modo de Dominio, vel Prælatione infidelium super fideles de nouo instituenda, & hoc nullo modo permitti debet, cæderet enim hoc in scandalum, & in periculum fidei, de facili enim illi, qui subijciuntur aliorum iurisdictioni, immutari possunt ab eis, quibus subsunt, vt sequantur eorum imperiũ, nisi illi, qui subsunt, fuerint magnæ virtutis, & similiter infideles contemnunt fidẽ, si fidelium defectus cognoscant; & ideò Apostolus prohibuit, vt fideles non contendant iudicio coram Iudice infideli; & ideò nullo modo permittit Ecclesia, quod infideles acquirant dominium super fideles, vel qualitercunque eis præficiantur in aliquo officio; alio modo possumus loqui de dominio, vel Prælatione iam existenti. Vbi considerandum est, quòd dominium, vel Prælatio introducta sunt ex iure humano, distinctio autem fidelium, & infidelium est ex iure Diuino, ius autem Diuinum, quod est ex gratia non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione, ideò distinctio fidelium, & infidelium secundùm se considerata non tollit dominium, & Prælationem supra fideles, potest tamen iustè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis tale ius Dominij, vel Prælationis tolli, quia infideles meritò suæ infidelitatis merentur potestatẽ amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei: sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque autem non facit: in illis enim infidelibus, qui etiã temporali subiectione subijciuntur Ecclesiæ, & membris eius, hoc ius Ecclesia statuit, vt seruus Iudæorum, cum fuerit factus Christianus, statim à seruitute liberetur nullo precio dato, si fuerit vernacul⁹, idest in seruitute natus, & similiter si infidelis existens fuerit emptus ad seruitium, si autem fuerit emptus ad mercationem, tenetur enim infra tres menses exponere ad vendendum, nec in hoc iniuriam facit Ecclesia, quia cum ipsi Iudæi sint serui Ecclesiæ, potest disponere de rebus eorum, sicut etiam Principes sæculares multas leges ediderunt circa suos subditos in fauorem libertatis: in illis vero infidelibus, qui temporaliter Ecclesiæ, vel eius membris non subiacent, prædictum ius Ecclesia non statuit, licet posset instituere de iure, & hoc facit ad scandalum vitandum, sicut etiam Dominus Matthæi 15. ostendit, quod poterat se à tributo excusare, quia liberi sunt filij, tamen mandauit tributum solui ad scandalum vitandum; ita etiam & Paulus, cum dixisset, quòd serui Dominos suos honorarent, subiungit, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. 2.2. quæst. 10. a. 10. in corp.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. nullo modo permittit Ecclesia, quod infideles de nouo acquirant dominium super fideles, vel qualitercunque eis præficiantur in aliquo offitio. probatur, quia cæderet hoc in scandalum, & in periculum fidei, de facili enim illi, qui subijciuntur aliorum iurisdictioni, immutari possunt ab eis, quibus subsunt, vt sequantur eorum imperium, nisi illi, qui subsunt, fuerint magnæ virtutis. vlterius probatur, quia infideles contemnunt fidem, si fidelium defectus cognoscunt ex Apostolo, huiusmodi autem defectus facilè cognoscere possent, si Prælationem alicuius officij super fideles haberent. secunda conclusio: distinctio fidelium, & infidelium secundum se considerata non tollit dominium, & Prælationem infidelium supra fideles. probatur, quia ius Diuinum, quod est ex gratia, non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione. tertia conclusio. tale ius dominij, vel Prælationis potest iustè tolli per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis. probatur, quia infideles merito infidelitatis merentur amittere potestatem super fideles, qui trãsferuntur in filios Dei. quarta conclusio. illud ius Dominij, vel Prælationis tollit quandoque Ecclesia, quandoque autem nõ. probatur, quia respectu infidelium sibi ipsi temporaliter subiectorum Ecclesia id facit; respectu autem aliorum infidelium non facit ad euitandũ scandalum. hæc omnia explicantur in textu.

Primam conclusionem vocat magister Seraphinus à Porrecta plusquam benedictam, & vtilissimam, atque semper vigilantissimo animo, & factis obseruandam. & in confirmationẽ eius primæ probationis potest adduci exemplũ Græcorum, qui, vt refert D. Antoninus in 3. p. historiali tit. 21. cap 13. quandò bonos Patriarchas habuerunt, schisma contra Romanam Ecclesiam deseruerunt, quando autem hæreticos habuerũt Prælatos, ad tam detestandum scelus redierunt. secundam probationem attendant, & considerent Principes illorum locorum, vbi inter Christianos habitãt Iudæi, vel alij infideles; isti enim Principes toto conatu inuigilare deberent, vt Christiani sibi subditi suos mores componerent, eosque Euangelio conformarent, vt infideles cernen-

cernentes eorum sanctam conuersationem ad nostram fidem Catholicam conuerti possint. Circa tertiam conclusionem nota, quod in Concilio Toletano quarto circa finem, & 17. quæst. 4. can. cõstituit. expressè prohibetur iurisdictio Iudæorum super fideles. quod autem statutum fuit de seruo Iudæorum facto Christiano; & de eo, qui existens infidelis fuerit emptus ad seruitium, vel ad mercationem, vt habetur in probatione quartæ conclusionis, legitur, extra de Iudæis, cap. cum sit, ex speciali, & nulli, & in Decret. dist. 54. can. nulla.

Quæritur, an Princeps propter apostasiam à fide amittat dominium in subditos, ita quòd ei obedire non teneantur.

4 Respondeo dicendum, quòd infidelitas secundùm se ipsam non repugnat dominio, eo quòd dominium introductũ est de iure gentium, quod est ius humanum, distinctio autem fidelium, & infidelium est secundùm ius Diuinum, per quòd non tollitur ius humanum, sed aliquis per infidelitatem peccãs potest sentẽtialiter ius dominij amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas; ad Ecclesiam autem non pertinet punire infidelitatem in illis, qui nũquam fidem susceperunt secundum illud Apostoli primæ ad Corinth. 5. quid mihi de his, qui foris sunt iudicare? sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire, & conuenienter in hoc puniuntur, quòd subditis fidelibus dominari non possunt, hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem, quia homo apostata prauo corde machinatur malum, & iurgia seminat intendens homines separare à fide; & ideò quàm citò aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto eius subditi sunt absoluti à dominio eius, & iuramẽto fidelitatis, quo ei tenebantur. 2. 2. quæst. 12. a. 2. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest Ecclesia sententialiter punire; & conuenienter in hoc puniuntur, quod subditis fidelibus dominari non possunt. probatur, quia hoc vergere posset in magnam fidei corruptionem, quia homo apostata prauo corde machinatur malum, & iurgia seminat, intendens homines separare à fide. hinc elicit corrolariũ, quod quàm citò aliquis per sententiam denunciatur excomunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto eius subditi sunt absoluti à dominio eius, & iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur.

Meritò propter apostasiam à fide quis priuatur dominio super subditos, qui etiam absoluti meritò sunt à iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur, quia apostasia à fide totaliter separat à Deo, omnis autem æquitas postulat, vt separato à Deo separetur, & auferatur dominium super alios fideles, & violanti fidem Deo abstrahatur fides aliorum. Corrolarium habetur, 15. q. 6. c. nos Sanctorũ, vbi Gregorius septimus dicit, nos Sanctorum prædecessorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate, aut iuramenti Sacramento sunt cõstricti, apostolica auctoritate à sacramẽto absoluimus, & ne sibi fidelitatẽ obseruent, omnibus modis ꝓhibem⁹, quousq; ad satisfactionẽ veniant, Apostatæ autem à fide sunt excomunicati, sicut & hæretici, vt dicit Decretalis extra de hæreticis, ad abolendam. aduerte tamen, quod antequam sint subditi absoluti à dominio eius, & à iuramento fidelitatis, requiritur, quod apostata à fide sit denunciatus excomunicatus, vel apostata, quia post declarationem iniustè apostata habet dominium, & exercet iniustè iurisdictionem in subditos, & consequenter subditi tenentur se eximere ab eius obedientia, immò & bellum gerere contra eum, si vires illis suppetunt, vt ait Dominicus Bannes hoc in loco, ex hoc enim quod apostasia meretur priuationẽ dominij, quia sicut apostata totaliter se separat à Deo, & eius fide per apostasiam, ita dominiũ in subditos fideles, & obedientia subditorum debet ab eo separari, & auferri; iustè apostata priuatur dominio, ergo si retinet illud, iniustè retinet, si autem iniustè retinet, tenebuntur consequenter subditi se eximere ab eius obedientia, vt diffinitur in cap. nos sanctorum. 15. q. 4. & cap. iunctos milites, & si vires illis suppetunt, tenentur bellum gerere contra illum; cum magno tamen detrimento, vt cum periculo mortis, amissionis bonorum &c. non tenentur bellum gerere, nec se eximere ab obedientia Apostatæ Domini, nisi tamen immineat periculum probabile discessus à fide, quia vt fides saluetur, cætera omnia sunt perdenda, & prodigenda. aduerte tamen, quod si apostasia Domini esset euidens, possunt subditi se eximere ab eius obedientia ante Iudicis sententiam declaratoriam, vt docet Caietanus, & Dominicus Bannes hoc in loco, nã in hoc casu adest voluntas interpretatiua Pontificis, & eius ratihabitatio, quæ vim obtinet sententiæ, quando siquidem hoc intelligeret Pontifex, gratum haberet, laudaret, approbaret; & vlterius euidentia criminis gerit vicem sententiæ, & eius locum tenet, in cuius signum si Dux belli militẽ in notorio crimine deprehensum interficeret absque processu, testibus, & sententia, iniustum non ageret. licet autem possint subditi eximere se à dominio, & obedientia Domini apostatæ notorij ante Ecclesiæ sententiam, adhoc tamen nõ tenentur, vt ait Caietanus, & Bannes hoc in loco, quia durum nimis videtur esse, quod subditi teneantur executioni mandare, quod superior non est ausus præcipere, ante autem sententiam Iudicis declaratoriam Princeps non præcipit, quod

quod apostatæ Domini priuētur dominio in subditos, ergo ante Iudicis sententiam declaratoriā non tenebuntur subditi se eximere ab eius dominio. ex his vsq; modo dictis apparet, quod si lata non sit sentētia à Iudice, qua declaretur apostata, & excomunicatus dominus, nec crimen apostasiæ sit euidens, & notorium, sed sit occultum, aut possit aliqua tergiuersatione cælari, subditi non possunt se eximere ab eius obedientia, vt habemus diffinitum in cap. cum secundum leges, de hæreticis. lib. 6. ratio etiam id suadet, quia ante Iudicis sententiam declaratoriam toleratur ab Ecclesia Princeps apostata, & gesta per ipsum sunt rata, ergo ante illam non est priuatus dominio in subditos, & consequenter nec subditi possunt se eximere ab illius obedientia. nota tamē, quod non est necesse, quod in sententia ipsa exprimatur priuatio iurisdictionis in subditos, sed sufficit declaratio criminis, seu excomunicationis, cui coniuncta est à iure talis pæna, in principali enim intelligitur declaratum accessorium, vt notat Caietanus hoc in loco.

Quæritur, an possit quis repellere dominium alicuius, qui violenter illud habuit.

5 Respondeo dicendum, quòd qui per violentiam dominium surripuit, non efficitur verè Prælatus, vel Dominus; & ideò cum facultas adest, potest aliquis tale dominium repellere, nisi fortè postmodùm Dominus verus effectus sit, vel per consensum subditorum, vel per auctoritatem superioris. 2. sent. d. 44. q. 2. a. 2. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cōclusione, quæ est. cum facultas adest, potest aliquis dominium per violentiam surreptum repellere, nisi fortè postmodum Dominus verus effectus sit, vel per consensum subditorum, vel per auctoritatem superioris. probatur prima pars, quia qui per violentiam dominium surripit, non efficitur uerè Prælatus, vel Dominus. secunda pars relinquitur, vt nota.

Vt explicetur hæc doctrina, nota ex S. Thoma hoc in loco, quod Christianus intantum tenetur obedire Prælatis, inquantum Prælatio est à Deo, si autem Prælatio à Deo non est, eis obedire non tenetur. prælatio autem potest à Deo non esse quantum ad modum acquirendi eam dupliciter, aut propter defectū personæ, puta quia indignus est, aut propter defectum in ipso modo acquirendi, quia scilicet per violentiam, vel per simoniam, vel per aliquod aliud illicitum medium acquirit illam. ex primo defectu non impeditur, quin ius Prælationis ei acquiratur, & quoniam Prælatio secundum suam formam semper à Deo est, qui debitū obedientię creat, ideò talibus Pręlatis, quamuis indignis obedire tenentur subditi; sed secundus defectus impedit ius Prælationis, quia qui per violentiam dominium surripit, non efficitur verè Prælatus, vel Dominus; dicitur autem per violentiam dominiū surripere, vt ait D. Thomas hoc in loco ad 5. quando illud surripit nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, & ideò cū facultas adest, potest aliquis tale dominium repellere, ē: per mortē ipsius Tiranni, vt habemus ex eodem S. Thoma ibidem ad 5. hoc tamen debet intellgi, quando non est recursus ad superiorem, per quē iudicium de inuasore possit fieri, tunc enim qui ad liberationem Patriæ Tirannum occidit, laudatur, & præmium accipit, sicut Tullius in lib. 6. de officijs saluat eos, qui Iulium Cæsarem interfecerunt, quamuis amicum, & familiarem. qui quasi Tirannus iura Imperij vsurpauerat. subiungit tamen, & benè D. Thomas, quod si postmodum fiat verus Dominus, vel per consensum subditorum, puta quia subditi volunt ei subdi, & eum tanqum legitimū Dominum habere, & recognoscere; vel per auctoritatem superioris, qui potest ei dominium tribuere, tunc tenebuntur ei obedire, & tale dominium non poterunt repellere, quia tunc non est Tirannus, sed verus Dominus, tunc non amplius dicetur per violentiam surripuisse dominium, sed per electionem subditorum, vel per auctoritatem superioris imperare.

Quæritur, quid Dominus possideat, vt suum.

6 Respondeo dicendum, quòd verus Dominus id, quod possidet, vt Dominus, possidet vt suum. opusculo 73. cap. 5.

Plura alia vide in verbo Princeps.

Quod verus Dominus id, quod possidet, vt dominus, possidet vt suum, ostendit D. Thomas hoc in loco.

Ista doctrina posita est ad ostendēdum, quod fænerator non est verus dominus vsurarum, sicut nec raptor rapinarum, quia vterque malè possidet, & consequenter alienum possidet, & non suum, verus autem dominus id, quod possidet vt dominus, possidet vt suum.

D O S.

1 *Quid sit Dos.*
§ *Diffinitio dotis data à D. Thoma, & à Siluestro explicatur.*
Paraferna quæ sint.
Duplex dos, & quæ, & quid sint.
Quid sit donatio.
2 *Dos datur sponso ad vsum.*
Proprietas, dominium dotis pertinet ad sponsam.
§ *Vir lucratur fructus rerum dotalium, si sustinet onera matrimonij, aliàs non.*
Quomodo maritus possit frui fætibus dotalium pecorum.
Post mortem mariti dos debet restitui vxori.
3 *Dotes ordinariè dantur à parentibus puellæ.*
Aliquando tamen sponsus, vel eius Pater dat dotem, & hoc vel propter amorem ad sponsam, vel in pænam.
§ *Dos, quam dat pater sponsi, vel sponsus, dicitur aduentitia, non profectitia, & quare.*

4 Dos

4 *Dos reuertitur ad sponsam matrimonio separato.*
5 *Dos inamissibiliter conseruatur sponsæ..*
Recensentur priuilegia aliqua dotis.

Quæritur, quid sit dos.

1 REespondeo dicendum, quòd dos propriè est quædam datio ex parte mulieris his, qui sunt parte viri facta pro onere matrimonij, quod sustinet vir; illud autem, quod sponsus dat sponsæ, vocatur donatio propter nuptias. 4.sent.d.49.q.4.a.1. in corp.

Duplici cōclusione respondet D Thomas huic quæsito, quarum prima est. Dos propriè est quędam datio ex parte mulieris his, qui sunt ex parte viri facta pro onere matrimonij, quod sustinet vir. secunda conclusio. illud, quod sponsus dat sponsæ, vocatur donatio propter nuptias.

Hęc diffinitio dotis data à D. Thoma desumitur à Iuristis, & est eadem cum ea, quam colligit Siluester verb. Dos, in principio ex legib. ciuilib. & canonicis, quæ est, qđ dos est, quæ datur viro ab vxore, vel ab aliquo nomine eius pro oneribus Matrimonij sustinendis. dicitur autem dos dari à vxore, vel ex parte mulieris, quia est proprium vxoris patrimonium: dicitur etiam ab aliquo nomine eius, idest à Patre, vel extraneo; dicitur præterea pro oneribus matrimonij sustinēdis, inquo differt dos à Parafernis, quæ sunt bona, quæ habet vxor præter dotem vndecunque, dicitur enim Parafernum, siue parafernale à para, quod est iuxta, & ferna quod est dos. Diuiditur autem dos in profectitiam, & aduētitiam. dos profectitia est illa, quæ à Patre, vel tanquam à Patre, siue Auo, aut Proauo, vel alio superiore de linea Patris pro filia, vel nepte, & huiusmodi, de bonis eorum proficiscitur, vel quæ aliàs de mandato, vel nomine eorum, & ipsi ratum habent, constituitur, vt in L. profectitia. dos autem aduentitia est, quæ non proficiscitur à parēte, vel quasi parente, sed eam dat mulier pro se ipsa, vel quilibet alius à Patre, vel Auo, & prædictis, siue sit frater, siue Auunculus, vel quilibet alius, vt habetur L. profectitia. exquo patet, qđ si Pater non dedit tanquam Pater, sed vt extraneus, puta quia debebat filiæ, & eius voluntate dedit in dotem viro, erit dos aduentitia, vt etiā habemus ex dicta l. profectitia. In secunda conclusione ait D. Thomas, id, quod dat sponsus sponsæ propter nuptias, vocari donationem, quę donatio sic diffinitur à S. Thoma. 1. sent. d. 18. art. 2. est datio liberalis, siue irredibilis, idest recompensationem non intendens. vel potest sic diffiniri, quod donatio est rei licitæ nullo iure cogente, mera liberalitate facta collatio.

Quæritur, ad quem pertinet vsus dotis, & dominium.

2 Respondeo dicendum, quòd dotes, quamuis assignentur spōso in carnali matrimonio ad vsum; tamen proprietas, & dominium pertinent ad sponsam, quod patet ex hoc, quòd soluto matrimonio dos remanet sponsæ secundùm iura. 4. sent.d.49.q.4.a.1. ad 1.

Conclusione vnica respōdet D. Thomas huic quæsito, quæ est. dotes, quamuis assignentur spōso in carnali matrimonio ad vsum, tamē proprietas, & dominium pertinet ad sponsam probatur, quia soluto matrimonio dos remanet sponsæ secundum iura, ergo signum est, quod proprietas, & dominium pertinet ad sponsam.

Cum iam diximus dotem esse proprium patrimonium vxoris, quo vir debet vxorem & onera matrimonij sustentare, liquidò constat, quod dotis proprietas datur ad vsum solum maritò, eius tamen dominium est apud sponsam; ex hoc autem quod maritus habet vsum dotis pro sustētatione vxoris, & onerum matrimonij, sequitur, quod vir lucretur fructus rerum dotaliū propter onera matrimonij, quod tamen intelligendum esse, asserit Sairus lib. 9. clauis regiæ cap. 16. nu. 10. si sustinet onera matrimonij, aliàs non, sed vxori restitui debent, vnde fætus dotalium pecorum ad maritum pertinēt, dummodo onera matrimonij sustineat, sic tamē vt inde suppleat mortua capita ex iam natis fætibus; ex hoc etiā quod proprietas, & dominium dotis pertinet ad spōsam, sequitur, quod soluto matrimonio, puta per mortem mariti, debet restitui dos vxori, vt iura disponunt, & ratio demonstrat, si enim vxor habet dominium suæ dotis, quæ dabatur viro in sustentationem onerum matrimonij, ergo quando cessant huiusmodi onera, vt contingit per mortem viri, debet dos redire ad illam, quę illius dominium habet.

Quæritur, an sponsus det aliquando dotem sponsæ.

3 Respondeo dicendum, quòd quamuis dotes à parente puellæ consueuerunt assignari, tamen quandoq; contingit, quòd sponsus, vel pater sponsi assignat dotes vice patris puellæ, quod contingit dupliciter, vel pro nimio affectu ad sponsam, sicut fuit de Sichem, qui voluit asignare dotem, quam debebat accipere propter vehementem amorem sui filij ad puellam; vel hoc fit in pœnam sponsi, vt Virgini à se corruptæ dotem de suo asignet, quam pater puellæ debuerat asignare, sicut dicitur exodi 22. si seduxerit quis Virginem, dormieritq; cum ea, dotabit eam, & accipiet eam in vxorem. 4. sent. d. 49. q. 4. a. 1. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. quamuis dotes à Pa-

Parente puellæ consueuerunt assignari, tamen quandoq; contingit, quod pater sponsi assignat dotes vice Patris puellę pro nimio affectu ad spōsam. probatur exemplo de Sichem, qui voluit assignare dotem, quam debebat accipere propter vehementem amorem sui filij ad puellam. secunda conclusio. quandoque contingit, quod sponsus assignat dotes vice Patris puellæ in pænam, vt Virgini à se corruptæ dotem de suo assignet; quam Pater puellæ debuerat assignare probatur ex Exodi 22.

Hoc in loco aduerte, quod dos, quam dat Pater sponsi, vel sponsus, dicitur aduentitia, non autem profectitia; non est, inquam, profectitia, quia talis dos est, quæ à Patre, vel tāquam Patre, siue Auo, vel Proauo, vel alio superiore de linea Patris pro filia &c. de bonis eorum proficiscitur &c. Pater autem sponsi, siue etiam sponsus de numero horum non est, erit ergo dos aduentitia, quæ est, quæ non proficiscitur à Parente, vel quasi Parente, sed eam dat mulier per seipsa, vel quilibet alius à Patre, vel Auo &c.

Quæritur, an matrimonio separatò dos reuertatur ad sponsam.

4 Respondeo dicendum, quòd inamissibiliter dos sponsæ conseruatur, vt ad eam matrimonio separato reuertatur. 4. sent. d. 49. q. 4. a. 1. in corp.

Quod inamissibiliter dos sponsæ conserūetur, vt ad eam matrimonio separato reuertatur, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Hoc est vnum ex priuilegijs dotis, nēpe quod inamissibiliter conseruetur sponsæ, nō enim perditur propter malefitium viri, etiam si sit crimen læsæ maiestatis, vt habetur C. ad L. Iul. ma. quisquis. & in c. ex litteris. rursus omnia bona viri sunt tacitè hipotecata pro dote. de pigno. c. ex litteris. immo etiam pro bonis parafernalibus secundum Panormitanum in c. ex litteris. de pigno. præterea dotes præponuntur omnibus creditoribus, etiam prioribus, qui habent personales actiones, vel etiam tacitas hipotecas, nisi sint in simili iure, vt quia petunt dotem præcedentē, vt in L. assiduis. C. qui. po. in pig. ba. legatur circa hæc priuilegia Siluester verb. Dos q. 12.

DVBITATIO.

1 *Duplex dubitatio scilicet infidelitatis, & admirationis.*

§ *Quid sit dubitatio, siue dubium.*

Quid sit dubium infidelitatis.

Quid sit dubium admirationis.

De dubio admirationis loquuntur Doctores, qui docent B. Virginem dubitasse tempore mortis filij sui.

Quomodo dubia sint in meliorem partē interpretanda ex Caietano, & in hoc reijcitur Sotus.

2 *Dubia in bonam partem sunt interpratanda.*

3 *Melius est aliquem frequenter falli habendo bonā opinionem de alio malo, quàm rarius falli habendo malam opinionem de bono homine.*

§ *Quomodo debeat intelligi, quod ille, qui frequenter fallitur in bona opinione, nulli noceat.*

4 *Quando iudicamus de rebus, debemus ad hoc niti, vt iudicemus, secundum quòd sunt.*

Quando iudicamus de hominibus, adhoc debemus tendere, vt hominem iudicemus bonum.

§ *Quid sit iuditium de rebus.*

Quid spectet ad iuditium de personis.

Quæritur, quotuplex sit dubitatio.

1 Respondeo dicendum, quòd est duplex dubitatio, scilicet infidelitatis, & admirationis, seu discusionis. 3. p. q. 27. ar. 4. ad 2. (q. 30. art. 4. ad 2. (lect. 3. cap. 11. ad hæbreos.

Dari duplicem dubitationem, scilicet infidelitatis, & admirationis, seu dicussionis, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ad explicationem huius litterę obserua, quod dubitatio, siue dubium secūdum Isidorum in lib. etimolog. est motus indifferens in vtramq; partem contradictionis; vel secundum phylosophū, & mentem D. Thomæ. 3. sent. d. 17. est contrariarum rationum æqualitas, ex quibus elicit Siluester verb. dubium, in principio, quod homo propriè dicitur dubitare de aliquo, vel circa aliquid, quando habet rationes ad vtramque partem æqualiter, aut quasi æqualiter mouentes, ita quod nō inclinatur ad hoc magis, quàm ad illud notabiliter. dubium ergo istud est duplex, vnum est dubium infidelitatis, alterum autem admirationis, seu discussionis; dubium infidelitatis est titubatio, fluctuatio, seu vacillatio in fide, cui firmiter debet fidelis adhærere, & tale dubium profectò pertinet ad infidelitatem iuxta illud, dubius in fide infidelis est. dubitatio, siue dubium admirationis, seu discussionis est collatio vnius cum altero, sicut dicit Caietanus hoc in loco de Beatissima Virgine assistente Passioni Christi filij sui, quod tūc conferebat Diuina prius visa, & sibi certa humanis, quæ tunc videbat; conferebat summa infimis, & è conuerso. & de hac dubitatione admirationis loquebatur D. Basilius in Epistola ad Optimū, dum dicebat, quod B. Virgo assistens Cruci, & aspiciens singula, post testimonium Gabrielis, post inefabilem Diuinæ conceptionis notitiam, post ingentem miraculorum ostensionem, animo fluctuabat, ex vna scilicet parte videns pati abiecta, & ex altera parte considerans eius mirifica. de hoc etiam admirationis dubio intelligi debet D. Augustinus, dum in lib. veteris, & noui testamenti ait super illa verba Lucæ. 2. tuam ipsius animam pertransibit gladius, quod B. Virgo in morte Domini stupore quodam dubitauit.

Quæritur, quomodo sint interpratanda dubia.

2 Respondeo dicendum, quòd vbi non appa-

apparent manifesta inditia de malitia alicuius, debemus eum, vt bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est. 2. 2. q. 60. a. 4. in corp.

Docet D. Thomas hoc in loco, quod vbi non apparent manifesta inditia de malitia alicuius, debemus eum, vt bonum habere in meliorẽ partem interpretando, quod dubium est.

Ratio huius doctrinę est, quia nullus debet cõtemnere alium, vel nocumentum quodcunque ei inferre absque cogente causa, ex hoc autem ipso quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, iniuriatur ei, & contẽnit ipsum, & consequenter vbi non apparent manifesta inditia de malitia alicuius, debemus eum vt bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est.

Dubia esse in meliorem partem interpretanda, docet glosa super illa verba D. Pauli ad Rom. 14. qui non manducat, manducantem non iudicet. quomodo autem dubia sint in meliorem partem interpretanda, explicat Caietanus inquiẽs, non esse, inquam, in meliorem partem interpretanda positiuè, sed negatiuè; non, inquam, positiuè, vt quando scilicet occurrunt nobis dubia, bonum sit prorumpere in actum opinionis bonæ de proximo, interpretando, quod bono animo fuerit, excusando illum, sed negatiuè sunt interpretanda in meliorem partem, idest dubia non sunt in deteriorem partem interpretanda secundum illud, quod dicebat Christus Mathei 7. nolite iudicare &c. Dominicus Sotus lib. 3. de iustitia, & iure. q. 4. art. 4. contrarium credit, quia, inquit, ius naturæ nos cogit, non solum ne malè de homine vllo opinemur propter dubia signa, verùm vt de omnibus, non obstantibus amphibolis inditijs, opinemur benè; vnde subiungit, quod dubia sunt in meliorem partem interpretanda positiuè; sed doctrinam Caietani sequor ego, quam etiam sequuntur Salon, Aragona, Petrus Nauarrus, Bannes, & alij recentiores vtpotè validissimis vallatam rationibus. ad rationẽ Soti respondeo, falsum esse, quod ius naturæ nos cogat, vt de omnibus opinemur benè stantibus dubijs inditijs, quia iuri naturæ non repugnat boni ratio, boni autem ratio suadet, ne absque necessitate, aut pietate aliqua exponam intellectum meum periculo falsitatis sæpius incurrendæ, quod profectò eueniret, si positiuè dubia in meliorem partem interpretari deberem.

Quæritur, an sit melius frequenter falli habendo opinionem bonam de malo homine, quam malè suspicando de aliquo bono rarius falli.

3 Respondeo dicendum, quòd potest contingere, quòd ille, qui in meliorem partem interpretatur, frequentius fallatur; sed melius est, quòd aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quòd rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo bono; quia ex hoc fit iniuria alicui, non autem ex primo. 2. 2. q. 60. a. 4. ad 1.

Vnica conclusione bibebri respondet D Thomas huic quæsito, quæ est. potest cõtingere, quod ille, qui in meliorem partem interpretatur, frequẽtius fallatur, sed melius est, quod aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo bono. probatur quoad vtramque partem, quia ex primo non fit iniuria alicui, ex secundo autẽ fit iniuria.

Circa rationem dubium occurrit, quia falsum est, quod ille, qui frequenter fallitur in bona opinione, nulli noceat, nocet enim sibi ipsi, dum implet animam suam falsis opinionibus, peius est autem nocere sibi, quam alteri. respondetur tamen, quod S. Thomas debet intelligi, quod nulli alteri noceat, quia iniustitia non est ad se ipsum, sicut nec iustitia.

Quæritur, quomodo sit iudicandum de hominibus, & de rebus.

4 Respondeo dicendum, quòd aliud est iudicare de rebus, & aliud de hominibus, in iuditio enim, in quo de rebus iudicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipsius rei, de qua iudicamus, cui nihil nocet, qualitercunq; iudicemus de ipsa; sed attenditur ibi solum bonum iudicantis, si verè iudicet, vel malum, si falsò, quia verum est bonum intellectus, falsum autem est malum ipsius, vt dicitur in 6. eth. & ideò vnusquisque debet niti ad hoc, quòd de rebus iudicet secundùm quòd sunt: sed in iudicio, quo iudicamus de hominibus, præcipuè attenditur bonum, & malum ex parte eius, de quo iudicatur, qui in hoc ipso honorabilis videtur, quod bonus iudicatur, & contemptibilis, si iudicetur malus: & ideò ad hoc potius tendere debemus in tali iudicio, quod hominem iudicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat; ipsi autem homini iudicanti falsum, iudicium, quo benè iudicat de alio, nõ pertinet ad malum intellectus ipsius, sicut nec ad eius perfectionem pertinet secundùm se cognoscere veritatem singularium contingentium, sed magis pertinet ad bonum affectum. 2. 2. q. 60. a. 4. ad 2.

Duo facit D. Thomas hoc in loco, primò respondet quæsito duplici conclusione, secundò respondet tacitæ obiectioni. quoad primum sit hæc prima conclusio. vnusquisque debet niti ad hoc, quod de rebus iudicet, secundum quod sunt. probatur,

batur, quia in iuditio, in quo de rebus iudicam', non attenditur bonum, vel malum ex parte ipsius rei, de qua iudicamus, cui nihil nocet, qualitercunque iudicemus de ipsa, sed attenditur ibi solum bonum iudicantis, si uerè iudicet, vel malum, si falsò, quia verum est bonum intellectus, falsum autem est malū ipsius, vt dicitur in 3. eth. secunda conclusio. in iuditio, quo iudicamus de hominibus, ad hoc potius tēdere debemus, quod hominem iudicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat. probatur, quia in iudicio, quo iudicamus de hominibus, præcipuè attenditur bonum, & malum ex parte eius, de quo iudicatur, qui in hoc ipso honorabilis videtur, quod bonus iudicatur, & contemptibilis, si iudicetur malus. quoad secundum, quia aliquis posset dicere, si ad hoc potius tendere debemus in iuditio de hominibus, vt hominem iudicemus bonum, contingere potest, quod falsum iudicabimus, quod pertinere videtur ad malum intellectus, ideò respondet, quod ipsi homini iudicāti falsum, iudicium, quo benè iudicat de alio, nō pertinet ad malum intellectus ipsius, sicut nec ad eius perfectionem pertinet secundum se cognoscere veritatem singularium contingentium, sed magis pertinet ad bonum affectum.

Ad huius litteræ explicationem nota distinctionem illam, quod aliud est iudicare de rebus, & aliud est iudicare de hominibus, nam ad iuditium de rebus spectat rem de re dicere, ad iuditium autē de hominibus, siue personis spectat malum, vel bonum de persona dicere. iuditium de personis est solum iuditium de corde, seu intentione alterius, aut de applicatione personæ ad hanc actionem, ad iuditium autem de rebus spectat actus ipsos etiam singulariter iudicare, sicut si audiam aliquem maledicentem aliquid, & iudicem, quod actus ille maledicendi sit peccatum mortale, non propter intentionem maledicentis, sed absolutè, quasi actus ille maledicendi sit ex genere suo peccatum mortale, & consequenter concipio peccatum huius esse peccatum mortale, iudicium istud falsum non spectat ad iudicium de personis, sed ad iudicium de rebus, quia verè non iudicatur persona, sed actus ipse secundum se, itaquod dicit rem de re, scilicet dicit peccatum mortale de actu illo maledicendi. rursus si aliquam videro personam ornatam, & iudicem illam, se ita ornasse libidinis causa, hoc iudicium est de personis, quia iudico intentionem personæ esse impudicam. ex quibus colligitur, quod iudicare, quod facere hoc, vel illud, vel factum tale esse, vel non esse peccatum mortale, licet in tali iuditio contingat error, tale iuditiū non censetur temerarium, nec nos taliter iudicantes temerarij iudicij sumus rei, nec alicui iniuriam facimus, quia iudicamus de rebus ipsis, in quo iudicio in neutram partem est declinandum, sed soli veritati est innitendum.

DVELLVM.

Quæritur, an Duellum sit illicitum.

Respondeo dicendum sicut verbo, Diuinatio. q. 18.

DVLIA.

1 *Dulia est aliā virtus à latria.*
Dulia est species obseruantiæ.
Dulia quid significet.
2 *Dulia propriè non debetur nisi habenti gratiam, & virtutem.*
Dulia debetur propriè habenti virtutem actu.
Habenti aptitudinem ad virtutem, nisi sit obstinatus, debetur honor.
Omnibus Prælatis debetur honor.
3 *Dulia communiter sumpta continet sub se pietatem, & obseruantiam &c. tanquàm species distinctas.*
Dulia propriè non habet species.
4 *Dulia debetur Deo ratione Dominij.*
5 *Creaturæ irrationali non debetur aliquis honor.*
Crux Christi honoratur honore Christi.
5 *Crux Christi duplici de causa honoratur latria, & quibus.*
Cæteræ Cruces latria adorātur vna de causa, et qua.
6 *Hyperdulia est præcipua species Duliæ.*
Hyperdulia cui debeatur.

Quæritur, an Dulia sit specialis virtus distincta à latria.

1 Respondeo dicendum, quòd vbi est alia ratio debiti, ibi necesse est, quod sit alia virtus, quæ debitum reddat; alia autem ratione debetur seruitus Deo, & homini, sicut, & alia ratione dominium competit Deo, & homini, nam Deus plenarium, & principale dominium habet respectu totius, & cuiuslibet creaturæ, quæ totaliter eius subijcitur potestati, homo autem participat quamdam similitudinem Diuini Dominij secundum quòd habet particularem potestatem super aliquem hominem, vel super aliquam creaturam, & ideò Dulia, quæ debitam seruitutem exhibet homini domināti, alia virtus est à latria, quæ exhibet debitam seruitutem Diuino dominio, & est quædā obseruantiæ species, quia per obseruantiam honoramus quascunq; personas dignitate præcellentes; per Duliam autem propriè sumptam serui Dominos suos venerantur: Dulia enim græcè seruitus dicitur. 2.2.q.103.a.3. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Dulia, quæ debitam

bitam seruitutem exhibet homini dominanti, est alia Virtus à latria, quæ exhibet debitam seruitutem Diuino dominio. probatur, quia alia ratione debetur seruitus Deo, alia homini, sicut etiam alia ratione dominium competit Deo, & hominibus, vt in littera sed vbi est alia ratio debiti, ibi oportet, quod sit alia Virtus, quæ debitum reddat, ergo &c. secunda conclusio. Dulia est quædam obseruantiæ species. probatur, quia per obseruantiam honoramus quascunq; personas in dignitate constitutas, sed per Duliã proprie dictam serui Dominos suos venerantur, ergo &c.

Circa hanc doctrinam adnota, quod docet Caietanus hoc in loco, quod non est necesse afferre, cum parum ad moralẽ Theologiã spectet.

Quæritur, an peccatores debeant honorari Dulia.

2 Respondeo dicendum, quòd Dulia reuerentiam, & honorẽ importat, quæ creaturæ exhiberi potest: cum autem honor, vt dicit Philosophus nõ debeatur nisi rebus Diuinis, non debetur propriè, & directè nisi habenti gratiam, & virtutem, quæ Diuinos facit: sed habet aliquis virtutem multipliciter, vel sicut actu virtuosus, & huic directè debetur, & propriè, & secundùm se honor, vel sicut habens aptitudinem naturalem ad virtutem, & sic cuilibet habenti imaginem Dei est exhibẽdus honor, nisi sit cõfirmatus in malo, quia ligatus est in illo ordo ad virtutem, vt in Dæmonibus, vel sicut ordinatus ad inducendum, vel conseruandum virtutem, & sic debetur omnibus Prælatis, qui adhoc ordinati sunt, vt alios dirigãt in virtutem. 3. sent. d. nona q. 2. a. 3. in corp.

Conclusione vnica trimembri respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Virtuosis directè debetur, & propriè, & secundum se honor per Duliam importatus, peccatori etiam cuilibet, nisi sit confirmatus in malo, vt Dæmon, Prælatis insuper omnibus debetur honor. probatur. nam Dulia reuerentiam, & honorem importat, quæ creaturæ exhiberi potest, sed honor ex phylosopho non debetur nisi rebus Diuinis, ergo non debetur nisi habentibus gratiam, & virtutem, quæ Diuinos facit, sed aliquis habet virtutem actu, vt virtuosus, alius habet aptitudinem naturalem ad Virtutem, sicut quilibet habens imaginem Dei, alius est ordinatus ad inducendum, vel conseruandum Virtutem, sicut Prælati, ergo virtuosis actu, & peccatoribus, qui habent imaginem Dei, nisi tamen sint confirmati in malo, vt Dæmones, quia in illis ligatus est ordo ad Virtutem, & Prælatis, qui ad hoc ordinati sunt, vt alios dirigant in Virtutem, debetur honor per Duliam importatus.

Ex hoc loco habemus verissimum esse, quod honor est Virtutis præmium, & quod non debetur nisi eis, qui aliquo modo Virtutẽ participant.

Quæritur, an mali Prælati debeant honorari Dulia.

Respondeo dicendum sicut verbo, Reuerentia.

Quæritur, an Dulia habeat plures species.

3 Respondeo dicendum, quòd Dulia potest accipi dupliciter, vno modo communiter secundùm quòd exhibet reuerentiã cuicunque homini ratione cuiuscunq; excellentiæ, & sic continet sub se pietatem, & obseruantiam, & quãcunque huiusmodi virtutem, quæ homini reuerentiam exhibet, & secundùm hoc habebit partes specie diuersas; alio modo potest sumi strictè, prout secundùm eam reuerentiam exhibet seruus Domino, nam Dulia seruitus dicitur, vt dictum est, & secundùm hoc nõ diuiditur in diuersas species, sed est vna specierum obseruantiæ, quam Tullius ponit, eo quòd alia ratione seruus reueretur Dominum, miles Ducem, discipulus Magistrum, & sic de alijs huiusmodi. 2. 2. qu. 103. a. 4. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Dulia communiter sumpta continet sub se partes spetie diuersas. probatur, quia Dulia communiter sumpta continet sub se pietatem, obseruantiam, & quamcunque huiusmodi Virtutem, quæ homini reuerentiam exhibet. secunda conclusio. Dulia strictè sumpta non diuiditur in diuersas species, sed est vna specierum obseruãtiæ. probatur prima pars, quia Dulia strictè sumpta conuenit tantum seruo respectu Domini sui, nam Dulia seruitus dicitur, ergo vnam tantum rationem formalem habet. secunda pars patet, quia alia ratione seruus reueretur Dominum, Miles Ducem, discipulus Magistrum.

Ad explicationem huius litteræ proponit, & soluit dubium Caietanus hoc in loco, ex cuius solutione duo alia format, & soluit argumenta, quę tu lector videas in fonte.

Quæritur, qua ratione Dulia debeatur Deo.

4 Respondeo dicendum, quòd ratione creationis debetur Deo latria, Dulia verò secundùm dominium. 2. 2. quæst. 103. art. 3. ad 1.

Latriam deberi Deo ratione creationis, Duliam verò secundum dominium, docet D. Thomas hoc in loco.

Ad

Ad explicationẽ huius litterę legatur D. Thomas in fonte, & 3.p.q.25.a.2.in corp.

Quaritur, an Dulia debeatur creatura irrationali.

5 Respondeo dicendum, quòd creaturæ irrationali in se consideratæ non debetur ab homininibus aliqua subiectio, vel honor, quin potius omnis talis creatura est naturaliter homini subiecta: quòd autem Crux Christi honoretur, hoc fit eodem honore, quo Christus honoratur, sicut purpura Regis honoratur eodem honore, quo Rex, vt Damascenus dicit. 2.2.q.103. a.4. ad 3. (3.sent.d.nona.q.2.a.3. ad 6.

Duo facit D. Thomas in hoc quæsito. primò respondet quæsito vnica conclusione, secundò respondet cuidam obiectioni. quoad primũ hæc est conclusio, creaturæ irrationali in se considerata nõ debetur ab hominibus aliqua subiectio, vel honor. ꝓbatur, quia potius omnis talis creatura est naturaliter homini subiecta. quo ad secundum affert obiectionem de Cruce, quæ licet sit creatura irrationalis, honoratur tamen. respondet, quod eodem honore, quo Christus honoratur, veneratur, sicut purpura Regis honoratur eodem honore, quo Rex, vt Damascenus dicit.

Circa responsionẽ ad obiectionem nota, quod duplici de causa honoratur Crux Christi vera eodem honore, quo Christus, scilicet latria, videlicet ratione contactus, quo tetigit tam sancta membra, & ratione rapresentationis, quia scilicet representat Christum Crucifixum, in cuius signum eam alloquimur, ac si esset res animata dicentes, ò Crux aue spes vnica &c. Cæteras autẽ Cruces adoramus eadem latria ratione tantum rapresentationis, vt supra verb. adoratio exposuimus. q. 20. & 21.

Quaritur, an Hyperdulia sit species Duliæ, & cui debeatur.

6 Respondeo dicendum, quòd Hyperdulia est potissima species Duliæ communiter sumptæ, maxima enim reuerentia debetur homini ex affinitate, quam habet ad Deum. 2.2.q.103.a.4. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Hyperdulia est potissima species Duliæ communiter sumptæ. probatur, quia maxima reuerentia debetur homini ex affinitate, quam habet ad Deum.

Dulia cõmuniter sumpta est illa, quæ exhibet reuerentiam cuicunque homini ratione cuiuscũque excellentiæ, huius ergo Duliæ communiter sumptæ speties potissima est hyperdulia, qua hominem honoramus maximè propter affinitatem, quam habet ad Deum, vt supra verb. adoratio. q. 24. diximus de B. Virgine, quam ideò hyperdulia honoramus, quia Mater Dei est, non autẽ quia est Domina nostra, ratione enim Maternitatis affinitatem contraxit cum Deo.

DVPLICITAS CORDIS.

1 *Duplicitas quid sit.*
2 *Duplicitas est quando homo vnum prætendit, & aliud intendit.*
5 *Duplicitas est genus quoddam mendacij, & quare. Quis dicatur simplex.*
3 *Duplicitas consequitur ad luxuriam.*

Quaritur, quid sit duplicitas.

1 Respondeo dicendum, quòd duplicitas est, qua aliquis aliud habet in corde, & aliud ostendit exterius. 2.2.q.109.a.2. ad 4.

Duplicitatem esse, qua aliquis aliud habet in corde, & aliud ostendit exterius, docet D. Thomas hoc in loco.

Hæc doctrina explicabitur simul cũ sequenti.

Quaritur, an sit duplicitas, quando homo vnum prætendit, & aliud intendit.

2 Respondeo dicendum, quòd duplicitas est, qua homo vnum prætendit, & aliud intendit. 2.2.q.109.a.2. ad 4.

Duplicitatem esse, quando homo vnum prætendit, & aliud intendit, ostendit D. Thomas hoc in loco.

Ex doctrina supradictorum duorum quæsitorum habemus duplicitatem cordis esse mẽdatij quoddam genus, nam duplicitas cordis opponitur simplicitati, simplicitas enim excludit duplicitatem, & sicut duplex corde est ille, qui aliud habet in corde, & aliud profert in ore, & demõstrat exterius, ita simplex censetur ille, qui quod habet in corde, manifestat in ore, & exterius, simplicitas autem ad Virtutẽ veritatis pertinet, vt docet D. Thomas. 2.2.q.109. art. 2. ad 4. ergo duplicitas cordis opponitur veritati, & consequẽter duplex corde dicetur mendax, sicut simplex censebitur verax, ergo duplicitas cordis reputabitur mẽdatij quoddam genus, dum homo vnum prætendit, & aliud intendit, dum prætensio exterior non conformatur interiori.

Quaritur, ad quòd vitium consequatur duplicitas.

3 Respondeo dicendum, quòd duplicitas animi est quoddam consequens ad luxuriam, sicut inconstantia, prout duplicitas animi importat versibilitatem animi ad diuersa. 2.2.q.53.a.6. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Duplicitas animi est quoddam conse-

consequens ad luxuriam, sicut inconstantia. probatur, quia duplicitas animi importat vertibilitatem animi ad diuersa.

Rectè D. Thomas cōparat duplicitatem cordis inconstantiæ, dum ait, eam pertinere ad luxuriam, sicut inconstantiam, duplex enim animo inconstans est, ait D. Iacobus cap. 1. quod autē inconstātia pertineat ad luxuriam, patet ex hoc, quia licet inconstantia oriatur ex inuidia, & ira, maximè tamē causatur ex luxuria, inuidia enim, & ira ideò causant inconstantiam, inquantum pertrahunt rationem ad aliud, luxuria autē inconstantiam causat totaliter extinguendo iudicium rationis, vnde phylosophus dicit. 7. eth. c. 6. quod incōtinens iræ audit quidem rationem, sed non perfectè, incontinens autē concupiscētiæ totaliter eā nō audit. & Terentius in Eunucho, in scæna, quę incipit, quid igitur faciam, ait, quod in amore est bellum, pax, induciæ, cōsequens ergo fit, quod etiam duplicitas cordis ad luxuriā pertineat, inquantum importat vertibilitatem animi ad diuersa, licet possit pertinere ad alia etiam vitia, puta ad dolositatem secundum alias rationes.

EBRIETAS.

Peccata sequentia ad ebrietatem voluntariè, primò susceptam ab aliquo nihil cogitante de illis imputantur ei ad culpam, si sint actus, qui soleant ab ebriijs committi, quamuis non omnes ebrij illos committant.
Si peccata magis in passione, quam in actione consistant, videntur computanda sub non præuisis.
Quando aliquis ebrius culpabiliter, etiam leuiter occidit alium, est irregularis & tenetur de dãno.
14 *Ebrietas ligat totaliter rationem, non autem concupiscentia.*
Passio concupiscentiæ minuit peccatum.
15 *Ebrius actu non potest baptizare, sed ebriosus potest, si baptizandi habeat intentionem.*
Differentia inter ebrium, & ebriosum notatur.
Gesta per ebrium perfectè non valent.
Si non sit perfectè ebrius, tenent eius gesta.
16 *Ebrius meretur duas maleditiones.*
Ebrietas ratione ignorantiæ minuit peccatum sequens.
17 *Quare plus sint puniendi ebrij, si percusserint aliquem.*

Quæritur, an ebrietas sit peccatum.

1 Respondeo dicendum, quòd ebrietas dupliciter potest accipi, vno modo prout significat ipsum defectũ hominis, qui accidit ex multo vino potato, ex quo fit, vt non sit compos rationis, & secundum hoc ebrietas non nominat culpam, sed defectum pænalem consequentem ex culpa: alio modo ebrietas potest nominare actum, quo quis in hunc defectum incidit, qui potest causare ebrietatẽ dupliciter, vno modo ex nimia vini fortitudine præter opinionem bibentis, & sic etiam ebrietas potest accidere sine peccato, & pręcipuè si non ex negligentia hominis contingat, & sic creditur Noè inebriatus fuisse, vt legitur Genesis 9. alio modo ex inordinata concupiscentia, & vsu vini, & sic ebrietas ponitur esse peccatum, & cõtinetur sub gula, sicut species sub genere: diuiditur enim gula in commestionem, & ebrietatem, quæ prohibet Apostolus ad Rom. 13. nõ in commessationibus, & ebrietatibus. 2. 2. q. 150. a. 1. in corp. (qu. 15. de malo a. 2. ad 9.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ebrietas secundum quod dicit defectum rationis prouenientẽ homini ex multo vino potato, non nominat culpam, sed pænam consequentem ex culpa. probatur, quia non esse compotem rationis vt sic, pænã dicit, non culpam. secunda conclusio. ebrietas, secundum quod nominat actũ, quo quis in hunc defectum incidit, potest accidere sine peccato, præcipuè si non contingat ex negligentia hominis. probatur, quia potest accidere ex nimia fortitudine vini præter opionem bibentis, sicut creditur de Noe, de quo Genesis. 9. tertia conclusio. ebrietas, secundum quod dicit illum actum, prout ex inordinata concupiscentia, inordinatoque vsu vini procedit, peccatum est, & continetur sub gula, sicut species sub genere. prima pars relinquitur vt nota: secunda pars probatur, quia gula diuiditur in commessationem, & ebrietatẽ, quæ prohibet Apostolus Rom. 13.

Ad explicationem huis doctrinæ nota primò, quod nomine vini in prima cõclusione positi intelligitur omne inebriatiuum, siue sit vinum, siue ceruitia, siue quid aliud, vt notat Caietanus hoc in loco, ex quo patet, quod qui tenetur aliquo die abstinere à vino, intelligitur etiam debere abstinere ab omni alio inebriatiuo, quod loco vini sumitur. aduerte secundò, quod vt vinum dicatur causare defectum rationis, de quo loquitur conclusio, debet esse potatum, ad differentiam defectus rationis causati ex vino odorato, experientia siquidem compertum est, aliquos perdere vsum rationis ex solo odore vini, talis tamen defectus rationis non est ebrietas, sicut nec defectus rationis ex somno, vel ex quacunque alia causa à vino potato proueniens. obserua tertiò, quod vinum inebrians dicitur multum respectu scilicet bibentis, licet absolutè vinum, quod bibitur, possit esse parum; dicitur autem multum vel ratione quantitatis molis, uel etiam ratione quãtitatis virtutis, vt cum vinum, quod bibitur, est efficax, & potens, licet sit parum in quantitate molis. iste autem defectus rationis ex multo vino potato causatus non est culpa, sed pæna consequens ex culpa non actuali semper, sed originali saltem. animaduerte quartò, quod ebrietas, de qua loquitur secunda conclusio, debet duas habere condiciones, vt non sit peccatum, quæ notantur in littera, quarum prima est, quod præter opinionẽ bibentis potus sit inebriatiuus. secunda est, quod nulla in hoc bibentis negligẽtia contingat, quia si quis credit, aut dubitat se inebriari, non excusatur; & similiter si non vtitur diligentia in aduertendo, quantum bibit, & cuius virtutis, seu efficaciæ sit vinum, & qualiter ipse bibens est dispositus, puta an sit calefactus, non excusatur.

Quæritur, an ebrietas sit peccatum mortale.

2 Respondeo dicẽdum, quòd culpa ebrietatis, sicut dictum est, consistit in inordinato vsu, & concupiscentia vini, hoc autem contingit esse tripliciter, vno modo sic, qđ nesciat potum esse immoderatum, & inebriare potentem, & sic ebrietas potest esse sine peccato, vt dictum est: alio modo sic, quòd aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen æstimet potum inebriare potentem: & sic ebrietas potest esse cum peccato veniali: tertiò modo potest

esse

esse quòd aliquis benè aduertat potum esse immoderatum, & inebriantem, & tamē magis vult ebrietatem incurrere, quàm à potu abstinere, & talis propriè dicitur ebrius, quia moralia recipiunt speciem non ab his, quæ per accidens eueniunt præter intentionem, sed ab eo, quod est per se intentum, & sic ebrietas est peccatum mortale, quia secundùm hoc homo volens, & sciens priuat se vsu rationis, quo secūdùm virtutem operatur, & peccata declinat, & sic peccat mortaliter periculo peccandi se committens, dicit enim Ambrosius in libro de Patriarchis, vitandam dicimus ebrietatem, per quam vitia cauere non possumus, nam quæ sobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus; vnde ebrietas per se loquendo est peccatū mortale. 2.2.q.150.a.2. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si quis vtatur inordinatè vino nesciens potum esse immoderatum, & inebriare potentem, sic ebrietas potest esse sine peccato. hæc relinquitur probata ex prædictis in primo quæsito. secunda conclusio. si aliquis vtatur inordinatè vino, & percipiat potum esse immoderatum, non tamen æstimat potum inebrierare potentē, sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. hæc patet ex terminis, quia hic concurrit immoderatus vsus vini scienter, licet vtens eo non æstimet inde causandam fore ebrietatem, & consequenter non omninò velit eam. tertia conclusio. si aliquis benè aduertat, potum esse immoderatum, & inebriantem, & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quam à potu abstinere, & talis dicitur propriè ebrius, quia moralia recipiunt speciem ab eo, quod est per se intentum, talis ebrietas est peccatū mortale. probatur primò, quia secundum hoc homo volens, & sciens priuat se vsu rationis, quo secūdum Virtutem operatur, & peccata declinat. secundò quia periculo peccādi se exponit. quod probat auctoritate Ambrosij lib. 1. de Patriarchis cap. 6.

Primam conclusionem probat exemplum Patriarchæ Noe, qui à peccato omninò excusatur, licet inebriat⁹ fuerit, quia nesciebat virturē vini, nec eo vnquam vsus fuerat. Circa tertiam conclusionem obserua diffinitionē ebrij, quod ebrius propriè dicitur ille, qui benè aduertit potū esse immoderatum, & inebriantem, & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quam à potu abstinere, vnde & ebrietas propriè dicitur ebrietas intenta, & talis ebrietas est peccatum mortale, & talis ebrius peccat mortaliter, quia volens, & sciens priuat se vsu rationis, quo secundum Virtutem operatur, & peccata declinat, vt ergo sit ebrietas peccatum mortale, requiritur primò, quod sit voluntaria, & intenta, & præcognita ob delectationē in potu immoderato vini, vel eius, quod inebriare potest, si enim non sit intenta, vel præcognita, mortalis culpa non est. rursus si sit intenta, & præcognita, non tamē fiat ob delectationem in potu immoderato vini, sed ratione medicinæ, non est mortale peccatum, vt ait Armilla verb. ebrietas. n. 1. immò talis ebrietas excusat etiā à peccatis ex tali ebrietate prouenientibus, vt eadem Armilla ibidem dicit, nisi sint præuisa, & non prouisa, quia talis sciens suā conditionem debet prouidere, ne possit talia cōmittere, quando erit ebrius. addo, quod inebrians ob sanitatem consequendam, & Medicus hoc consulens cum debitis remedijs non peccat mortaliter, vt ex Caietano asserit Armilla verb. ebrietas. num. 5. quod intellige verum, quando sanitas aliter procurari non possit, licet alij contrarium opinentur. vlterius si ebrietas intenta, quæ incurritur ob delectationem in potu vini, debeat esse peccatum mortale, debet esse plena, idest quod per eam quis perdat vsum rationis, quia si non sit ebrietas plena, vt cum quis potu vini redditur nimis lætus, & benè confortatus, aut turbatur in phantasia, dum ei videtur, quod domus giretur, aut aliquid huiusmodi incurrit, non tamen perdit vsum rationis, non erit peccatum mortale, vt ait Caietanus in summula verb. ebrietas, Armilla eodem verb. num. 2. ratio id suadet, quia talis ebrietas non attingit ad completam ebrietatis rationem, nec notabile damnum rationis eligitur; est tamen graue peccatū, citra tamen mortale, propè tamen mortale inquit Caietanus, licet Siluester verb. ebrietas. q. 2. asserat, quod si scienter, & spontè fiat sine causa tractus dulcedine vini, non videtur, aut vix videtur excusari à mortali, quia notabiliter lædit vsum rationis sine causa, & cum periculo peccandi, sed si hoc fiat ex causa, puta ratione sanitatis, erit veniale, vel nullum, & similiter si non aduertit, est veniale, etiam si frequenter contingat; sed ego standum cum Caietano assero, & ad rationem Siluestri dicitur, quod per talem ebrietatem non plenam non læditur notabiliter vsus rationis, vt asseruimus cum Caietano, & cū non perdatur vsus rationis per eam, periculum peccandi ex ea euaditur. non erit ergo talis non plena ebrietas peccatum mortale, quia ad plenā ebrietatis rationem nō attingit; sola ergo ebrietas plena, intenta, & volita dicetur peccatum mortale. obseruandum tamen est ex Siluestro verb. ebrietas. qu. 1. quod etiam ebrietas plena, sed non intenta, nec volita potest aliquando esse peccatum mortale, & aliquando veniale, nam talis ebrietas aut rarò accidit, aut frequenter, & assiduè, si euenit rarò, sic est nullum, aut veniale peccatum secundum negligentiam, qua quis vtitur ad cauendum; si assiduè contingat, tunc est mortale peccatum, non ratione assiduitatis, vel iterationis actus, multiplicatio enim actuum venialium non facit mortale, sed quia non potest quis assiduè, & frequenter inebriari, nisi sciens, & volens, vel notabiliter negligens in sciēdo, & cauendo. verū hæc magis explicabuntur in 4. q̄sito.

Circa rationem conclusionis, qua dicitur, ebrietatem intentam ideò peccatum esse læthale, quia volens, & sciens priuat se homo vsu rationis, quasi quod priuare se vsu rationis sit peccatum mortale, nota, quod S. Thomas loquitur de priuatione vsus rationis sine causa rationabili facta, puta ex sola inordinata concupiscentia vini, taliter enim se priuare vsu rationis profectò est peccatum mortale, si autem sequatur talis vsus rationis priuatio ex causa, vt contingit in somno, tunc nullum erit peccatum, licet sciens, & volens dormire priuet se vsu rationis, vt rectè asserit Siluester verb. ebrietas. q. 1. sensus ergo verborum D. Thomæ verus est, quem assignat Caietanus hoc in loco, quod non priuatio vsus rationis absolutè, nec delectatio in potu vini absolutè, culpam constituit, sed delectatio in potu vini inebriantis in sciente, & volente illam, constituit rationem culpæ mortalis. hæc si benè pôderentur, obiectio Martini apud Caietanum de eo, qui sciens, & volens dormire vult se priuare vsu rationis, & tamen non peccat, cessabit. cuius etiam argumenta plura contra prædictã D. Thomæ doctrinam soluuntur hoc in loco à Caietano. posset tamen aliquis interrogare, quæ maior ratio sit, vt priuatio vsus rationis proueniens ex ebrietate, quæ nascitur ex delectatione in potu vini, sit peccatum mortale, & tamẽ priuatio vsus rationis proueniens ex somno ob delectationem voluntariè suscepto non sit peccatum. respondebitur, qđ ideò priuatio vsus rationis per somnũ nõ est peccatũ, qa est priuatio naturalis, priuatio autẽ per ebrietatem est priuatio violẽta. rursus in vsu rationis tria considerantur, primò vsus ipse actualis, secundò rationis solutio, vt possit quis ea vti, si vult, tertiò expeditio ad solutionẽ rationis. in somno duo prima tolluntur, in ebrietate autem tollitur & tertium, quia ebrietas non solum vinculum rationis imponit, sed etiam necessitatem permanendi in tali vinculo, hinc est, quod dormiens aliquo forti sono facto excitatur, & potitur soluta ratione; ebrius autem, quamuis vigilet, necessitatem violentam vinculi rationis patitur. rursus dormiens potest disponere, vt per hominẽ, aut horologiũ &c. tali hora excitetur, ebrius autem, si ordinauerit, nil prodest, quia tali hora violentæ necessitati vinculi rationis subiacebit.

Quæritur, quomodo plus sumere in potu, quàm necesse sit, sit peccatum mortale.

3 Respondeo dicendum, quòd plus sumere in cibo, & potu, quam necesse sit, pertinet ad vitium gulæ, quæ non semper est peccatum mortale; sed plus sumere in potu scienter vsque ad ebrietatem, hoc est peccatum mortale; vnde Augustinus dicit in 10. Confessionum, ebrietas longè est à me, misereberis, ne appropinquet mihi, crapula autem nõ nunquam surrepsit seruo tuo. 2.2.q.150.a.2. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. plus sumere in cibo, & potu, quam necesse sit, pertinet ad vitiũ gulę, quæ non semper est peccatum mortale. hæc relinquitur vt nota. secunda conclusio. plus sumere in potu scienter vsq; ad ebrietatẽ est peccatum mortale. probatur ex D. Augustino lib. 10. confess. ca. 31.

Hæc D. Thomæ doctrina, quæ est responsio ad auctoritatem quamdam D. Augustini inquientis in sermone quarto in die animarum, quoties aliquis in cibo, aut potu plus accipit, quã necesse est, ad minuta peccata nouerit pertinere, impugnatur à Martino tanquã nõ euacuãs uim auctoritatis D. Augustini, sed egregiè defenditur à Caietano hoc in loco.

Quæritur, quomodo assiduitas faciat ebrietatem esse peccatum mortale.

4 Respondeo dicendum, quòd assiduitas facit ebrietatem esse peccatum mortale non propter solam iterationem actus, sed quia non potest esse, quod homo assiduè inebrietur, quin sciens, & volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem viri, & suam habilitatem ad ebrietatem. 2.2.q.150.a.2. ad 1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. assiduitas facit ebrietatem esse peccatum mortale non propter solam iterationẽ actus, sed quia non potest esse, quod homo assiduè inebrietur, quin sciens, & volens ebrietatẽ incurrat. probatur, quia multoties experitur fortitudinem vini, & suam habilitatem ad ebrietatem.

Hæc doctrina D. Thomæ est responsio ad auctoritatem D. Augustini serm. 4. in die animarum de igne purgatorio inquientis, ebrietatem esse peccatum mortale, si sit assidua. responsio in forma est, quod ebrietas est peccatum mortale non ratione solius assiduitatis, sed ratione scientiæ consequentis assiduitatem, de quo in littera. hanc responsionem impugnat Martinus, sed eam defendit Caietanus hoc in loco egregiè; tantum ego obseruo circa hanc doctrinam de assiduitate ex Ludouico Lopez tom. 1. instruct. conscientiæ ca. 20. quod ebrietas, quam quis ter incurrit ex certa vini quantitate facit, vt iste amplius non excusetur, si occasionem bibendi in ea quantitate nõ deuitet; immò & qui semel expertus est ob certam vini potationem induci ebrietatem, non videtur excusatus à secunda ebrietate, vt in specie ex D. Augustino notat Locatus verb. blasphemia, vbi non excusat Loth à secunda ebrietate, eo quia cum semel ex ebrietate consequentiam ad luxuriam expertus fuisset, postea nõ abstinuit à secunda vini potatione, & ideò non excusatur, quod postea ebrius cum secunda filia concubuisset. hinc deducunt aliqui, & benè, quod tabernarius sciens aliquem ebrium fieri in sua taberna ob talem, & talem vini potationem, & nihilominus

minus ei ministrat vinum, quantum ille voluerit, peccat mortaliter tanquam cooperans eius peccato mortali, vt elicimus ex D. Antonino. 2. p. tit. 6. cap. 3. §. 2. quem sequitur Armilla verb. ebrietas. nu. 4. Siluester eodē verb. q. 2. qui etiam addit, quod procurans ebrietatē alterius peccat mortaliter, si sciens, & volens operatur, siue sequatur ebrietas, siue non; & siue in alio sequatur cum mortali, siue cum veniali.

Ex hoc loco tanquā ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus. c. 61. n. 2.

Quæritur, an inuitans aliquem ad bibendum peccet, si bibens inebrietur.

5 Respondeo dicendum, quòd sicut ille, qui inebriatur, excusatur à peccato, si ignorat fortitudinem vini; ita etiam ille, qui inuitat aliquem ad bibendum, excusatur à peccato, si ignoret talem esse conditionem bibētis, vt ex hoc potu inebrietur, sed si ignorantia desit, neuter à peccato excusatur. 2. 2. q. 150. a. 1. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ille, qui inuitat aliquem ad bibendum, excusatur à peccato, si ignorat talem esse conditionem bibentis, vt ex hoc potu inebrietur. probatur à simili, quia etiam ille, qui inebriatur, excusatur à peccato, si ignoret fortitudinem vini. hinc elicitur corrolarium, si ignorantia desit, neuter à peccato excusatur.

Ex hac doctrina elicit magister Seraphinus à Porrecta documentum dandum his, qui alios inuitant ad bibendū, quod vulgò dicitur, far Brindes; aduertant, inquam, isti, ne præcipites ruant in læthale peccatum, quos inuitent, quando inuitent, & qua intentione inuitent.

Quæritur, an ebrietas sit grauissimum peccatum.

6 Respondeo dicendum, quòd quia ex hoc dicitur aliquid esse malum, quod priuat bonum; vnde quantò maius est bonum, quod priuatur per malum tantò malum grauius est: manifestum est autē, quod bonum Diuinum est maius, quàm bonum humanum: & ideò peccata, quæ sunt directè contra Deum sunt grauiora peccato ebrietatis, quod directè opponitur bono rationis humanæ. 2. 2. quæst. 150. artic. 3. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cōclusione, quæ est. peccata, quæ sunt directè contra Deū, sunt grauiora peccato ebrietatis, quod opponitur directè bono rationis humanæ. probatur, quia quantò maius est bonum, quod priuatur per malum, tantò malum grauius est, sed bonum Diuinum est maius, quam bonum humanum, ergo &c.

Propero ad alia, cum in hoc loco nihil occurrat scribendum.

Quæritur, quomodo peccata intemperantiæ dicantur amica Diabolo.

7 Respondeo dicendum, quòd ad peccata intemperātiæ maximè homo habet prouitatem, propter hoc, quod huiusmodi concupiscentiæ, & delectationes connaturales nobis sunt, & secundùm hoc dicuntur huiusmodi peccata esse maximè amica Diabolo, non quia sint alijs grauiora, sed quia sunt apud homines frequētiora. 2. 2. q. 150. a. 3. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. peccata intemperantiæ sunt maximè amicæ Diabolo, non quia sint alijs grauiora, sed quia sunt apud homines frequētiora. probatur, quia ad peccata intemperantiæ maximè homo habet pronitatē, propter hoc quod huiusmodi concupiscentiæ, & delectationes connaturales nobis sunt.

D. Chrisostomus hom. 1. ad populum Antiochenum aiebat, nihil esse ita demoniacum, sicut ebrietas, & lasciuia, quæ est mater omnium vitiorum. quod dictum verum esse ratione frequētiæ, non autem ratione grauitatis peccati, docet D. Thomas hoc in loco, in quo etiam sensu verificatur, quod ebrietas sit radix, & nutrix omniū vitiorum, vt dicitur in Decreto dist. 35. ca. ante omnia. hāc etiam doctrinā impugnat Martinus, sed eam tuetur Caietanus hoc in loco.

Quæritur, quomodo ebrietas tollat bonum rationis.

8 Respondeo dicendum, quòd bonum rationis impeditur dupliciter, vno modo per id, quod est contrarium rationi, alio modo per id, quod aufert vsum rationis, plus autem habet de ratione mali id, quod cōtrariatur rationi, quàm quòd ad horam vsum rationis auffert, vsus enim rationis potest esse, & bonus, & malus, qui tollitur per ebrietatem, sed bona virtutum, quæ tolluntur per ea, quæ contrariantur rationi, sunt semper bona. 2. 2. q. 150. a. 3. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ex hoc quod ebrietas bonum rationis excludit, non sequitur, quod ebrietas sit grauissimum peccatorum. probatur, quia bonum rationis impeditur dupliciter, vno modo per id, quod est contrarium rationi, alio modo per id, quod auffert vsum rationis, sed plus habet de ratione mali id, quod contrariatur rationi, quam quod ad horam vsum rationis auffert, sed hoc secundum facit ebrietas, ergo &c. probatur minor, quia vsus rationis, qui tollitur per ebrietatem, potest esse & bonus, & malus, sed bona Virtutum,

tum, quæ tolluntur per ea, quæ contrariantur rationi, sunt semper bona.

Ex hac littera habemus, quod excludere bonũ rationis stat dupliciter, scilicet contrariè, & priuatiuè. excludere contrariè bonum rationis est illud tollere per ea, quæ contrariantur rationi. excludere autem bonum rationis priuatiuè est illud tollere per id, quod vsum rationis auffert. quam distinctionem sub alijs verbis ponit Caietanus hoc in loco, quod duobus modis, seu quoad duo tollitur bonum rationis, scilicet quo ad bonum moris, quod est bonum Virtutis, & quo ad bonum naturæ, quod est actus rationis. excludere autem priuatiuè bonum rationis, & tollere bonum naturæ, idest vsum rationis, minus peccatum est, quam excludere contrariè, & tollere bonum moris, quod est bonum Virtutis ratione adducta in littera, contra quam proponit, & soluit dubium Caietanus, quem tu in fonte legas.

Quæritur, quodnam sit vitium ebrietati oppositum.

9 Respondeo dicendum, quòd vitium, quod opponitur ebrietati, innominatum est; & tamen si quis scienter in tantum à vino abstineret, vt naturam multam grauaret, à culpa immunis non esset. 2. 2. qu. 150. a. 1. ad 1.

Vitium, quod opponitur ebrietati, esse innominatum, docet hoc in loco D. Thomas, qui et subiungit, quod si quis scienter in tantum à vino abstineret, vt naturam multum grauaret, à culpa immunis non esset.

Ad explicationem huius litteræ nota ex Arist. 3. eth. cap. 11. quod insensibilitas, quæ opponitur temperantiæ, non multùm contingit, & ideò tàm ipsa, quàm omnes eius species, quæ opponuntur diuersis speciebus temperantiæ, nomine carent, & per hoc etiam vitium oppositum ebrietati innominatum est, licet detur tale vitium verè, quod tali posset nominari vocabulo, nempe Abstinentia indiscreta à vino, vt elicimus ex hac littera, sicut erat abstinentia Aquariorum, qui, vt refert magister Seraphinus à Porrecta. 2. 2. q. 149. art. 4 in appendice sua, ita sobrietatem indiscretè dilexerunt, vt eius conseruandæ causa vinum euitandum dicerent etiam pro Calicis consecratione.

Quæritur, qua ratione ex ebrietate oriantur omnia peccata.

10 Respondeo dicendum, quòd ex ebrietate sequuntur omnia peccata non secundùm originem causæ finalis, sed secundum prohibentis remotionem, inquantùm scilicet remouet iudicium rationis, per quòd homo à peccato cohibetur: vnde non sequitur, quod Gula, vel ebrietas sit caput omnium vitiorum, sicut superbia, sed quorumdam specialiter, quæ directè ex gula oriuntur, sicut proprij eius effectus. q. 14. de malo. a. 4. ad 2.

D. Thomas respondet huic quæsito vnica conclusione, quæ est. ex ebrietate sequuntur omnia peccata non secundum originem causæ finalis, sed secundum prohibentis remotionem. probatur, quia remouet iuditium rationis, per quod homo à peccato cohibetur. hinc elicitur corrolarium, quod gula, vel ebrietas non est caput omnium vitiorum, sicut superbia, sed quorumdam specialiter, quæ directè ex gula oriuntur, sicut proprij eius effectus.

Pro explicatione huius litteræ obserua, quod tunc alia peccata dicuntur sequi secundum originem causæ finalis ab aliquo vitio, inquantum obiectũ illius vitij est multum appetibile à pluribus, & præcipuè inquantum habet aliquam similitudinem cum fœlicitate, quam omnes naturaliter appetunt, & secundum hanc rationem nõ omnia peccata sequuntur ex ebrietate, sed ex illa, orientur omnia peccata, quia ebrietas remouet iuditium rationis, quo homo à peccato omni cohibetur. & in hoc sensu intelligitur, quod legitur in decret. dist. 35. vbi dicitur, ante omnia Clericis vetetur ebrietas, quæ omnium vitiorũ radix & nutrix est. secundum tamen originem causæ finalis gula, vel ebrietas est caput quorundam peccatorm specialiter, quæ directè ex gula oriuntur, sicut proprij eius effectus, & dicuntur filiæ gulæ, vt inepta lætitia, scurrilitas, multiloquium, immunditia, & sensus hebetudo circa intelligentiam. verum hæc explicabuntur infra verb. Gula. q. 12.

Quæritur, an liceat multum comedere, & bibere ad prouocandum vomitum de consilio Medici, & vtrum excusetur ab ebrietate, si inde sequatur.

11 Respondeo dicendum, quòd cibus, & potus est moderandus, secundùm quòd cõpetit corporis valetudini; & ideò sicut quandoque contingit, vt cibus, vel potus, qui est moderatus sano, sit superfluus infirmo, ita etiam potest è conuerso contingere, vt ille, qui est superfluus sano, sit moderatus infirmo, & hoc modo cum aliquis multum comedit, vel bibit secundùm consilium medicinæ ad vomitum prouocandum, non est reputandus superfluus cibus, vel potus: nec tamen ad vomitum prouocandum requiritur, quòd sit potus inebrians, quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat: & ideò propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate. 2. 2. q. 150. a. 2. ad 3.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. cum aliquis multum comedit, vel bibit secundum consilium medi-

medicinę ad vomitum prouocandum, nō est reputandus superfluus cibus, vel potus, & consequenter est licitus. probatur, quia cibus, & potus est moderandus, secundum quod competit corporis valetudini, ergo sicut quandoque contingit, vt cibus, vel potus, qui est moderatus sano, sit superfluus infirmo, ita etiam potest è conuerso contingere, vt ille, qui est superfluus sano, sit moderatus infirmo, & consequenter erit licitus. secunda conclusio cum tamen ad vomitum prouocandum requiritur, quod sit potus inebrians: probatur, quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat. hinc elicit corrolarium, quod propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate.

Licet putem rarò, vel ferè nunquam contingere, vt ebrietas sit necessaria ad sanitatem consequendam, attamen detur casus, quod ebrietas sit medium necessarium ad sanitatem, quæritur, an liceat tunc in suam, vel alterius ebrietatem consentire gratia sanitatis. in quo quæsito cerno Doctores dissentire, nam Angelus verb. ebrietas, ait, non licere, sed esse peccatum mortale. Siluester autem eodem verb. q. 3. Caietanus in summula eodē verb. & 2.2.q.150.a.2. in resp. ad 2. Armilla eodē verb. n. 4. & 5. quos sequitur Naldus eodem verb. num. 2. Toletus de 7. peccatis mortalibus cap. 61. num. 4. docent oppositum, nempe licere, si tamen sanitas, vt habemus ex Siluestro loco citato acquiri non possit per alias medicinas, quam per ebrietatem, nec ex ea sequatur damnum aliquod, aut malum, puta blasphemia, aut homicidium, & huiusmodi, si enim aliter posset acquiri sanitas, quam per ebrietatem, vt contingit in vomitu, qui aliter procurari potest, tunc ebrietas gratia sanitatis non esset licita, sicut nec esset licita, si ex ea timeretur aliquod malum, sed quando nullum ex his duobus accidit, ebrietas ob sanitatem licita est, quia, vt benè ait Siluester loco citato, à quo desumpsit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 61. nu. 4. priuare se vsu rationis ad tempus, vt postea melius, & diuturnius contempletur, non est malum, vt patet in somno, per quem vsus rationis tollitur, & tamen somnus licitus, & necessarius est, vt post somnum quis feruentior in suis actionibus resurgat, vt testantur historiæ Sanctorum, qui aliquātulo degustato somno auidius repetebant studia, orationes, contemplationes. hinc consilium datur, vt prius alia adhibeantur remedia ad sanitatem consequendam existimata opportuna, quæ quando non proficiant, & ebrietas necessaria sit, ea vti non erit illicitum, quia, vt benè aduertit Caietanus. 2.2.q.150.a.2. si medicinæ ars disponeret ebrietatem esse necessariam ad curā alicuius infirmitatis, ebrietas in illo casu non esset ebrietas formaliter, quæ est peccatum, sed tantum materialiter, quia non esset ex delectatione in potu vini, & vt dicitur in littera, talis potus esset moderatus infirmo, qui non est moderatus sano.

Ad explicationem secundæ conclusionis, & corrolarij nota, quod D. Thomas loquitur de vomitu formaliter, & vt sic, non autem de tali vomitu, nec de vomitu personæ talis, & vult docere, quod quia non est necessaria ebrietas ad prouocandum vomitum vt sic, cum aliter possit procurari, vt per aquam tepidam, ideò non excusaretur ab ebrietate, si quis propterea inebriaretur, quia inferret sibi ipsi malum sine necessitate; secus autem est de tali vomitu, ac de vomitu in tali persona, si necessaria est ebrietas ad talē vomitum, aut talem personam.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 3. Valentia. 2.2. de vit. temp. oppos. p. 2. Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus c. 61. nu. 4. Azorius lib. 7. c. 33. q. 11.

Quæritur, an ebrius teneatur non peccare.

12 Respondeo dicendum, quòd ebrius tenetur non peccare, non quidem considerato præsenti statu, sed considerata ebrietatis voluntaria causa, secundùm quam imputatur ei aliquid ad culpam. quæst. 16. de malo. art. 5. ad 11. (p. 2. quæst. 77. a. 7. in corp.

Quod ebrius teneatur non peccare, non quidē considerato præsenti statu, sed cōsiderata ebrietatis voluntaria causa, secundum quam imputatur ei aliquid ad culpam, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Rectè ait D. Thomas, ebrium teneri ad non peccandū, non considerato præsenti statu, quia in statu ebrietatis vsu non gaudet rationis, sed considerata ebrietatis voluntaria causa &c. quæ fuit delectatio in potu vini, quia tenebatur ab ea abstinere, & quia non abstinuit de facto, ideò imputatur ei ad culpam, si aliquid mali in ebrietate sequatur, sicut dicitur, quod Diabolus tenetur conuerti ad Deum, quamuis hoc ei sit impossibile secundum præsentem statum, quia eius liberum arbitrium est inflexibile, sed quia in hunc statum ex voluntaria causa deuenit, quam tenebatur euitare.

Quæritur, an ebrietas excuset à peccato.

13 Respondeo dicendum, quòd in ebrietate duo attenduntur, sicut dictum est, scilicet defectus consequens, & actus præcedens; ex parte autem defectus consequētis, in quo ligatur vsus rationis, ebrietas habet excusare à peccato, inquantùm causat inuoluntarium per ignorantiam; sed ex parte actus præcedentis videtur esse distinguendum, quia si ex actu illo præcedente subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur à culpa, sicut fortè accidit de Loth. si autem actus præcedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur à peccato

cato sequenti, quòd scilicet redditur voluntarium ex volũtate præcedentis actus, inquantùm scilicet aliquis dans operam rei illicitę incidit in sequens peccatum: diminuitur tamen peccatum sequens, sicut, & diminuitur ratio voluntarij, vnde Augustinus dicit contra Faustum, quòd Loth culpandus est, non quantùm ille incęstus, sed quantùm ebrietas meruit. 2. 2. q. 150. a.4. in corp. (p.2.q.76.a.4. ad 2.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito iacto prius fundamento tali, quod in ebrietate duo attenduntur, scilicet defectus consequens, & actus præcedens. prima conclusio. ebrietas ex parte defectus consequentis habet excusare à peccato, inquantum causat inuoluntarium per ignorantiam. probatur, quia in tali defectu cõsequente ebrietatem ligatur vsus rationis. secunda conclusio. si ex actu præcedente subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur à culpa. probatur exemplo de Loth. tertia conclusio. si actus præcedens ebrietatem fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur à peccato sequẽte, diminuitur tamen peccatum sequens, sicut, & diminuitur ratio voluntarij. probatur prima pars, quia peccatum sequens redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus, inquantũ scilicet aliquis dans operam rei illicitæ incidit in sequens peccatum. secunda pars probatur ex D. Augustino, vt in littera.

Vt explicetur hæc doctrina, obserua, quod ebrietas vel fuit culpabilis, vel non fuit culpabilis; si non fuit culpabilis, vt puta quis ebrius factus est nesciens efficaciam, & virtutem vini, nec vnquam expertus est ebrietatẽ, tunc ebrius nullam incurrit culpam per quoscunq; actus malos in ebrietate perpetratos, puta per homicidium, vel fornicationem, si contingat ipsum fornicari, vel alium occidere; si autem ebrietas fuit culpabilis, tunc ebrius ex sua culpa dupliciter se habet ad sequens ex ebrietate peccatum, scilicet vel præuidendo, vel non præuidendo illud, tunc dicitur autem peccatum præuisum, quando non solum præuidetur in specie, aut in genere, sed etiã quando præuidetur in communi, vt puta reputatur præuisum peccatum ab ebrio, quando quis nouit se ebriũ proximo detrahere, quod est præuidere peccatum in specie; & quando nouit se ebrium vitio linguæ irretiri, quod est præuidere peccatum in genere; & quando nouit se ebrium in aliquo peccare, quod est præuidere peccatum in communi. è contrariò tunc reputatur nõ pręuisum, quando nullo supradictorum modorum præuisum est. quando ergo peccatum sequens ebrietatem culpabilem est præuisum aliquo modo, tale peccatum non excusatur, quia ex hoc quod est præuisum, est voluntarium; excusatur tamen tale peccatum à tanto, idest non tantum peccat, quantum peccaret, si sobrius illud committeret, quia aliquo modo fuit inuoluntarium peccatum illud, quia ex ebrietate causatum fuit, & in hoc casu interuenit duplex peccatum, nempe ebrietatis, & peccatum sequens ex ebrietate, & sic talis ebrietas culpabilis excusare dicitur à tanto, & si non à toto, & ratio horum est, vt benè discurrit Caietanus hoc in loco, quia licet dum actu committit peccatum quis, vsu rationis, sine quo quis non peccat, orbatus existat per ebrietatem, attamen, quia dum pollebat vsu rationis, præuidit, quod si ebrius fiat, in peccatum ruet, & culpabiliter fit ebrius, iam nunc pro tunc, quãdo scilicet vsu rationis orbatus erit, peccatum vult patrare, & sic est voluntarium. si autem aliquis quærat, quando committatur istud peccatum, quod ebrio imputatur ad culpam, si enim dicamus, quod tunc committitur, dum actu exercetur, hoc non videtur verum, quia, dum ebrius est, vsu rationis, sine quo nullum est peccatum, priuatus est; si damus illud committere, antequã illud exerceat, hoc videtur implicantia in adiecto. respõdebitur ex Caietano hoc in loco, quod in peccato, puta fornicationis duplex actus concurrit, scilicet actus internus, quo vult fornicari, & peccare, & actus externus, quo scilicet exercet fornicationem, & peccatum. ebrius peccat quo ad actum internũ, quando inebriatur, quia tunc, dum vult ebrietatem, vult etiam peccatum sequens ad illam; quo ad actum autem exteriorem illud vult, dum actu exercet illud. si postea nullo modo peccatum sit præuisum ab ebrio culpabili, vt puta quia ebrius assuetus est dormire in pace, nec solitus est aliquid mali in sua ebrietate agere, tunc si ebrius aliquod peccatum committat, excusatur à toto; excusatur, inquam à toto respectu peccati sequentis ad ebrietatem, ita quod duo non sunt peccata, ebrietas, & ille actus sequens ad ebrietatem, sed ille actus est circonstãtia, Quid, idest effectus ebrietatis non intentus, nec præuisus, & nihil, aut parum aggrauat ebrietatem; nihil, inquam, per se, quia non est intentus, nec præuisus; parum, inquam, per accidens, quia iste culpabiliter se posuit in statu causandi istum effectum, vt sic aliquid de voluntario imputabili habeat, & quia sic Loth incæstum commisit, ideò ex D. Augustino culpandus est, non quantùm incæstus, sed quantùm illa ebrietas meruit, sed quid dicendum est de illo, qui nunquã expertus est ebrietatem, & voluntariè intendit se primò inebriare nihil cogitans de futuris malis, & peccatis, an talia peccata sequentia sint imputanda ei ad culpam, an non. respondeo dicendum ex Caietano hoc in loco, quod talia peccata sequentia ad ebrietatem voluntariè susceptã imputantur ei ad culpam, si sint actus, qui soleãt ab ebrijs committi, quamuis non omnes ebrij committant illos, quia tales actus collocandi sunt sub genere præuisorum, debuerũt enim præuideri ab illo, qui se inebriauit, ex quo multorũ ebriorum actiones contingit esse tales; si autem peccata magis in passione, quam in actione consistant, vt quæ non ab ipsis ebrijs, sed ab alijs captantibus tempus ebrietatis emergunt, ista videntur computanda sub non præuisis, hæc enim

sub-

subterfugiunt humanam diligentiam communiter; ficut fuit incęstus Loth. si vlterius aliquis quærat, an qui in ebrietate occidit aliquem, sit irregularis. respōdebitur ex Siluestro verb. ebrietas. q. 4. quod si ebrietas fuit culpabilis, etiam leuiter, erit irregularis, quia dabat operam rei illicitæ, sicut est irregularis, qui iacit sagittam incautè dans operam rei illicitæ, & occidit aliquem, & talis ebrius occidens tenetur de damno, vt notat Petrus Nauarrus lib. 2. c. 1. n. 62.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Azorius to. 1. lib. 7. cap. 33. q. 7. & 8. & alij.

Quæritur, an ebrietas excuset à peccato, sicut & concupiscentia.

14 Respondeo dicendum, quòd concupiscentia non totaliter ligat rationem, sicut ebrietas, nisi fortè sit tanta, quòd faciat hominem insanire: & tamen passio concupiscentiæ diminuit peccatum, quia leuius est ex infirmitate, quàm ex malitia peccare. 2. 2. q. 150. a. 4. ad 3.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarū prima est. ebrietas excusat à peccato, concupiscentia autem non excusat. probatur, quia concupiscentia non totaliter ligat rationem, sicut ebrietas, nisi fortè sit tanta; quod faciat hominem insanire. secunda conclusio. Passio concupiscentiæ diminuit peccatum. probatur, quia leuius est ex infirmitate, quam ex malitia peccare.

Hoc in loco D. Thomas comparat ebrietatem concupiscentiæ quo ad ligationem rationis, & similitudo in hoc consistit, quod tam ebrietas, quam concupiscentia ligant rationem, non tamen consistit similitudo quantum ad quantitatē ligationis, quia verè non æqualiter ligant, ebrietas enim totaliter ligat rationem, concupiscentia autem non totaliter ligat rationem; attamen si detur casus, quod etiam concupiscentia liget totaliter rationem, sicut si faciat hominem insanire, tunc erit eodem ratio de vtroque, vt ex textu elicitur.

Quæritur, an ebrius possit baptizare.

15 Respondeo dicendum, quòd quamuis actu ebrius intentionem baptizandi habere non possit; tamen ebriosus potest esse non actu ebrius, & intentionem baptizandi habens baptizare. 4. sent. d. 6. q. 1. a. 2. quæstiunc. 1. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. quamuis actu ebrius intentionem baptizandi habere non possit, tamen ebriosus potest esse non actu ebrius, & intētionem baptizandi habens baptizare.

Ad explicationem huius doctrinæ nota, quod in hoc distinguitur ebrius ab ebrioso, qđ ebrius est ille, qui nimio potu alienatus est mente, & consequenter iste non potest habere intētionem baptizandi, ebriosus autem est ille, qui sæpè fit ebrius, iste potest esse non actu ebrius, & consequēter ebriosus potest habere intentionem baptizādi, & baptizare, sicut dicebat D. Augustinus citatus à D. Thoma in argumento, cuius doctrina hic allata est responsio, nempe ebriosus, & furiosus baptizare possunt.

Occasione huius doctrinæ videndum est, an gesta per ebrium facta sint valida, vt contractus Matrimonij, & alij. Siluester verb. ebrietas. q. 5. & Armilla eodem verb. num. 9. respondent non valere, si sit ebrius propriè, idest pænitus alienatus mente, vnde non valebit matrimonium ab ebrio contractum, sicut nec baptismus, nec qui cū ebrio ludunt, possunt retinere lucrum, sed illud restituere tenentur, quia ebrius tempore ebrietatis reputatur vt amens, & verè non habet vsum liberi arbitrij, cum ei vsus rationis sit totaliter ligatus; si autem non sit propriè ebrius, ita quod ligatus plenè non sit vsus rationis, sed tantum sit confortatus, vt cognoscere possit, quod facit, tūc gesta per ipsum erunt valida.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus. ca. 61. num. 7. & 8. & alij.

Quæritur, quot maledictiones mereatur ebrius.

16 Respondeo dicendum, quòd ebrius meretur duplices maledictiones propter duo peccata, quæ committit, scilicet ebrietatem, & aliud peccatum, quod ex ebrietate sequitur; tamē ebrietas ratione ignorantiæ adiunctæ diminuit sequens peccatum, & fortè plus, quàm sit grauitas ipsius ebrietatis. p. 2. q. 76. a. 4. ad 4. (2. 2. q. 150. art. 4. ad 1.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ebrius meretur duplices maledictiones. probatur, quia adsunt duo peccata, quæ committit, scilicet ebrietas, & aliud peccatum, quod ex ebrietate sequitur. secunda conclusio. ebrietas ratione ignorātiæ adiunctæ diminuit sequens peccatum, & fortè plus, quam sit grauitas ipsius ebrietatis.

Quod ebrius mereatur duas maledictiones; docet Arist. 3. eth. cap. 5. & hoc ratione duplicis peccati, nempe ebrietatis, & alterius peccati, quod ex ebrietate enascitur. vbi nota, quod nō ait Arist. quod ebrius mereatur grauiorem maledictionem, sed quod mereatur duplices maledictiones, quia duplici peccato duplex pæna debetur, mitior tamen, quia quandoque duo peccata sunt minus grauia, quam vnum tantum, si sint diuersæ speciei, vel generis, & consequenter mitiorem merētur pænam. verum hoc dictum Arist. etiam aliā habet declaratiuam, quæ ponitur in sequenti quæsito.

Quaritur, an ebrij percussores sint magis puniendi, quam sobrij.

17 Respondeo dicendum, quòd quidam Pithacus legislator statuit ebrios, si percusserint, amplius puniendos non ad veniam respiciens, quam ebrij debent magis habere, sed ad vtilitatem, quia pluries iniuriantur ebrij, quàm sobrij, vt patet per Phylosophorum in 2. politicorum. p. 2.q.76.a.4. ad 4.(2.2.q.150.a.4. ad 1.

Quod quidam Pitachus legislator statuerit ebrios, si percusserint, amplius puniendos, non ad veniam respiciens, quam ebrij debent magis habere, sed ad vtilitatem, quia pluries iniuriatur ebrij, quàm sobrij, vt habet Arist. 2. Politicorũ, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ista doctrina est declaratiua illius dicti Aristotelis in 2. eth. quod ebrius meretur duas maledictiones, & inquit S.Thomas quod Arist. hoc protulit secundum ordinationem cuiusdam Pitachi legislatoris, qui, vt dicitur in 2. Politicorũ, statuit, quod ebrij, si percuterent, plus punirentur, quam sobrij; quia pluries iniuriantur, inquo, vt ibidem Arist. ait, videtur magis respexisse ad vtilitatem, scilicet vt cohiberentur iniuriæ, quã ad veniam, quam oportet habere de ebrijs propter hoc quod non sunt sui compotes.

ECCLESIA.

1 *Ecclesia est congregatio fidelium.*
§ *Explicatur diffinitio Ecclesia.*
Quid nominis Ecclesia expenditur.
Nomen Ecclesia sumitur dupliciter, & quomodo.
Ecclesia spiritualis est duplex, & qua.
Ecclesia, vt est congregatio viatorum, est duplex, & qua.
Ecclesia Romana est virtualiter vniuersalis, & quare.
2 *Partes antiqui pertinent ad Ecclesiam.*
3 *Ecclesia habet eandem potestatem nunc, quam habuit tempore Apostolorum.*
§ *Papa potest dispensare super his, qua sunt de institutione Apostolorum.*
Ecclesia non potest errare in spectantibus ad fidem, vel mores, & quare.
In alijs potest errare, & quare.
Quilibet tenetur inhærere doctrina Ecclesia tanquam regula infallibili.
Nomine Ecclesia, cuius doctrina inharendum est, quatuor intelliguntur, & qua.
4 *Christus fundauit Ecclesiam, & eius ministerium reliquit Petro, & Pastoribus.*
§ *In Christo fuit potestas excellentia, quam non habent nunc Pontifices Maximi.*
5 *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire Verbum Dei vsque ad Missam Catecumenorum.*
§ *Vt aliquis locus dicatur, & sit Ecclesia trãsumptiuè, tria requiruntur, & qua.*
Qua dicatur Basilica.
Delictum commissum in Ecclesia non consecrata nõ censetur commissum in Ecclesia.
Ista Ecclesia non consecrata gaudet priuilegio, quo & cõsecrata, si fundata sit authoritate Episcopi.
6 *In necessitate aliquis potest vti Ecclesia ad manducandum &c.*
§ *Regulariter non possumus vti Ecclesia ad manducandum, & huiusmodi faciendum, & quare.*
7 *Licet vendere, & emere in necessitate terram, vbi fuit Ecclesia.*
§ *Licet vendere vasa sacra quo ad materiam in casu necessitatis Ecclesia, vel pauperum.*

Quaritur, quid sit Ecclesia.

1 Respondeo dicendum, quòd Ecclesia secundum statum viæ est congregatio fidelium, sed secundùm statum Patriæ est congregatio comprahẽdentium. 3.p.q.8.a.4.ad 2.

Quod Ecclesia secundum statum viæ sit congregatio fidelium, secundum autem statum Patriæ sit congregatio comprehendentium docet D.Thomas in hoc quæsito.

Hoc in loco diffinit S. Thomas Ecclesiam militantem, & Ecclesiam triunphantẽ dicens, quod Ecclesia secundum statum viæ, idest militans, quę scilicet est viatorum militantium, est congregatio fidelium. Ecclesia autem secundum statum Patriæ, idest triunphans in Patria cæli, & Beatorum, est congregatio comprehendentium, idest Sanctorum comprehendentium Deum, prout comprehensio est vna de tribus docibus animæ, quæ respondet spei, sicut visio fidei, & fruitio Charitati, & talis comprehensio est communiter sumpta, non autem iste terminus, comprehendentium, sumitur à comprehensione propriè, secundum quod aliquid includitur in comprehendente, quia Deus à nullo intellectu creato comprehendi hoc modo potest, quia, cum sit infinitus, nullo modo includi potest, vt aliquod finitũ eum infinitè capiat, sicut ipse infinitus est, vt D. Thomas.p.p. q.12.a.7.ad 1. egregiè, prout de more, discurrit.

Pro quorum maiori explicatione nota, quod nomen Ecclesię est gręcum, & dicitur ab Eccleis, quod est miserans, quia Ecclesia plena est misericordia, & redeuntibus per pænitentiam nunquam sinum claudit. C. de sum. Tri. in Epistola, inter claras. & de hære. super eo lib. 6. nomen autem, Ecclesia, sumitur, dupliciter, nempe propriè, & transumptiuè. propriè significat populum cõgregatum, seu conuocatum, adunatum ad Dei cultum, & dicitur Ecclesia spiritualis; transumptiuè autem significat locum, in quo populus ad percipienda sacramenta, & ea, quæ fidei sunt, conuocatur, & congregatur, & dicitur Ecclesia materialis. Ecclesia autem spiritualis est duplex; quædam est triunphãs, quæ scilicet iam Deo vnita est per gloriam, & iam est in termino, & est congregatio comprehensorum; & militans, quæ scilicet vnita est Deo per fidem, & adhuc est in via,

via, & dicitur congregatio viatorum fidelium; & ista adhuc est duplex, vna Catholica, idest generalis, quæ est populus per vniuersum Orbem dispersus, sed Deo vnitus per fidem, & Charitatem; spetialis altera; sicut Ecclesia Comensis, Mediolanensis &c. excepta tamen Ecclesia Romana, quia ista censetur Ecclesia vniuersalis virtualiter, quia est caput omnium Ecclesiarum virtualiter continens aućtoritatem totius Ecclesiæ.

Quæritur, an Patres antiqui pertinerent ad Ecclesiam.

2 Respondeo dicendum, quòd Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiæ, ad quod nos pertinemus. 3.p.quæst.8. art.3.ad 3.

Quod sancti Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiæ, ad quod nos pertinemus, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ad explicationem huius litteræ obserua, quod ideò Sancti Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiæ, ad quod nos pertinemus, quia, vt ait D. Thomas hoc in loco, seruando legalia sacramenta ferebantur in Christum per fidem, & dilectionem eandem, qua & nos in ipsum ferimur.

Quæritur, an Ecclesia habeat nunc eandem potestatem, quam habebat tempore Apostolorum.

3 Respondeo dicendum, quòd Ecclesia habet nunc eandem potestatem statuendi, & destruendi, quam tempore Apostolorum habuit. 4 sent.d.27.q.3.a.3.ad 2.

Quod Ecclesia habeat nunc eandem potestatẽ statuendi, & destruendi, quam tempore Apostolorum habuit, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ex hac doctrina elicimus eum, qui primatum in Ecclesia Dei tenet, nempe Summum Pontificẽ posse dispensare super his, quæ sunt de institutione Apostolorum, cum quibus Ecclesia nunc pari fungitur potestate, non autem super his, quæ sunt de iure naturali, & de essentia Sacramentorum. quia autem in littera dicitur, quod Ecclesia habet eandem potestatem statuendi, & destruendi, quam tempore Apostolorum habuit, videndum est, an Ecclesia possit errare in vsu talis potestatis. pro quo dico ex S. Thoma, Ecclesiam non posse errare in spectantibus ad fidem, vel mores, & in his semper verũ determinare, quia Christus per ea orauit, vt non defficiat fides eius, & Spiritus Sanctus docet eam omnem veritatem, nẽpe in necessarijs ad salutem, vt sunt fides, & mores, & sic intelligere debemus. 24. q. 1. à recta, in alijs autem errare posse asserimus, quia sequitur humanam opinionem, quæ falli potest, & in hoc sensu intelligere debemus. cap. à nobis. d. 2. de sent. ex. vnde rectè D. Thomas docet, quod quilibet tenetur inhærere doctrinæ Ecclesiæ tanquã regulæ infallibili. quænam autem sit ista Ecclesiã, cuius doctrinæ infallibiliter inhærendum sit, & quæ non possit errare in supradictis, explicat D. Antoninus. 4.p. tit. 8.cap.4. §. quem sequitur Siluester verb Ecclesia.q 3. ibi ait, quod quadrupliciter sumitur. Ecclesia, primò formaliter, & verè, & sic est omnis populus fidelis per totum orbem maximè Deo vnitus per Charitatis amorem. secundò dicitur formaliter, & repræsentatiuè, & sic est Concilium generale. tertiò dicitur virtualiter, & formaliter simul, & sic est Ecclesia Romana, quę est caput omnium Ecclesiarum virtualiter continens aućtoritatem totius Ecclesiæ. quartò virtualiter, & repræsentatiuè simul, & sic est collegium Eminentissimorum Cardinalium cum suo capite Summo Pontifice; siue Papa, vt Papa; siue est ipse Papa, & caput Ecclesiæ vtens auxilio, siue consilio membrorum suorum, quantum potest, ad indagandam veritatem, non autẽ est Papa, vt singularis persona, quæ errare potest.

Quæritur, quis fundauerit Ecclesiam.

4 Respondeo dicẽdum, quòd solus Christus fundauit Ecclesiam, cuius ministerium Petro, & Pastoribus commisit. opusculo 20.lib.3.cap.10.

Quod solus Christus fundauit Ecclesiam, cuius ministerium Petro, & Pastoribus commisit, docet D. Thomas huic quæsito.

Quod solus Christus fundauerit Ecclesiã, patet per illud, fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positũ est, quod est Christus Iesus. 1.ad Corinth.3.& ex hoc quod Christus fundamentum est Ecclesiæ, ideò etiam in eo debuit esse quædam peculiaris potestas, quã excellentię potestatem Doctores nuncupant, quam profectò non habent illius successores; puta poterat Christus saluare sine Baptismo, quod non potuit Petrus; potuit præterea Christus mutare formam Sacramentorum, & materiam, quod Petrus non potuit, nec successores eius. quod autem ministerium Ecclesiæ commiserit Christus Petro, & successoribus, patet ex illo. 1.ad Corinth. 4. sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei, ex quo patet, quod Diuina institutio destrui nõ potest, quia solum dispensatores, & ministros assumpsit suos Vicarios Christus.

Quæritur, an Episcopus possit prohibere ingressum Ecclesiæ alicui ad audiendum verbum Dei.

5 Respondeo dicendum, quòd de consecrat. d.1. dicitur Episcopus nulllum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, siue Gentilem, siue Hæreticum, siue Iudęum vsque ad Missam Catecumenorũ, in qua scilicet continetur instructio fidei. 3.p.q.83.a.4. ad 4.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic

quæsito, quæ est. Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, siue Gentilem, siue hæreticum, siue Iudæum, vsq; ad Missam Catecumenorum, in qua scilicet cōtinetur instructio fidei. probatur, quia sic habetur de consecrat. d. 1.

Hoc in loco, & duobus sequentibus quæsitis loquitur D. Thomas de Ecclesia trāsumptiuè sumpta, idest de loco, in quo congregantur fideles ad percipienda Diuina. pro quo nota, quod vt iste locus dici possit, & sit Ecclesia, tria requirūtur ex Siluestro verb. Ecclesia 2. in principio. primò quod sit ab Episcopo fundata. secundò quod sit facta ad percipienda fidei sacramenta. tertiò quod sit consecrata, alioquin non Ecclesia, sed Basilica dicitur, idest domus Regis secūdum Panormitanum in rub. de con. Cic. vel Al. vnde delictum commissum in Ecclesia non consecrata nō censetur commissum in Ecclesia, gaudet tamen eodem priuilegio, quo & consecrata, si fundata sit auctoritate Episcopi, vt ex Panormitano loco citato ait Siluester loco citato. Huius ergo Ecclesiæ ingressum Episcopus non debet prohibere cuiquam, siue Gentili, siue hæretico, siue Iudæo volenti ingredi eam, vt audiat verbum Dei, quod recitatur in Missa Catecumenorum, in ea scilicet parte Missæ, in qua continetur instructio fidei, ab hac enim instructione non repelluntur Catecumeni, & infideles.

Quæritur, an quis possit vti Ecclesia ad manducandum &c. in necessitate.

6 Respondeo dicendum, quòd propter necessitatē, quando scilicet aliquis domum aliam non inueniret, licite posset Ecclesia vti ad manducandum, vel ad alios huiusmodi licitos vsus. Lect. 4. c. 11. primæ ad Corinth.

Quod aliquis possit Ecclesia vti ad manducādum, & ad alios huiusmodi licitos actus in necessitate, quando scilicet aliquis domum aliam non inueniret, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ex hac doctrina habemus, regulariter nos nō posse vti Ecclesia ad manducandum, & huiusmodi exercēda, quia domus Dei deputata est sacris vsibus, non autem applicata est communibus vsibus, vnde Christus, Ioannis 2. eijciens ementes, & vendētes de templo dixit, domus mea domus orationis est, vos autem eam fecistis domum negotiationis. D. etiam Augustinus dicebat in regula, in oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit. In necessitate tamen, quando scilicet aliquis non haberet domum ad manducandum, posset Ecclesia vti ad manducandum, & ad alios licitos actus, vt petere, & reddere debitum coniugale, vt diximus supra verb. debitum coniugale. q. 2. extra tamen necessitatem hoc non liceret, aliter pollueretur Ecclesia, eique iniuria irrogaretur.

Quæritur, an possit vendi terra, in qua olim fuit Ecclesia.

7 Respondeo dicendum, quòd licet terrā, vbi quondā fuit Ecclesia, vendere, & emere in casu necessitatis. 2. 2. q. 100. a. 4. ad 3.

Quod liceat terram, vbi quondam fuit Ecclesia vendere, & emere in casu necessitatis, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Hic nota, quod sicut vasa sacra, quæ licet sint spiritualibus annexa, tempore necessitatis Ecclesiæ, vel pauperum, vendi possunt quo ad materiam, ita terra, in qua olim fuit Ecclesia, potest vendi, & emi in casu necessitatis.

ELECTIO.

1 *Ex decretali non requiritur, vt eligatur melior.*
2 *Quid requiratur adhoc quod electio non possit impugnari in foro iudiciali.*
In foro conscientiæ debet eligi melior, vel simpliciter, vel in comparatione ad commune bonum.
5 *Si quis in foro conscientiæ dignum eligit, non tenetur ad restitutionem Digniori, vel Ecclesiæ.*
Quid nomine electorum intelligitur, quando dicitur, Electores teneri eligere meliorem in foro conscientiæ.
Confirmator tenetur confirmare meliorem ex electis bonis.
Nomine eligibilium qui intelligantur.
Duæ condiciones eligibilium notantur, & quæ.
Electores quomodo se gubernare debeant in quærenda persona eligenda.
Electores non erunt arguendi peccati mortalis, si relicto meliori, in quo tamen meritorum excessus non est tantus, dignum eligant, qui tamen respectu aliorum erit melior.
In re exigui momenti non est peccatum mortale prætermittere meliorem.
Tenemur eligere meliorem secundum conscientiam propriam informatam notitia eligendi.
Eligens incognitum non saluat conscientiam suam.
Quomodo intelligatur textus volens, vt elector plenam notitiam habeat eligendi.
In electione sæculari sufficit eligere idoneum.
Qui eligit bonum relicto meliori ad offitium sæculare, non peccat mortaliter.
Qui potest eligere meliorem ad offitium sæculare, fortè adhoc tenetur.
Qui eligit personam non bonam ad offitium sæculare, peccat mortaliter, & quare.
Ad Dignitates, beneficia, & munia Ecclesiastica præferendus est in electionibus Theologus Canonista.
3 *Electio debet fieri in personam existētem in gremio Ecclesiæ.*
5 *Existentes extra aliquam Ecclesiam licet sint quādoque simpliciter sufficientiores, non tamen pro tali loco, & pro tali Ecclesia.*
Qui est de gremio Ecclesiæ alicuius, consueuit esse sufficientior loco illi.
4 *Non debet eligi propinquior; sed magis idoneus in Prælatum.* Pro-

§ *Propinquus æquè dignus cum extraneo est præferendus extraneo.*

5 *Pauper non debet eligi.*

§ *Notetur documentum Arist. quando virtuosus pauper eligeretur.*

6 *Pauper voluntarius potest eligi, non necessitate.*

§ *In quo consistat voluntaria paupertas.*

In quo consistat paupertas necessitata.

7 *Virtuosus, siue pauper, siue diues debet eligi.*

Minus priculosum est eligere diuitem, quam pauperem.

§ *Nec diues præcisè, nec pauper præcisè eligendus est, sed vterq; poterit eligi, si sit virtuosus.*

Principatus Virtuosi quomodo vocetur.

8 *Electus, si intendit aliquod temporale in sua electione, melius faceret, si non assentiret electioni.*

Si autem intendit bonum Ecclesiæ, bona est intentio; sed laudabiliter potest non consentire electioni ex humilitate, & laudibiliter consentire ex Charitate.

Prelationis officium tutius declinatur.

Non est pertinaciter resistendum Diuinæ voluntati in hoc agnita.

§ *D. Thomas Aquinas, & D. Dominicus laudantur ex hoc quod honores recusauerint.*

D. D. Gregorius, Ambrosius, Antoninus celebrātur, qui prius nitebantur Præsulatum recusare, attendentes postea voluntatem Diuinam iugo Præsulatus collum submiserunt.

9 *Olim non assumebatur ad Episcopatum aliquis nisi per electionem Diuinam.*

Quæritur, an ex decretali necesse sit eligere meliorem.

1 RESpondeo dicendum, quòd Decretalis dicit, quòd sufficit eligere bonum, nec requiritur, quòd melior eligatur. quodlibeto 8.2.6.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Decretalis dicit, quod sufficit eligere bonum, nec requiritur, quod melior eligatur.

Hæc doctrina explicatur per id, quod docet S. Thomas in sequēti quæsito, nempe quod vtiq; sufficit eligere bonum, vt scilicet electio impugnari non possit in foro iuditiali, dum enim in iuditio proponitur bonus, calumniæ non est locus, nec in tali iuditio requiritur, quod eligatur melior, quia sic omnis electio posset habere calumniam. In foro tamen conscientiæ electores tenentur eligere meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune, vt in sequēti videbimus quæsito.

Quæritur, in quo foro debeat eligi melior.

2 Respondeo dicendum, quòd quantum adhoc, quod electio impugnari non possit in foro iudiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam: sed quantùm ad conscientiā eligentis necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune, quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet, quòd hoc sit propter aliquam causam, quæ quidem si pertineat ad negotium, quantùm adhoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus; si verò non pertineat ad negotium id, quod consideratur vt causa, erit manifestè acceptio personæ. 2.2.q.63.a.2. ad 3.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. quantū adhoc quod electio impugnari non possit in foro iudiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem. probatur, quia sic omnis electio posset habere calumniam. secunda conclusio. quantum ad conscientiam eligētis necesse est eligere meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune. probatur, quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet, quod hoc sit propter aliquam causam, quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus, si verò non pertineat ad negotium id, quod consideratur vt causa, erit manifestè acceptio personæ.

Primam conclusionē D. Thomæ habemus can. cum nobis olim, vbi licet electus non esset eminentis litteraturę, probatur tamē electio. & can. cum dilectus. vbi elect⁹ approbatur, licet fuissent in eadem Ecclesia, vt illic legitur, alij digniores. suadet ratio D. Thomæ, scilicet quod aliàs vnaquæque electio calumniam pateretur in foro iudiciali, quia in tali foro non facilè expendi possunt, librariq; meritorum momenta, vt constet, quis sit optimus. secundum ergo forum iudiciale, siue exterius satis est dignum eligere ad succidendas calumnias, secus autem in foro interiori. quibus addit Dominicus Sotus lib. 3. de iustitia, & iure. q.6.a.2. quod qui dignum eligit, non tenetur ad restitutionem, nec digniori, nec Ecclesiæ. secundam conclusionem vltra D. Thomam hoc in loco, & quodlibeto 8. art. 6. & suos discipulos Caietanum in summula verb. electio, Dominicum Sotum lib. 3. de iustitia, & iure. qu. 3.a.2. Siluestrum verb. electio. 1. q. 16. & alios, docent etiam Alexander Alensis. 2. p. qu. 136. memb. 2. Liranus Ioannis. 21. Henricus, Godofredus in suis quodlibetis, Adrianus in materia de restitutione, Maior. 4. sent. d. 24. q. 8. & 9. hi ergo omnes docent, quod in foro conscientiæ, & poli præceptum est eligere meliorē, & dignorem. pro cuius conclusionis explicatione obserua aliqua, & primò circa Electores, quod nomine electorum intelligo nedum eos, qui habent ius eligendi, sed etiam prouisorem, idest illum, qui per viam prouisionis absque electione facit Pastorem, non autem intelligo Confirmatorem, iste enim non eligit Pastorem, sed electionem suppo-

supponit, Clarum est siquidem, quod confirmatori sufficit, vt bonum, & dignum confirmet, immò ex hoc ipso quod talis dignus, & bonus præ cæteris electus est, & præ cæteris electoribus gratus fuit, melior, & dignior præ cæteris habendus est; si tamen plures sint nominati, & liberum sit confirmatori eligere inter illos, quem voluerit, tenetur inter illos meliorem præferre, vt ait Caietanus verb. electio, & ratio id suadet, quia eadem est ratio tunc de Confirmatore, & Electore, vnde sicut elector tenetur eligere digniorem, & meliorem, vt videbimus, ita & confirmator. nota secundò circa eligibiles, quod nomine eligibilium intelliguntur eligibiles possibiles haberi, vt notat Caietanus hoc in loco, Siluester verb. electio. 1. q. 16. qui enim haberi non possunt, computandi sunt tanquam existentes extra latitudinem eligibilium, vnde quando quæritur, an præceptum sit eligere meliorem, sensus est, an teneantur Electores eligere meliorem inter eos, qui haberi possunt. aduerte tertiò circa conditiones eligibilium, quod duæ sunt, quarum prima est, quod persona, quæ debet eligi, sit bona, idest sine peccato mortali, quia existens in peccato mortali indignus est prælatione Ecclesiastica, vtpotè non diligens Christum super omnia, & consequenter est impotens pascere vita sua oues Christi, quod præcipuè requiritur in Pastore, vt locis citatis notant Caietanus, & Siluester. secunda conditio est, quod sit melior cæteris cognitis, qui possunt eligi, & haberi; melior, inquam, vel simpliciter, vt in littera dicitur, qui scilicet sit maioris Charitatis, vt Siluester verb. electio. 1. q. 16. exponit; vel melior in comparatione ad bonum commune, idest melior quo ad hoc quod est regere, & gubernare, & ad tale regimen nunc, & hic respectu talium ouium, & reliquis particularibus occurrentijs pensatis, quia postponere meliorem minus bono in huiusmodi non est sine crimine acceptionis personarũ, dum persona præponitur causæ. obserua quartò, quod non tenentur electores tàm anxiè explorare personas, sed secundum prudentiam pro rei qualitate, & conditione se gubernare, vnde peccati mortalis non erunt arguendi electores, si relicto meliori, in quo tamen meritorum excessus non est tantus, dignum, & bonum eligant, qui tamen respectu aliorũ erit melior, & dignior, vt notat Siluester verb. electio. 1. q. 16. Sotus lib. 3. de iustitia, & iure. q. 6. a. 2. nota quintò, quod loquimur de electione ad Prælationem Ecclesiasticam, ad Beneficium, ad munus aliquod Ecclesiasticum alicuius momenti, quod ideò dico, quia si munus, ad quod persona eligitur, exigui momenti est, non erit peccatum mortale digniorẽ prætermittere, vt loco citato notat Sotus. nota sextò, quod quando dicitur, quod tenemur eligere meliorem, hoc debet intelligi de meliori secundum conscientiam propriam informatam notitia eligendi, vnde Panormitanus in c. bonæ memoriæ. d. 2. de postu. præl. ait, ꝙ eligens incognitum non saluat conscientiã suã, per text. 161. qui vult, vt plenam habeat notitiam. quod intelligendum esse, ait Siluester verb. electio. 1. q. 16. vel per se, vel per eos, cum quibus versatus est. c. scriptum est. eo tit. stante hac declaratione verissima est conclusio D. Thomę, quod scilicet electores, siue etiam prouisores tenentur in foro cõscientiæ, & Poli, & apud Deum sub peccati mortalis pœna eligere, & prouidere meliorem, vel simpliciter, vel ad tale regimẽ & munus alicuius momenti, siue Prælationem, Beneficium Ecclesiasticum, possibilem tamen haberi, itaquod tenentur secundum suam conscientiam eligere, quem sciunt moraliter esse in gratia Dei, & ad talem Prælationem, siue Beneficium, siue munus in hoc loco, hoc tempore &c. meliorem omnibus, quos norunt posse haberi pro tali cura. Conclusionem Dominicus Sotus lib. 3. de iustitia, & iure. q. 6. art. 2. pluribus probat rationibus, pluribus confirmat auctoritatibus. nobis sufficiat aliquas recensuisse. inprimis adest ratio D. Thomæ, quia facere oppositum est acceptio personarum. secundò arguo ex Soto, ille, qui meliorem non eligeret, faceret contra iustitiam commutatiuã, & distributiuam, ergo peccat mortaliter. probatur antecedens de iustitia commutatiua, quia Ecclesiastica beneficia ex bonis communibus populi, veluti stipendia instituta sunt, & Ecclesiæ ministris proposita; ergo contra iustitiam commutatiuam fidem populo, & Ecclesiæ frangit, qui non optimum eis ministrum absq; fraude, & dolo prouidet. probatur deinde de iustitia distributiua, quia eadem Virtus, quæ iubet seruare in præmijs proportionem, quę est in meritis, admonet, vt optimus, qui rationabili diligentia inueniri possit, cæteris præferatur. hæc Sotus. quibus addo tertiam, nempe quod collatores beneficiorum sunt meri dispensatores eorum, vt patet ex D. Paulo. 1. ad Corinth. 4. ad dispensatores autem pertinet distribuere vnicuique pro singulorum meritis benefitia, vnde fidelis non esset dispensator, qui digniori præferret minus dignum in collatione beneficij. his accedat Concilium Basiliense, in cuius pragmatica habetur hæc forma iuramenti eligentium, Ego N. iuro, & promitto omnipotenti Deo, & Sancto, cuius nomini dedicata est hæc Ecclesia, cum eligere, quem credam esse in spiritualibus, & temporalibus meliorem. D. Leo Papa etiam, vt habetur can. metropolitano. dist. 63. docet, quod sit eligendus optimus. D. Chrisostomus lib. 2. de Sacerdotio de hoc memorandam reliquit sententiam, & ait, quod Ecclesiastici Pastores tanto debent meritorum interuallo antestare gregi, quanta prestat excellentia pecori Pastor. D. etiam Gregorius in Pastorali aiebat, tantũ actionem populi debet actio transcendere Præsulis, quantùm distare solet à grege Pastoris vita. adest etiam auctoritas Sanctorum Augustini super verbo Iacobi, nolite in acceptione personarum. D. Hieronimi super leuit. cap. 8. qui refertur. 8. q. 1. cap. licet ergo. D. Bernardi de consideratione ad Eugenium.

Hæc, quæ diximus vsque modo, vera sunt de electione Ecclesiastica, siue Ecclesiastici Pastoris, quia si loquamur de electione sæculari, siue

ad

ad officium sæculare, sufficit, quod eligatur persona idonea, quia hic non interuenit acceptio personarum, cū nec interueniat distributiua iustitia, quia hoc offitium non datur Ciui, vt parti Cōmunitatis, vt ait Caietanus in summula verb. electio; similiter non requiritur, quod credatur absq; peccato mortali, cum non fiat Pastor ouiū Christi, sed custos pacis humanæ in Republicā, vnde qui relicto dignori, & meliori eligit ad tale officium personam dignam, non peccat mortaliter, quamuis fortè teneatur, qui potest, vt asserit ibidem Caietanus. qui tamen eligeret personam non bonam, peccaret mortaliter propter nocumentum Reipublicæ, quod ex inepto incurri potest.

Ad maiorem supradictorum explicationem quærimus, an ad dignitates Ecclesiasticas, Beneficia, & munera Ecclesiastica præferendus sit Theologus Canonistæ cæteris paribus. in quo duo Hostiensis, & Abbas Panormitanus super cap. 1. de consang. & affinit. aiunt, quod vbi hæreses pullulant, præferendus est Iuriconsulto Theologus, alibi è conuerso. Dominicus Sotus lib. 10. de iustitia, & iure. qu. 1. a. 3. ad 2. vocat hanc sententiam indignam, quæ audiatur, quia cum oporteat hæreses esse, vbique, & semper timendæ sunt, atque adeò docta prædicatione coarmandus populus, ne vnquam labi possit, armatur autem populus Catholicus contra hæreses scientia Theologiæ, ergo semper, & vbique præferendus erit Theologus. Caietanus. 2.2. q. 185. ar. 3. refert opinionem aliquorum dicentiū, quod licet Episcopis priscis magis sciētia Theologiæ conueniret, quam scientia iuris, quia opus erat contra hæreticos Theologiæ gladio procedere, hodiè tamē, quia magis accidunt quæstiones spectantes ad ius, quàm ad fidem, conuenit magis, quod Episcopi sint in iure periti. confutatur, quia dato quod hodiè cessassent quæstiones fidei, maxima tamen necessitas est doctrina morum, qui sunt secundum Dei mandata, & ideò etiam hodiè necessaria est Theologia, per quam prædicatam mores reformantur. idem Dominicus Sotus lib. 3. de iustitia, & iure. q. 6. artic. 2. tria dicit, quorum primum est, quod post morum honestatem prudentia viri, roburque animi mansuetudine insignitum, atque in agibilibus dexteritas perpendatur magis, quam scientiæ eminētia, dummodo illa doctrinę mediocritate polleret, quæ pondus ei auctoritatis adiungeret, vnde persona æstimanda cùm primis est, non hæc, aut illa scientiæ facultas. secundum est, quod ille, quem hæc omnia ornamenta doctrinæ illustrarent, maiori iure esset super Ecclesiæ candelabrū erigendus. tertium est, quod cæteris pariter cōcurrentibus Theologia sit peculiaris Episcopi scientia, nescit, quis ambigat. vnde secundum ipsum cæteris paribus præferēdus est Theologus vbique, & semper. idem docet Caietanus. 2.2. qu. 185. artic. 3. idem videtur velle Dominicus Bannes. 2.2. q. 2. art. 8. dub. 2. idem teneo & ego, quod etiā sic probo. imprimis testatur Ricardus quodlibeto. 4. & Siluester verb. Episcopus, quod olim Episcopi, dum infula insigniebantur, non interrogabantur, an ius nossent vtrumq;, sed an vtrumq; nossent testamentum, in quibus principia Theologiæ continentur, quod signum est euidens, in Episcopo plus requiri scientiam Theologiæ, quam Iuris canonici. nunc etiam interrogantur, an velint se Diuinæ scripturæ sensibus accomodare, & quæ inde hauserint, plebem docere, in cuius signum confertur eis Euangeliū, quod admonentur populo sibi credito prædicare. idē eius bicornis Mitra designat, vt docet D. Thomas. 4. sent. d. 24. q. 3. ar. 3 in corp. quando enim consecratur Episcopus, caput illius cornibus nō vtriusque iuris, sed vtriusque testamenti armatur, vt terribilis appareat non aduersantibus sibi mutuò in foro, sed aduersarijs veritatis. offitium etiam, quod in eius consecratione imponitur, est prædicare, materia autem prædicationis non est ius, sed Euangelium dicente Domino, Prædicate Euangelium, sub quo sacra scriptura comprehenditur, quæ est verè, & propriè scientia Theologiæ, ideò non minus hodie, quam olim tenentur Episcopi prædicare, quia non minus hodie, quàm olim eis offitium hoc imponitur. Vlterius magis tenetur Episcopus ad docendum populū seruare ea, quæ ad bonos mores spectant, quæ Christus mandauit seruari, quam docere homines sacros canones, quos non Christus, sed homines ediderunt, docere autem seruare mandata spectat ad Theologiam. Vlterius ex priscis Episcopis neminem reperies, nisi Theologum; iura canonica Theologi sanxerunt in Concilijs, & Pontifices maximi ex sacris collegerunt oraculis; pro quo facit, quod D. Augustinus in Epistola ad Paulinum, quæ est 59. exponens illud D. Pauli ad Ephesios, quosdam autem dedit Pastores, & Doctores, pro eodem vtrumque vsurpat, nempe quod Episcopi eo sint Pastores, quod Doctores. D. etiam Hieronimus in leuit. 36. dist. can. siquis, ait, duo sunt Pontificis, qui est Pastor, opera, vt à Deo discat legendo scripturas Diuinas, & sæpius meditando, vt populum doceat. & dist. 37. can. omnes, admonetur Antistes, vt in promptu legem habeat, scilicet tàm sacros canones, & Sanctum Euangelium, quàm Diuinum Apostolorum librum, & omnem Diuinam scripturam, Canones scilicet Conciliorum, vt statim subditur, ca. placuit.

Quæritur, de quibus personis electiones sint faciendæ.

3 Respondeo dicendum, quòd ille, qui **de gremio Ecclesiæ assumitur, vt in pluribus consueuit esse vtilior quantùm ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus; & propter hoc etiam mandatur Deut. 17. non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non sit frater tuus. 2.2. q. 63. a. 2. ad 4.**

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæ-

quæsito, quæ est. ille, qui de gremio Ecclesiæ assumitur, vt in pluribus consueuit esse vtilior quantum ad bonum commune, probatur, quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus; & confirmatur auctoritate Deut. 17.

Cõclusio D.Thomę fũdata est in Decretis, quibus sancitũ est, vt nõ fiat electio, nisi ex personis eiusdem Ecclesiæ, dummodo illic dignus inueniatur, etiamsi alibi foris inueniantur digniores, vt patet dist. 61. ca. nullus, & cap. obitum. & dist. 63. ca. Metropolitano. quin verò, vt ait glosa in cap. cum inter canonicos. de elect. non valet postulatio ex aliena Ecclesia, nisi duabus partibus consentientibus &c. censebitur tamen talis persona de gremio illius Ecclesiæ assumpta dignior duplici ratione, primò quia, vt ait D. Thomas in textu, magis diligit Ecclesiã, in qua nutritus est, vnusquisq; enim propensiorem habet animum ad suam propriam Ciuitatẽ, & Ecclesiam. secundò vt ait Cælestinus eo ca. nullus. dist. 61. vnusquisq; suum fructum militiæ habeat in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ętatem; vnde licet existentes extra illam Ecclesiam sint quandoq; sufficientiores simpliciter, non tamen pro tali loco, pro tali Ecclesia. supposito etiam, quod omnibus consideratis sit aliquis sufficientior, attamẽ vt in pluribus cõsueuit ille de gremio esse sufficientior loco isti, dantur autẽ statuta prout in pluribus, non prout in paucioribus accidit.

Quæritur, an propinquior debeat eligi in Prælatum.

4 Respondeo dicendum, quòd ille, qui eligitur in Pręlatum, non eligitur quasi ad hæreditatem possidendam, quia hæreditas Christianorum non est in terra, sed est in cælo, scilicet ipse Deus secũdũ illud Psalm. Dominus pars hæreditatis meæ: eligitur autem velut dispẽsator in familia Domini alicuius secundum illud primę Corinthiorũ 4. sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores &c. dispensator autem non semper eligitur, qui est propinquior, sed qui est magis idoneus. quodlibeto 8.a.6. ad 4. (2. 2. q. 63. art. 1. in corp. (a. 2. ad 1.

Conclusione vnica respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. propinquior non debet eligi in Prælatum, sed qui est magis dignus. probatur, qui eligitur in Prælatum, non eligitur quasi ad hæreditatem possidendam; sed eligitur velut dispensator in familia Domini alicuius, sed dispensator in familia Domini non semper eligitur, qui est propinquior, sed qui est magis idoneus, ergo &c. probatur maior quo ad primam partẽ, quia hæreditas Christianorum non est in terra, sed est in cælo, scilicet ipse Deus, quod probatur ex psalm. secunda pars probatur ex D. Paulo. 1. ad Corinth. 4.

Pro explicatione huius litteræ obseruandum est, quod S. Thomas hoc in loco comparat propinquum minus dignum extraneo magis idoneo, & in hoc casu vtiq; præferendus est extraneus propinquo, siue propinquiori ratione allata in textu, propinquus siquidem ratione propinquitatis præferendus est extraneo in hæreditate paterna, & temporali, cuius erit verus Dominus, non autem in hæreditate bonorum Ecclesiasticorum, ad quorum dispensationem, non autẽ dominium assumitur Prælatus, & si secus fiat, crimen acceptionis personarum interuenit. si autem propinquus sit æquè dignus cum extraneo, tunc præferri poterit propinquus extraneo, & tunc censebitur propinquus dignior.

Quæritur, an pauper debeat eligi in Prælatum, siue Principem.

5 Respondeo dicendum, quòd pauperis principatus est periculosus, quia impossibile est egentem benè principari, ac legitimè negotijs publicis posse vacare, propter necessitatem enim instat lucris, & resilit à virtute; nec sibi ipsi vacare potest, vt quiescat animus. opusculo 20. lib. 4. cap. 20. & cap. 15.

Vnica conclusione respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. Pauper non debet eligi in Prælatum. seu in Principem. probatur, quia pauperis principatus est periculosus, impossibile est enim egentem benè principari, ac legitimè negotijs publicis posse vacare, & hoc propter tria, primò quia propter necessitatem instat lucris. secundò resilit à Virtute. tertiò nec sibi ipsi vacare potest, vt quiescat animus.

Hæc doctrina allata est, vt excludatur electio per sortes, quia contingit aliquando sortem super pauperem cadere, cuius principatus est periculosus ratione allata in littera; pro qua facit documentum Arist. in sua pollitia tale, vt si quãdo reperiretur pauper, qui foret Virtuosus, ad tollendam occasionem, ne se lucris immergat illicitis, Respublica ei prouideat in necessarijs, siue de ærario publico, siue de bonis cuiuslibet sub regimine constituti, vt sunt tributa, & vectigalia, quæ Dominis debentur iure naturę, vt probat Apostolus ad Rom. 1. & primæ ad Corinth. cap. 9.

Quæritur, quinam pauper debet ab electione passiua repelli.

6 Respondeo dicendum, quòd distingui oportet de duplici indigentia, voluntaria scilicet, & necessaria, voluntaria nõ repellitur à regimine, sed secunda necessaria, quia talis rarò, vel nunquam benè regit, vel consulit, nisi suo appetitui vacuo satis detur. opusculo 20. lib. 4. cap. 5.

Data

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione. distinctio est, quod duplex est indigentia, voluntaria scilicet, & necessaria. prima conclusio. voluntaria indigentia non repellitur à regimine. secunda conclusio. indigētia necessaria repellitur à regimine. probatur, talis rarò, vel nunquam benè regit, vel cōsulit, nisi suo appetitui vacuo satis detur.

Indigentiam voluntariam habuit Christus, habuerunt eius discipuli, hanc profitentur Religiosi, de hac loquebatur Christus, dum dicebat, Beati pauperes spiritu. Mathei 5. & Lucæ. 6. & consistit in voluntaria renunciatione facultatum temporalium, & in voluntaria abdicatione diuitiarum, & hæc non repellitur à regimine, sed secunda necessaria, quæ consistit in priuatione diuitiarum volitarum quidem, sed non possessarum, quia talis vel nunquam benè regit, vel consulit, nisi suo appetitui vacuo satis detur. potest etiam desumi ratio, & differentia de vtraque paupertate ex diuersitate finis, nam finis paupertatis volūtariæ est bonum honestum, siue bonum Virtutis, finis vero necessariæ est bonum vtile, ad quod appetitus eius est pronus, hoc autem est, cuius gratia aliquid agitur, vt ait Arist. quidquid ergo agunt, qui talem habent indigentiam, ad hunc finem deducunt, vt suum impleant ventrem, & bursam. hinc est, quod Arist. reprehendit Lacedemonios, quorum corrupta erat pollitia circa electionem Iudicū, eligebant enim pauperes, qui egestate compulsi corrumpebantur pecunijs à maioribus, & inde opprimebatur iustitia, & tirrannides exercitabatur. non ergo expedit pollitiæ assumere, & eligere pauperes, & cupidos ad iudicandum, vnde narrant historiæ, quod duo viri per Consules Romanos fuerunt electi ad gubernādum Hispaniam, quorum vnus nimis pauper, alter nimis erat auarus, & cum delatio facta fuisset in Capitolio de ipsis, Scipio Africanus de neutro consuluit vtrumque corruptorem diffiniens pollitiæ, siue cuiuscunque regiminis, quia se habent ad Ciuitatem velut sanguisugæ ad corpus humanum. hinc in prouerb. 30. dicitur, sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes, affer, affer, quasi ad hoc sit principalis eorum intentio extorquere pecunias. qui autem voluntariam sectantur paupertatem, vt cōtemptores diuitiarum ordinant omnia ad Virtutem, & ideò cum gubernant, vel regunt, ciues, semper in eis bonum Virtutis intendunt, quod est bonum humanum, vt ait Arist. in primo eth. sicut fecerunt Fabricius, & Lucius Valerius pauperimi, qui, vt fideliter gubernarent Rempublicam, diuitias contempserunt, maluit siquidem Fabricius diuitibus imperare, quam locupletem fieri.

Quæritur, an ad Principatum semper debeat eligi Diues.

7 Respondeo dicendum, quòd mouetur ista quæstio ab Aristotele in sua politica, vtrum ad Principatum semper diues eligi debeat, quia in hoc datur materia, vt homines sint amatiui pecuniarum quocunq; modo, eo quòd natura humana sēper est appetitiua honoris, ad quòd ipse Phylosophus multa dicit comparans Olicarghiam ad Aristrocaciam, quia secundùm primum Principatum exigitur diues, sed iuxta secundùm semper assumitur virtuosus: siue ergo pauper, siue diues dummodo viuat secundùm virtutem, assumendus est in vera politica: sed minus periculum est de diuite, quia instrumenta sibi adsunt humanæ vitæ, per quæ honestè suū potest officium exequi, salua tamen iustitia subditorum, opusculo 20. lib. 4. cap. 20.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. siue pauper, siue diues, dummodo viuat secundum Virtutem, assumendus est in vera pollitia, sed minus periculum est de diuite. prima pars relinquitur vt nota. secunda pars probatur, quia instrumenta sibi ad sunt humanæ vitæ, per quæ honestæ suum potest officium exequi, salua tamen iustitia subditorum.

Ex hac doctrina habemus, nec diuitem præcisè, nec pauperem præcisè esse assumendum, siue eligendum ad Principatum, sed vterque poterit eligi, si sit virtuosus, vnde Virtuoso refertur Principatus, cum enim Virtuosus viuat secūdum Virtutem, quæ facit bonum habentem, iam pauper, vel diues virtuosus, si eligatur in Principem, non inhiabit lucris, & sic cessabunt ea, quæ pauperi, vel diuiti obstabant, quominus eligerētur in Principes; & tale dominium, siue Principatus vocatur Aristrocratia, quæ dicitur dominium Virtuosi.

Quæritur, an melius faciat, qui consentit electioni de se factæ, quam qui eam recusat.

8 Respondeo dicendum, quòd in eo, qui electioni Canonicæ de se factæ consentit, considerari præcipuè debet, quid intendit, si enim intendit aliquod temporale, puta honorem, diuitias, excutere se à iugo Religionis, aut aliquid huiusmodi, manifestum est, quòd est praua intentio; vnde melius faceret, si non assentiret: si autem intendit profectum Ecclesiæ, sic planum est, quod bona est intentio: vnde Augustinus dicit nono de Ciuit. Dei, in actione nō amandus est honor in hac vita, siue potentia, sed opus ipsum, si rectè atque vtiliter fit, idest vt valeat ad salutem subditorum; & inducit illud Apostoli, quod habetur primæ ad Timotheum 3. si quis Episcopatum desisterat, bonum opus desiderat. sed tamen sciendum est, quòd ad hoc opus ma-

maxima requiritur idoneitas, quia vt Gregorius dicit in pastorali, tãtum actionem populi debet actio transcẽdere Præsulis, quantùm distare solet à grege Pastoris vita, ad quod humana fragilitas secũdum proprias vires sufficiens non est secũdum illud Apostoli 2. ad Corinth. 3.& ad hæc qui tam idoneus? sed tamen ex auxilio gratiæ Diuinæ homines idonei, & sufficientes redduntur, sicut ipse postmodum subdit, idoneos non facit ministros noui testamenti; potest ergo aliquis laudabiliter considerans proprium defectum ex humilitate officium Prælationis recusare, sicut Hiere. dicit. nescio loqui, quia puer ego sum: potest etiam laudabiliter consentire ex Charitate fraterna, vt salutem proximorum procuret, sicut Isaias, qui dicit, ecce ego mitte me, sed sicut Gregorius dicit in pastorali, in vtroque est subtiliter intuendum, quia & is, qui recusauit plenè non resistit, & is, qui mitti voluit, ante se per altaris calculum purgatũ vidit, ne aut non purgatus adire quisq; sacra ministeria audeat, aut quem superna gratia eligit sub humilitatis specie supernæ dispositioni contradicat. quia ergo valdè difficilè est purgatum se quemlibet posse agnoscere, Prælationis officium tutius declinatur, nõ tamen pertinaciter, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur, quodlibeto 5.a.22. in corp.

Quintuplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est, ille, qui intendit aliquod temporale, melius faceret, si non assentiret electioni canonicæ de se factæ. probatur, quia manifestum est, quod est praua intentio. secunda conclusio, si intendit profectum Ecclesiæ, melius est illi assentire. probatur, quia planum est, quod bona est intentio. Confirmatur auctoritate D. Augustini, vt in littera. tertia conclusio. potest aliquis laudabiliter considerans propriũ defectum ex humilitate officium Prælationis recusare: probatur exemplo Hieremiæ, vt in littera. quarta conclusio. potest etiam laudabiliter cõsentire ex fraterna Charitate, vt salutem proximorum procuret. probatur exemplo Isaiæ, vt in littera. quinta conclusio. Prælationis officium tutius declinatur, non tamen pertinaciter, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur. probatur prima pars, quia valdè difficilè est purgatum se quemlibet posse agnoscere. secunda pars relinquitur vt nota.

Tertiam conclusionem sicut humillimus D. Thomas docuit speculatiuè, ita & practicè, dum Archiepiscopatum Neapolitanum sibi oblatum à Clemente quarto constantissimè recusauit, & dum adduci non potuit, vt alios honores sibi ab Vrbano quarto propositos acciperet suum imitans Ducem, ac Patrem Beatissimum Dominicum, qui tres recusauit Episcopatus, vt vitæ suæ testatur historia. quartam conclusionem probãt exempla tot Sanctorum, qui ad Episcopatus assumpti erant toti in procuranda salute suorum subditorum. quintam conclusionem probant gesta aliquorum, qui prius nitebantur Præsulatum recusare, attamen attendentes voluntatem Diuinam iugo Præsulatus collum submiserunt, vt constat de D. Gregorio, qui Summum Pontificatum, quamdiu potuit, recusauit, nam alieno vestitu in spelunca delituit, tandem deprehensus inditio igneæ columnæ, quo agnoscens voluntatem Dei onus subiuit. de D. etiã Ambrosio legitur, quod cum populus eum deposceret in Episcopum, hoc recusauit, & populi precibus restitit, tandem agnoscens voluntatem Dei acquieuit. idem legitur de D. Antonino Religionis Prædicatoriæ splendore maximo, qui ab Eugenio quarto Florentinus renunciatus Archiepiscopus ægerrimè tandem, nec nisi Apostolicis minis perterrefactus, vt Episcopatum acciperet, acquieuit.

Quæritur, quomodo olim assumerentur homines ad Episcopatum.

9 Respondeo dicendum, quòd in primitiua Ecclesia, vbi purè, & propter Deũ electiones fiebãt nullus assumebatur ad Episcopatum, nisi per electionem Diuinam, sicut elect⁹ est Ambrosius, & Nicolaus. Lect. 3. cap. 4. primæ ad Timotheum.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. in primitiua Ecclesia nullus assumebatur ad Episcopatum, nisi per electionem Diuinam. probatur, quia tunc purè, & propter Deum electiones fiebant. confirmatur exemplo Ambrosij, & Nicolai.

Hic fuit mos Sanctorum, vt non eligerent, quẽ à Deo non sciebant electum.

ELEEMOSINA.

De necessitate eleemosinæ.

Cap. I.

po-

Quæritur, an eleemosinam sit actus Charitatis.

1 Respondeo dicendum, quòd motiuum ad dandũ eleemosinas est, vt subueniatur necessitatem patienti, vnde quidam diffinientes eleemosinam dicunt, quod eleemosina est opus, quo datur aliquid in digenti ex compassione propter Deum, quod quidem motiuum pertinet ad misericordiam: vnde manifestum est, quòd dare eleemosinam propriè est actus misericordiæ; & hoc apparet ex ipso nomine, nam in græco eleemosina à misericordia deriuatur, sicut latino miseratio: & quia misericordia est effectus Charitatis, ex consequẽti dare eleemosinam est actus Charitatis misericordia mediante. 2.2.q.32.a.1. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cõclusione, quæ est. dare eleemosinam propriè est actus misericordiæ, & ex consequenti est actus Charitatis misericordia mediante. prima pars probatur, quia motiuum ad dandas eleemosinas est, vt subueniatur necessitatẽ patienti, qđ probatur ex diffinitione eleemosinæ data à quibusdam, vt in littera, sed hoc motiuum pertinet ad misericordiam, ergo &c. probatur etiam ex nomine. secunda pars probatur, quia misericordia est effectus Charitatis.

Ad explicationem huius litteræ nota, quod eleemosina dicitur ab Eleo, verbo græco, quod idem est, quod misereor, vnde ad misericordiã pertinet eleemosina, quæ sumitur dupliciter, scilicet pro obiecto, idest pro re data in eleemosinam, vt cibus, pecunia, vestis &c. & pro actu, & sic sumitur in proposito: qui potest accipi tripliciter, scilicet communissimè, communiter, & propriè. eleemosina communissimè sumpta est omne opus misericordię impensum proximo, vel sibi iuxta illud Ecclesiastici 30. miserere animæ tuæ. eleemosina sumpta communiter est omne opus misericordiæ tẽporale, vel spirituale. eleemosina autem propriè sumpta est opus pietatis impensum proximo ad releuandum indigentiã corporalem. hic sumitur eleemosina communiter, vt scilicet dicitur de eleemosina spirituali, & corporli, vt patet ex sequentibus, circa diffinitionem eleemosinæ, quæ dicitur, quod eleemosina est opus, in quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum, legitur D. Thomas. 4. sent. d. 15. q. 2. ar. 1. quæstiunc. 1.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ, docent Reginaldus lib. 4. cap. 20. n. 240. Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 27. nu. 2. 4. 5. Bellarminus lib. 3. de bonis operibus cap. 1.

Quæritur, in quo consistat eleemosina.

2 Respondeo dicendum, quòd eleemosina non tantùm consistit in collatione pecuniæ, sed etiam in alijs obsequijs propter Deum proximis factis, vnde & si alicui pe..nia desit, non tamen facultas dādi el..mosinam deest, & si deesset omnino facultas respectu eleemosinarum corporalium propter penuriam rerum, & corporis debilitatem, non tamen deesset facultas respectu eleemosinarum spiritualium, quia posset aliter, vel consulere, vel orare saltem, & si etiam facultas omninò deesset, voluntas completa sufficeret. 4. sent. d. 15. q. 2. a. 1. quæstiunc. 2. ad 4.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. eleemosina non tantū consistit in collatione pecuniæ, sed etiam in alijs obsequijs propter Deum proximis factis. hinc elicit tria corrolaria subordinata, quorum primum est; si alicui pecunia desit, non tamen facultas dandi eleemosina deest. secundum est. si deesset omninò facultas respectu eleemosinarum corporaliū propter penuriam rerum, & corporis debilitatē, non tamen deesset facultas respectu eleemosinarum spiritualium. probatur, quia posset aliter vel consulere, vel orare. tertium est. si etiam facultas omninò deesset, voluntas completa sufficeret.

Circa tertium corrolarium, quo dicitur, quod voluntas completa sufficeret, obserua, quod voluntas completa, siue plena dicitur sufficere, quia pro facto reputatur, & tunc dicitur pro facto reputari, & esse plenam, siue completam, quia nihil ab executione retardat, nisi impotentia, vt docet idem S. Thomas 4. sent. d. 17. in expositione litteræ, & hoc verum est tam in bonis, quam in malis; vel etiam voluntas pro facto reputatur ei, qui non habet tempus operandi, vt idem S. Doctor docuit. 4. sent. d. 4. q. 3. a. 3. quæstiun. 1. in corp. & d. 17. in expositione litteræ. eleemosina ergo illi imputabitur pro facto, qui vult subuenire, & non subuenit aliquo modo proximo, quia non potest, vel ex defectu facultatum, vel temporis.

Quæritur, an conuenienter distinguantur eleemosinæ corporales.

3 Respondeo dicendum, quòd ponuntur septem eleemosinæ corporales, scilicet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captiuum, & sepelire mortuum, quæ in hoc versu continentur.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

& hæc eleemosinarum distinctio conuenienter sumitur secundùm diuersos defectus proximorum, quorum quidam sunt ex parte animæ, ad quos ordinantur spirituales eleemosinæ, quidam vero ex parte corporis, ad quos ordinantur eleemosinæ corporales, defectus enim corporalis, aut est in vita, aut est post vitam: si quidem est in vita, aut est communis defectus respectu eorum, quibus omnes indigent, aut est specialis propter aliquòd accidens superueniens, si primò modo, aut est defectus interior, aut exterior, interior quidem est duplex, vnus quidem, cui subuenitur per alimentum siccum, scilicet fames, & secundùm hoc ponitur pascere esurientem; alius autem est, cui subuenitur per alimentum humidum, scilicet sitis, & secundum hoc dicitur potare sitientem; defectus autem communis respectu exterioris auxilij est duplex, vnus respectu tegumenti, & quantùm adhoc ponitur vestire nudum; alius autem respectu habitaculi, & quantùm adhoc ponitur suscipere hospitem; similiter autem si sit defectus aliquis specialis, aut est ex causa intrinseca, sicut infirmitas, & quantùm adhoc ponitur visitare infirmum, aut est ex causa extrinseca, & quantùm adhoc ponitur redēptio captiuorum: post vitam autem exhibetur mortuis sepultura. 2. 2. quæst. 32. art. 2. in corp. (4. sent. d. 15. q. 2. a. 3. quæstiunc. 1. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Rectè septem assignantur opera misericordiæ corporalia. probatur, quia eleemosina ordinatur ad subleuandum proximorum defectus, tùm corporis, cùm animæ, sed septem sunt defectus corporis, ergo & septem sunt opera misericordiæ corporalia. minor probatur lōgo discursu in littera, quæ est patens.

Loca sacræ scripturæ, ex quibus colligi possunt opera misericordiæ, in sequenti notabuntur quæsito.

Quæritur, an conuenienter assignentur eleemosinæ spirituales.

4 Respondeo dicendum, quòd ponuntur aliæ septem eleemosinæ spirituales, scilicet docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare onerosos, & graues, & pro omnibus orare, quæ etiam in hoc versu continentur.

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Ita tamen quòd sub eodem intelligatur consilium, & doctrina. Spiritualibus siquidem defectibus spiritualibus actibus sub-

subuenitur dupliciter, vno modo poscendo auxilium à Deo, & quantùm adhoc ponitur oratio, qua quis pro alijs orat; alio modo impendendo humanum auxilium, & hoc tripliciter. vno modo contra defectum intellectus, & si quidem sit defectus speculatiui intellectus, adhibetur ei remedium per doctrinam; si autem practici intellectus, adhibetur ei remedium per consilium: alio modo est defectus ex passione opposita virtuti, inter quos est maximus tristitia, cui subuenitur per consolationem: tertiò modo ex parte inordinati actus, qui quidem tripliciter considerari potest, vno modo ex parte ipsius peccantis, inquantùm procedit ab eius inordinata voluntate, & sic adhibetur remedium per correctionem: alio modo ex parte eius, in quem peccatur, & si quidem sit peccatum in nos, remedium adhibemus remittendo offensam; si autem sit in Deũ, vel in proximum, non est nostri arbitrij remittere, vt ait Hieronymus super Matthæũ: tertiò modo ex parte sequelæ ipsius actus inordinati, ex qua grauantur ei conuiuentes etiam præter peccantis intentionem, & sic remedium adhibetur supportando maximè in his, qui ex infirmitate peccant secundùm illud Rom. 15. debemus nos firmiores infirmitates aliorum sustinere, & non solùm quòd infirmi sunt, siue graues ex inordinatis actibus, sed etiam quæcunque eorum onera sunt supportanda secũdùm illud Galat. 6. alter alterius onera portate. 2.2.q.32.a.2. in corp. (4. sent. d. 15.q.2.a.3.quæstiunc.2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. rectè assignantur septem opera misericordiæ spiritualia. probatur, eleemosina ordinatur ad subleuãdum proximorum defectus, tùm corporis, cũ animæ, sed defectus animæ sunt septem, ergo & septem sunt opera misericordiæ spiritualia. minor probatur longo discursu in littera, quæ est de se patens.

Opera misericordiæ tam corporalia, quã spiritualia recensita in præcedenti, & præsenti quæsito à D. Thoma colliguntur ex sacris litteris. Tobiæ.2.& 12.Iob.29.& 31.Isaiæ.58. Matthei 25. colliguntur etiam ex diffinitione eleemosinæ, ex communi consensu Ecclesiæ.

Quæritur, an eleemosinæ spirituales sint corporalibus potiores.

5 Respondeo dicendum, quòd comparatio istarum eleemosinarum potest ostendi dupliciter, vno modo simpliciter loquendo, & secundùm hoc eleemosinæ spirituales prę eminent triplici ratione, primò quidem, quia id, quod exibetur nobilius est, scilicet donum spirituale, quod præminet corporali secundùm illud prouerb. 4. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis: secundò ratione eius, cui subuenitur, quia spiritus nobilior est corpore, vndè sicut homo sibi ipsi magis debet prouidere quantùm ad spiritum, quàm quantùm ad corpus, ita & proximo, quem debet sicut seipsum diligere: tertiò quantùm ad ipsos actus, quibus subuenitur proximo, quia spirituales actus sunt nobiliores corporalibus, qui sunt quodãmodo seruiles: alio modo possunt comparari secundùm aliquem particularem casum, in quo quædam corporalis eleemosina alicui spirituali præfertur, puta magis est pascendum fame morientem, quàm docendum, sicut & indigenti secundùm Phylosophum melius est ditari, quàm phylosopari, quamuis hoc sit simpliciter melius. 2.2 q.32.a.3. in corp. (4.sent.d.15. q. 2.a. 3.quæstiunc.3. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. simpliciter loquendo eleemosinæ spirituales præeminent corporalibus. probatur, quia quod exhibetur, scilicet donum spirituale, & illud, cui exhibetur, scilicet spiritus & illud, per quod exhibetur, scilicet actus spiritualis præeminent dono corporali, corpori, & actui corporali secunda conclusio. in aliquo casu quædã corporalis eleemosina alicui spirituali præfertur. probatur, quia in casu famis magis pascendus est fame moriens, quam docendus; & alicui indigenti melius est ditari, quam phylosophari secundum Phylosophum.

Ex hoc loco habemus eleemosinas spirituales esse absolutè corporalibus meliores, & consequẽter præferendas esse absolutè corporalibus; in aliquo tamen casu corporales debent præferri, vt in duobus casibus positis in littera.

Quæritur, an eleemosinæ corporales habeant effectum spiritualem.

6 Respondeo dicendum, quòd eleemosina corporalis tripliciter potest considerari, vno modo secundũ suam substantiã, & secundùm hoc non habet nisi corporalẽ effectum; inquantùm scilicet supplet corporales defectus proximorum; alio modo potest considerari ex parte causæ eius, inquãtùm scilicet aliquis eleemosinam corporalem det propter dilectionem Dei, & pro-

proximi, & quantùm adhoc affert fructum spiritualem secundùm illud Eccl.29. perde pecuniam propter fratrem, pone thesaurum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis, quàm aurum: tertiò modo ex parte effectus, & sic etiam habet spiritualem effectum, inquantùm scilicet proximus, cui per corporalem eleemosinam subuenitur, mouetur ad orandum pro benefactore: vnde & ibidem subditur. conclude eleemosinam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. 2.2. quæst. 32. a. 4. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. eleemosina corporalis secundum suam substantiam considerata non habet nisi corporalem effectum. probatur, quia sic eleemosina suplet tantum corporales defectus proximorum. secunda conclusio. eleemosina corporalis considerata ex parte causæ eius, inquantum scilicet ex dilectione Dei, & proximi fit, affert fructum spiritualem ex Eccl.29. tertia conclusio. eleemosina corporalis considerata ex parte effectus habet spiritualem effectum. probatur, quia proximus, cui per corporalem eleemosinam subuenitur mouetur ad orandum pro Benefactore, vt subditur in auctoritate insinuata.

Inter effectus eleemosinæ spirituales ponitur à D. Ambrosio serm. 30. de eleemosina Redemptio omnium peccatorũ, ibi enim ait, vide ergo, quę sit misericordię gratia, quod vna, & sola Virtus cunctorum est redemptio peccatorum, quod tamen non est intelligendum, quasi eleemosina remittat peccata, sicut sacramentum, hoc enim est priuilegium sacramentorum, quæ in Ecclesia Dei sunt tãtùm septem; nec etiam remittere peccata dicitur eleemosina dispositiuè, tanquam dispositio, & motiuum, vt misericordia Dei remittantur peccata facientibus eleemosinam sine pęnitentia, hoc enim asserere est hæreticum, Lucæ enim 13. habemus, nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis, sed dicetur remittere peccata quo ad reatum pœnæ, & licet hoc sit commune omnibus operibus meritorijs, specialius tamẽ hoc attribuitur operibus misericordiæ, nam D. Thomas. 4. sentent. d. 15. quæst. 2. artic. 2. quæstiuncula. 2. ait, quod inter opera satisfactoria eleemosina est magis satisfactoria, & includit in se virtutem Orationis, & ieiunij, sicut anima intellectiua includit in se virtutem animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ. sic etiam intelligitur illud Daniel. 4. peccata tua eleemosinis redime, & illud Tobiæ. 4. eleemosina ab omni peccato liberat, & illud Lucæ 11. date eleemosinam, & omnia munda sunt vobis. vel dicitur eleemosina omnium peccatorum redemptio, quia disponitur homo per eleemosinam adhoc quod pœniteat aliquando, sic ait D. Thomas apud Dominicum Bannes hoc in loco. Caietanus super illa verb. Mathei. 6. si dimiseritis &c. dicit, quod hoc intelligitur, si non ponat obicem. Dominicus Bannes loco citato concl. 5. ait, eleemosinam non esse infallibilem dispositionem ad hoc quod Deus conferat infallibiliter pœnitentiam, & remissionem peccatorum.

Quæritur, an eleemosina sit in præcepto.

7 Respondeo dicendum, quòd cum dilectio proximi sit in præcepto, necesse est omnia illa cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non conseruatur: ad dilectionem autem proximi pertinet, vt proximo non solùm velimus bonum, sed etiam operemur secundùm illud primæ Ioannis 3. non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere, & veritate: adhoc autem quòd velimus, & operemur bonum alicuius, requiritur, quòd eius necessitati subueniamus, quod fit per eleemosinarum largitionem: & ideò eleemosinarum largitio est in præcepto: sed quia præcepta dantur de actibus virtutum, necesse est, quòd hoc modo donum eleemosinæ cadat sub pręcepto, secundùm quòd actus est de necessitate virtutis, scilicet secundùm quòd recta ratio requirit, secundùm quam est aliquid considerandum ex parte dantis, & aliquid ex parte eius, cui est eleemosina danda; ex parte quidem dantis considerandum est, vt id, quod est in eleemosinas erogandum, sit ei superfluum secundùm illud Lucæ 14. quod superest date eleemosinam, & ideò superfluum non solùm respectu sui ipsius, quod est supra id, quod est necessarium indiuiduo, sed etiam respectu aliorum, quorum cura sibi incumbit; quia prius oportet, quod vnusquisq; sibi prouideat, & his, quorum cura ei incumbit, & postea de residuo aliorum necessitatibus subueniat, respectu quorum dicitur necessarium personę, secundũ quòd persona dignitatem importat; sicut & natura primò accipit cibum ad sustentationẽ proprij corporis, quod est necessarium ministerio virtutis nutritiuæ, superfluum autẽ erogat ad generationem alterius per virtutem generatiuam: ex parte autem recipientis requiritur, quòd necessitatem habeat, alioquin non esset ratio, quare eleemosina ei daretur: sed cum non possit ab aliquo vno omnibus necessitatem habentibus subueniri, non omnis necessitas obligat ad præceptum, sed illa sola, sine qua is, qui necessitatem patitur, sustentari non potest, in illo enim casu locũ habet, quod Am-

Ambrosius dicit, pasce fame morientem, si non paueris, occidisti: sic ergo dare eleemosinam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosinam ei, qui est in extrema necessitate, alias autem eleemosinas dare est in consilio, sicut & de quolibet meliori bono dantur consilia. 2.2.q.32.art.5. in corp. (q.66.ar.7.in corp. (qu.71.a.1. in corp. (quodlibeto 6.a.12.in corp. (quodlibeto 8.a.12.in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. eleemosinarum largitio est in præcepto. probatur, quia sine largitione eleemosinarum non potest conseruari dilectio proximi ex 1. Ioannis. 3. quæ est in præcepto, sed omne illud necessariò cadit sub præcepto, sine quo præceptum conseruari non potest, ergo &c. secunda conclusio. eleemosinæ donum hoc modo cadit sub præcepto, secundum quod actus est de necessitate Virtutis, scilicet secundũ quod recta ratio requirit. probatur, quia præcepta dantur de actibus Virtutum. tertia conclusio. dare eleemosinam de superfluo est de præcepto, & dare eleemosinam ei, qui est in extrema necessitate, aliàs autem dare eleemosinam est de consilio. probatur prima pars ex Lucæ. 11. & exemplo virtutis nutritiuæ versus generatiuam. secunda pars probatur ex D. Ambrosio. tertia pars probatur, quia de quolibet meliori bono dantur consilia.

Prima conclusio est de fide, nempe quod eleemosinam facere sit in præcepto, vt ostendit Dominicus Bannes. 2.2. q.32.a.6. Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap.34. num. 1. quia autem præceptum istud faciendi eleemosinam est affirmatiuum, ideò non obligabit ad semper, sed pro loco, & tempore. quando autem sit casus, in quo teneatur homo facere eleemosinam, nunc explicandũ est. pro quo aduerte ex Caietano in summula verb. eleemosinæ largitio, quod in duobus casibus tantum est peccatum mortale eleemosinam non facere, quorum primus est, si quis habet de superfluo naturæ, & personæ, tenetur facere eleemosinam pro loco, & tempore, & hoc fidei, & prudentiæ illius, qui superfluum habet, commissum est, quando, & quibus actualiter dispenset illud superfluũ, & simul, vel successiuè, vt melius sibi videbitur. secundus casus est, cum apparet pauper in extrema necessitate cõstitutus iuxta illud D. Ambrosij, Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti. isti duo casus sunt D. Thomæ, vt patet tertia conclusione. pro quorum explicatione obserua terminos, nempe quid sit superfluum naturæ, & personæ. primò ergo explicandum est, quid sit necessarium naturæ, & personæ. necessarium naturæ est id, quod est ita necessarium ad vitæ propriæ, & suæ familiæ conseruationem, vt sine eo non possit vitam propriam, & suorum conseruare: necessarium personæ est illud, quod ita est necessarium ad status sui decentiam simpliciter, vt sine illo nullo modo possit sui status decentiam conseruare: superfluum autem personæ, & naturæ dicitur illud, quod nullo modo est necessarium nec ad vitam, nec ad status decentiam; illud autem superfluum, vt ait Caietanus in summula verb. eleemosinarum largitio, Siluester verb. eleemosina. q 1. Armilla eodem verb. num. 2 non consistit in puncto indiuisibili, sed habet latitudinem eo maiorem, quo maior est status, quia sicut multis ablatis ab aliquo non censetur indigens, ita multis adiunctis non propterea superfluit, sed tale superfluum iudicandum est consideratis sumptibus honorabilibus sui, filiorum, familiæ, status, munificentia, magnificentia, communibus euentibus, hæredibus, & alijs huiusmodi, itaut superfluum non debet considerari solum respectu præsentis, sed etiam respectu periculorum, quæ probabiliter possunt accidere, quæ si attenduntur, rarò continget, quod aliquis superfluum habeat, vnde superfluum magis inuenietur in personis ecclesiasticis, quæ cum non habeant filios, & filias, non ita indigent, sicut sæculares; & vlterius ipsorum victus, & vestitus maiorem requirit modum, & modestiam. tandem nota circa superfluũ ex D. Thoma hoc in loco ad 3. quod superflua dicuntur, quæ secundum statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest. nec oportet, quod consideret quis omnes casus, qui possunt cõtingere in futurum, quia hoc esset de crastino cogitare, sed debet diiudicari superfluum, sicut & necessarium secundum ea, quæ probabiliter, & vt in pluribus occurrunt. hæc considerari debent ex parte dantis eleemosinã, & ex parte primi casus. circa secundum videndũ est, quid sit extrema necessitas. pro quo nota, q̃ datur triplex necessitas, quædam est extrema, altera est grauis, tertia est communis. necessitas extrema est necessitas vitæ propriæ perdendæ, vt cum quis est in periculo vitæ, obseruaque ex Dominico Soto lib.5. de iustitia, & iure.q.3. artic.4. quod non est censenda extrema necessitas, cum quis est in articulo mortis, & remedium aliquod afferri non possit ei; vt vulgus putat, sed cum quis periculo appropinquat incurabilis infirmitatis, aut alterius miseriæ; vel cum probabiliter timetur mors, nisi ante subueniatur; vel vnico verbo dicamus cum Caietano loco citato, quod extremæ necessitatis nomine non est intelligendum, quando quis emisurus est spiritum, sed quando ob defectum necessariorum apparet, quod ille moritur, nisi ei succurratur de necessarijs modo, quando possunt ipsi prodesse subuentiones, antequam desperetur de vita illius. Dominicus Bannes. 2.2. q. 32. a. 6. dub.2. circa tertiam conclusionem ait, quod extrema necessitas est etiam, quando est in periculo amittendi aliquod membrum, vel sensum aliquem sui corporis; & vtique verum dicit, quia priuatio horum membrorum reducitur ad homicidium; secundum ipsum necessitas extrema est etiam, quando est periculũ incidendi in amentiam. necessitas grauis est, vt ex Dominico Soto loco citato habemus, quæ in periculo hominem cõstituit honoris, quibus ego addo,

addo, & decentiæ status, aut peccandi, aut alterius notabilis damni, verum Mater ex indigentia vult prostituere filias, necessitas communis est, quæ nec extrema, nec grauis est. prima ergo pars tertiæ conclusionis D. Thomæ, qua dicitur, quod dare eleemosinam de superfluo est de præcepto, verificatur primò in graui necessitate, ita quod qui in graui necessitate de superfluo non facit eleemosinam, peccat mortaliter. hoc dico contra Alensem, qui.4.p.q.123.memb. 1. docet, in graui non teneri, nisi de consilio, & æquitate, & quod talis obligatio non est nisi sub veniali. idem sentit Gabriel Biel. 4. senten. d. 16. q.4. D. Thomam sequuntur Ricardus. 4.sent.d. 15. Caietanus hoc in loco, & in opusculo speciali de hoc, Dominicus Bannes hoc in loco dub. 1. Armilla verb. eleemosina. num.3. Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 35. num.1. & alij. ratio id suadet, quia faceret contra illud præceptum, quod superest, date eleemosinam, Lucæ. 11. & contra illud Iacobi. 2. iuditiũ sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam, in cuius signum in die extremi iudicij dicetur, Ite maledicti in ignẽ æternum, quia sitiui, & non dedistis mihi bibere; exuriui, & non dedistis mihi manducare &c. Mathei.25. hæc non sunt extremę necessitates, & tamen damnantur homines, quia in illis non succurrunt, ergo obligatio est sub mortali, etiam extra extremam necessitatem. argumenta aliqua in contrarium soluuntur à Dominico Bannes loco citato. Verificatur secundò pars conclusionis D. Thomæ prima in necessitate communi, ita quod non dans superfluum in communi necessitate peccat mortaliter, licet oppositum sentiat Alensis. 4. p. q. 113. mẽb. 1. vbi ait, quod habens superfluum ex æquitate naturali debet dare, tamen si non det in graui necessitate, peccabit venialiter; & si in communibus necessitatibus non det, non peccat mortaliter. Alensem sequitur Gabriel loco citato. D. Antoninus. 2. p. tit. 1. c. 24. §. 4. Turrecremata super decretum dist. 47. super ca. sicut hi. Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap.35. num.2. qui hanc opinionem vocat communem. cum S. Thoma hoc in loco, & quodlibeto.8. a.12. sentiunt Caietanus hoc in loco, & in opus. speciali de hoc, & in summula verb. eleemosina. Paludanus. 4. sent. d.15. q. 3. Ricardus. 4.sent. d. 15. q. 2. Liranus super primam canonicam Ioannis super illud, qui viderit fratrem suũ necessitatem habere &c. Adrianus in 4. in materia de restitut. Abulensis tom. 3. super Matheum c. 6. q. 34. Victoria, Sotus, Cano apud Bannes, & ipse Bannes, Bellarminus tom. 3. de bonis operibus lib. 3. cap. 7. Beccanus. 2.2. cap. 21. num.8. Reginaldus lib.4. n. 252. & 257. Petrus de Lorca disp. 39. nu. 14. & 32. Nauarrus in manuali cap. 24. nu 4. & in cap. 17. nu. 61. qui tamen ait, quod tunc non tenetur subuenire donando, sed solum commodando, vel mutuando, vel locando. quã opinionem teneo etiam ego nedum propter auctoritatem D. Thomæ, quam plurimi facio, & tot celebriũ Doctorum scolasticorum, sed etiam propter auctoritatem Doctorum antiquorũ Sanctæ Ecclesiæ Dei. inprimis D. Ambrosius serm. 81. vt habetur d.47. cap. 8. inquit, plusquam sufficit ad sumptus violenter obtentum est, nõ minus est criminis habẽti tollere, quam cum possis, & abundans sis, indigentibus denegare. & infra, esurientium est panis, quem tu detines, nudorumque est indumentum, quod tu includis, miserorum redemptio est pecunia, quam in terrã defodis. tot ergo scias te inuadere bona, quot possis præstare, quod velis. D etiam Hieronimus, vt habetur in Decreto. d.12. c.1. ait, aliena rapere conuincitur, qui vltra sibi necessaria retinere probatur. D. Augustinus super psal. 147. ait, superflua diuiti necessaria sunt pauperi, aliena rapiunt, qui ista detinent. D. Basilius in hom. de diuite epulone ait, diues ille damnatus est, quia nesciebat se ex pręcepto teneri superflua distribuere in pauperes. & in hom. 1. contra diuites auaros vocat istos diuites raptores. D. Chrisostomus hom. 34. ad populum Antiochenum asserit diuites habentes superflua esse Economos in Dei familia, & ex præcepto teneri distribuere ea in pauperes. aliæ sunt auctoritates, quas videre poterit lector apud Caietanum in opusculo citato. hoc idem probatur per illud Lucæ.3. qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui escas, similiter faciat. D. Hieronimus in Epistola ad Hediuiam to.4. q. 1. explicat hæc verba, & ait, quod per duas tunicas intelligit vnam necessariam, & alteram superfluam, & similiter per escas; & hoc fuisse præceptum probat Dominicus Bannes ex præcedentibus verbis eiusdem textus. Iacobi etiam. 5. habemus, agite nunc diuites &c. diuitię uestræ putrefactæ sunt, & vestimenta uestra à tineis comesta sunt, aurum, & argentum vestrum æruginauit, thesaurizatis enim vobis iram in nouissimis diebus; quod glosa interlinearis exponit de diuitijs superfluis. Lucæ etiam 11. dicitur, veruntamen quod superest, date eleemosinam; illud verbum, superest, significat superfluum. Mathei etiam 25. habemus, quod damnandi sunt multi propter omissionem eleemosinarum, etiã extra necessitatem extremã, & grauem, vt patet intuenti textum, ergo etiam in necessitate communi obligat hoc præceptum. hoc idem comprobo rationibus, quarum primam desumo ex Caietano in citato opusculo, ordo charitatis est in præcepto, sed secundum ordinem Charitatis magis debet homo diligere congruentiam status proximi, quã superfluas suas diuitias, ergo ex eo præcepto tenetur eas errogare. secundam desumo ex Dominico Bannes hoc in loco amicorũ omnia sunt communia, & Charitas est amicitia ad omnes. tunc sic arguitur, si amicus in humanis haberet superflua, & suus amicus indigeret, etiam extra necessitatem extremam, sed in communi necessitate esset, & non iuuaret illum, esset sufficiens ratio ad soluendam amicitiam, ergo qui proximis non dat superflua, dissoluit amicitiam Christianam, & per consequens amittitur Charitas. hoc explicat Ioannes sua prima canonica cap. 3. his verbis, qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit proximum suum necessitatem

sitatē habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo? quibus addo tertiam rationem talem, si nos videremus Christum in necessitate communi existentem, profectò esset peccatum contrarium amicitiæ illi non succurrere ergo etiam si non succurramus pauperi necessitatem communem patienti, sequela probatur, quia Mathei 25. habemus quod Christus dixerit, quamdiu vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, & quādiu vni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis. argumenta in cōtrarium soluuntur à Bannes hoc in loco. nunc tantum sufficiat adducere duo argumenta recētiorum, quorum primum est, qui non procurat ea, quæ non sunt sibi necessaria ad sustendandā vitam, non peccat mortaliter, ergo neque peccat mortaliter qui alteri nō suppeditat ea, quæ sunt necessaria ad illius vitæ sustentationem, ergo nō tenemur eleemosinam facere proximo existenti in necessitate communi. respondetur negando primam consequentiam, nam licet aliquis possit ex studio perfectionis negligere, & contemnere ea, quæ non sunt necessaria sibi ad vitam, diues tamen tenebitur eleemosinam facere pauperi existenti in necessitate communi. quod deduco ex simili de creditore, qui licet non teneatur solutionem sibi debitam procurare, immò eam negligere, & contemnere, attamen debitor tenetur eam præstare. secundum argumentum est, si teneretur homo de superfluo facere eleemosinā pauperi necessitatem communem patienti, sequeretur plurimos diuites, eorumq; confessarios de læthali culpa damnandos esse, cum non soleāt communibus pauperum necessitatibus succurrere, aut ad succurrendum inducere. rēspondetur cōcedendo totum, spaciosa est enim via, quæ ducit ad perditionem, & arcta est via, quę ducit ad vitam. concludamus ergo per eleemosinam esse succurrendum de præcepto existenti in communi necessitate nedum mutuando, & locando, vt ait Nauarrus, sed etiam donando, vt patet ex auctoritatibus Sanctorum Patrum supracitatis, qui asserunt superflua esse pauperum, quibus auctoritatibus apertè constat, quod ita superfluum elargiendum est pauperibus, vt dominium transferatur in eos ex quo soluuntur ea, quę in contrarium obijcit Nauarrus in suis commentarijs in 2. p. decreti de 7. præcep. dec. non furtum facies. cap. 15. num. 61. notandum tamen ex D. Thoma quodlibeto 8 art. 12. in corp. quod talis habens de superfluo non tenetur dare omnibus, nec inquirere pauperes, quia hoc esset nimis graue; nec tenetur dare huic, vel illi petenti, sed relinquitur prudentiæ suæ, vt det, cui voluerit. verum de hac materia in q. 1. c. sequentis dicetur iterū.

Secundam partem tertiæ conclusionis, qua dicitur, quod est in præcepto dare eleemosinam ei, qui est in extrema necessitate, duabus explico propositionibus, quarum prima est. de necessarijs naturæ nullus tenetur facere eleemosinam alteri necessitate extrema laboranti, quia ordo Charitatis, qui est in præcepto, postulat, vt prius subueniamus nobis ipsis. & familiæ nostræ, quam extraneis. & in hoc sensu nō loquitur S. Thomas. secunda propositio est, ex necessarijs personæ tenetur homo facere eleemosinam in extrema necessitate existenti, quia homo potius debet pati iacturam decentiæ status sui, quam quod alius moriatur ob defectum eleemosinæ ab ipso faciēdæ. & in hoc sensu loquitur D. Thomas explicatus à Dominico Bannes. 2. 2. q. 32. art. 6. dub. 2. circa tertiam conclusionem qui etiam vocat opinionem oppositam, quam sequitur Rosella inhumanam. hic tamen aduertendum vnum, quod dum loquimur de necessitate extrema, sermo est de necessitate coacta, & quæ est sine culpa, non autem de necessitate voluntaria, & quæ est cum culpa, quia si quis diceret alteri, volo me occidere nisi des mihi centū aureos, & defacto vult se occidere, non propter hoc sunt ei dandi centum aurei, quia talis non est necessitas vera, & coacta, & inculpata, sed est sua voluntas peruersa, & mala.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Bellarminus tom. 3. de bonis operibus lib. 3. cap. 7. Beccanus. 2. 2. c. 21. nu. 8 Reginaldus lib. 4. num. 252 & 257. Petrus de Lorca disp. 39. num. 14. & 22. Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus n. 1. Azorius tom. 2. lib. 12. c. 7 & alij.

Quæritur, sub quo præcepto decalogi cadat præceptum de eleemosina.

8 Respondeo dicendum, quòd omnis subuentio proximi reducitur ad præceptum de honoratione parētum, sicut enim, & Apostolus interpretatur primæ ad Timotheum 4. dicens pietas ad omnia vtilis est promissionem habens vitæ, quæ nūc est, & futuræ: quod dicit, quia in præcepto de honoratione parētum additur promissio, vt sis longeuus super terram, sub pietate autem compręhēditur omnis eleemosinarum elargitio. 2. 2. q. 32. a. 5. ad 4.

Conclusione vnica respōdet D. Thomas huic quæsito, quæ est. omnis subuentio proximi reducitur ad præceptum de honoratione Parentum. probatur, quia honoratio parentum pertinet ad Pietatem, sub pietate autem cōprehenditur omnis eleemosinarum largitio.

Pertranseo, cum in hoc loco nihil occurrat scribendum.

Quæritur, an eleemosina debeat esse abundans.

9 Respondeo dicendum, quòd abundantia eleemosinæ potest considerari, & ex parte dantis, & ex parte recipientis: ex parte quidem dantis, cum scilicet aliquis dat, quod est multum secundùm proportionem propriæ facultatis, & sic laudabile est abundanter dare, vnde, & Dominus Lucæ 21. laudauit Viduam, quæ ex eo, q̄

deerat illi, omnem victum, quem habuit, misit, obseruatis tamen his, quæ supra dicta sunt de eleemosina facienda de necessarijs: ex parte vero eius, cui datur, est abundans eleemosina dupliciter vno modo quòd suppleat sufficienter eius indigentiam, & sic laudabile est abundanter eleemosinam tribuere; alio modo vt super abundet ad superfluitatem, & hoc non est laudabile, sed melius est pluribus indigentibus elargiri: vnde & Apostolus dicit primæ ad Corinth. 13. si distribuero in cibos pauperum, vbi glosa dicit, per hoc cautela eleemosinæ docetur, vt non vni, sed multis detur, vt pluribus prosit. 2. 2. qu. 32. art. 10. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, data distinctione, quæ est, quod abundantia eleemosinæ potest considerari, & ex parte dantis, & ex parte recipientis. prima cõclusio. ex parte dantis abundanter facere eleemosinam laudabile est, obseruatis tamen his, quę dicuntur de eleemosina facienda de necessario. probatur exemplo viduæ, de qua Lucæ 21. secunda conclusio. ex parte recipientis abundanter eleemosinam dare est, & non est laudabile. probatur, quia laudabile est supplere sufficienter indigentiam alterius; & laudabile non est dare ita, vt sit ad superfluitatem. tertia conclusio. in casu, in quo non est laudabile dare multum, melius est pluribus indigẽtibus, quam vni elargiri. probatur, quia hoc colligitur ex Apostolo. 1. ad Corinth. 13. & glosa.

Ad explicationem primæ conclusionis nota, quod eleemosina dicitur abundans ex parte dãtis, cum multum datur, istud autem multum nõ solum est considerandum in se, sed etiam habita ratione facultatis ipsius dantis, aliquando enim qui minus dat, plus dat, & abundantius, quia minus habet, & plus est sibi illud paucum, quam diuiti illud multum, & sic vidua dicitur abundãtius dedisse, & hoc modo abundanter dare laudabile est, & meritorium, si tamen homo non incurrat indigẽtiam, vt familiæ suæ commodè succurrere non possit. Ad explicationem secundæ conclusionis, pro quanto ait, non esse laudabile ita abundanter dare, vt sit ad superfluitatem, nota, quod dare abundanter, itaut superfluum sit, potest & benè, & malè fieri. benè equidem, si detur bona intentione, vt scilicet indigens non solũ sibi, sed & alijs prouideat; vel vt nõ solum necessaria habeat, sed etiã vt commodè viuat; malè etiam fiet, si dans cognoscit, quod indigens abutetur superfluo puta in ludis, vel alijs vitijs; aut cum alteri negatur necessarium, dum alteri ministratur superfluum. Circa tertiam conclusionem adest Dominicus Bannes, qui hoc in loco ait, melius esse paucioribus abundantius tribuere, quam pluribus parcius minutiores eleemosinas impartiri, quia melius est, quod paucorum necessitas plenè suppleatur, quam multorum miseria nihilo subleuetur, aut in minimo. quod profectò video contra D. Thomam, & glosam in littera citatam inquientes, melius esse pluribus indigentibus elargiri, quam vni, vel paucioribus, quod vtique verum est, cum bonum commune sit diuinius, & laudabilius, quam particulare, & cõsequenter bonum communius erit etiam melius bonum, & diuinius, & laudabilius, quam bonum minus commune, & cõsequenter erit melius pluribus indigentibus elargiri, quam vni, vel paucioribus. melius est etiã, vt plures benefitia Dei percipiant, & participent, quam pauciores, vel vnus solus, licet in minori quantitate. ad rationem Bannes respondetur negando, quod melius sit, quod paucorum necessitas plenè suppleatur, quàm multorum miseria in minimo subleuetur, quia dum vnius, vel paucorum necessitati subuenitur plenè nõ respectis necessitatibus plurimorum, iam vnus, vel pauci ebrij sunt, plurimi autem esuriunt. præterea melius est, vt plures pro aliquo tempore subleuentur etiam in minimo, quàm quod omninò deserantur, in minimo enim subleuati ad maiora disponuntur.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus c. 40.

Quæritur, quæ sint consideranda in eleemosina facienda.

10 Respondeo dicendum, quòd non est danda eleemosina alicui, vt inde luxurietur, sed vt inde sustentetur: circa quòd tamen est discretio adhibenda propter diuersas conditiones hominum, quorũ quidam delicatioribus nutriti indigent magis delicatis cibis, aut vestibus, vnde Ambrosius dicit in libro de officijs, consideranda est in largendo ætas, atque debilitas, non nunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit naturales, aut si quis ex diuitijs in egestatem cecidit, si sine vitio suo, 2.2.q.32.a.10. ad 3.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. non est danda eleemosina alicui, vt inde luxurietur, sed vt inde sustentetur. hæc relinquitur vt nota. secunda cõclusio. circa hoc est discretio adhibenda propter diuersas conditiones hominum, quorum quidam delicationibus nutriti indigent magis delicatis cibis, aut vestibus. probatur ex D. Ambrosio.

Non immoror circa hoc quæsitum, cum nil occurrat scribendum.

Quæritur, quando omissio eleemosinæ sit peccatum mortale.

11 Respondeo dicendum, quòd est aliquod tempus dare, in quo mortaliter peccat,

cat, si eleemosinam dare omittat: ex parte quidem recipientis, cum apparet euidens, & vrgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subueniat: ex parte vero dantis, cum habet superflua, quæ secundùm statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest: nec oportet, quod consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum, hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet Matthæi 6. sed debet dijudicari superfluum, & necessarium secundùm ea, quæ probabiliter, & vt in pluribus occurrunt. 2.2.q.32.a.5. ad 3.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum, prima est. est àliquod tempus dare, in quo mortaliter peccat homo si eleemosinã dare omittat. probatur, quia hoc tempus ex duplici capite accidere potest, vel ex parte recipientis, vel ex parte dantis, tunc est tempus dandi eleemosinam ex parte recipientis, cum apparet euidens, & vrgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subueniat. ex parte vero dantis, cum habet superflua, quę secundum statũ præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest. secunda conclusio. non oportet, quod dans consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum. probatur, quia hoc esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet Mathei. 6. hinc elicit corrolarium. debet dijudicari superfluum, & necessarium secundum ea, quæ probabiliter, & vt in pluribus occurrunt.

Ex ratione, qua probat, tunc esse ex parte recipientis tempus, quo homo peccat mortaliter non dando eleemosinam, cum scilicet apparet euidens, & vrgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subueniat, elicimus, quod vno subueniente pauperem remanent alij exempti ab obligatione subueniendi, quia tunc non apparet amplius euidens, & vrgens necessitas, nec proximus amplius laborat necessitate, quia alius eius necessitatem subleuauit. immò dico, quod si quis certò, aut probabiliter sciret pauperis necessitatem ab alio subleuandam esse, ille exemptus esset ab obligatione faciendi eleemosinam, nam tunc est, ac si pauper ab alio fuisset adiutus, cum paratum habeat subsidium, quo ipsius necessitas subleuetur. quando autem vnus non subleuauit pauperis necessitatem de facto, nec certò, vel probabiliter scit, quod alter subleuabit, singuli homines, qui pauperis cognoscunt indigentiam, tenentur illum adiuuare, etiam si diuitijs æqualiter non affluant, quia præceptum Charitatis obligat singulos, & vnicuique mandatum est de proximo suo, nec major ratio est de vno, quam de alio, vno tamen subueniente cæteri nõ tenentur, vt diximus. ex ratione, qua probatur, tunc esse ex parte dantis tempus, quo homo peccat mortaliter non dando eleemosinam, cum videlicet habet superflua &c. elicimus, verum esse, quod supra diximus, nempe cum peccare mortaliter, qui de superfluo non facit eleemosinam nedum in graui, sed etiam in communi necessitate. circa corrolarium nota, verissimum esse, quod supradiximus de superfluo.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Reginaldus lib. 4. num. 247. Vasquez in opusc. cap. 1. de eleemosina dub. 3. nu. 28. & cap. 2. dub. 3. Beccanus. 2.2. c. 21. nu 5. Azorius. 2. p. lib. 12. cap. 8. quæsito 5. Malderus. a. 6. Petrus de Lorca disp. 39. nu. 50. & alij.

Quæritur, quando peccat quis elargiendo eleemosinam supra vires suas.

12 Respondeo dicendum, quòd virtus in dando potest considerari dupliciter, scilicet simpliciter, seu absolutè, & secundùm proportionem aliorum: quando ergo dat plus, quam alij suæ proportionis, non peccat, sed si simpliciter dat supra virtutẽ, tunc immoderatè dat. lect. 1. cap. 8. secundæ ad Corinthios.

Conclusione duplici respondet D. Thomas huic quæsito data distinctione, quæ est. virtus in dando potest considerari dupliciter, scilicet simpliciter, seu absolutè, & secundum proportionem aliorum. prima conclusio. quando quis dat plus, quam alij suæ proportionis, non peccat. secunda conclusio. si simpliciter dat supra virtutem, tunc immoderatè dat.

Hæc doctrina est responsio ad tale argumentum, quicunq; dat supra virtutem, dat immoderatè, & nomine virtutis intelligit D. Thomas possibilitatem, & est sensus, quicunq; dat in eleemosinam supra possibilitatem suarum facultatũ, & diuitiarum, immoderatè dat. cui dubio respondet, quod dare supra virtutem stat dupliciter, scilicet absolutè, & secundum proportionem aliorum, qui ergo dat supra suam possibilitatem absolutè, peccat, quia immoderatè dat, & ipse postea indigebit, nec seruat modum, in quo cõsistit rectum iuxta illud.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra, citraque nequit consistere rectum.

Qui autem dat supra virtutem suam non absolutè, sed secundum proportionem aliorum, nõ peccat, quia non immoderatè dat.

Quæritur, an in facienda eleemosina sit expectanda vltima necessitas.

13 Respondeo dicendum, quòd in facienda eleemosina non expectanda est vltima necessitas, quia tunc fortè non posset iuuari natura iam fame, vel siti consumpta. 4. sent. d. 15. q. 2. a. 1. quæst. 4 ad 4.

Vnica cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. in facienda eleemosina non expectanda est vltima necessitas. probatur, quia fortè non posset iuuari natura iam fame, vel siti consumpta.

Ex hoc loco habemus, rectè dixisse Caietanũ, & Sotum, dum diffiniebant extremam necessitatem, dicens Caietanus, quod extrema necessitas non est, quando emissurus est quis spiritũ, Dominicus autem Sotus aiebat, non esse, quando quis est in articulo mortis, & remediũ aliquod ei afferri non potest, quia tunc non potest iuuari natura iam fame, vel siti consumpta; sed vltima, & extrema necessitas est ex Caietano, quando ob defectum necessariorum apparet, quod ille, moritur, nisi ei succurratur de necessarijs modo, quãdo possunt ipsi prodesse subuentiones, antequam desperetur de vita illius; ex Soto autem tunc est, quando quis periculo appropinquat incurabilis infirmitatis, aut alterius miseriæ; vel cum probabiliter timetur mors, nisi ante subueniatur. hæc, inquam, vltima, siue extrema necessitas non est expectanda, vt subueniatur illã patienti, quia tunc fortè non posset iuuari natura iam fame, vel siti consumpta.

Quæritur, an mortaliter peccet dans eleemosinam alicui, vt eum in hæresim inducat.

14 Respondeo dicendum, quòd ille, qui dat eleemosinam, vt aliquem inducat ad hæresim mortaliter peccat propter intentionem corruptam. 2. 2. quæst. 154. art. 4. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cõclusione, quæ est. ille, qui dat eleemosinam, vt aliquem inducat ad hæresim, mortaliter peccat, probatur, quia habet intentionem corruptam.

Ad explicationem huius litteræ obserua, quod aliquid dicitur esse peccatum mortale dupliciter, vno modo secundum speciem suam, vt furtum, rapina, fornicatio, adulterium, & huiusmodi; alio modo dicitur aliquid esse peccatum mortale ex sua causa, & in hoc sensu dare eleemosinã alicui, vt illum inducat ad hæresim, est peccatum mortale, quia dare eleemosinam in hoc casu procedit à causa mortali, nempe ex intentione corrupta.

De quibus sit facienda eleemosina.

Cap. II.

1 *De necessario simpliciter sibi, & familiæ non est facienda eleemosina regulariter.*

De necessario simpliciter debet fieri eleemosina personæ vtili Reipublicæ in casu, quo indigeat.

De necessarijs ad decentiam personæ propriæ, & familiæ est bonum facere eleemosinam, & cadit sub consilio.

In tribus casibus laudabiliter facit quis, si prætermittat necessaria ad decentiam status, vt succurrat maiori necessitati.

§ *Existenti in extrema necessitate est nedum ex superfluis, sed etiam ex necessarijs donandum; nec sufficit mutuare, vel commodare, vel locare.*

Ille, cui datum est in eleemosinam aliquid, non tenetur ad restitutionem, quando ad pinguiorem fortunam venerit, & quare.

Soluuntur argumenta Toleti.

Consilium est, & non præceptum subtrahere sibi, & dare alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur.

2 *De quibus male acquisitis possit, & de quibus non possit fieri eleemosina.*

§ *In casu extremæ necessitatis licitum est alienum retinere, & accipere, & de eo facere eleemosinã, si aliter subuenire nõ possit necessitatem patienti.*

Si tamen fieri potest sine periculo, debet requiri voluntas Domini.

Si pecuniarum quis est Dominus, & habeat, vnde satisfaciat pro furto, potest de illis facere eleemosinam patienti grauem necessitatem.

Si pecuniarum non est Dominus, vel non habet, vnde satisfaciat pro furto, licet illarum sit Dominus, non potest de illis facere eleemosinam.

Meretrix non potest accipere precium pro futura copula: post copulam potest illud recipere, nec est illicitum, & illius habet Dominium.

3 *De illicitis ex iure Diuino per ludum non potest fieri eleemosina.*

Quando quis per ludum lucratur ab aliquo, qui traxit eum ad ludum, debet de lucro facere eleemosinam.

§ *Quomodo intelligatur, quod dicit D. Thomas, quod si quis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum, tenetur ei restituere lucrum, neque potest de eo facere eleemosinam.*

4 *Potest aliquis surripere de alieno, & illud dare patienti extremam necessitatem, si aliter subueniri non possit.*

§ *Persona honorabilis existens in extrema necessitate non tenetur mendicare.*

Persona infimæ conditionis in extrema necessitate tenetur mendicare.

Talis persona in tali necessitate non potest aliena rapere, & quare.

Siquis per artem potest sibi victum quærere, non potest alia accipere existens in extrema necessitate.

Patiens extremam necessitatem, nec inueniens, qui sibi vltrò succurrat, vi potest ab alio rapere sibi necessaria.

In tali casu non dicitur rapere aliena, & quare.

In tali casu ille alter non potest illum impedire.

Quæritur, an de necessario sit facienda eleemosina.

1 Respondeo dicendum, quòd necessarium dupliciter dicitur, vno modo sine quo aliquod esse non potest, & de tali necessario omninò eleemosina dari non debet, puta si aliquis in articulo necessitatis cõstitutus haberet solum, vnde posset sustentari, & filij sui, vel alij ad eum pertinentes, de hoc enim necessario eleemosinam dare est sibi, & suis vitam subtrahere; sed hoc dico nisi fortè

talis

talis casus immineret, vbi subtrahendo sibi daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustētaretur, quia pro talis personæ liberatione seipsum, & suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum bonum commune sit proprio præferendum: alio modo dicitur aliquod necessarium, sine quo non potest conuenienter vita transigi secundùm conditionem, & statum propriæ personæ, & aliarũ personarum, quarum cura ei incumbit; huiusmodi necessarij terminus non est in indiuisibili constitutus, sed multis additis non potest dijudicari esse vltra tale necessarium, & multis subtractis adhuc remanet, vnde possit conuenienter aliquis vitam transigere secundùm proprium statum: de huiusmodi ergo eleemosinam dare est bonum, & nō cadit sub præcepto, sed sub consilio: inordinatum esset autem, si aliquis tantùm sibi de bonis proprijs subtraheret, vt alijs largiretur, quod de residuo non posset vitam transigere conuenienter secundum proprium statum, & negotia occurrentia, nullus enim inconuenienter viuere debet: sed adhuc tria sūt excipienda, quorum primùm est, quando aliquis statum mutat, puta per Religionis ingressum, tunc enim omnia sua propter Christum largiens opus perfectionis facit, se in alio statu ponendo: secundò quando ea, quæ sibi subtrahit, & si sint necessaria ad conuenientiam vitæ, tamen de facili resarciri possunt, vt non sequatur maximum inconueniens: tertio quando occurreret extrema necessitas alicui⁹ priuatæ personæ, vel etiam aliqua magna necessitas Reipublicæ, in his enim casibus laudabiliter prætermitteret aliquis id, qđ ad decentiam sui status pertinere videretur, vt maiori necessitati subueniret. 2.2. quæst. 32. art. 6. in corp. (quæst. 117. art. 1. ad 2. (4. sent. d. 15. quæst. 2. ar. 4. quæstiunc. 1. in corp.

Quintuplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. de necessario, sine quo aliquis sustentari non potest, omninò eleemosina dari non debet. probatur, quia de hoc necessario eleemosinam dare est sibi, & suis vitam subtrahere. secunda conclusio. de tali necessario licitum est facere eleemosinam in casu, in quo subtrahendo sibi daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur. probatur, quia pro talis personæ liberatione se ipsum, & suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum bonum cōmune sit proprio præferendum. tertia conclusio. de necessario, sine quo non potest conuenienter vita transigi secundum conditionem, & statum propriæ personæ, & aliarum personarum, quarum cura ei incumbit, eleemosinam dare est bonum, & non cadit sub præcepto, sed sub consilio. probatur; quia & multis additis non potest dijudicari esse vltra tale necessarium, & multis subtractis adhuc remanet, vnde possit quis transigere vitam secūdum proprium statum. quarta conclusio. inordinatũ esset, si aliquis tantum sibi de bonis proprijs subtraheret, vt alijs largiretur, quod de residuo non posset vitam transigere conuenienter secundum proprium statum, & negotia occurrentia. probatur, quia nullus inconuenienter viuere debet. quinta conclusio. in tribus casibus aliquis laudabiliter prætermitteret id, quod ad decentiam sui status pertinere videretur, vt maiori necessitati subueniret. explicatur, vt quando vel mutat statum; vel de facili resarciri potest, ne sequatur magnum inconueniens; vel occurrit extrema necessitas priuatæ personæ, aut magna necessitas Reipublicæ. quæ omnia explicantur in textu.

Prima conclusio iam est explicata in quæsito septimo præcedentis capitis. ad quorum maiorem explicationem, & huius conclusionis dilucidationem videndum est, an in tali necessitate extrema sufficiat mutuare, commodare, locare patienti illam, an requiratur donatio. inquo video Doctores dissidentes, nam Adrianus in 4. in materia de restitutione ait, quod adimpletur præceptum commodando. Adrianum sequitur Nauarrus in manuali cap. 17. nũ 61. Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 37. nu. 1. & aliqui alij recentiores. oppositum docet Dominicus Sotus lib. 4. de iustitia, & iure. q. 7. a. 1. ad 4. nempe quod in extrema necessitate requiritur donatio, Sotum sequitur Dominicus Bannes. 2. 2. q. 32. art. 6. dubitatione. 3. Petrus Nauarrus lib. 3. c. 1. num. 365. & alij plures recentiores. Medina codice de pænit. tract. 5. de eleemosina docet, quod ex superfluis est donandum, ex non superfluis sufficit mutuare. ego puto, quod existēti in extrema necessitate donandum est nedum ex superfluis, sed etiam ex necessarijs, nec sufficiat mutuare, vel commodare, vel locare: probatur primò ex quiditate eleemosinæ, quæ est, quod sit gratuita donatio rei necessariæ ad miseriam subleuandam, commodatum autem, & locatum, vel mutuum non sunt quid gratuitum, ergo ille, qui commodat, vel locat, vel mutuat existenti in necessitate extrema non satisfacit præcepto. secūdò præceptum obligat ad actum virtutis eleemosinæ, non vero ad alium actum, ergo qui titulo mutui, vel alterius contractus dat alteri id, quo indiget, non satisfacit præcepto, quia non facit actum præcepti. hic tamen aduertendum est, q̃ est sermo de existente in extrema necessitate, id est de eo, qui non potest aliter sustentari, quàm per sibi data, vnde non tenetur quis dare alteri, qui licet non habeat aliquid in facultatibus, potest tamen sibi lucrari victum ex labore manuum sua-

suarum. similiter non tenetur diues donare alicui extreme patienti Comi, possidenti tamē bona Mediolani, vel Bononiæ, in hoc siquidem casu sufficit commodare, vt ait Dominicus Bannes loco citato, quia iste verè non est extremè patiens, cum aliunde habeat substantiam propriã. ex quibus omnibus patet, quod si existenti in necessitate extrema donãdum est necessarium personæ, multò magis donandum erit superfluum existenti in graui, & communi necessitate. patet secundò, quod ille, cui datum est in eleemosinam aliquid, non tenebitur ad restitutionem, quando ad pinguiorem peruenerit fortunam, quia donatio transfert dominium, & eleemosina, quæ est gratuita donatio, pariter transfert dominiũ, vt etiam notauit Toletus lib. 5. cap. 24. num. 11. verum de hoc suo loco dicetur. nec obstant exẽpla allata à Toleto de Ioseph, & de Tobia, quorum primus in necessitate famis non donauit ægiptijs cibos, sed sub conditione quadam eis illos tradidit, dixit enim, adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si prec um non habetis. secundus verò dedit Gabelo egenti põdus argenti sub chirographo, quia Ioseph non tenebatur dare cibos gratis ægiptijs, qui licet fame laborarent, non erant tamen in extrema necessitate, immò habebant facultates, puta pecora, quibus emere poterant cibos, vnde benè Ioseph potuit pro cibis accipere pecora, nos autem loquimur de eleemosina danda pauperibus. Tobias autem rectè dedit pondus argenti Gabelo egenti sub chirographo, idest sub conditione, quod si diuitijs afflueret, sibi illud restitueret, vt exponit Liranus, sicut & nunc hoc rectè fieret, si sub tali conditione subsidium subministraretur egenti communiter, in qua necessitate communi licet sit in præcepto dare eleemosinam pauperibus, non tamen huic, vel illi, sed cui diues voluerit, vt supra diximus cum S. Thoma; vnde in tali communi necessitate possum huic commodare, alteri mutuare cum animo tamen elargiendi alijs.

Circa secundam conclusionem, qua dicitur, quod de necessario simpliciter licitum est facere eleemosinam in casu, in quo subtrahẽdo sibi daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur, obserua, quod omnes conueniunt, quod licet ei hoc facere, discordant autem de obligatione, nam Siluester verb. eleemosina. 91. conclusione 4. tenet, quod sit tãtum consilium. Siluestrum sequitur Armilla verb. eleemosina nu. 4. Dominicus autem Sotus apud Toletum docet esse præceptum. Sotum sequitur Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 34. n. 3. motus hac ratione, quia propter bonum commune tenetur quis proprium negligere. insuper ait, quod hoc videtur esse de mente D. Thomæ. attamen ego puto standum esse cum Siluestro, & Armilla, cum cernam eorum opinionem esse in D. Thoma fundatam, qui hoc in loco ait, quod laudabiliter quis faceret, si exponeret vitam suã periculo mortis pro liberatione personæ vtilis Reipublicæ, vel Ecclesiæ, talis ergo laudabiliter faceret, & profectò erit dignus laude talia prestans; non inquit tamen, quod adhoc teneatur, nec quod necessariò præstare hoc debeat, quod enim bonum commune sit preferẽdum proprio, consilium est, non præceptum; sicut consilium est, non præceptum, quod quis vitam propriam negligat propter bonum commune, & sic ruunt rationes Toleti.

Ex his patet, vnde desumpserint, quæ docent Azorius lib. 12. ca. 9. quæsito nono. Beccanus 2. 2. cap. 21. nu. 9. Valentia tom. 3. d. 3. q. nona. p. 2. Reginaldus lib. 4. c. 20. nu. 260. Petrus de Lorca. d. 39. n. 52. memb. 4. & alij.

Quæritur, an eleemosina possit fieri de iniustè acquisitis.

2 Respondeo dicendum, quòd tripliciter potest aliquid esse illicitè acquisitum, vno enim modo id, quod illicitè ab aliquo acquiritur, debetur ei, à quo est acquisitum, nec potest ab eo retineri, qui acquisiuit, sicut contingit in rapina, & furto, & vsuris, & de talibus, cum homo teneatur ad restitutionem, eleemosina fieri non potest: alio verò modo est aliquid illicitè acquisitum, quia ille quidem, qui acquisiuit, retinere non potest, nec tamen debetur ei, à quo acquisiuit, quia scilicet contra iustitiam accepit, & alter contra iustitiam dedit, sicut contingit in simonia, in qua dans, & accipiens contra iustitiam legis Diuinæ agit; vnde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosinas erogari, & eadem ratio est in similibus, in quibus scilicet, & datio, & acceptio est cõtra legem: tertio modo est aliquid illicitè acquisitum, non quidem quia ipsa acquisitio sit illicita, sed quia id, ex quo acquiritur est illicitum, sicut patet de eo, quod mulier acquirit per meretricium, & hoc propriè vocatur turpe lucrum, quod enim mulier meretriciũ exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei, sed in eo, quod accipit, non iniustè agit, nec contra legem, vnde quòd sic illicitè acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosina fieri. 2. 2. q. 32. a. 7. in corp. (4. sent. d. 15. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 3. in corp. (& quæstiunc. 2. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. de eo, quod illicitè ab aliquo acquiritur, & debetur ei, à quo est, acquisitum, nec ab eo, qui acquisiuit, potest retineri, eleemosina fieri non potest. probatur, quia de hoc homo tenetur ad restitutionem. secunda conclusio. id, quod est ita illicitè acquisitum, quod ille, qui acquisiuit, retinere nõ potest, nec

nec tamen debetur ei, à quo acquisiuit, quia scilicet contra iustitiam accepit, & alter contra iustitiam dedit, debet in eleemosinas erogari; & est eadem ratio in similibus, in quibus scilicet datio, & acceptio est contra legem. probatur, quia si ille, qui acquisiuit, retinere non potest, & illi, qui dedit, non debetur, cum contra iustitiã vterque fecerit, ergo &c. tertia conclusio: quod per causam tantum illicitam acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosina fieri. ꝓbatur, quia acquisitio rei non est illicita, quamuis sit ex causa illicita.

Conclusiones D. Thomæ legantur apud Gratianum in decreto. 14. causa. q. 5. per totam. Prima conclusio vera est extra casum extremæ necessitatis, quæ facit omnia communia. L. 2. ff. ad legem Rhodiam, de iactu. vnde sicut illi, qui talem patitur necessitatem, licet accipere de alieno ad sui sustentationem, si non inueniat, qui sibi dare velit, ita eadem ratione poterit quis alienum retinere, & de hoc eleemosinam dare, quinimmò & accipere, si aliter subuenire non possit necessitatem patienti, vt ait D. Thomas hoc in loco ad 3. qui tamen subiungit, si tamen fieri potest sine periculo, debet requisita Domini voluntate pauperi prouidere extremam necessitatem patienti. siquis autem quærat, an extra necessitatem extremam, puta in graui possit quis facere eleęmosinam de iniustè acquisitis, quæ tamen nõ sunt eadem numero restituenda, sed loco ipsorũ possunt alia consimilia restitui, puta quis furatus est centum aureos, quos etiam consumpsit, alias tamen pecunias, vel simile quid debet restituere, quæritur, an tales pecunias possit dare in eleemosinam patienti grauem necessitatem. respondebitur distinguendo, aut harum pecuniarum est verè dominus, aut non. rursus si est verè dominus, aut habet, vnde satisfaciat, aut non. his stantibus dico, quod si illarum pecuniarum est dominus verè, & habet, vnde satisfaciat pro furto, potest de illis facere eleemosinam, quia nulli facit iniuriam; si autem non sit verus illarum dominus, vel non habeat, vnde satisfaciat, licet illarum sit dominus, non potest de illis facere eleemosinam, quia eleemosina est actus Charitatis, iustitia autem exigit, vt vero domino reddatur suum, vnde si ipse non sit verus dominus illarum pecuniarum, vero domino debent dari; & licet sit verus dominus illarum, si tamen non habeat, vnde vero domino satisfaciat, debet domino prius satisfacere, in hoc enim, & similibus casibus iustitia præponenda est Charitati. circa secundam cõclusionem legatur Dominicus Bannes hoc in loco dub. 1. & 2.

Circa tertiam conclusionem, quę est de acquisito per causam illicitam, puta de precio acquisito per meretritium, istud, inquam, potest retineri, & de eo eleemosina fieri, nota, quod licet meretrix non possit ante copulam recipere precium pro copula futura, quia tunc precium participaret malitiam finis, ad quem ordinatur, potest tamen peracta meretricia copula retinere illud, & dare pauperibus, quia illius precij vera est domina, nec talis precij acquisitio est illicita, licet sit ex causa illicita.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Azorius. 2. p. lib. 12. cap. 12. quæsito. 6. Reginaldus lib. 4. cap. 22. n. 287. Petrus de Lorca 2. 2. d. 38. num. 6. Valentia hoc in loco p. 4. Beccanus 2. 2. cap. 2. nu. 17. & alij.

Quæritur, an eleemosina possit fieri de acquisitis per ludum.

3 Respondeo dicendum, quòd circa illa, quæ per aleas acquiruntur, videtur esse aliquid illicitum ex Diuino iure, scilicet quòd aliquis lucretur ab his, qui rem suã alienare non possunt, sicut sunt minores, & furiosi, & huiusmodi, & quòd aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum, & quòd fraudulenter ab eo lucretur, & in his casibus tenetur ad restitutionem, & sic de eo non potest eleemosinam facere: aliquid autem videtur esse vlterius illicitum ex iure positiuo ciuili, quod prohibet vniuersaliter tale lucrum: sed quia ius ciuile non obligat omnes, sed eos solos, qui sunt his legibus subiecti; & iterum per dissuetudinem abrogari potest, ideò apud illos, qui sunt huiusmodi legibus obstricti, tenentur vniuersaliter ad restitutionem, qui lucrantur, nisi fortè contraria consuetudo præualeat, aut nisi aliquis lucratus sit ab eo, qui traxit eum ad ludũ, in quo casu non tenetur restituere, quia ille, qui amisit, non est dignus recipere, nec potest licitè retinere tali iure positiuo durante; vnde debet de hoc eleemosinã facere in hoc casu. 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. non potest eleemosina fieri de eo, quod est illicitum ex iure Diuino, puta quod per aleas lucratum est à minoribus, furiosis, & huiusmodi, qui non possunt rem suam alienare, & ab attractis ad ludum ex cupiditate lucrandi; & de eo, quod fraudulenter est acquisitum. probatur, quia in his casibus tenetur homo ad restitutionem. secunda conclusio. homo debet eleemosinam facere in casu, quo lucratus sit ab illo, qui traxit eum ad ludum. probatur, quia in hoc casu non tenetur restituere; quia ille, qui amisit, non est dignus recipere; nec potest licitè retinere durante iure positiuo ciuili, quod prohibet vniuersaliter tale lucrum, ergo &c.

Circa quod dicebat D. Thomas in prima cõclusione, quod si quis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum, tenetur ei restituere lucrum, neque potest de eo eleemosinam facere, nota ex Caietano hoc in loco, quod loquitur D. Thomas de quocunque modo trahendi alium ad ludum;

dum-

dummodo alius patiatur inuoluntarium mixtũ; siue enim per inuitationem, siue precibus ductus veniat ad ludum, potest contingere, quod veniat inuoluntarius secundum quid, quia si non venit, patitur insultationem, aut exprobationem, & huiusmodi, vnde sicut ille, qui soluit vsuras, nõ transfert dominium propter inuoluntariũ mixtum, & non omninò liberum, ita qui ludit sic inuitatus, vt renuere non possit sine aliquo decore, aut damno proprio, non omninò est voluntarius in huiusmodi commutationibus, quæ fiunt in ludo, quas oportet esse ex libera omninò voluntate, cum debeant fieri recreationis causa, alioquin turpes esse videntur. sed qui inuitati spontè ludunt, ab alio non trahũtur, & consequẽter quod lucrati sunt ab illo, qui inuitauit, poterunt retinere, & de eo eleemosinam facere, si tamen aliunde non sit fraus. circa secundam conclusionem legatur D. Thomas. 4. sent. d. 15. q. 2. ar. 4. quæstiunc. 3. ad 2. & de hac nos infra verb. ludus. q. 8. diffusè agemus.

Quæritur, an in casu extremæ necessitatis liceat surripere alienum, & de illo facere eleemosinam.

4 Respondeo dicendum, quòd in casu extremæ necessitatis omnia sunt communia, vnde licet ei, qui talem necessitatem patitur, accipere de alieno ad sui sustentationem, si non inueniat, qui sibi dare velit; & eadem ratione licet habere aliquid de alieno, & potest de hoc eleemosinam dare, quinimmò & accipere, si aliter subueniri non possit necessitatẽ patienti: si tamẽ fieri potest sine periculo, requisita Domini voluntate debet pauperi prouidere extremam necessitatem patienti. 2. 2. qu. 32. art. 7. ad 3.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. licet ei, qui necessitatem extremam patitur, accipere de alieno ad sui sustentationem, si non inueniat, qui sibi dare velit. probatur, quia in casu extremæ necessitatis omnia sunt communia. secunda conclusio. in extrema necessitate licet habere aliquid de alieno, & potest de hoc eleemosinam dare, quinimmò & accipere, si aliter subueniri non possit necessitatem patienti. probatur eadem ratione. hinc elicitur corrolarium, quod si fieri potest sine periculo, requisita Domini volũtate, debet pauperi prouidere extremam necessitatem patieni.

Occasione primæ cõclusionis quærendum est, an in extrema necessitate teneatur homo potius mendicare sibi victum, quàm aliena rapere. ratio dubitationis est, quia si tenetur mendicare, iam non erit in extrema necessitate, cum per talem viam possit suæ satisfacere indigentiæ, & consequenter rapere aliena non poterit, nec tũc omnia sunt communia. huic dubio respondeo per hanc distinctionem, aut patiens extremã necessitatem est persona honorabilis, aut est persona infimæ conditionis; si sit persona honorabilis, illa non tenetur mendicare, quia pro ratione sui status hoc est sibi grauissimum; si autem sit persona infimæ conditionis, ista tenetur mendicare, quia per hoc non patitur notabile sui honoris detrimentum. hinc sequitur, quod talis persona non est in extrema necessitate, & consequenter non poterit aliena rapere. idem dicendum est, si per aliam viam, puta per aliquam artem poterit sibi victum acquirere.

Quæritur secundò, an existens in extrema necessitate, nec inueniens, qui sibi vltrò succurrat, possit vi rapere ab alio sibi necessaria. cui dubio respondeo, posse huiusmodi patientem extremam necessitatem vi ab alio rapere sibi necessaria. quia in extrema necessitate omnia sunt cõmunia, & extrema necessitas ius illi confert ad omnia sibi necessaria, saltem quoad vsum, vnde nec in tali casu dicetur vi rapere aliena, quia in tali casu sunt sua, saltem quo ad vsum, vnde tunc vtitur iure suo, & consequenter ille alter non potest illum impedire, quin suo vtatur iure.

Quibus sit facienda eleemosina, & quo ordine. Cap. III.

1 *Prius est subueniendum necessitati absolutæ, quàm conditionatæ.*

Prius est subueniendum necessitati absolutę extraneorum, quàm propria, & propinquorum condionatæ.

Prius est subueniendum necessitati propriæ, & propinquorum absolutę, quam necessitati extraneorum absolutæ.

§ *Maiori necessitati prius est subueniendum, quam minori, in quocunque subiecto sit.*

Hæc regula vera est cæteris paribus.

Existente æquali necessitate prius succurrendum est propriæ, quam alienæ necessitati. inter alienas prius succurrendum est necessitati propinquorum, quam extraneorum; si non possit simul vtrisque necessitatibus succurrere.

2 *Non dicitur quis facere sibi eleemosinam propriè.*

Distributor eleemosinarum potest sibi partem earum retinere, si indigeat.

§ *Verba iuris ciuilis inquientis, si dedero tibi centum, vt cui volueris dares, si consumpseris, mandati teneris, quomodo sunt intelligenda.*

3 *Cæteris paribus melius est dare eleemosinam magis indigenti.*

Si minus indigens sit melior, melius est ei dare.

4 *Eleemosina est magis danda propinquioribus.*

Eleemosina magis danda est sanctiori, vtili Reipublicæ, & indigenti, quàm propinquo.

§ *Prima cõclusio D. Thomę vera est cæteris paribus.*

5 *Peccatori vt homini est faacienda eleemosina.*

6 *Peccatores quo ad naturam sunt diligendi ex Charitate.*

Peccatores vt peccatores non sunt diligendi, sed odio prosequendi.

Pecca-

Peccator, cui vt homini datur eleemosina, si ea abutatur ludendo, luxuriando, amplius non est danda eleemosina ei.

6 *Clericis indigentibus dantur eleemosinæ ad sui sustentationem.*

Clericis non indigentibus dantur eleemosinæ, vt eas alijs distribuant.

Quæritur, quinam ordo seruandus sit in facienda eleemosina.

1 RESpondeo dicendum, quòd ex parte necessitatis talis debet esse ordo, vt prius absolutæ necessitati subueniatur, quàm alicui necessitati conditionatæ, quæ est, cum quis indiget aliquo ad sui status decentem conseruationem: & ideò præceptum legis adhoc obligat, vt illud, quod superest alicui post subuentionem perfectam, & sibi coniunctis, puta familiæ, quam gubernare debet respectu vtriusque necessitatis, in eleemosinas expendat ad subueniendum alijs respectu vtriusque dictarum necessitatum: & similiter præceptum legis obligat, quòd etiam necessitati extraneorum absolutæ primò subueniatur, quam necessitati propriæ, vel propinquorum conditionatæ: & ideò dicitur communiter, quòd dare eleemosinam de superfluo cadit in præcepto, & sic homo debet dare eleemosinam ei, qui est in extrema necessitate de eo, quod est necessarium necessitate secunda, non autem de eo, quod est necessarium necessitate prima: quia hoc esset contra ordinem Charitatis. 4.sent.d.15.q.2.a.1. quæstiun. 4. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. in necessitate talis debet esse ordo in facienda eleemosina, vt prius absolutæ necessitati subueniatur, quam alicui necessitati conditionatæ. probatur, quia præceptum legis adhoc obligat, vt illud, quod superest alicui post subuentionem perfectam, & sibi coniunctis, puta familiæ, quam gubernare debet respectu vtriusq; necessitatis, in eleemosinas expendat ad subueniendum alijs respectu vtriusque dictarum necessitatum. secunda conclusio. præceptum legis obligat, quod etiam necessitati extraneorum absolutæ primò subueniatur, quam necessitati propriæ, vel propinquorum conditionatæ. probatur, quia communiter dicitur, quod dare eleemosinam de superfluo cadit in præcepto. tertia conclusio. homo debet dare eleemosinam ei, qui est in extrema necessitate de eo, qđ est necessarium necessitate secunda, non autem de eo, quod est necessarium necessitate prima. probatur, quia hoc esset contra ordinem Charitatis.

Pro explicatione conclusionum harum nota duas regulas, quarum prima est, quod maiori, siue grauiori necessitati prius est subueniendum, quam minus graui, in quocunq; subiecto sit; quia autem necessitas absoluta, quæ dicitur necessitas naturæ, grauior est necessitate cōdicionata, quæ dicitur necessitas personæ, ideò prius succurrendum erit patienti necessitatem absolutam, quam conditionatam, in quocunq; subiecto sit necessitas illa extrema, vnde si necessitas alieni est extrema, necessitas autem consanguinei sit tantum grauis, prius succurrendum erit extraneo, quam consanguineo; immò si necessitas extranei est extrema, & necessitas propria sit tantū grauis, prius succurrendum est necessitati extranei, quam propriæ: idem dic, si necessitas vnius sit grauis, alterius autem communis. hæc tamen vera sunt cæteris paribus, vt ait D. Thomas 2.2. q.32.a.3. ad 1. quia si minus indigens sit melior, & melioribus indigeat, dare ei melius est. verū hoc magis explicabitur in q. 3. ex quibus liquet malè dixisse Beccanum, dum ait, quod præcisa necessitate extrema quilibet possit pauperē præferre, quem prudenter præferendum iudicauerit, siue hoc faciat ratione cōiunctionis, siue modestiæ, siue pietatis, siue alterius rationabilis causæ. & sic remanent explicatæ duæ primæ cōclusiones. secunda regula est, quod existente æquali necessitate prius succurrendum est propriæ, quam alienæ necessitati; & inter alienas prius succurrendum est necessitati propinquorum, quam extraneorum, si nō possit simul vtrisque necessitatibus succurrere, vnde benè dixit tertia conclusio, quod existenti in extrema necessitate non est facienda eleemosina de eo, qđ est necessarium necessitate absoluta, quia fieret contra ordinem Charitatis, qui ordo postulat, vt de necessario absolutè, & naturę sibi ipsi prius homo prouideat, quā alijs in eadem necessitate existentibus. ordo etiam Charitatis exigit, vt existentibus propinquis, & extraneis in æquali necessitate extrema prius propinquis sit subueniendum, quam extraneis, quia propinqui sunt magis dilegendi. quod autem diximus de extrema necessitate, dicendum etiam erit de graui, & communi necessitate, nempe quod duobus existentibus in ęquali graui necessitate, vel communi prius succurrendum est propriæ graui, vel communi necessitati, quam graui, vel communi alienæ; & inter alienas prius subueniendum est necessitati graui, vel communi propinquorum, quam extraneorum in eadem necessitate existentium.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus c. 39. num. 1. & 2. Valentia tom. 3. d. 3. q. 9. p. 4. Reginaldus lib. 4. cap. 20. n. 251. 301. 303. Abulensis in cap. 6. Matthei q. 69. Petrus de Lorca. d. 37. num. 21. Vasquez in opusc. de eleemosina cap. 3. dub. 3. nu. 20. Azorius. 2. p. lib. 12. cap. 13. Emanuel Sà verb. Charitas ad finem.

Quæritur, an aliquis possit sibi facere eleemosinam.

2 Respondeo dicendum, quòd cum eleemosina sit opus misericordiæ, sicut misericordia non est propriè ad se ipsum, sed per quandam similitudinem, ita & propriè loquendo nullus sibi eleemosinam facit, nisi fortè ex persona alterius, puta cum aliquis distributor ponitur eleemosinarum, potest & ipse sibi accipere, si indigeat eo tenore, quo, & alijs ministrat. 2.2.q.32.a.9. ad 3.

Vnica conclusione bimembri respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. propriè loquendo nullus sibi eleemosinam facit, nisi fortè ex pſona alterius. probatur prima pars, quia eleemosina est opus misericordiæ, sed misericordia non est propriè ad se ipsum, sed per quandam similitudinem. secunda pars explicatur, vt si aliquis distributor ponitur eleemosinarum, potest & ipse sibi accipere, si indigeat, eo tenore, quo & alijs ministrat.

Contra secundam partem conclusionis adesse videtur ius ciuile, quo dicitur, si dedero tibi centum, vt, cui volueris, dares, si consumpseris, mādati teneris, ergo malè dicitur in littera, quod distributor eleemosinarum possit sibi ipsi facere eleemosinam, si indigeat. quod tamen doctrina D. Thomæ non contrariatur iuri ciuili, ostendit Caietanus hoc in loco, qui ait, quod verba iuris sunt intelligenda formaliter, idest si distributor, non vt distributor, sed absolutè consumpserit eleemosinas, mandati tenebitur; non autem est sensus, quod si distributor applicet sibi ipsi pauperi, vt alteri, quod mandati teneatur, quia verè non facit contra mandatum donantis, qui dum in libertate distribuentis relinquit, vt det centum, cui voluerit, scilicet ex pauperibus, dat illi facultatem, vt etiam sibi ipsi, vt pauperi possit applicare eleemosinam ex illis centum, nec in hoc alicui facit iniuriam, si sibi absque fraude distribuat, sicut sibi similibus distribuit. ex hoc etiam quod distributor eleemosinarum constitutus est, non efficitur deterioris cōdicionis, quam fuerit antea, vnde si antequam distributor constitueretur, poterat vt pauper recipere eleemosinam à distributore donantis sibi elargitam, pari ratione vt distributor eleemosinæ alienæ poterit partem sibi applicare, vt pauperi alieno.

Quæritur, an facere eleemosinam magis indigenti sit melius.

3 Respondeo dicendum, quòd dare magis indigenti melius est cæteris paribus: sed si minus indigens sit melior, & melioribus indigeat, dare ei melius est. 2. 2. qu. 32. a. 3. ad 1.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. dare magis indigenti melius est cæteris paribus. secunda conclusio. si minus indigens sit melior, & melioribus indigeat, dare ei melius est.

D. Thomas nō probat suas conclusiones, quod tamen melius sit dare minus indigenti iusto, quā magis indigenti peccatori, & quod similiter sit melius dare minus indigenti meliori, quam magis indigenti minus bono, probat Caietanus, quem sequitur Dominicus Bannes hoc in loco, ratione pulcra, quæ talis est, quia licet in magis indigente sit maior materia misericordiæ, in bono tamen, & meliori est maior materia Charitatis, quæ apud nos est maior Virtus, & est ratio misericordiæ, ideò enim miseremur alicuius, quia ex Charitate miseriam illius quasi nostram ex vnione affectus reputamus, bonitas autem actus magis crescit ex ratione Charitatis, quam alterius Virtutis, cum ipsa sit primò bona, & forma reliquarum ex fine vltimo sibi proprio obiecto.

Quæritur, an eleemosina sit magis danda propinquiori.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut Augustinus dicit in primò de Doctrina Christiana, illi, qui sunt nobis magis coniuncti, quasi quadam sorte nobis obueniunt, vt eis magis prouidere debeamus: est tamen circa hoc discretionis ratio adhibenda secundùm differentiam coniunctionis, & sanctitatis, vtilitatis, nam multò sanctiori, & magis indigentiam patienti, & magis vtili ad commune bonum est magis eleemosina danda, quàm personæ propinquiori, maximè si non sit multum coniuncta, cuius cura specialis nobis immineat, & si magnam necessitatem non patitur. 2.2.q.32.a.9. in corp. & ad 2. (4. sent. d. 15. q.2.a.5. quæstiunc. 3. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. qui sunt nobis magis coniuncti, quasi quadam sorte nobis obuenit, vt eis magis prouidere debeamus. hæc cōclusio est D. Augustini in primò de Doctrina Christiana. c. 28. secunda conclusio. multo sāctiori magis indigentiam patienti, & magis ad commune bonū vtili est magis eleemosina danda, quam personæ propinquiori, maximè si non sit multum coniuncta, cuius cura spetialis nobis immineat, & si necessitatem magnam non patitur. probatur, quia circa hanc de eleemosina materiam adhibenda est discretionis ratio secundum differentiam cōiunctionis, & sanctitatis, & vtilitatis.

Prima conclusio D. Thomæ vera est cęteris paribus, vt patet per secundam conclusionem, quæ moderatiua est primæ, & hoc expresè habet ēt D. Thomas hoc in loco ad 2. cuius sunt formalia verba,

verba, secundum Charitatem propinquiori magis prouidere debemus cæteris paribus. si ergo propinqui sint æquè boni, vel æquè vtiles Reipublicæ cum extraneis, præferendi sunt, secùs autem, si cætera non sunt paria.

Quæritur, an peccatori sit facienda eleemosina.

5 Respondeo dicendum, quòd peccatori nō est subueniendum, in quantùm est peccator, idest vt per hoc in peccato foueatur, sed inquantùm homo est, idest vt natura sustentetur. 2.2.q.32.a.9.ad 1. (4. sent. d. 15.q.2.a.5.in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. peccatori non est subueniendū, inquantum est peccator, idest vt per hoc in peccato foueatur, sed inquantum homo est, idest vt natura sustentetur.

Fundamentum huius doctrinæ est id, quod supra verb. Charitas cap. 2. q.6. docuimus cum S. Thoma, nempe quod peccatores quoad naturā sunt ex Charitate diligendi, diligere autem aliquem est velle illi bonum, vnde peccatoribus est benefaciendum, secundum quod legitur Mathęi 5. benefacite ijs, qui oderunt vos, quia tamen non sunt diligendi, quatenus peccatores sunt, idest quo ad culpam, aliter diligeremus illorum peccatum, immò secundum hanc rationem odio prosequendi sunt iuxta illud, iniquos odio habui psal. 118. ideò nec illis, vt peccatoribus est eleemosina elargienda, ne illorum peccato fomentū præstare videamur, illis ergo tātum per eleemosinam est subueniendum, quatenus eorum natura eget sustentatione. hinc elicic Seraphinus à Porrecta hoc in loco, quod si peccator, cui, vt homini tantum eleemosina danda est, abuteretur eleemosina, vel ludendo, vel luxuriando &c. amplius ei non est danda eleemosina.

Quæritur, an Clericis sit facienda eleemosina.

6 Respondeo dicendum, quòd Clericis, etiam si ipsi non indigeant, eleemosinæ dantur, vt ministris pauperum, & dispensatoribus eleemosinarum: & ideò quod eis in eleemosinam datur, per eos pauperibus transmittitur. 4. sent. d. 15. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Clericis, etiam si ipsi non indigeant, eleemosinæ dantur, vt ministris pauperū, & dispensatoribus eleemosinarum. ex hac conclusione elicitur corrolarium tale, quod eis in eleemosinam datur per eos pauperibus transmittitur.

Quia dictum est, quod eleemosinæ debentur indigentibus, consequenter Clericis non egentibus. sed præbendatis dari non deberent, attamen etiā istis Clericis diuitibus esse dandas eleemosinas, asserit D. Thomas, vt ministris pauperum, & eleemosinarum distributoribus, vnde in hoc casu dantur pauperibus, dantur enim ad subleuamen pauperum, non ad sustentationem Clericorum diuitum.

De illis, qui possunt facere eleemosinam.

Cap. IV.

1 *Subditus non potest facere eleemosinam de his, in quibus est subditus.*

De illis, in quibus non est subditus, potest facere eleemosinam.

5 *Nullus potest donare rem, cuius non habet dominium, vel saltem si non habeat consensum Domini illius rei.*

Seruus potest eleemosinam facere de suo salario.

Vxor potest facere eleemosinam de alijs, quæ habet præter dotem.

In necessitate extrema potest inferior eleemosinā facere de re superioris, etiam ipso nolente.

Idem præstare possunt secundum aliquos in graui etiam necessitate, quando tamen ad superiorem recursus haberi non potest.

Quando inferior percipit, quod superior lætatur de eleemosina, quæ fit de rebus suis, potest de illis eleemosinam facere.

2 *Monachus habens dispensationem commissam potest facere eleemosinam secūdùm commissionem.*

Monachus non habens commissam dispensationem non potest facere eleemosinam sine licentia Abbatis expressa, vel præsumpta.

In casu extremæ necessitatis potest facere eleemosinam.

5 *Monachus habens dispensationem commissam nedū potest, sed debet facere eleemosinam.*

Quæ dicatur expressa, & præsumpta licentia superioris.

Religiosus existens in scholis, vel in peregrinatione de voluntate superioris potest facere eleemosinam.

Ista tamē eleemosina debent esse leuiores, et vulgares de rebus ad suum vsum concessis.

In casu extremæ necessitatis nedum Religiosus potest, sed tenetur facere eleemosinam non obstante prohibitione Prælati.

Religiosus in absentia Prælati potest aliquod modicum in eleemosinam dare sub spe ratihabitionis.

3 *Vxor potest facere eleemosinas moderatas sine consensu mariti de lucratis ab ipsa, vel quocunque alio modo licito habitis.*

Alias vxor non potest facere eleemosinas sine consensu expresso, vel præsumpto mariti.

In articulo necessitatis potest facere eleemosinas.

5 *Vxor potest facere eleemosinam de bonis parafernalibus, & de lucratis ab ipsa, nisi sit lex aliqua hoc prohibens, & nisi prohibeatur vxor à viro.*

Si prohibeatur à viro, potest probabiliter credere, quod eam prohibeat à superfluitate eleemosinarum, nisi apertè contrarium pateat.

Vxor potest facere eleemosinam de sibi donatis.
Vxor potest facere eleemosinam de his, quæ sibi assignauit vir pro suo victu.
Potest etiam facere eleemosinam de lucratis ex adulterio.
Eleemosinæ supradictæ debent esse moderatæ, ne vir depauperetur.
De dote non potest facere eleemosinam, & quare.
Duo requiruntur, vt quis possit facere eleemosinā de bonis aliquibus, & quæ.
Vxor non potest facere eleemosinam de bonis mariti sine consensu expresso, vel præsumpto illius, regulariter loquendo.
Inter bona mariti computantur bona dotalia.
Recensentur casus, in quibus vxor potest facere eleemosinam sine vllo consensu mariti de bonis illius, & explicantur.
In extrema necessitate vxor potest facere eleemosinam de rebus mariti nedum sine vllo suo consensu, sed etiam ipso renitente.
4 *Filij familias non possunt facere eleemosinam.*
Filij familias possunt facere aliquam eleemosinam modicam de consensu præsumpto Patris.
Filij familias possunt facere eleemosinas de his, quorum dispensatio sibi commissa est à Patre.
Serui non possunt facere eleemosinam de rebus Domini.
Serui possunt facere eleemosinam de precio sui seruitij.
5 *Licet filius sit hæres, non est tamen Dominus viuente Patre rerum Patris.*
Filij non possunt facere eleemosinam de rebus Patris sine consensu expresso, vel tacito eius.
Si habent bona propria, de illis possunt facere eleemosinam sine consensu Patris.
Filius potest facere eleemosinam de pecunijs sibi datis à Patre pro itinere aggrediendo, vel pro studio, vel aliquo huiusmodi.
Itē de redditib' beneficij, si sint Clerici beneficiati.
Item de lucratis ex officio.
In necessitate extrema potest facere filius eleemosinam de rebus Patris nedum sine vllo suo consensu, sed etiam ipso renitente.
Serui non possunt facere eleemosinam de rebus Domini sine expresso, vel tacito consensu Domini.
Possunt tamen panē, et huiusmodi dare pauperibus.
In extrema necessitate poterunt dare eleemosinam de rebus Domini nedum sine vllo eius consensu, sed etiam ipso renitente.
Seruus constitutus à Domino dispensator rerum suarum non potest facere eleemosinam de rebus Domini, & quare.
De suo salario, & de lucratis ex industria sua potest facere eleemosinam.

Quæritur, an illi, qui sunt sub alterius potestate, possint facere eleemosinas.

1 RESpondeo dicendum, quòd ille, qui est sub potestate alterius cōstitutus, inquantū huiusmodi secundùm superioris potestatē regulari debet, hic est enim ordo naturalis, vt inferiora secundùm superiora regulentur, & ideò oportet, quòd ea, in quibus inferior superiori subijcitur, dispenset non aliter, quàm ei sit à superiore commissum; sic ergo ille, qui est sub potestate constitutus de re, secundùm quàm superiori subijcitur, eleemosinam facere non debet, nisi quatenus ei à superiore fuerit commissum: si quis verò habeat aliquid, secundùm quod potestati superioris non subsit, iam secundū hoc non est potestati subiectus quantùm adhoc proprij iuris existens, & de hoc potest eleemosinam facere. 2. 2. q. 32. ar. 8. in corp. (4. sent. d. 15. qu. 2. art. 4. quęstiunc. 3. in corp.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ille, qui est sub potestate alterius constitutus, de re, secundum quā superiori subijcitur, eleemosinam facere non debet, nisi quatenus fuerit à superiore commissum. probatur, quia qui est sub potestate alterius constitutus inquantum huiusmodi, secundum superioris potestatem regulari debet, hic enim est ordo naturalis, vt inferiora secundum superiora regulentur. secunda conclusio. si quis habeat aliquid secundum quod potestati superioris non subsit, de hoc potest eleemosinam facere. probatur, quia iam secundum hoc non est potestati subiectus, & quantum ad hoc proprij iuris existit.

Ad explicationem harum conclusionum sciēdum est, quod nullus potest donare rem, cuius non habet dominium, vel saltem si non habeat consensum veri Domini illius rei, quia si habeat consēsum veri Domini, virtualiter est verus Dominus, idest ita se habet, ac si esset verus Dominus, qui autem est constitutus sub potestate alterius, sicut Religiosus, qui est subditus superiori suo, sicut seruus, qui est sub dominio domini sui, sicut vxor, quæ est sub potestate viri, sicut filius, qui est sub regimine Patris, non habet dominium rerum, sed dominium rerum residet apud superiorem, & gubernantē, & ideò tales subditi eleemosinā facere non possunt, nisi secundum quod sibi commissum fuerit à superiore, secundū cuius regulam regi debet inferior. si postea inferior habeat aliquid, secundum quod non subditur superiori, de hoc facere eleemosinam poterit, quia illius dominium habet, & est verè domin' illius, sicut seruus licet non possit facere eleemosinam de re sui domini absq; consensu illius, quia illius rei non est dominus, & in hoc subditur domino rei, potest tamen facere eleemosinam de suo salario, quia illius est verus dominus, nec in hoc subditur Domino; similiter vxor licet non possit facere eleemosinam de sua dote, quia subest dispositioni mariti, potest tamen facere eleemosinam de alijs, si quæ habet vltra dotem. verum de his infra. q. 3. & 4. aduerte tamen, quod conclu-

clusio prima D. Thomæ vera est extra necessitatem extremam, nam in necessitate extrema potest inferior eleemosinã facere de re superioris, etiam ipso nolente, vt habet glos. 12. q. 1. can. non dicatur. hoc etiam docet ipse D. Thomas hoc in loco ad 1. immò aliqui asserunt, & benè, quod etiã in graui necessitate hoc præstare possunt, quando tamen ad superiorẽm recursus haberi non potest, vt notat Panormitanus in c. si quis, de furtis, & glos. in c. non dicatis, & Silnester verb. eleemosina. q. 5. & ratio id suadet, quia tunc adest præsumpta superiorum voluntas. est & alius casus, in quo subditi possũt facere eleemosinam de re sui superioris, nempe quando inferior percipit, quod superior lætatur de eleemosina, quæ in dies fit de rebus suis, & hoc gratum habet, aliàs non possunt facere subditi eleemosinam de re sui superioris, nisi sibi hoc commissum fuerit à superiore, quando scilicet superior dat facultatem inferiori, vt possit eleemosinam erogare.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 28. num. 1.

Quæritur, an Monachis liceat facere eleemosinam.

2 Respondeo dicẽdum, quòd Monachus, si habet dispensationem à Prælato cõmissam, potest eleemosinas facere de rebus Monasterij, secundùm quòd sibi est commissum: si vero non habet dispensationẽ, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosinam sine licentia Abbatis, vel expresè habita, vel probabiliter præsumpta; nisi fortè in articulo extremæ necessitatis, in quo licitum esset ei furari, vt eleemosinam daret, nec propter hoc efficitur peioris conditionis, quia sicut dicitur in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, bonum est facultates cum dispensatione pauperibus ergore, sed melius est pro intentione sequendi Dominum simul omnia donare, & absolutum solicitudine, egere cum Christo. 2.2. qu. 32. art. 8. ad 1. (4. sent. d. 15. quæst. 2. ar. 4. quæstiunc. 4. in corp.

Duo facit D. Thomas in hoc quæsito, primò respondet quæsito triplici conclusione. secundò soluit quandam obiectionem. quo ad primum est prima conclusio. Monachus, si habet dispensationem à Prælato commissam, potest eleemosinas facere de rebus monasterij, secundum quod sibi est commissum. hæc relinquitur vt nota. secunda conclusio. si non habet dispensationem, tunc non potest facere eleemosinam sine licentia Abbatis, vel expresè habita, vel probabiliter præsumpta. probatur, quia nihil proprium habet. tertia conclusio. in articulo extremæ necessitatis potest facere eleemosinam Religiosus absque licentia superioris. probatur, quia in hoc casu licitum etiam esset ei furari, vt eleemosinam daret. quoad secundum est talis obiectio. si religiosus non potest facere eleemosinam extra necessitatem extremam absque licentia superioris, ergo efficitur peioris conditionis. respondet nõ effici inde peioris conditionis, quod probat ex lib. de Ecclesiasticis dogmatibus. c. 71. vt in littera.

Prima conclusio non habet difficultatem, ex hoc enim quod Religiosus facit, secundum quod sibi commissum est à supriore, iam exequitur voluntatem superioris, qui tanquam locum tenens communitatis dominium habet omnium bonorũ ad Religiosos pertinentium, dominium si quidẽ harum rerũ residet apud communitatem, cuius vices gerit Prælatus, qui tamen formaliter est tantum distributor horum bonorum ad Religiosos pertinentium. & consequenter sicut Prælatus potest facere de huiusmodi bonis eleemosinam, ita & inferior ex commissione superioris, & Prælati poterit eleemosinam facere; immò si habet dispensationem, nedum potest, sed etiam debet eam facere, vt ait Siluester verb. eleemosina. q. 5. circa secundam conclusionem, quã dicitur, quod Religiosus non potest facere eleemosinam sine expressa, vel probabiliter præsumpta licentia sui superioris, obserua, quòd tunc est expressa licentia, quando superior in communi, vel in particulari expressis verbis dat facultatem suis subditis faciẽdi eleemosinã, vt cognoui ego aliquos pios Prelatos in meo ordine; tunc autem est probabiliter præsumpta licentia, quando subditus cognoscit Prælatum, siue superiorem suum esse virum pium, & quod grata sibi erit eleemosinę elargitio, & de ipsa gaudebit; vel quando subditus probabiliter putat, quod si Prælatus adesset tunc, ipse faceret eleemosinam, vel facultatem eam faciendi impertiret; sine ergo huiusmodi licentia vel expressa, vel probabiliter presũpta non potest Religiosus facere eleemosinam, quia nihil proprij habet. 12. q. 1. non dicatis. quod etiam docuit Siluester verb. eleemosina. q. 5. qui tamen aduertit, quod Religiosus facere poterit eleemosinam, si de voluntate Prælati est in peregrinatione, vel scholis, quia tunc intelligitur cõcessa licentia faciendi, quod faciunt alij honesti peregrini, vel scholares. ar. 1. ad Macedo. & expresè habet D. Thomas. 4. sent. d. 15. q. 2. ar. 4. quæst. 4. in corp. qui etiam rationem affert, quia, cum detur ei expensæ, committitur ei earum dispensatio. istæ tamen eleemosinæ, vt inquit Dominicus Bannes hoc in loco, debent esse leuiores, & vulgares de rebus ad illorum vsum accomodatis, ex quibus eleemosinis communitas non patitur notabile detrimẽtum. circa tertiam conclusionem nota, quod in casu extremæ necessitatis nedum Religiosi possunt facere eleemosinam, sed etiam ad eam tenentur secundum Ricardum. 4. sent. d. 15. & glos. 12. q. 1. non dicatis, non obstante contradictione, & prohibitione Prælati, in tali enim casu omnia

nia

nia sunt cõmunia iure Diuino; immò citra extremam necessitatem potest absente Prælato dare aliquod modicum sub spe ratihabitionis, vt ait D. Thomas. 4. sent. d. 15. q. 2. art. 4. quæstiunc. 4. in corp. & post eum Siluester verb. eleemosina. quæst. 5.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 28. num. 1. & 2.

Quæritur, an vxor possit facere eleemosinam.

3 Respondeo dicendum, quòd si vxor habet alia præter dotem, quæ ordinatur ad sustentandum onera matrimonij, vel ex proprio lucro, vel quocunque alio licito modo, potest dare eleemosinas etiam irrequisito assensu viri, moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur, aliàs autem non debet dare eleemosinas sine consensu viri, vel expresso, vel præsumpto, nisi in articulo necessitatis, sicut de monacho dictū est, quamuis enim mulier sit æqualis viro in actu matrimonij, tamen in his, quæ ad dispensationem domus pertinet, vir caput est mulieris secundùm Apostolum primæ ad Corinth. 15. 2.2.q.32.a.8.ad 2. (4.sent.d.15.q.2.a.4. quæstiunc. 1. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si vxor habet alia præter dotem, vel ex proprio lucro, vel quocunque alio licito modo, potest dare eleemosinas, etiam irrequisito assensu viri, moderatas tamen. hæc conclusio habet plures partes, quarum prima relinquitur vt nota, nempe quod vxor possit facere eleemosinas de alijs à dote, puta de lucro proprio &c. etiam irrequisito assensu viri. secunda pars, nempe quod tales eleemosinæ debeant esse moderatæ, probatur, ne scilicet ex earum superfluitate vir depauretur. tertia pars, nempe quod de dote non possit facere eleemosinam, probatur, quia dos ordinatur ad sustentandum onera matrimonij. secunda conclusio. aliàs non debet dare eleemosinas sine consensu viri, vel expresso, vel præsumpto, nisi in articulo necessitatis. probatur prima pars, quia licet mulier sit æqualis vero in actu matrimonij, tamen in his, quæ ad dispositionem domus pertinēt, vir caput est mulieris ex Apostolo &c. probatur secunda pars, nempe quod in articulo necessitatis &c. quia in hoc casu etiam Monachus potest facere eleemosinam.

Circa primam conclusionem nota, quod vxor potest facere eleemosinam primò de bonis parafernalibus, quæ sunt bona, quæ vxor habet præter dotē, puta ex hęreditate aliqua, quia ista sua sūt, vt ait Siluester verb. eleemosina. quæst. 5. secundò vxor potest facere eleemosinam de eo, quod proprio labore lucratur, nisi tamen lex aliqua obstet, quod dico, quia, vt notat Dominicus Bannes hoc in loco, & Toletus lib. 7. de peccatis mortalibus cap. 29. num. 3. in Hispania lege ciuili cautum est, vt vxor non possit aliquem cõtractum facere, neque aliquid donare sine consensu viri, & lucrata à muliere sunt communia marito. limitandi sunt etiam duo prædicti casus secundum D. Thomam. 4. sent. d. 15. qu. 2. art. 5. quæstiunc. 1. in corp. dummodo non prohibeatur vxor à viro; & si etiam vir prohiberet verbo, posset probabiliter credere, quod eam non intēderet simpliciter ab eleemosinis coercere, sed à superfluitate eleemosinarum, nisi apertè pateret ei contrarium. tertiò vxor potest facere eleemosinam de sibi donatis, vt dicit Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 29. num. 3. quia illorum habet dominiū. quartò vxor potest facere eleemosinam, quando vir assignauit ei certum quid pro suo victu, & ipsa vult abstinere, vt in eleemosinas largiatur, quia illud videtur suum, sic docet Siluester verb. eleemosina. q. 5. vers. quintum, & post eum Toletus lib. 7. peccatis mortalibus cap. 29. nu. 2. quintò vxor potest facere eleemosinam de pecunijs per adulterium acquisitis, vt idem Toletus loco eodem docet, & idem videtur docuisse Dominicus Sotus lib. 4. de iustitia, & iure, q. 7. a. 1. est enim idem iuditium de his pecunijs, & de alijs, quæ opere manuum suarum acquisiuit, quorum omnium habet dominiū, ideò nec in his requiritur assensus viri. siquis autem obijciat litteram D. Thomæ inquientem, quod vxor potest facere eleemosinam de acquisitis ex proprio lucro, vel quocunque alio licito modo, ergo non de acquisito ex adulterio, quia iste est modus illicitus. respondebitur, quod licitum sumitur hoc in loco, vt distinguitur contra iniustum, & est sensus, quod vxor potest facere eleemosinam de quocunque lucrato licitè, idest iustè, non autem de iniustè acquisito, vt per furtum, vel rapinam &c. lucrum autem ex adulterio proueniens ex iustitia debetur adulteræ, & ideò de eo potest facere eleemosinam. hoc expresšè docuit D. Thomas. 2.2.q.32. artic. 7. in corp. vbi habet, quod mulier meretricium exerceat, turpiter agit; & contra legem Dei, sed in eo quod accipit, non iniustè agit, nec contra legem, vndè quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosina fieri. quid clarius? eleemosinę tamen de supradictis factæ debent esse moderatæ, ne vir depauretur. ad quid enim aliquem ditare, vt alter depauretur? adquid extraneū subleuare, vt maritus deprimatur? de Dote autem non potest facere eleemosinam, quia hæc ordinatur ad onera matrimonij sustinenda: licet autem vxor habeat dominium suæ dotis, nō sufficit tamen dominium, vt possit de ea eleemosinam facere, quia eius dispensatio alteri, idest marito est subdita, duo siquidem requiruntur, vt vnus possit facere eleemosinam de bonis aliquibus, primò quod dominium habeat illorum, secundò quod eorum dispensatio non sit alteri subdita, vxor licet habeat primum respectu suæ dotis, non tamen habet secundum, sed marito subditur.

ditur. circa secundam cõclusionem, qua dicitur, quod vxor non potest facere alias eleemosinas sine consensu expresso, vel præsumpto viri, obserua, quod loquitur de bonis viri, interquæ computantur bona dotalia, vt ait Siluester verb. eleemosina. q. 5. de quibus profectò non potest facere regulariter loquendo eleemosinas sine consensu expresso, vel præsumpto viri. C. vir do. in rebus 33. q. 5. c. quod Deo. dixi, regulariter loquendo, quia sunt aliqui casus, in quibus vxor poterit facere eleemosinam sine vllo consensu mariti, quorum primus ponitur à Paludano, & est si vir sit fatuus, quia tũc ad eam pertinet dispositio domus, nisi tamen per superiorem aliter fuerit ordinatum. secundus ponitur à Toleto lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 29. n. 2. & est, cum maritus profectus est in longinquam regionem. tertius ponitur à Siluestro verb. eleemosina. q. 5. si adest scilicet cõsuetudo loci, vt vxores de pane, vino, & huiusmodi faciant eleemosinam, quia consuetudo dat iurisdictionem, quod tamen moderatè fieri debet. subiũgit etiam, quod licet vir fortè aliquando prohibuerit, tamen debet sibi secundum summistas formare conscientiam, quod ei non displiceat, quia aliquando hoc faciunt viri, vt rẽperent vxores non à toto, sed ab excessu, & quia etiam ex pauperũ miseria cogitans, quod etiam marito placeret, si talem miseriam cerneret. si autem omninò sibi consciẽtia dictat, quod viro displiceat, deponat eam, si potest, & si non potest, cesset ab eleemosinis, nisi in duobus casibus, quorum primus est, si videret indigentiam ad mortem; secundus est, si vtiliter gerat negotium viri, puta quia videt eum crudelem, & sceleratum, auarum, occultè largitur eleemosinas, vt auertat iram Dei, & illum Diuina gratia illuminet, exemplo Abigail, quæ, vt legitur 1. Reg. cap. 25. liberauit maritum suum à morte datis muneribus Dauid contra mariti sui voluntatem. dixi, sine consensu expresso, quia quando adest consensus expressus, clarum est, quod potest facere eleemosinam, sicut cum expressis verbis dat facultatem, vt in manus pauperũ distribuat quid quid sibi v sum fuerit, vel cum maritus relinquit vxori rerum administrationem dixi, vel sine cõsensu præsumpto, qui tunc est, quando vxor percipit, quod maritus gaudet de eleemosinis, quas facit, licet nunquam expressam facultatem fecerit, per gaudium tamen illud pręsumitur licentia data; vlterius licet non gaudeat de eleemosinis, scit tamen, quod vxor facit eleemosinas, & tacet, tunc tacita datur vxori facultas, vt possit eleemosinas elargiri. præterea ait D. Thomas. 4. sent. d. 15. q. 2. artic. 5. quæstiuncula. 1. in corp. quem sequitur Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus c. 29. num. 4. quod vxor potest aliquas eleemosinas communes, & modicas facere, de quibus satis ei cõstare potest, quod viro placeret, si necessitatem pauperis inspiceret, in hoc siquidẽ casu adest præsumpta voluntas mariti. circa secundam partem conclusionis, qua dicitur, quod in articulo necessitatis potest vxor facere eleemosinas sine vllo consensu mariti, nota, quod intelligitur de extrema necessitate, tunc enim vxor potest eleemosinam facere de rebus mariti nedum non requisita voluntate eius, sed etiam ipso renitente, & nolente, vt habet glos. 12. q. 1. can. non dicatur, vt supradiximus de Religiosis.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 29. per totum.

Quæritur, an filij familias, & serui possint facere eleemosinam.

4 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt filij familias, sunt & Patris, & ideò non potest eleemosinam facere, nisi fortè aliquam modicam, de qua potest præsumere, quod Patri placeat; nisi fortè alicuius rei esset sibi à Patre dispẽsatio commissa: & idem dicendum est de seruis, qui tamen de pretio sui seruitij possunt eleemosinam dare. 2.2. q. 32. a. 8. ad 3. (4. sent. d. 15. q. 2. a. 4. quæstiunc. 2. in corp. & quæstiunc. 3. in corp.

Triplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. non potest filius familias facere eleemosinam, nisi fortè aliquam modicam, & nisi fortè alicuius rei esset sibi à Patre dispensatio commissa. hæc conclusio habet tres partes, & probatur quoad primam, quia ea, quæ sunt filij, sunt & Patris. secunda pars probatur, quia modica eleemosina pręsumitur, quod placeat Patri. tertia pars relinquitur vt nota. secunda conclusio. idem dicendum est de seruis. tertia conclusio. serui de precio sui seruitij possunt eleemosinas dare. hæc relinquitur vt nota.

Istud quæsitum est de duobus generibus personarum, nempe de filijs, & de seruis. circa filios familias nota id, quod supra docuimus, nempe neminem posse eleemosinam facere de re, cuius dominium non habet, cum autem filius non habeat dominium super res Patris sui, de illis eleemosinam facere non poterit; & licet filius sit hæres Patris, non tamen adhuc viuente Patre est dominus rerum eius, requiritur ergo consensus vel expressus, vel tacitus Patris, vt de bonis Paternis eleemosinam elargiri possit; expressus, inquam, vt cum expressis verbis illi facultatem impertitur hoc præstandi; tacitus autem, vt cum cognoscit, quod Pater lætatur de eleemosinis, quas elargitur, vel cum videt filium facientem eleemosinas, & tacet. ait etiam D. Thomas. 4. sent. d. 15. q. 2. ar. 5. quæstiuncula. 2. in corp. quod filius poterit facere eleemosinã de pane, & huiusmodi, quæ non inferunt sensibile damnum, de quibus satis constare potest, quod Parentibus placeat. D. Thomam sequitur Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 30. num. 2. in hoc enim casu adest consensus tacitus Patris, dum ei placet eleemosina à filio data. si quæ tamẽ habet bona propria, de illis poterit eleemosinas facere absq; vllo consensu Patris, puta si habet bona castrensia

sia, quæ scilicet in bello consecutus est, quia respectu horum bonorum censetur Pater familias ff. ad mace. l. 1. & notauit Siluester verb. eleemosina. q. 5. vers. quartum; sicut etiam absque vllo consensu Patris potest facere eleemosinam de illa summa pecuniæ, quæ sibi data est à Patre, vt iter aliquod aggrediatur; similiter cum commoratur extra domũ in studijs, siue vniuersitatibus, vel alijs locis ad negotia aliqua peragenda, & sibi conceditur certa quantitas pecuniæ pro sua sustentatione, tunc restringendo se in expensis potest erogare residuum in eleemosinam; vlterius poterit absque vllo consensu Patris erogare eleemosinam de redditibus beneficij, si filius sit Clericus beneficiatus, vel de lucratis ratione officij, vt si filius sit aduocatus, vel doctor catedraticus, vel medicus, vel notarius. In extrema autem necessitate poterit etiã de bonis Patris eleemosinam facere eo irrequisito, immò ipso renitente, & nolente, vt dictum est de Religioso, & vxore.

Quoad seruos nota ex D. Thoma. 4. sent. d. 15. q. 2. a. 5. quæstiuncula 3. in corp. quod serui, ancillæ, famuli, quamuis sint Liberæ conditionis, non possunt eleemosinas dare de rebus dominorum suorum sine eorum consensu, quod intellige, vel expresso, vel tacito, vt dictum est de Religiosis, vxoribus, & filijs familias; quia non possunt dare in eleemosinam id, quod in eorum non est situm dominio. possunt tamen panem, & huiusmodi pauperibus elargiri, quia ista non inferunt sensibile nocumentum. in extrema tamen necessitate alicuius poterunt res domini sui pauperi illi distribuere nedum sine illius consensu, sed etiam ipso renitente, & nolente. si autem aliquis quærat, an si seruus constituatur à Domino dispensator rerum suorum, possit tunc de rebus Domini eleemosinam facere. respondebitur cum S. Thoma loco citato, quod licet constitutus sit dispensator rerum domini, non tamen ponitur dispensator quasi potestatem aliquam in re Domini habens, sed quasi tractans eam ad vtilitatẽ Domini. de salario autem, quod sibi obuenit ex seruitio pręstito Domino potest eleemosinam facere, sicut & de lucratis industria sua, quia horum verus est Dominus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 30. num. 2. & 3.

De obligatione illius, qui recipit eleemosinã, & de illius effectu. Cap. V.

1 *Qui recipit eleemosinam, tenetur orare, & ieiunare, & alia huiusmodi facere pro dante eleemosinam.*

§ *Eleemosina includit in se virtutem orationis, & ieiunij.*

2 *Ex parte dantis, & præmij essentialis magis pensatur eleemosina ex affectu dantis, quàm ex re data.*

Respectu præmij accidentalis pensatur magnitudo rei datæ.

§ *Eleemosina habet efficaciam ex dante, & recipiente, & quomodo.*

Quare si consideretur efficacia eleemosinæ ex parte recipientis, maior illius efficacia in maiori dato consistat.

Quare si consideretur efficacia eleemosinæ ex parte dantis, sic respectu præmij essentialis efficacia eleemosinæ magis consideretur ex affectu, quam ex dato.

Quodnam sit præmium essentiale, & accidentale eleemosinæ.

Potest esse tam intensus affectus in danda eleemosina, quod magnitudinem dati excedat, & omnem pænam absorbeat.

3 *Eleemosina est magis satisfactoria, quàm oratio, & ieiunium.*

§ *Satisfactionis tres sunt partes, & quæ.*

Eleemosina completius habet vim satisfactionis, quam oratio, & oratio, quàm ieiunium.

Quod eleemosina magis inducatur, vt vniuersalis medicina, probatur ex Scripturis sacris.

4 *Eleemosina liberat à peccato mortali dupliciter, scilicet impediendo peccatum futurum, & disponendo hominem ad gratiã recuperandam.*

Eisdem modis dicitur liberare ab inferno.

§ *Eleemosina non liberat formaliter à pæna Inferni.*

Dispositio, qua homo disponitur per eleemosinam ad gratiam, est remota.

Eleemosina liberat formaliter à pænis huius mundi, & purgatorij, si in gratia fiat.

Eleemosina valet ad satisfactionem pro peccatis proprijs, & pro peccatis aliorum, siue in purgatorio, siue in hoc mundo, si tamẽ sint in gratia, & pro eis eleemosinæ offerantur.

§ *Ad tria valet eleemsina.*

§ *Quomodo eleemosina dicatur liberare ab omni peccato.*

Eleemosina habet multas vtilitates, & quæ sint.

Quæritur, de obligatiune eius, cui fit eleemosina, erga dantem.

1 RESpondeo dicendum, quòd eleemosina eum constituit, cui datur, debitorẽ ad orandum, & ieiunãdum, & alia bona, quæ potest, faciendum pro eo, qui dedit. 4. sent. d. 15. q. 2. a. 2. quęstiunc. 2. in corp. & quæst. 3. in corp.

Quod eleemosina constituat eum, cui datur, debitorem ad orandum, & ieiunandum, & alia bona, quæ potest, faciendum pro eo, qui dedit, docet D. Thomas in hoc loco.

Ad explicationem huius litteræ obserua, quod eleemosina includit in se virtutem orationis, & ieiunij, sicut anima rationalis includit virtutem animæ sensitiuę, & vegetatiuæ, & hoc est, quia ille, qui recepit eleemosinam, ex debito tenetur ad orandum, ieiunandum, & ad alia bona præstanda pro eo, qui eleemosinam dedit, qui cum præstiterit principale per eleemosinam elargitã, ille,

ille, qui eam recepit, tenebitur minus principale implere, & quod in virtute continet eleemosina, actu exequi.

Quæritur, vnde pensetur efficacia eleemosinæ.

2 Respondeo dicendum, quòd ex parte dantis,& respectu præmij essentialis efficacia eleemosinæ magis pensatur ex affectu, quàm ex dato: sed respectu præmij accidentalis, vt puta remissionis pœnæ, vel alicuius huiusmodi magnificatur efficacia eleemosinæ ex magnitudine dati, nisi ex parte altera intentio voluntatis magnitudini exterioris dati præponderet: potest enim tàm intensa esse voluntas, quòd etiã omnem pœnam absorberet, & reatum, sicut de contritione dicitur. 4.sent.d.15.qu.2.a.2.quæstiunc.3. in corp.

Vnica conclusione trimembri respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ex parte dantis, & respectu præmij essentialis efficacia eleemosinæ magis pensatur ex affectu, quam ex dato; sed respectû præmij accidẽtalis puta remisionis pænæ, vel alicuius huiusmodi magnificatur efficacia eleemosinæ ex magnitudine dati, nisi ex parte altera intentio voluntatis magnitudini exterioris dati præponderet. probatur hęc vltima pars, quia potest tàm intẽsa esse voluntas, quod etiam omnem pænam absorbeat, & reatum, sicut de cõtritione dicitur.

Vt explicetur hæc doctrina nota, quod eleemosina habet efficaciam & ex ipso faciente, inquantum est quoddam opus meritorium, & ex recipiente, inquantum obligatur ad orãdum pro illo, qui eleemosinam dedit. si ergo consideretur efficacia eleemosinæ ex parte recipientis, sic maior efficacia in maiori dato consistit, inquantum per hoc plures debitores, & magis debitores efficiuntur. si autem consideretur efficacia eleemosinę ex parte dantis, sic respectu prēmij essentialis, quod est visio beatifica, efficacia eleemosinæ magis consideratur ex affectu, quàm ex dato, quia datum potest esse paucum, affectus autẽ dandi erit magnus, affectus autem, siue voluntas pro facto reputatur, & iuxta quantitatem affectus dabitur quantitas visionis beatificæ, quæ est præmiũ essentiale, sed respectu prēmij accidẽtalis, vt remissionis pęnæ magnificatur efficacia eleemosinæ ex magnitudine dati, poterit tamen tàm intensus adesse affectus, quod magnitudinẽ dati excedat, & quod omnem pænã absorbeat.

Quæritur, an eleemosina sit magis satisfactoria, quam oratio.

3 Respondeo dicendum, quòd eleemosina completius habet vim satisfactionis, quàm oratio, & oratio, quàm ieiunium, & propter hoc eleemosina magis inducitur, vt vniuersalis medicina peccati, quàm oratio. 4.sent.d.15.qu.2.a.2. quæstiunc. 2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. eleemosina completius habet vim satisfactionis, quàm oratio, & oratio, quàm ieiunium. hinc elicitur corrolarium, quod propter hoc eleemosina magis inducitur, vt vniuersalis medicina peccati, quam oratio.

Ad explicationem conclusionis nota, quod satisfactio habet tres partes, nempe eleemosinam, orationem, & ieiunium, efficacia autem satisfactionis inuenitur in his tribus partibus, sicut virtus totius potentialis in partibus eius, cum hoc tamen discrimine, quod completè in vna inuenitur, in alijs autem diminutè, sicut tota virtus animæ inuenitur in rationali, in sensibili autem inuenitur diminutè, & adhuc magis diminutè in vegetabili, anima enim sensitiua includit in se virtutem animæ vegetatiuæ, sed non è conuerso, & anima rationalis includit in se virtutem animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ, sed non è conuerso, sicut ergo anima rationalis completè habet vim animæ, diminutè autem habet hanc vim anima sensitiua, & adhuc magis diminutè anima vegetatiua, ita eleemosina completius habet vim satisfactionis, quàm oratio, & oratio, quàm ieiunium. quod autem eleemosina magis inducatur vt vniuersalis medicina peccati, quàm oratio, patet ex pluribus sacræ scripturæ auctoritatibus, Lucæ enim 11. dicitur date eleemosinam, & omnia munda sunt vobis. Daniel etiam 4. dicitur, peccata tua eleemosinis redime. Tobiæ insuper 4. dicitur, eleemosina ab omni peccato liberat. item. 1.ad Timoth.4. habemus, pietas ad omnia valet.

Quæritur, an eleemosina liberet ab inferno, & quomodo.

4 Respondeo dicendum, quòd eo modo, quo aliquis liberatur à peccato mortali per eleemosinam, liberatur ab infernalibus tenebris, liberat autem eleemosina à peccato mortali hominem adhuc in statu viæ existentem dupliciter, vel impediendo futurum peccatum, sicut & alia opera meritoria, quæ hominem in gratia confirmant: vel à præterito liberando, inquantùm disponit eum, qui iam in peccatum incidit, ad gratiam recuperandam, sicut & alia opera de genere bonorum recta intentione facta. 4. sent. d. 15. q.2.a.2.quæstiunc. 1. ad 1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. eo modo, quo aliquis liberatur à peccato mortali per eleemosinam, liberatur ab infernalibus tenebris. explicatur, liberat eleemosina à peccato mortali hominem adhuc in statu viæ existentem dupliciter, vel impedien-

do futurum peccatum, vel à præterito liberando, inquantum disponit eum, qui iam in peccato incidit, ad gratiam recuperandã, ita his duobus modis dicetur eleemosina liberare ab inferno.

Summa huius doctrinæ est, quod eleemosina liberat ab inferno hominem dupliciter, vel impediendo id, per quod meretur infernum, scilicet peccatum mortale, vel disponendo existentē in peccato mortali ad gratiam, non autem formaliter liberando eum à pæna inferni, quia causa pænæ infernalis est culpa mortalis, manente autem causa manet effectus, vnde cum ab eo, qui in peccato mortali moritur, non possit vlterius culpa mortalis tolli, sicut nec à Dæmonibus, dicit enim Damascenus, quod est hominibus mors, est dæmonibus casus, patet, quod neque eleemosina ab eo prius facta, neque post mortem eius facta ab alio, potest eum, qui in peccato mortali decedit, à pæna inferni liberare. dicetur ergo eleemosina liberare eo modo, quo dicitur liberare à peccato mortali, per quod homo fit reus inferni, à peccato autem mortali eleemosina liberat dupliciter, primò impediēdo futurum peccatum, ex hoc enim quod eleemosina impedit futurum peccatum, scilicet mortale, liberare dicitur hominem ab inferno, quia per peccatum mortale fit homo reus inferni, nec hoc est speciale ipsius eleemosinæ, sed est effectus communis omnibus operibus meritorijs, quæ hominem in gratia confirmant. secundò quia eleemosina disponit hominem existentem in peccato mortali ad gratiam, hæc tamen dispositio est remota, vt ait Bartolomeus Medina 3.p. cum facta sit in peccato mortali eleemosina. nec hoc etiam est peculiare eleemosinæ, sed est quid commune omnibus operibus bonis recta intentione factis, & in his duobus sensibus debet intelligi, quod legitur Tobiæ.4. eleemosina ab omni peccato, & à morte liberat. hic tamen nota, quod licet eleemosina non liberet formaliter à pænis inferni, liberat tamen formaliter à pænis in hoc mundo, vel in purgatorio luendis iuxta illud Danielis.4. peccata tua eleemosinis redime, multum siquidem pænæ in hoc mundo, aut in purgatorio soluendæ remittitur per eleemosinam in gratia factam, nec solum valet ad satisfactionem pro peccatis proprijs, sed & pro peccatis aliorum, siue in purgatorio, siue in hoc mundo, si tamen sint in gratia, & pro eis eleemosinæ offerantur.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 41. num. 3.

Quæritur, ad quid valeat eleemosina.

5 Respondeo dicendum, quòd eleemosina valet ad omnia peccata delenda: item ad bona promouenda: item promeretur specialem Dei misericordiam. super cap.4. primæ ad Timotheum.

Ad tria valere eleemosinam, docet D. Thomas in hoc quæsito. primò ad omnia peccata delenda. secundo ad bona promouenda. tertiò ad promerendam specialem Dei misericordiam.

Quod eleemosina valeat ad omnia peccata delenda, patet per illud Tobiæ. 4. eleemosina ab ōi peccato liberat, & p illud Danielis.4. peccata tua eleemosinis redime, & Ecclesiastici. 3. dicitur, ignem ardentē extinguit aqua, & eleemosina resistit peccatis. dicitur autem eleemosina liberare ab omni peccato, quia est satisfactoria pro pænis peccatorum. quod autem valeat ad bona promouenda, patet ex illo Ecclesiastici. 17. eleemosina hominis quasi facultas cum ipso. multas præterea habet vtilitates, primò eleemosina est meritoria gloriæ, & augmenti gratiæ, si tamen fiat ab existente in gratia, & propter Deum. secundo eleemosina est magis satisfactoria, quam alia opera satisfactionis, puta quàm oratio, & ieiunium. tertiò quia eleemosina est impetratoria, consequitur enim multa beneficia à Deo, & quod petit, obtinet, si fit in gratia Dei ille, qui facit eleemosinam, si autem non sit in gratia Dei, est dispositio ad obtinendum à Deo, vt per gratiã disponatur ad contritionem, qua consequatur peccati remissionem. quod autem eleemosina promereatur specialem Dei misericordiam, patet ex illo. Mathęi 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 41. per totum.

EMPTIO.

Quia emptio præsupponit venditionem: ideò quæ possunt dici de emptione, referuantur pro verbo, vēditio, vnde illic videnda sunt.

EPISCOPATVS.

1 *Tria in Episcopatu considerantur scilicet Episcopalis operatio, altitudo gradus, honor, & sufficientia temporalium.*

Appetere Episcopatum ratione tertij est illicitū.

Appetere Episcopatum ratione secundi est præcipitosum.

Appetere Episcopatum ratione primi est bonum, & laudabile.

Appetere Episcopatum ratione primi aliquando est præsumptuosum.

§ *Appetere Episcopatum propter temporalia bona tanquam finem est peccatum mortale, & quare.*

Appetere Episcopatum propter temporalia bona, quatenus sunt prima ratio mouendi appetitū non est peccatum mortale, sed veniale, & quare.

Ponitur regula Soti circa hoc consulenda.

Quare dicitur præsumptuosum esse appetere Episcopatum ratione celsitudinis gradus.

Perfectio Episcopalis status qualis sit.

Appetere præesse, vt subditis prosit, præsumptionis,

Quæritur, an Episcopatus sit ordo.

Respondeo dicendũ sicut verbo. Ordo.

Quæritur, an liceat Episcopatum appetere.

1 Respondeo dicẽdum, quòd in Episcopatu tria possunt considerari, quorum vnum est principale, & finale, scilicet Episcopalis operatio, per quam vtilitati proximorum intẽditur secundùm illud Ioannis vlt. pasce oues meas; aliud autem est altitudo gradus, quia Episcopus super alios constituitur secundùm illud Matthæi 25. fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: tertiùm autem est, quod consequenter se habet ad ista, scilicet reuerentia, & honor, & sufficientia temporalium secundùm illud primæ ad Timotheum 5. qui benè præsunt Præsbiteri, duplici honore digni habeantur: appetere ergo Episcopatum ratione huiusmodi circunstantium bonorum manifestum est, quòd est illicitũ, & pertinet ad cupiditatẽ, vel ambitonem, vnde contra Phariseos Dominus dicit Matthæi 23. amant primos accubitus in cænis, & primas cathedras in signagogis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi: quantùm autem ad secundum scilicet celsitudinem gradus appetere Episcopatum, est præsumptuosum:

vnde Dominus arguit discipulos. Matthæi 20. primatum quærẽtes dicens, scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum, vbi Chrisostomus dicit, quod per hoc ostendit, quod gentile est primatus cupere, & sic gentium comparatione eorum animam æstuantem conuertit: sed appetere proximis prodesse est secũdùm se laudabile, & virtuosum; verùm quia, prout est Episcopalis, actus habet annexam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur, quòd aliquis præesse appetat ad hoc, quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente, sicut Gregorius dicit in Pastorali, quòd tunc laudabile erat Episcopatum quærere, quando per hunc quẽquam dubium non erat ad supplicia grauiora peruenire; vnde non de facili inueniebatur, qui hoc onus assumeret, præsertim cum aliquis Charitatis zelo Diuinitus adhuc incitatur, sicut Gregorius dicit in Pastorali, quòd Isaias prodesse proximis cupiens laudabiliter officium prædicationis appetijt: potest tamen absq; præsumptione quilibet appetere talia opera facere, si eum contigeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda, ita quòd opus bonum cadat sub desiderio non autem primatus dignitatis: vnde Chrisostomus dicit super Matthæum, opus quidem desiderare bonum, bonum est, primatum autem honoris concupiscere vanitas est, primatus enim fugiẽtem se desiderat, desiderantem se horret. 2.2.qu.185.ar.1.in corp.(quodlibeto 12. art.17.

Quintuplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. appetere Episcopatum ratione honoris, reuerantiæ, & sufficiẽtiæ temporalium est manifestè illicitum, & pertinet ad cupiditatem, & ambitionem. probatur ex Mathei 23. secunda conclusio. appetere Episcopatum ratione celsitudinis gradus est præsumptuosum. probatur ex Mathei 20. & ex D. Chrisostomo hom. *66.* in Math. tertia conclusio. appetere proximis prodesse est secundum se laudabile, & virtuosum. hæc relinquitur vt nota. quarta conclusio præsumptuosum videtur, quod aliquis præesse appetat ad hoc, vt subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente, præsertim cum aliquis Charitatis zelo Diuinitus adhoc incitatur. hæc conclusio habet tres partes, & primò probatur quoad primam, quia prodesse alijs, prout est Episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem. secunda pars, nisi manifesta &c. probatur ex D. Gregorio in Pastorali cap 8. tertia pars, præsertim &c. probatur ex eodem D. Gregorio in Pastorali cap. 7. tertia pars, præsertim &c. probatur ex eodem D. Gregorio in Pastorali cap. 7. per exemplum Isaiæ. quinta cõclusio. quilibet potest absque præsumptione appetere talia opera facere, si eum contingeret in tali offitio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda, itaquod opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis. probatur ex D. Chrisostomo super Math. ho. 35.

Tres primę conclusiones ponuntur iuxta tria, quæ in Episcopatu considerari possun, quorum primum est Episcopalis operatio, nempe intendere vtilitati proximorum, & hoc est principale, & finale, & respectu huius ponitur tertia conclusio. secundum est altitudo gradus, quo Episcopus super alios constituitur, & respectu huius statuitur secunda conclusio. tertium est reuerentiã, honor, sufficientia temporalium, & respectu horum est prima conclusio. his, & duabus alijs conclusionibus, licet verissimis plusculum lucis afferendum est. & circa primam, qua asseritur, Episcopatum intuitu, affectuque reuerentiæ, honoris, & temporalium bonorum appetere manifestarium crimen est ambitiosæ cupiditatis, dubitatur, an sit ita illicitum, quod sit peccatum mortale: cui dubio respondeo cum hac distinctione, quod appetere Episcopatum propter tẽporalia bona stat dupliciter, primò vt temporalia bona sint finis appetendi Episcopatum, secũdò vt temporalia bona non sint finis appetendi Episcopatum, sed prima ratio mouendi appetitum. appetere ergo Episcopatum propter temporalia bona in primo sensũ est peccatum mortale, appetere autem Episcopatum propter bona temporalia in secundo sensu non est peccatum mortale, sed veniale. explico singula. dixi, quod appetere Episcopatum propter bona temporalia in primo sensu est peccatum mortale, quia ordo rerum eis Diuinitus inditus peruertitur, ordo autem rerum talis est, quod Episcopatus appetatur propter functionem legitimam, quæ est intẽdere vtilitati proximorum, hoc enim est principale, & finis in Episcopatu, vt ait D. Thomas hoc in loco, temporalia autem bona apperi debent ad sustẽtationem, vt iniunctum onus possit rectè administrari. Siluester verb. Episcopus. q. 3. dixi secundò quod appetere Episcopatum propter tẽporalia bona in secundo sensu non est peccatum mortale, sed veniale; quòd ibi non adsit peccatum mortale, probatur ex hoc, quod bona temporalia mouere possunt hominem ad Episcopatum appetendum, & si ipsa functio Episcopalis non ordinetur in finem illum, sicut potest amor temporalium mouere hominem ad amandũ Deũ propter se, & timor inferni potest mouere hominem ad diligendum Deũ propter se ipsum. quod autem ibi adsit culpa venialis, deducitur ex hoc quod concupita non eodem ordine mouent appetitum, quem inter se habent. subiungam tamen cum Dominico Soto lib. 10. de iustitia, & iure. q. 2. art. 1. quod licet hæc in scholis vtcumque explicari valeant, tamen in affectu, & vsu ægrè distinguuntur, qui enim primò à temporali præmio

mio mouetur, adeò facilè ordinem peruertet, vt discerni nequeat, quin Episcopatum propter huiusmodi præmia concupiscat, atque adeò in periculo peccati mortalis sit. vnde subiungit, aliam esse consulendam regulam, nempe vt qui certus sit in Ecclesiæ administratione nullum propter bona temporalia admissum ire crimen, sed officio suo secundum leges seruitum ire, licet temporalium appetitu moueatur, extra metum est peccati mortalis. sed quod ista raro cohæreant, protestatur idem Sotus.

Circa secundam conclusionem, qua dicitur, quod appetere Episcopatum ratione celsitudinis gradus est præsumptuosum, nota discrimen positum inter primam, & hanc secundam conclusionem, nam in prima dicitur, quod appetere Episcopatum propter honorem, & reuerentiam, & temporalia bona est illicitum, & pertinet ad ambitionem; in hac autem secunda conclusione dicitur, quod est præsumptuosum appetere Episcopatum ratione celsitudinis gradus. scientificè enim loquitur S. Doctor, diuersus siquidem est appetitus honoris, qui est ambitio, ab appetitu celsitudinis, qui est præsumptio, nam altitudo, & honor habent se vt causa, & effectus, honor siquidem est excellentiæ effectus, & eius testimonium, quare ambitio est inordinatus appetitus honoris, vt habet D. Thomas. 2. 2. quæst. 131. ar. 1. in corp. vt cum quis testimonium excellentiæ appetit, quam non habet, vel non ad vtilitatem aliorum appetit, honor enim nō propter se, sed propter aliorum commodum appetendus est; præsumptio autem est immoderata spes, nempe concupiscentia alicuius dignitatis, aut loci, qui vires appetentis excedit, ideò rectè in prima conclusione ait S. Thomas, quod appetere Episcopatum ratione honoris, & reuerentię est illicitum, & pertinet ad ambitionem, in secūda autem conclusione rectè inquit, quod appetere Episcopatum ratione celsitudinis gradus est præsumptuosum, Episcopatus enim est status non vtcumq; perfectionis, vt Religiosorum, qui perfectionem discunt, & ad perfectionem tendunt, sed est status, qui illud requirit perfectionis culmen, vt Gregem suum eandem doceat.

Circa quartam conclusionem nota, quod S. Thomas non ait esse præsumptuosum absolutè appetere præesse alijs, vt subditis prosit, sed ait, videri præsumptuosum, quia non vult diffinire, quod hic appetitus sit præsumptuosus, sed vult insinuare, quod habet præsumptionis speciem, & quod licet non sit malus, habet tamen speciem mali. sed quomodocunque se habeat, ab hoc appetitu abstinendum est, quia scriptum est, ab omni specie mala abstinete vos, & multò magis si sit malus. circa eiusdem conclusionis particulas legatur Caietanus hoc in loco egregiè explicantis eas. tanto ego concludam cum Dominico Soto lib. 10. de iustitia, & iure. q. 2. art. 1. quod si Episcopatum mente expetere peccatum est, quantò deformius illud opere procurare, & ambire? depudendum est ergo, quod tam licenter, tamque perfricata fronte præfecturæ huiusmodi petantur, procurentur, & ambiantur. ex corde humillimus Dominicus Sotus hæc protulit, qui nedum non appetijt, nec procurauit Episcopatum, sed potius Episcopatū Segobiensem sibi à Carolo V. cuius erat Confessarius, exhibitū cōstantissimè recusauit, & quod amplius est, hanc suā Episcopatus renunciationem voluit, vt sub secretò teneretur, quoad viueret, quod & genuflexus obtinuit, vt historiæ Ordinis Prædicatorum testantur. & profectò in appetitu Episcopatus vndique scatent pericula, nam si hoc munus propter bona temporalia quis cupit, auaritia est; si propter honorem, & reuerentiam, ambitio est; si propter status celsitudinem præsumptio est; si propter animarum salutem, tunc aut se dignum, & idoneum sentit, aut se indignum, & ineptum cognoscit; si non se idoneum arbitratur, iniquus est, & se iniustitiæ crimine maculat; si idoneum se esse censet, vix liber esse debet à præsumptionis metu, cum vix vllus citra culpam valeat tantum dignitatis sibi adscribere, quantum munus hoc expostulat. si tamen constet Ecclesiam virorum inopia laborare, qui ei pro rei dignitate inseruire possint, tunc ille, qui se videt aptum ad id munus obeundum poterit illud expetere ob salutē animarum, quia tunc verè adest necessitas Ecclesiæ, & Charitatis zelo iste duceretur. licet autē liceat necessitatis tempore appetere Episcopatū non absolutè, sed à Deo, non vt quis præsit, sed vt prosit, idest licet habere hoc desiderium, Vellē, quod me Deus dignum iudicaret, & faceret, vt alijs prodesse possem, quia velle prodesse est laudabile, & velle promoueri per Deum nō est presumptuosum, cū ipse non promoueat, nisi dignos, attamen in nullo casu licet Prælationem procurare, quacunque necessitate populorum existente, vel quocunque fine, vt benè ait Siluester verb. Episcopus. q. 3. licet Toletus lib. 5. cap. 3. num. 2. inquiat licere procurare Prælationem, cum necessitas vrget. sed dictum Siluestri amplectendū est, sanctus enim Thomas ait solum, quod in manifesta necessitate imminēte licet appetere alijs præesse, vt alij possit quis prodesse.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 5. cap. 3. num. 1. & 2.

Quæritur, an sit laudabile appetere Episcopatum, sicut statum Religiosum.

2 Respondeo dicendum, quòd laudabile est, quòd aliquis desideret ad statum Religionis transire, non autem quòd aliquis appetat ad Episcopatum promoueri, quia non est eadem ratio de statu Religionis, & de statu Episcopali propter duo: primò quidem, quia ad statum Episcopalem præexigitur vitæ perfectio, vt patet per hoc, quod Dominus à Petro quæsiuit, si plus eum cæteris diligeret, antequàm ei committeret pastorale officium, sed ad statum Religionis non præexigitur prefectio, sed

est

est via in perfectionem; vnde & Dominus. Matthæi 19. non dixit, si es perfectus, vade, & vende omnia, quæ habes, sed si vis perfectus esse, & huius differentię ratio est, quia secundùm Dionysium perfectio pertinet actiuè ad Episcopum, sicut ad perfectorem, ad Monachum autem passiuè, sicut ad perfectum: requiritur autem, quòd sit perfectus aliquis adhoc, quòd possit alios ad perfectionem adducere, quod nō præexigitur ab eo, qui debet ad perfectionem adduci: est autem præsumptuosum, quod aliquis perfectum se reputet, non autem quòd ad perfectionem tendat: secundò quia ille, qui statum Religionis assumit, se alijs subijcit ad spiritualia capienda, & hoc cuililibet licet, vnde Augustinus 19. de Ciuit. Dei dicit, à studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile otium pertinet, sed ille, qui transit ad statum Episcopalem, sublimatur adhoc, quòd alijs prouideat, & hanc sublimationem nullus debet sibi assumere secundum illud ad hæbreos 5. neque quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo: & Chrisostomus dicit super Matthæum, primatum Ecclesiæ concupiscere, neque istum est, neque vtile, quis enim sapiens vult vltrò se subijcere seruituti, & periculo tali, vt det rationem pro omni Ecclesia, nisi fortè qui nō timet Dei iudicium abutens primatu Ecclesiastico sæculariter, vt scilicet conuertat ipsum in sæcularem. 2.2.q.185.a.1. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. laudabile est. quod aliquis desideret ad statum Religionis transire, non autem quod aliquis appetat ad Episcopatum promoueri. probatur, quia non est eadem ratio de statu Religionis, & de statu Episcopali ꝑpter duo, & primò quia ad statum Episcopalem præexigitur vitæ perfectio, ad statum autem Religionis non præexigitur perfectio, sed est via in perfectionem. hanc differentiam probat ex Euangelio, & ex Dionysio. secundò quia ille, qui statum Religionis assumit, se alijs subijcit ad spiritualia capienda, & hoc cuilibet licet, quod probatur ex D. Augustino. qui autem transit ad statum Episcopalē, sublimatur ad hoc quod alijs prouideat, & hanc sublimationem nullus debet sibi assumere, quod probatur ex. 5. ad hæb. & ex D. Chrisostomo.

Ponderandæ sunt rationes duæ, quibus licet transire ad statum Religionis, non autem licet appetere ad statum Episcopalē promoueri, quarum prima est, quod Episcopalis status requirit vitæ perfectionem, & perfectionis culmen, vnde tenentur Episcopi animam suam ponere pro ouibus suis, quod est summæ Charitatis iuxta illud, maiorem Charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis, sicut Christus omnium Prælatorū Princeps proprias oues proprio sanguine redemit. & vlterius Episcopo cōuenit perfectio actiuæ, vt ait D. Dionysius cap 6. cælestis Hierarchiæ, tanquam perfectori, & Doctori, Monacho autem conuenit perfectio passiuè, tanquam perficiendo discipulo, & tendenti ad illam, velle autem perfici nō est præsumptuosum, vt velle perficere, neque eidem periculo expositum; & est præsumptuosum quod aliquis se perfectum reputet, non autem quod ad perfectionem tendat. contra tamen hoc posset aliquis obijcere, quod docet D. Thomas in tract. de humilitate; quod si vir est perfectus, nulla præsumptio est, quod se reputet perfectum, immò hoc ad donum Dei spectat iuxta illud Apostoli, vt sciamus, quæ à Deo nobis donata sunt. respondetur tamen, quod reputare se perfectum præsumptuosum est, vt in pluribus, quia perfectorum paruus est numerus, vnde licet in quibusdam, qui valde pauci videntur, nullius sit præsumptionis talis ęstimatio, secundum cursum tamen communem loquendo præsumptuosum est, quod aliquis perfectum se reputet. secunda etiā ratio ponderanda est, quod scilicet Monachus alijs se subdit ad spiritualia capesenda, quod cuilibet licet; qui autem Episcopi personam induit, alios eligit sibi esse subiectos, à quo appetitu omnes dehortatur Apostolus ad hęb. 5. & D. Chrisostomus hom. 35. super Mathęum, vt in littera.

Quæritur, an liceat omninò Episcopatum iniunctum recusare.

3 Respondeo dicendum, quòd in assumptione Episcopatus duo sunt consideranda, primò quidem quid deceat hominem appetere secundùm propriam voluntatē: secundò quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius: quantùm ergo ad propriam voluntatem conuenit homini principaliter insistere propriæ saluti, sed quòd aliorum saluti intendat, hoc conuenit homini ex dispositione alterius potestatem habentis: vnde sicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis proprio motu feratur in hoc, quod aliorū gubernationi præficiatur, ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliqui omninò cōtra superioris iniunctionem prædictum gubernationis officium finaliter recuset propter duo: primò quidē quia hoc repugnat Charitati proximorū, quorum vtilitati se aliquis debet exponere pro loco, & tempore, vnde Augustinus 19. de Ciuit. Dei dicit, quòd negocium

iustum

iustum suscipit necessitas Charitatis: secundò quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis superiorum mandatis se subijcit: vnde Gregorius dicit in Pastorali, tunc ante Dei oculos vera est humilitas, cum ad respuendum hoc, quod vtiliter subire præcipitur, pertinax non est. 2.2.q.185.a.2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. sicut ad inordinationem volũtatis pertinet, quod aliquis proprio motu feratur in hoc, quod aliorum gubernationi præficiatur, ita etiam ad inordinationem volũtatis pertinet, quod aliquis omninò contra superioris iniunctioně prædictũ gubernationis officiũ finaliter recuset. ꝓbatur prima pars, quia quod homo aliorum saluti intendat, conuenit ei ex dispositione tantùm alterius potestatem habentis. secunda pars probatur, quia recusare finaliter illud officium repugnat primò Charitati proximorum, quod probatur ex D. Augustino lib. 19. de Ciui. Dei c. 19. secundò repugnat humilitati, quod probatur ex D. Gregorio in Pastorali. p. 1. cap. 6.

Circa conclusionem obserua ex Caietano hoc in loco, quod ly sicut, non dicit similitudinem quo ad omnia, sed tantum quo ad aliqua. non valet, inquam, quo ad omnia, quia appetitus, vt præficiatur, non est ex suo genere malus, sicut appetitus resistendi superioris præcepto ex suo genere est malus. valet tamen quo ad hoc, qđ in vtroque est peccatum, quia in vtroque est inordinatio voluntatis, licet dissimiliter, quia in primo est moderatio, vt in pluribus, & ex circõstantijs, in secundo autem est moderatio ex suo genere, vnde similitudo posita à D. Thoma in conclusine valet sicut, non sicutissimè; aliter etiã exponit litteram D. Thomæ, nempe vt similitudo teneat etiam quantum ad inordinationem actus ex suo genere, idest quod in primo membro loquatur de appetitione Episcopatus peruersa, vtpotè non propter opus, sed propter celsitudinem gradus, quod ex suo genere est malũ, quia præsumptuosum. hanc secundam expositionem meritò impugnat Sotus lib. 10. de iustitia, & iure. q.2.a. 2. tanquam non congruentem menti D. Thomæ, qui in primo membro non cõstituebat peccatum propter peruersionem finis, sed quia sua sponte, & proprio motu se ingerit homo, vt aliorum gubernationi præficiatur. docet ergo ipse similitudinem in hoc sitam esse, qđ sicut quia Episcopatus nullatenus esse potest sine periculo, ex genere suo habet quandam malitiã, scilicet quod quis se periculo obijciat, licet non sit adeò innata, quin per alias circõstantias possit omninò excusari, ita eodem modo de inobedientia est cẽsendum, quia ex genere suo est peccatum, non potest enim esse inobedientia, quin sit peccatum, concurrere autem possunt in persona tales circonstantiæ, propter quas nulla sit inobedientia non parere Prælato subditum ad Episcopatum adigenti, & constringenti.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib.5.cap.3.nu.5.

Quæritur, an tollenda sint impedimenta, vt quis suscipiat Episcopatum.

4 Respondeo dicendum, quòd nullus tenetur obedire Prælato ad aliquod illicitum: potest ergo contingere, quòd ille, cui iniungitur Prælationis officium, in se aliquid sentiat, propter quod non licet ei Prælationem accipere: hoc autem impedimentum quandoq; quidem remoueri potest per ipsummet, cui Pastoralis cura iniungitur, puta si habeat peccandi ꝓpositum, quod potest deserere, & propter hoc non excusatur, quin finaliter teneatur obedire Prælato iniungenti: quandoque vero impedimentum, ex quo fit ei illitum Pastorale officium, non potest ipse remouere, sed Prælatus, qui iniungit, puta si sit irregularis, vel excomunicatus: & tunc debet defectum suum Prælato iniungenti ostendere: quòd si impedimentum remouere voluerit, tenetur humiliter obedire, vnde exodi 4. cum Moyses dixisset, obsecro Domine non sum eloquens ab heri, & nudius tertius, Dominus respondit ad eum, ego ero in ore suo, doceboq; te, quid loquaris: quandoq; verò non potest remoueri impedimentum, nec per iniungentem, nec per eum, cui iniungitur, sicut si Archiepiscopus non possit super irregularitate dispensare; vnde subditus non tenetur ei obedire ad suscipiendum Episcopatum, vel etiam sacros ordines: si sit irregularis. 2.2.q.185.a.2. ad 2.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. nullus tenetur obedire Prælato ad aliquod illicitum. hæc relinquitur vt nota, quia magis obediendum est Deo illicita prohibenti, quam hominibus illicita concedentibus. secunda conclusio. habens impedimentum, quod remoueri potest per ipsum, cui pastoralis cura iniungitur, nõ excusatur, quin finaliter teneatur obedire Prælato iniungenti. probatur, quia per ipsum tolli potest impedimẽtum, puta si habeat peccandi propositum, quod potest deserere, tenetur illud deserere, & parere. tertia conclusio. si quis habeat impedimentum, quod ipse non potest remouere, sed Prælatus, qui iniungit, vt si sit irregularis, vel excomunicatus, debet defectum suum Prælato iniungenti ostendere, qui si impedimentum remouere voluerit, tenetur humiliter obedire. probatur ex exodi.4. quarta conclusio. si impedimentum remoueri non potest nec per iniungentem, nec per eum, cui iniungitur, non tenetur subditus ei obedire

dire ad suscipiendum Episcopatum.

Hoc in loco recenset D. Thomas tria impedimentorum genera ad obediendum, quorum primum subdit⁹ ipse amouere potest, & hoc est peccatum mortale, quod amouere tenetur subditus, vt obediat, ex quo patet, quod existens in peccato mortali est Diuino iure inhabilis ad suscipiendum Episcopatum. secundum est, quod non ipsi subdito, sed Prælato aufferendum incumbit, quale est irregularitatis, vel excomunicationis impedimentum, in quo si dispenset Prælatus, tenetur subditus obedire. circa quam doctrinam mouet dubium Caietanus hoc in loco, an subditus obedire teneatur Prælato mandanti contra constitutionem, seu Regulam in his, in quibus potest, & vult dispensare, puta quod frangat ieiunium in sexta feria, & huiusmodi. cui dubio respondet, quod duobus modis contingit Prælatum mandare aliquid dispensando in vinculo constititutionis, vno modo quia id, quod mandat, est secundum se consonum Religioni, sed huiusmodi mandato obuiat vinculum constitutionis, in quo tamen Prælatus potest dispensare, puta præcipit Prælatus subdito, vt prædicet, vel legat, vel disputet in tali feria sexta, in qua tenetur ex regula ieiunare, sed quia non potest vtrumque præstare, puta ieiunare, & prædicare &c. cum sit delicatæ, & debilis complexionis; dispensat Prælatus in ieiunio, & in hoc sensu tenetur subditus obedire Prælato dispensanti in ieiunio; & mandatum prædicandi, seu disputandi adimplere. alio modo, quia Prælatus solum actũ præcipit, in quo dispensat, idest nil aliud præcipit, quàm vt frangat ieiunium feria sexta, & tũc nõ tenetur subditus obedire Prælato, quia quod præcipitur, non est consonum Religioni iuxta illud D. Bernardi, vota mea Prælatus nõ minuat sine necessitate. tertium genus impedimenti est, cui neque subditus, neq; Prælatus mederi potest & tunc ad Papam, in quo residet plena potestas, conuolandum est.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 5. cap. 3. num 5.

Quæritur, an quis possit vouere de non acceptando Episcopatum, & ad illum impedimentum ponere.

5 Respondeo dicendum, quòd accipere Episcopatũ nõ est de se necessarium ad salutem, sed fit necessarium ex superioris præcepto: hæc autem, quæ sic sunt necessaria ad salutem, potest aliquis impedimẽtnm licitè apponere, antequàm fiat præceptum, alioquin non liceret alicui transire ad secundas nuptias, ne per hoc impediretur à susceptione Episcopatus, vel sacri Ordinis: non autem hoc liceret in his, quæ per se sunt de necessitate salutis: vnde B. Marcus non contra præceptum egit sibi digitum amputando, quamuis eum credibile sit hoc ex instinctu Spiritus Sancti fecisse, sine quo non licet alicui sibi manũ iniicere: qui autem votum emittit de nõ suscipiendo Episcopatum, si per hoc intendat se obligare ad hoc, quod nec per obedientiam superioris Prælati accipiat, illicitè vouet: si autem intendit adhoc se obligare, vt quantùm est de se, Episcopatum non quærat, nec suscipiat, nisi imminente necessitate, licitum est votum, quia vouet se facturum id, quod hominem facere decet. 2.2.q.185.a.2. ad 3.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. in his, quæ non sunt de se necessaria ad salutem, sed tantùm ex superioris præcepto, potest aliquis impedimentum licitè apponere, antequam fiat præceptum. probatur, alioquin non liceret alicui transire ad secundas nuptias, ne per hoc impediretur à susceptione Episcopatus, vel sacri ordinis. probatur etiam exemplo D. Marci, qui sibi amputasse pollicem dicitur, vt sacerdotio reprobus haberetur. hinc elicit corrolarium. non licet hoc in his, quæ per se sunt de necessitate salutis. secunda conclusio. qui votum emittit de nõ suscipiendo Episcopatum, si per hoc intendat se obligare ad hoc, qđ nec per obedientiam superioris Prẹlati accipiat, illicitè vouet; si autem intendit adhoc se obligare, vt quantum est de se, Episcopatum non quærat, nec suscipiat, nisi imminente necessitate, licitum est votum. prima pars relinquitur vt nota. secunda pars probatur, quia vouet se facturũ id, quod hominem facere decet.

Ad explicationem huius litteræ obserua, quod Episcopatus non est simpliciter de necessitate salutis, sicut sunt sacramenta, ac Virtutum officia, sed tunc tantùm est, quando ratio obedientiæ id exigerit, & per hoc nihil iniquitatis per se implicat, vt voto quis, aliouе obice se se præpediat, ne capiat, vt dicit prima conclusio, corroborat que hoc illius ratio, & confirmat factum D. Marci relatum à D. Hieronimo in prologo super Marcum, si tamen res ita habet, nam D. Hieronimus hoc non affirmat prorsus, sed ait, dicitur; si autẽ res ita se habeat, id Diuina reuelatione fecisse, credendum est, quia aliter se tali fine membro mutilare non licet, vt ex Concilio Nicæno can. si quis dist. 55. innotescit. prima pars secundæ conclusionis relicta fuit vt nota, & meritò, nam si proponeret nulli Prẹlato obedire hac in re, delictum esset, neque tale votum obligaret.

Quæritur, an Papa possit præcipere alicui, vt Episcopatum accipiat.

6 Respondeo dicendum, quòd quidam dicunt, quod Papa non potest præcipere alicui, quòd accipiat Episcopatum, quia consensus debet esse liber: sed hoc posito periret Ecclesiasticus ordo, nisi enim aliquis

quis posset cogi ad suscipiendum regimen Ecclesiæ, Ecclesia conseruari non posset; cum quandoque illi, qui sunt idonei, hoc nollent suscipere, nisi coacti. 4. sent. d. 29. art. 4. ad 4.

Duo facit D. Thomas in hoc quæsito, primò adducit opinionem, secundò confutat eam per conclusionem responsiuam. quoad primum quidam dicebant, quod Papa non potest præcipere alicui, quod accipiat Episcopatū. ratio est, quia consensus debet esse liber. confutatur hæc opinio per talem conclusionem. Papa potest præcipere alicui, quod accipiat Episcopatum. probatur, quia aliter periret Ecclesiasticus ordo, nisi enim aliquis posset cogi ad suscipiendū regimen Ecclesiæ, Ecclesia conseruari non posset, cū quandoque illi, qui sunt idonei, hoc nollent suscipere, nisi coacti.

Conclusionem D. Thomæ confirmant pluriū Sanctorum exempla, qui nō nisi Apostolicis præceptis, & minis perterrefacti, vt Episcopatū acciperēt, acquieuerūt, vt legitur de D. Antonino Archiepiscopo Florentino Ordinis Prædicatorum splēdore clarissimo, de B. Alberto scientia magno Archiepisc. Ratisbonensi viro celeberrimo eiusdem ordinis. & licet hic non adsit liber cōsensus, sed coactus, hoc tamen non officit, quia in hoc distinguitur matrimoniū spirituale, quod contrahitur per Episcopatus susceptionem inter Episcopum. & Ecclesiam, & matrimonium carnale, vt docet D Thomas. 4. sent. d. 29. a. 4. ad 4. quod quia non est aliqua corporalis seruitus in matrimonio spirituali, sicut in corporali, est enim spirituale matrimonium sicut quoddam officium dispensandæ Reipublicæ. 1. ad Corinth. 4. sic nos existimet homo &c. ideò poterit quis cogi à Papa, vt Episcopatum suscipiat, non poterit tamen quis cogi, vt matrimonij onus subeat. cum ergo Papa aliquem obligat, vt suscipiat Episcopatum, non potest absque peccato finaliter recusare, sed debet acceptare, & onus subire, & si habet impedimentum, quod ipsemet potest auferre, vt peccatum mortale, quod indignum Episcopatu reddit hominem, tenetur illud per contritionē auferre, vt supra diximus cum S. Thoma; si etiā habeat impedimentum, quod Papa potest auferre, debet manifestare; si autem neuter potest auferre, puta quia est ignarus, vel inutilis, prorsus non debet acceptare, nec hoc licitè potest Papa præcipere.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib 5. cap. 3. num. 5.

Quæritur, ad quid assumantur Episcopi.

7 Respondeo dicendum, quòd Episcopatus nomen operis est, non honoris, scopos quidem intentio est: si ergo Episcopū velimus latinè super intendere, possumus dicere, vt intelligat non se esse Episcopū, qui præesse dilexerit, nō prodesse: in actione enim non amandus est honor in hac vita, siue potentia, quoniam omnia vana sunt sub sole, sed opus ipsum, quod per eundem honorem, vel potentiam fit. 2. 2. q. 185. a. 1. ad 1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Episcopus intelligat, non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. probatur ex nomine Episcopatus, quod est nomen operis, non honoris, dicitur enim ab Ep. græcè, quod latinè dicitur, super, & scopos græcè, quod latinè dicitur intentio, quasi super intendens. probatur etiam ratione, quia in actione non amandus est honor in hac vita, siue potentia, quoniam omnia vana sunt sub sole, sed opus ipsum, quod per eundem honorem, vel potentiam fit.

Ex hoc loco habemus, quod quando assumitur homo ad Episcopatum, assumitur ad opus, quod est super intendere saluti gregis sibi crediti, ad qđ opus respiciēs D. Paulus dicebat. 1. ad Timoth. 3. si quis Episcopatū desiderat, bonū op⁹ desiderat, quē locū exponens D. Gregorius in pastorali p. 1. c. 8. inquiebat, quod illo tempore hoc dixit Apostolus, quo ille, qui pedibus præerat, primus ad martirij tormēta ducebatur, & sic nihil aliud erat, quod in Episcopatu appeti posset, nisi bonum opus, & vt rectè ait D. Augustinus lib. 19. de Ciuit. Dei c. 19. per hæc verba, qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, exponere voluit, quid sit Episcopatus, quia nomen operis est, non honoris, & assumi ad Episcopatū est assumi ad opus. Dominicus Sotus lib. 10. de iustitia, & iure. q. 2. a. 1. ad 1. ait, quod hoc in loco Apostolus legitimum Episcopatus desiderium diffinire voluit, quasi dixerit, qui ritè, & rectè Episcopatum desiderat, non nisi opus desiderat, quod bonum est, nempe operas suas saluti animarum nauare, quod est licitum, & laudabile. & paulò infra aliam addit expositionem supradictis verbis, quam etiam vocat sinceriorē, nempe, qui Episcopatum desiderat, sibi caueat, sibique quid nam desideret, prouidenter videat, desiderat enim opus non vtcumq; bonum, sed eò vsq; egregium, vt vix vllus sit, qui illi obeundo sufficiat, prædictis enim verbis subnectitur, oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem &c. vnde D. Gregorius in pastorali. p. 1. cap. 8. ait, laudans desiderium scilicet boni operis, in pauorē vertit protinus, quod laudauit, cū subiungit, oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse, quasi dicat, laudo, quod quæritis, sed discite, quid quæritis.

Quæritur qualis debeat esse vita Episcopi.

8 Respondeo dicendum, quòd qui in dignitate constitutus est, debet ad hoc intēdere, vt talem se exhibeat, vt cæteros, & scientia, & Sanctitate præcellat, vnde Gregorius dicit in Pastorali, tantùm debet actio-

actionem populi actio transcendere Præsulis, quātùm distare solet à grege vita Pastoris. 2.2.q. 185.a.3, ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. qui in dignitate cōstitutus est, debet ad hoc intendere, vt talem se exhibeat, vt cæteros, & scientia, & sanctitate præcellat. pbatur ex D. Gregorio in pastorali, vt in littera.

Terribilis est sententia D. Gregorij, quod tātùm debeat actionem populi actio transcendere Præsulis, quantùm distare solet à grege vita Pastoris. quam si ex intimo corde cōsiderarent plurimi hominum, qui Episcopali dignitati inhiant, ab incepto desisterent, & plurimos immitarentur Sanctos, qui huiusmodi dignitates, & maiores recusauerunt, vt D. Thomam Aquinatem, qui Archiepiscopatum Neapolitanum à Clemente quarto sibi oblatum constantissimè recusauit, D. Raimundum, qui Archiepiscopatum Tarraconēsem sibi à sede Apostolica oblatum inuicto animo noluit, D. Dominicum, qui tres Episcopatus sibi oblatos cum magna animi constantia accipere renuit, ipsum D. Gregorium, qui summum Pontificatum, quamdiu potuit, recusauit. de sciētia autem, qua magis pollere debeat Episcopus, iuris, an Theologiæ, supra diximus diffusè verb. electio. q. 2. qua etiam Sanctitate excellere debeat, consideret statum suum, qui est perfectionis status, consideret, quæ præcipiunt Concilium Cartaginense tertium can. 11. vbi ait, Episcopus vilem supellectilem, mensam, & victum pauperē habeat, & dignitatis suæ auctoritatem, in fide, & vitæ meritis quærat. Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 1. de reformatione, vbi ait, exemplo Patrum nostrorum in Concilio Cartaginensi nō solum iubet, vt Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verùm etiā in reliquo vitę genere, ac tota eius domo caueāt, ne quid appareat, quod à S. hoc instituto sit alienum, quodq; non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat.

Quæritur, ad quam vitam eligantur Episcopi.

9 Respondeo dicendum, quòd Prælati non sic transferuntur ad vitam actiuam, vt contemplatiuam deserant. 2.2.q. 185. a. 2. ad 1.

Quod Prælati non sic transferuntur ad vitam actiuam, vt contemplatiuam deserant, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Quia dictum est hominem assumptum ad Episcopatum esse ad opus assumptum, quod scilicet est in vtilitatem subditorum suorum, quod spectat ad vitam actiuam, ne alicui videatur, quod Episcopus ita vitæ debeat incumbere actiuæ, vt contemplatiuam deserat, ideò hoc in loco ait, Episcopum ita transferri ad vitam actiuam, vt contemplatiuam non deserat, vnde Augustinus lib. 19. de Ciuit. Dei c. 10. aiebat, quod si imponatur sarcina Pastoralis officij, nec sic deserenda est delectatio veritatis, quæ scilicet in contemplatione habetur. vtrique ergo vitæ scilicet contemplatiuæ, & actiuæ intendat Episcopus, vt meminerit, quod vita contemplatiua est potior, sed vita actiua est vtilior, vita enim contemplatiua est vtilis tantum contemplanti, sed actiua prodest agenti, & alijs; vita contemplatiua delectabilis quidem est, sed sterilis, actiua laboriosa est, sed fæcunda, sicut Rachel visu delectabilis erat, sed sterilis, Lia autē eius soror laborabat infirmitate oculorum, sed fæcunditate lætabatur, vnde sicut Iacob vtramq; accepit in vxorem, ita Episcopus vtramq; amplectatur vitam.

Quæritur, an oporteat eum, qui ad Episcopatum assumitur, esse cæteris meliorem.

10. Respondeo dicendum, quòd circa assumptionem alicuius ad Episcopatum aliquid considerandum ex parte eius, qui assumitur, & aliquid ex parte eius, qui assumit: ex parte enim eius, qui assumit, vel eligēdo, vel prouidendo, requiritur, quòd talem eligat, qui fideliter Diuina mysteria dispenset, quæ quidem dispensari debent ad vtilitatem Ecclesiæ secundùm illud primæ Corinth. 14. ad ædifiationem Ecclesiæ, quærite vt abundetis: non autem Diuina mysteria hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quam expectare debent in futuro: & ideò ille, qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo prouidere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundùm Charitatem, sed meliorem quo ad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam, & instruere, & defendere, & pacificè gubernare, vnde contra quosdam Hieronymus dicit, quòd quidam nō quærunt in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognscunt Ecclesię prodesse, sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti, vel dediti, vel pro quibus maiorem quispiam rogauerit; & vt deteriora taceam, qui vt Clerici fierent, muneribus impetrarunt: hoc autem pertinet ad acceptionem personarum, quæ in talibus est graue peccatum, vnde super illud Iacobi 2. fratres mei nolite in personarum acceptionem &c. dicit glosa Augustini, si hanc distantiam sedendi, vel stādi ad honores Ecclesiasticos referamus, nō est putandum leue esse peccatum in personarū acceptione habere fidem Domini gloriæ; quis enim ferat eligi diuitem ad sedē honoris Ecclesiæ contempto paupere instructiore, & sanctiore? ex parte autē eius, qui assu-

assumitur non requiritur, quòd reputet se alijs meliorem, hoc enim esset superbum, & præsumptuosum, sed sufficit, quod nihil in se inueniat, per quod illicitum ei reddatur assumere Prælationis officium. 2 2.qu. 185. a. 3. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ille, qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo prouidere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundum Charitatem, sed meliorẽ quoad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam & instruere, & defendere, & pacificè gubernare. probatur, quia qui assumit vel eligendo, vel prouidendo, debet talem eligere, qui fideliter Diuina misteria dispenset, quæ dispensari debent ad vtilitatem Ecclesiæ secũdum illud primæ Corinth. 14. ad ædificationem Ecclesiæ quærite, vt abundetis, non autem Diuina misteria hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quam expectare debent in futuro. probatur etiam ex dictis D. D. Hieronimi, & Augustini: secunda conclusio. ex parte eius, qui assumitur, non requiritur, quod reputet se alijs meliorem, sed sufficit, quod nihil in se inueniat, per quod illicitum ei reddatur assumere Prælationis officium. prima pars probatur, quia reputare se alijs meliorem est superbum, & præsumptuosum. secunda pars probatur exemplo D. Petri, qui licet interrogatus, an Dominum plus cæteris diligeret, in sua responsione non se prætulit cæteris, sed simpliciter respondit, quod Christum amaret.

Circa primam conclusionem obserua, quod quia in aliquibus locis conseruatur ius eligendi Episcopum apud Clericos aliquos, & regulariter ad Papam spectat prouidere de Episcopis, ideò in prima conclusione admonet electores, vel etiã prouisorem, vt non assumant meliorem simpliciter, quod est secundum Charitatem, bonus siquidem nemo simpliciter est, nisi ob solam Charitatem, quia hæc sola facit hominẽ bonum simpliciter, cum enim Charitas sit omnium Virtutũ forma, ab illa homines apud Deum boni denominantur, & sunt, & quò quisque sit illa prouectior, eo melior est. non tenetur ergo prouisor, vel elector assumere in Episcopum meliorem simpliciter, quod est secundum Charitatem, sed meliorem quo ad regimen Ecclesiæ, & eum, qui ad munus Pastorale fuerit expedientior, & aptior, qui scilicet possit Ecclesiam instruere, defendere, & pacificè gubernare. primum tamen idoneitatis fundamentum probitas esse debet, quia eum, qui prauus est, nullæ aliæ qualitates efficere possunt idoneum, vt eligatur in Episcopũ, vnde D. Paulus tanquam necessarium in Episcopo requirit, vt sufficienti testimonio sine crimine habeatur, scilicet mortali. prætertamen Charitatem requiritur in eo, qui debet in Episcopum eligi, vt possit Ecclesiam instruere, idest instruere plebem fide, & moribus; & defendere ab hæreticorum, aliorumque periculis, qui mores peruertsit; ac demum pacificè gubernare, quia scopus gubernationis est pax mentium, & corporũ. circa illam propositionem assumptam in probatione, nempe quod Diuina misteria hominibus non committuntur propter eorum remunerationem, mouet, & soluit dubium Caietanus hoc in loco, & Dominicus Sotus de iustitia, & iure. q. 2. art. 3. ad quos lectorem remittimus.

Quæritur, quid præcipuè attendi debet in eo, qui ad Episcopatum assumi debet.

11 Respondeo dicendum, quòd vbi aliàs inuenitur homo idoneus ad Ecclesiæ regimen, præcipuè attẽdi debet in ipso eminentia diuinę dilectionis. 2. 2. quæst. 185. art. 3. ad 1.

Quod vbi aliàs inuenitur homo idoneus ad Ecclesiæ regimen, præcipue attendi debet in ipso eminentia Diuinæ dilectionis, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Hanc D. Thomæ doctrinam probat factum Christi qui Petrum, cui commissurus erat Pastorale offitium, examinauit, si se diligeret plus cęteris, sciebat enim, quod in Petro erat idoneitas gubernandi Ecclesiam, etiam quo ad alia, ideò cum de ampliori dilectione examinauit, vt ostẽderet, quod vbi aliàs inuenitur homo idoneus ad Ecclesiæ regimen, præcipuè attendi debet in ipso eminentia Diuinæ dilectionis. ex quo habemus, quod cæteris paribus præferendus est, qui feruentiori Charitate Deum diligit.

Quæritur, an carentes vsu rationis possint assumi ad Episcopatum.

12 Respondeo dicendum, quòd quia ad Episcopatum, vbi in corpus mysticum accipitur potestas, requiritur actus suscipientis curam Pastoralem, & ideò est etiam de necessitate consecrationis Episcopalis, qđ vsum rationis habeat. 4. sent. d. 25. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 2. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. de necessitate consecrationis Episcopi est, quod vsum rationis habeat. probatur, quia ad Episcopatum, vbi in corpus mysticum accipitur potestas, requiritur actus suscipiendi curam Pastoralem.

Cum nil peculiare scribendum occurrat circa hoc quæsitum, ideò non immoror.

Episcopus. Cap. I.

1 *Supra potestatem Sacerdotalem necesse est dari potestas Episcopalis.*

§ *Enumerantur tres Hierarchici Ordines, & qui, & munia eorum.*

2 *Non Sacerdos non potest esse Episcopus.*

§ *Episcopatus non est ordo.*

3 *Homo consecrandus in Episcopum debet habere an-*

num trigessimum ætatis suæ.

§ *Papa potest dispensare super ætate eligendorum in Episcopos.*

4 *Episcopus consecrandus est die Dominico.*

§ *In quibus diebus regulariter conferantur ordines.*

Papa in die dominico, & festis præcipuis confert subdiaconatum.

Episcopi in die dominico, & quolibet alio die possunt conferre ordines ex facultate Papæ.

5 *Vnus Episcopus potest consecrare alium.*

6 *Episcopus in diebus festis dicit Pax vobis in prima salutatione.*

§ *Sacerdos, dum celebrat, quinquies se conuertit ad populum, & quid significet hoc.*

Septies salutat populum, & quando, & quid significet.

7 *Episcopus habet nouem ornamenta supra Sacerdotem.*

Quid significent illa nouem ornamenta.

8 *Episcopus potest punire aliquem, si in eius Diœcesi delinquat, quia ratione delicti efficitur superior eius, etiam si sit exemptus.*

Non potest tamen punire aliquem, si delinquat in re exempta.

§ *Nullus potest iudicare alium, nisi sit ei aliquo modo subditus, & qui sint isti modi.*

Peccatum semper dignitatem hominis peccatoris tollit, aut saltem diminuit, etiam secundum iuditium hominum, quia ratione delicti subditur quis alteri, qui aliàs erat exemptus.

Secundum priuilegia concessum est exemptis, quod nec ratione rei, delicti, aut contractus, vbicunque res, delictum, aut contractus fuerit, Episcopus contra eos procedere possit.

Notantur ex Concilio Tridentino pluribus in locis delicta exemptorum, quæ per Episcopos puniri possunt.

Si regularis delinquat in alijs decretis Cōcilij Tridentini à supradictis, non debet per Episcopum, sed per suum superiorem puniri; & notatur circa hoc decretum Congregationis Concilij.

Recensentur constitutiones Pontificiæ, per quas Regulares subduntur correctioni Episcoporum in aliquibus casibus.

Notatur decretum congregationis contra Regulares accedentes ad Monasteria Monialium &c. cuius decreti Episcopi sunt executores.

9 *Canones iniungunt Episcopo maiorem pœnam etiã plus debito, quàm alijs, & quare.*

§ *Pœna post dimissionem culpæ ad duo exigitur, & quæ, & explicantur.*

In tribus casibus pro minori peccato maior iniungitur pœna, & qui.

Quæritur, an sit necesse, quòd sit Episcopus in Ecclesia.

1 RESpondeo dicendum, quòd Sacerdos habet duos actus, vnum principalem scilicet consecrare verũ Corpus Christi, alium secundarium, scilicet præparare populum ad susceptionem huius Sacramenti, quantùm autem ad primum actum, actus Sacerdotis non dependet ab aliqua superiori potestate, nisi Diuina, sed quantùm ad secundùm dependat ab aliqua superiori potestate, & humana; omnis enim potestas, quæ non potest exire in actum, nisi præsuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate, quæ illas ordinationes facit, Sacerdos autem non potest absoluere, & ligare, nisi præsupposita prælationis iurisdictione, qua sibi subduntur illi, quos absoluit, potest autem consecrare quamlibet materiam à Christo determinatam, nec aliud requiritur, quantùm est de necessitate Sacramenti, quàmuis ex quadam congruitate præsupponatur actus Episcopalis in consecratione Altaris, & vestium eius: & ita patet, quod oportet esse supra Sacerdotalem potestatem Episcopalem quãtùm ad actum secundarium Sacerdotis, non autem quantùm ad primum. 4. sent. d. 24. q. 3. a. 2. quæstiunc. 1. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. oportet esse supra Sacerdotalẽ potestatem Episcopalem quantùm ad actum secundarium Sacerdotis, qui est præparare populum ad susceptionem sacramenti Eucharestiæ, non autem quantum ad primum, qui est consecrare verum Christi corpus. probatur, omnis potestas, quæ non potest exire in actum nisi præsuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate, quæ illas conditiones facit, sed sacerdos non potest absoluere, & ligare, nisi prę supposita Prælationis iurisdictione, qua sibi subdũtur illi, quos absoluit, potest autem consecrare quamlibet materiam à Christo determinatum, nec aliud requiritur, quantum est de necessitate sacramenti, quamuis ex quadam cõguitate præsuponatur actus Episcopalis in consecratione Altaris, & vestium eius, ergo supra sacerdotalem potestatem oportet dare potestatem Episcopalem quantum ad actum secundarium sacerdotis, non autem quantum ad primum.

Quod supra sacerdotalem potestatem debeat etiam dari potestas Episcopalis, docet D. Dionysius cap. 5. de Ecclesiastica Hierarchia, vbi tres ponit Hierarchicos Ordines, quorũ primus est purgantium tãtum, & hic ordo est Diaconorum, quibus conuenit cathuchemenos catechizare. secundus est illuminantium, & hic ordo est sacerdotum, quib9 competit administrare Baptismũ, Pœnitentiam, & Eucharestiam. tertius est perficientium, & hic est ordo Episcoporum, quibus competit confirmare, ordinare, & prædicare. suadet hoc ratio, sicut enim vnus est, qui in tota Ecclesia apicem tenet, ita condecet, vt singulæ Ciuitates proprijs gaudeant Episcopis, qui Respublicas administrent tanquam capita earum, vt à ca-

à capite per maiora membra ad minora influxus charismatum descenderet. hoc cernimus in corpore naturali, in quo per maiores arterias in minores venas alimenta dispensantur. verum hæc omittantur, cum parum ad moralem Theologiã attineant.

Quæritur, an non Sacerdos possit consecrari in Episcopum.

2 Respondeo dicendum, quòd nullus potest recipere Episcopalem potestatem, nisi prius habeat Sacerdotalem. 4. sent. d. 24. q. 3. a. 2. quæstiunc. 2.

Quod nullus possit recipere Episcopalem potestatem, nisi prius habeat Sacerdotalem, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ex hac doctrina liquet, Episcopatum non esse ordinem, quia cum vnus ordo non dependeat à præcedenti quantùm ad necessitatem Sacramẽti, & Episcopalis potestas dependeat à sacerdotali, nullus enim potest insigniri dignitate Episcopali, nisi prius sacerdotio ornatus existat, cõsequens fit, vt Episcopatus non sit ordo. legatur D. Thomas hoc in loco. Dominicus Sotus. 4. sent. d. 24. q. 2. art. 3.

Quæritur, cuius ætatis debeat esse consecrandus in Episcopum.

3 Respondeo dicendum, quòd Episcopus debet cõsecrari in trigessimo anno. 4. sent. d. 25. in exposit. litteræ.

Episcopum debere cõsecrari in trigessimo anno, docet D. Thomas in hoc loco.

Quod homo debeat agere trigessimũ suæ ætatis annum, si in Episcopum consecrari debeat, sacri sanxerunt canones, & cum super huiusmodi canones plenariam habeat Papa potestatem, super hac ætate poterit dispensare, quod & executioni mandatum fuisse constat hisce temporibus meis.

Quæritur, quo die sit consecrandus Episcopus.

4 Respondeo dicendum, quòd Episcopi die Dominico consecrandi sunt. 4. sent. d. 25. in exposit. litteræ.

Episcopos consecrandos esse in die dominico, docet D. Thomas hoc in loco.

Ex hoc loco Dominicus Sotus. 4. sent. d. 24. q. 2. artic. 3. desumit rationem, qua probat Episcopatum non esse Ordinem, quia, inquit, sacramẽtum Ordinis in Sabbatis quattuor temporũ cõfertur, Episcopus verò non nisi diebus Dominicis consecratur. hic tamen obserua, quod licet Episcopi non conferant ordines nisi in Sabbatis quattuor temporum, & in Sabbato ante Dominicam in Passione, & in Sabbato Sancto, Papa tamen in die Dominico, & festis præcipuis confert subdiaconatum, vt docet D. Thomas. 4. sent. dist. 25. in expositione litteræ; & etiam Episcopi ex facultate Papæ possunt in die Dominico, & quolibet alio die conferre Ordines, vt constat.

Quæritur, an vnus Episcopus possit consecrare alium.

5 Respondeo dicendum, quòd potestas Sacerdotalis exceditur à potestate Episcopi, quasi à potestate alterius generis, sed potestas Episcopi exceditur à potestate Papæ, quasi à potestate eiusdem generis: & ideò omnem actum Hierarchicum, quem potest facere Papa in ministratione Sacramentorum, potest facere Episcopus, non autem omnem actum, quem potest facere Episcopus potest facere Sacerdos in Sacramentorum collatione, & ideò quantùm ad ea, quæ sunt Episcopalis ordinis, omnes Episcopi sunt æquales, & propter hoc quilibet alium potest consecrare. 4. sent. d. 24. q. 3. a. 2. quæstiunc. 3. ad 3.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. omnem actum hierarchicum, quem potest facere Papa in ministratione sacramentorum, potest facere Episcopus, non autem omnem actum, quem potest facere Episcopus, potest facere Sacerdos in sacramentorum collatione, probatur, quia potestas sacerdotis exceditur à potestate Episcopi quasi à potestate alterius generis, sed potestas Episcopi exceditur à potestate Papæ quasi à potestate eiusdem generis. secunda cõclusio. quilibet Episcopus potest alium consecrare. probatur, quia quãtum ad ea, quæ sunt Episcopalis ordinis omnes Episcopi sunt æquales.

Vt explicetur hæc doctrina, recolæ, quæ supra diximus cum D. Dionysio cap. 5. de Ecclesiastica Hierarchia, nempe dari tres Hierarchicos ordines, vnus purgantium tantùm qui est Diaconorum, quibus conuenit catechumenos catechizare; alter est illuminantiũ, & est Præsbyterorum administrantium Baptismum, Pænitentiam, & Eucharestiam; tertius est perficientium, & est Episcoporum, quibus conuenit confirmare, & ordinare, & prædicare. omnem ergo actum Hierarchicum, quem potest facere Papa in ministratione Sacramentorum, potest facere Episcopus, vt ordinare, confirmare, quia licet potestas Episcopi excedatur à potestate Papæ, exceditur tamẽ tanquam à potestate eiusdem generis, quia vtraq; est potestas perficientium; non autem omnem actum, quem potest facere Episcopus, potest facere Sacerdos in Sacramentorum collatione, puta Sacerdos simplex non potest ordinare, nec confirmare, quia potestas Sacerdotis simplicis exceditur à potestate Episcopi quasi à potestate alterius generis, quia Episcopus est in ordine perficientium, Sacerdos autem simplex est in ordine illu-

illuminantium. secundam conclusionem confirmat factum, quo Episcopus Hostiensis consecrat Papam.

Quaritur, quid debeat dicere Episcopus in diebus festis in prima salutatione, dum Missam celebrat.

6 Respondeo dicendum, quòd Episcopus celebrans in festis in prima salutatione dicit, Pax vobis, quod post resurrectionem discipulis dixit Dominus, cuius personam repræsentat præcipuè Episcopus. 3. p. q. 83. a. 5. ad 6.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Episcopus celebrans in festis in prima salutatione dicit, Pax vobis. probatur, quia Episcopus præcipuè repræsentat personam Christi, qui hæc verba protulit discipulis post resurrectionem.

Ad huius litteræ explicationem nota, quod sicut quilibet simplex Sacerdos quinquies se cōuertit ad populum, dum celebrat Missam, quæ est repræsentatio vitæ Christi, ad significandum, quod Christus quinquies se manifestauit post resurrectionem suam; & septies salutat populum, scilicet quinque vicibus, quibus se conuertit ad populum, & bis, quando se non conuertit, scilicet ante præfationem, dum dicit, Dominus vobiscum, & cum dicit, Pax domini sit semper vobiscum, ad designandum septiformem gratiam Spiritus Sancti, ita Episcopus dum diebus festis celebrat, in prima salutatione dicit, pax vobis, ad designandum, quod dixit post resurrectionē discipulis suis Christus, cuius personam præcipuè repræsentat Episcopus; dicitur autem Episcopus præcipuus repræsentator Christi, quia etiā Sacerdos, dum celebrat repræsentat Christum, in cuius etiam virtute consecrat.

Quaritur, quid significent vestes, quas Episcopi habent supra Sacerdotes.

7 Respondeo dicendum, quòd Episcopi addunt nouem ornamenta supra Sacerdotes, quæ sunt caligæ, sandalia, succintorium, tunica, dalmatica, mitra, chirotecæ, anulus, baculus, quia nouem sunt, quæ supra Sacerdotem possunt, scilicet Clericos ordinare, Virgines benedicere, Basilicas dedicare, Clericos deponere, Synodos celebrare, Chrisma conficere, vestes, & vasa consecrare. Vel per caligas significatur rectitudo gressuum, per sandalia, quæ pedes tegunt contemptus terrenorum, per succintorium, quo stola ligatur cum alba amor honestatis, per tunicam perseuerantia, quia Ioseph tunicam talarem habuisse legitur, quasi descendentem vsq; ad talos, per quos significatur extremitas vitæ, per dalmaticam largitas in operibus misericordiæ, per chirotechas cautela in opere, per mitram scientia vtriusq; testamenti, vndè & duo cornua habet, per baculum cura pastoralis, qua debet colligere vagos, quod signat curuitas in capite baculi, & sustentare infirmos, quod significat ipse stipes baculi, sed pungere lentos, quod significat stimulus in pede baculi: vndè versus.

Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Per anulum Sacramenta fidei, qua Ecclesia desponsatur Christo, ipsi enim sunt Ecclesiæ sponsi loco Christi. 4. sent. d. 24. q. 3. a. 3. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Episcopi addunt nouem ornamenta supra Sacerdotes, quæ sunt caligæ, sandalia, succintorium, tunica, dalmatica, mitra, chirotechæ, anulus, baculus. probatur primò, quia nouem sunt, quę supra Sacerdotem possunt, scilicet Clericos ordinare, Virgines benedicere, Basilicas dedicare, Clericos deponere, Synodos celebrare, Chrisma conficere, vestes, & vasa cōsecrare. secundò probatur, quia nouem significant, quæ Episcopus habere debet, & omnia clara in littera.

Ista ita dilucidè exponuntur à Thoma, vt nostro non egeant labore.

Quaritur, an Episcopus possit punire aliquem alterius Diœcesis, si in sua Diœcesi peccet.

8 Respondeo dicendum, quòd Episcopus, in cuius Diœcesi aliquis deliquit, efficitur superior eius ratione delicti, etiam si sit exemptus, nisi fortè delinquat in re aliqua exempta, puta administratione bonorum alicuius Monasterij exempti: sed si aliquis exemptus committat furtum, vel homicidium, vel aliquid huiusmodi potest per ordinarium iustè condemnari. 2. 2. q. 67. a. 1. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. si aliquis exemptus comittat furtum, vel homicidium, vel aliquid huiusmodi, potest per ordinarium iustè condemnari. probatur, quia Episcopus, in cuius diocæsi aliquis deliquit, efficitur superior eius ratione delicti, etiam si sit exemptus, nisi fortè delinquat in re aliqua exempta, puta administratione bonorum alicuius monasterij exempti.

Vt explicetur hæc doctrina, sciendum est, qd nullus potest iudicare aliquem, nisi sit aliquo modo subditus eius, vel per commissionem, vel potestatem ordinariam, vt docet D. Thomas.

2. 2.

2.2.q.67.ar.1. in corp quando autem aliquis alterius diocæsis delinquit in diocæsi Episcopi alicuius, vel etiam exemptus, vt Religiosus Regularis, qui immediatè subditur Papæ, tunc Episcopus, in cuius diocæsi delinquit Religiosus, vel sæcularis alterius diocęsis, efficitur superior eorum ratione delicti, nisi tamen delinquat Religiosus in re exempta, puta in administratione bonorum alicuius monasterij exempti, puta si fideliter non administret ea, sed furtum committat &c. quia tunc Episcopus nō potest ipsum punire, sed pertinet tale iuditium ad suū superiorem, quia res, circa quam deliquit, est exēpta, & monasterium est exemptum, vnde si monasteriū nō esset exemptum à iurisdictione Episcopi, posset etiam in tali occasione delinquentem punire: vt ergo aliquis possit iudicari ab Episcopo, debet esse illi subditus aliquo modo, & Episcopus debet esse illi superior aliquo modo, vel per potestatem ordinariam, vt est respectu omnium suæ Diœcesis exceptis regularibus; vel per commissionem, vt si delegaretur ei aliqua causa contra extraneum; vel ratione delicti commissi in sua Diœcesi, vel quocunque alio modo. ex quo elicit magister Seraphinus à Porrecta hoc in loco, qđ peccatum semper Dignitatem hominis peccatoris tollit, aut saltem diminuit, etiam secundum iudicium hominum, quia ratione delicti subditur Episcopo, qui alias erat exemptus. hic tamen obseruādum est cum Caietano hoc in loco, quod D. Thomas loquitur de exemptorum subiectione in communi, & secundum iura communia, secus enim est secūdum iura priuilegiorum, quibus concessum est multis exemptis, quod nec ratione rei, delicti, aut contractus, vbicunque res, delictum, aut contractus fuerit &c. Episcopus contra eos procedere possit. Concilium tamen Tridentinum quædam Regularium delicta notat, quę statuit per Episcopos puniri posse. primò sess. 5. cap 2 sic ait. si verò, quod absit, Prædicator errores, aut scandala disseminauerit in populum, etiam si in monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationē interdicat. quod si hæreses prædicauerit, contra eum secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, etiam si prædicator ipse generali, vel speciali priuilegio exemptum se esse prætēderet, quo casu Episcopus auctoritate Apostolica, & tanquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat. & infra ait. Quæstores eleemosinarij, qui etiam quæstuarij vulgò dicuntur, cujuscunque conditionis existant, nullo modo nec per se, nec per alium prædicare præsumant, & contrafacientes ab Episcopis, & Ordinarijs locorum, priuilegijs quibuscunq; non obstantibus, opportunis remedijs omninò arceantur. sess. item 6. cap. 3. de reformatione sic statuit. nemo sæcularis Clericus, vel Regularis extra Monasterium degens, etiā sui ordinis priuilegijs prætextu tutus censeatur, quominus si deliquerit, ab ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat. sess. etiam 25. cap. 4. sic decernit. prohibet Sancta Synodus, ne quis regularis sine sui superioris licentia Prædicationis, vel lectionis, aut cuiusuis pij operis prætextu subijciat se obsequio alicuius Prælati, Principis, vel Vniuersitatis, vel Communitatis, aut alterius cuiuscūque personæ, seu loci, neq; ei aliquod priuilegiū, aut facultas ab alijs super ijs obtēta suffragetur. quod si contra fecerit, tanquam inobediens arbitrio superioris puniatur. nec liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdē m ssi, aut vocati fuerint. qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinarijs locorum tanquam desertor sui instituti puniatur. illi autem, qui studiorum causa ad Vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantū habitent, alioquin ab Ordinarijs contra eos procedatur. sess. item. 7, cap. 14 sic statuit. in exemptorum causis constitutio Innocentij quarti, quę incipit, Volentes, in generali Concilio Lugdunensi edita, seruetur, quam eandem Sacrosancta Synodus innouandam censuit, & innouat, addēdo insuper, quod in ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum Clerici sæculares, aut Regulares extra monasterium degētes, quomodolibet exempti, etiam si certum Iudicem à Sede Apostolica deputatum in partibus habeāt, in alijs verò, si ipsum Iudicem non habuerint, coram locorum ordinarijs, tanquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, conueniri, & iure medio ad soluendum debitum cogi, & compelli possint, priuilegijs, exemptionibus, Conseruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus aduersus præmissa nequaquam valituris. sess. etiam 25. ca. 14. sic decernit. Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante à suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorē faciat, sin minus, à suo superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit. item sess. 25. cap. 13. sic statuit. exempti omnes, tàm Clerici sæculares, quàm Regulares, quicunque etiam Monachi ad publicas processiones vocati accedere compellantur, ijs tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt. eadem sess. 25. cap. 16. sic decernit. neque ante professionem, excepto victu, & vestitu nouitij, vel nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, id recuperare possit, quin potius præcipit Sancta Synodus sub anathematis pæna dantibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant, quod vt rectè fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat. in casibus prædictis congregatio censuit Episcopos posse regulares compellere per censuras Ecclesia-

clesiasticas, & alias pœnas arbitrarias. item sess. 24. cap. 1. de reformatione sic habet. si quis Parochus, vel alius Sacerdos, siue regularis, siue sæcularis, etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiù suspensus maneat, quamdiu ab ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur. hi sunt casus ex Concilio Tridentino, in quibus regularis potest puniri ab Episcopo. si autē Regularis delinquat in alijs decretis Concilij, non debet per Episcopum puniri, sed per suum superiorem, quod deducitur ex decreto Sacræ Congregationis, quæ sic statuit. Congregatio Concilij censuit, regulares, qui absque licentia Episcopi in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicauerint, tametsi decreto Cōcilij contrafecerint, non posse puniri ab Episcopo, sed tantum à suis superioribus.

Ad sunt etiam quædam constitutiones Pontifitiæ, per quas Regulares subduntur correctioni Episcoporum. in primis Sixtus quintus in sua constitutione contra illegitimos sic habet. præcipimus vniuersis, & singulis locorum ordinarijs, eorumque Vicarijs generalibus, vt per suos officiales, vel executores curent ab omnibus personis regulari habitu indutis, quas per Ciuitates, vel Diocæses iter facere, vel trāsire, & ad quæcunq; hospitia, vel diuersoria se recipere cōtigerit, diligenter perquiri, num litteras obedientiæ, vel commendatitias habeant, quod si eas non habere, aut ignotos esse deprehēderint, contra eos tanquam criminum suspectos procedere, & tamdiu illos sub custodia detinere debeant, quousq; de eisdem notitia habeatur. Clemens item Octauus constitutionem edidit in executionem decreti Concilij Tridentini sess. 25. cap. 14. & est talis tenoris. cæterum si superior in delinquentem fratrem, vt supra, non animaduerterit, quinimmò si illum impunitum ad alia suorum ordinum loca extra Episcopi diocæsim transmiserit, volumus motu proprio, & auctoritate Apostolica decernimus, vt superior instante Episcopo intra terminum ab Episcopo præfigendum sub pœnis indignationis nostræ, priuationis offitiorum, & dignitatum, ac inhabilitationis ad illa, & alia, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, ad quę nō nisi per sedem Apostolicam restitui possit, ipso facto incurrendis, ipsum regularem delinquentem de loco, ad quē transmissus fuit, reuocare, & in quo deliquit cōstituere teneatur. quod si hoc facere prætermiserit, statuimus, vt ordinarius loci, ad quem delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ordinario loci, in quo deliquit, requisitus, vel aliàs de illius delicto informatus, tanquam sedis Apostolicæ delegatus, prædictum Concilij decretum omninò exequi, & in delinquentem regularem seuerè animaduertere possit, & debeat. irritum decernentes &c. nō obstantibus &c. extat etiam decretum à sacra Regularium congregatione emanatum, quo cauetur, ne aliquis regularis ad monasteria Monialium accedat, & accedens ex superiorum obedientia eas alloqui non possit: sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuę, & offitiorū, ac alijs pœnis arbitrarijs &c. cui⁹ decreti locorū ordinarij sunt executores, & contra quoscunq; regulares illius transgressores procedere possunt, & debeant, dummodo prius superiores Regulares admonuerint, & ipsi post admonitionem fuerint negligentes. si autem in fragranti regulares inuenti fuerint, possunt ordinarij illos carcerare; tenentur tamē illos suis superioribus tradere infra tempus ab eis præfigendū puniendos, & de punitione illos certiores reddere iuxta decretum Cōcilij Tridentini.

Quæritur, quare Canones iniungunt Episcopis maiorem pœnam.

9 Respondeo dicendum, quòd Episcopus, vel Sacerdos cum maiori periculo suo, & aliorum peccat, & ideò solicitius retrahunt ipsum Canones à peccato, quàm alios maiorem pœnam iniungendo, secundùm quòd est in remedium: quamuis quandoq; non debeatur tanta ex debito, vndè, & in purgatorio non tota ab eo exigitur. 4. sent. d. 20. a. 2. quæstiunc. 1. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. sollicitius retrahunt Episcopum, vel Sacerdotem canones à peccato, quàm alios maiorem pœnam iniungendo, secundum quod est in remedium, quamuis quandoq; non debeatur tanta ex debito. probatur prima pars, quia Episcopus, vel Sacerdos cum maiori periculo suo, & aliorum peccat. probatur secunda pars, quia in Purgatorio non tota ab eo exigitur.

Ad explicationē huius litterę nota ex D. Thoma 4. sent. d. 20. artic. 2. in corp. quod pœna post dimissionem culpæ exigitur ad duo, scilicet ad debitum soluendum, & ad remedium præstandum, vnde taxatio pœnæ potest considerari quātum ad hæc duo, primò quantum ad debitum, secundò quantum ad remedium vel illius, qui peccauit, vel aliorum. si taxatio pœnæ consideretur quantum ad debitum, sic quantitas pœnæ radicaliter respondet quantitati culpæ antequā de pœna aliquid dimittatur, sed tamen quantum per primum eorum, quæ nota sunt remittere pœnam, plus remittitur, secundum hoc per aliud minus remittendum, vel soluendum restat, puta quantò per cōtritionem plus de pœna dimissum est, tantò per confessionem minus dimittendum restat. si autem taxatio pœnæ consideretur in secundo sensu, sic quandoque pro minori peccato maior iniungitur pœna, & hoc accidit in tribus casibus, quorū primus est, quando peccato vnius difficilius potest resisti, quàm peccato alterius, sicut iuueni pro fornicatione imponitur maior pœni-

pænitentia, quam seni, quamuis minus peccet iuuenis, quia iuuenis maius incentiuũ habet ad fornicationem, quàm senex propter maiorem calorem, licet obiectiuè vterq; tàm iuuenis, quàm senex æqualiter peccet. secundus casus est, quando in vno peccatũ est periculosius, sicut in Episcopo, vel Sacerdote, & in hoc sensu loquitur prima pars conclusionis. tertius casus est, quando multitudo magis prona est ad illud peccatum, & ideò per pænam vnius alij sunt exterrendi. ex his ergo habemus, quod in foro Pænitentiæ pæna quantum ad vtrumque taxanda est, & ideò non sẽper p maiori peccato maior Pænitentia imponitur, & hoc est, quod dicit prima pars conclusionis, quod nempe canones maiorem pænã iniungunt peccato, licet minori, Episcopi, vel Sacerdotis, secundum quod pæna est in remedium, quàm peccato aliorum, licet grauiori, quia peccatum Episcopi, vel Sacerdotis est cum maiori periculo sui, vel aliorum, & hoc faciunt canones, vt retrahant ipsos à peccato, quamuis quandoque non debeatur tanta pæna pro debito soluendo, quia tunc quantitas pænæ correspondet quantitati culpæ, & culpa potest esse talis conditionis, quòd tanta ei non debeatur pæna, tùm ratione sui ipsius, tùm ratione quantitatis contritionis, & ratione Confessionis, & absolutionis, in cuius signum nec in purgatorio tota pæna illa exigeretur, quia pæna purgatorij solum est ad soluendũ debitum, quia iam vlterius non manet locus peccandi, & ideò illa pæna taxatur solùm secundum quantitatem peccati, considerata tamen contritionis quantitate, & confessione, & absolutione, quia per omnia hæc aliquid de pæna dimittitur, vnde etiam à Sacerdote hæc sunt consideranda in imponendo satisfactionem.

Ad quæ teneantur Episcopi. Cap. II.

1 *Ad quid maximè teneantur Episcopi.*
§ *Episcopi sunt in statu perfectionis.*
Vnde consistat status perfectionis.
2 *Episcopi non tenentur ad hoc, vt sine proprio viuant.*
§ *Quæ bona Episcopus propriè, & priuatim possidere possit.*
Episcopus habet dominium illius partis bonorum Ecclesiasticorum, quę ipsi ratione stipendij obtingit.
Supellectilis, mensa, victus Episcopi describitur ex Concilijs Cartaginensi, & Tridentino.
3 *Qua ratione Episcopi non debeant habere proprium.*
4 *Episcopi non obligantur ad distributionem propriorum bonorum, cum eorum sint Domini.*
In distributione tamen talium bonorum potest esse peccatum, & quomodo.
Episcopi sunt dispensatores bonorum Ecclesiasticorum, & non Domini.
De redditibus Ecclesiæ vna portio debetur Episcopo, duæ dantur Fabricæ Ecclesiæ, & pauperibus, vltima datur Clericis.
Episcopus retinens sibi partem erogandam pauperibus, vel Clericis, vel cultui Diuino applicandam peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, si tamen huiusmodi bona sint distincta.
Circa bona applicata vsui proprio potest esse peccatum, sicut, & circa bona propria.
Si prædicta bona non sunt distincta, eorum dispensatio committitur eius fidei.
Si in talium distributione deficiat. vel abundet in modico non erit contra bonam fidem.
Si autem sit multus excessus, peccat mortaliter.
§ *Quæ bona propria Episcopi.*
Quæ sint bona Ecclesiastica.
In quibus differunt bona propria Episcopi ab Ecclesiasticis, & quæ.
Bona propria non tenetur Episcopus pauperibus dare, sed ea retinere potest, vel vt libuerit, elargiri.
Episcopus in dispensatione bonorum propriorum potest peccare, sicut sæculares possunt peccare circa bona propria sua, & quomodo.
Quartam conclusionem aduertant Prælati, sicut & dictum D. Augustini ad Bonifacium.
Quando bona Ecclesiastica dicantur fideliter dispensari.
Bona Ecclesiastica in quatuor debent distribui partes.
Pius quintus laudatur de dicto suo in hac materia prolato.
Arguuntur dicentes, quod Episcopi habent dominium bonorum Ecclesiasticorum.
Quando bona Ecclesiastica sunt distincta, si Episcopus aliquid retinuerit de bonis, quę obueniunt pauperibus, ministris, & Diuino cultui, infideliter agit, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur, & quare.
Episcopus habet dominium illius portionis bonorũ Ecclesiasticorum, quę sibi in diuisione obuenit.
Si bona Ecclesię in communi possiderentur, & Episcopi dispensationi essent demandata, eorum non habet dominium.
Quomodo sit verum, quod Episcopus habeat dominium bonorum Ecclesiasticorum, quę sunt distincta.
5 *Episcopi possunt dare consanguineis de bonis vsui proprio applicatis, moderatè tamen.*
6 *In casu necessitatis bona omnia Ecclesiastica sunt danda pauperibus, & si non dat, Clericus peccat, si tamen de patrimonio habeat, ex quo viuat.*
§ *Episcopus, & Clericus possunt viuere de Ecclesiastica prębenda extra casum necessitatis, licet habeant patrimonialia.*
Si Clericus, & Episcopus in casu necessitatis viuant de prębenda, peccant, sed non tenentur ad restitutionem.
Mandato misericordię, quo vniuersi ad eleemosinas coguntur, Episcopi inter omnes Christi fideles, & omnes mortales arctissimè perstringuntur.
Præceptum eleemosinarum, quo Episcopi obligantur, non potest vniuersim secundum quartam, aut quintam, maiorem, aut minorem aliquotam partem æstimari, sed secundum iudicium prudẽtum, pen-

pensata tàm prouentuum quantitatate tam, & pauperum indigentia, ac temporum calamitate.

7 Ista necessitas relinquitur pensanda humana prudentiæ.

§ Ex Caietano soluitur apparens contradictio in dictis D. Thomæ.

8 Possunt enim possessiones ex redditibus Ecclesiæ superfluis, si tunc non adsit necessitas prouidendi pauperibus.

Secus est, quando adest necessitas prouidendi pauperibus.

§ Reprehēdūtur illi Episcopi, qui vacāt augendis Ecclesiarum prouentibus, relictis pauperibus tabescentibus, & vtinam non arescentibus, postbabitis tot pauperibus puellis nobilibus, tot ciuibus pauperibus, pupillis, orphanis, viduis.

9 Religiosus factus Episcopus tenetur ad obseruantias suæ Religionis in his, quæ non repugnant statui Episcopali, puta ad paupertatem, & Castitatem, & huiusmodi.

Religiosus factus Episcopus tenetur portare habitum suæ Religionis.

Religiosus factus Episcopus non tenetur obseruare ea, quæ repugnant statui Episcopali.

§ Religiosus factus Episcopus subditur immediatè Papæ, eique obedire tenetur.

Per accidens est, quod non subdatur superioribus suæ Religionis.

Non potest Ecclesia dispensare cum Religiosis factis Episcopis in voto Castitatis, & quare.

Religiosus factus Episcopus non potest habere proprium.

Reijcitur Sotus asserens Religiosum factum Episcopum habere dominium suę portionis, quę sibi cōtingit post diuisionem factam de bonis Ecclesiasticis, & ei esse quodammodo mutatum votum paupertatis quo ad bona secularia.

Non tenetur Religiosus factus Episcopus obseruare ea, quę sunt in regula sua, quæ tamen Episcopali dignitati dissonant, aut congruentia non sunt.

Non est indecens, quod Religiosus Episcopus sociū sui ordinis habeat.

Religiosus Episcopus non absoluitur ab obseruantijs Regulę quę nec manifestè promouent perfectionem Pontificiam, nec manifestè impediunt Pontificale officium.

Religiosus Dominicanus factus Episcopus non potest vesci carnibus in die Natalis Domini, si in feria sexta euenerit, & quare.

Franciscanus factus Episcopus potest in tali die comedere carnes, & frangere ieiunium.

Præcepta, & censurę, quę ponuntur in regula, sunt dissona ab Episcopali statu, licet ea, quę præcipiuntur, aut sub censuris ponuntur, non dissonent, sed potius cōsonent perfectioni Episcopali.

10 Religiosus factus Episcopus habet obligationem voti obedientię erga suos superiores virtualiter.

Nullo modo potest habere proprium.

Testamentum facere non potest.

Quomodo intelligatur, quod ex concessione Papę possit facere testamentum.

§ Dum Religiosus creatur Episcopus, non eximitur ab obedientię voto, sed mutat obedientiam.

Quomodo obligatio voti obedientiæ dicatur remanere virtualiter in Religioso facto Episcopo.

11 Si post votum simplex Religionis aliquis sit factus Episcopus, consulendum est ei, vt Religionem intret omnibus dimissis.

§ Quando maius vinculum tollat minus.

Ille, qui post emissum votum Religionis consentit in Episcopatum scienter, & aduertenter, peccat mortaliter.

Si autem non aduertebat, non peccat mortaliter, nisi esset lata culpa in non aduertendo.

12 Non licet Episcopo fugere propter persecutionem personalem, vel propter commodum si salus subditorum exigit eius præsentiam.

Si in eius absentia per alium prouideri potest saluti gregis, potest fugere propter periculum suū personale, vel aliquod commodum.

Quando commune est periculum, subditi non debent deseri ab Episcopo.

§ Episcopus tenetur residere in suo Episcopatu, nedum de iure Pontificio, sed etiā de iure Diuino.

Quod personalis residentia Episcoporum sit de iure Diuino, probatur auctoritatibus sacræ scripturæ, & rationibus.

Obligatio residendi personaliter est affinis iuri naturali.

Residentia Episcoporum, & Sacerdotum curam animarum habentium est præcepta sub peccato mortali iure Ecclesiastico, vt habetur pluribus in locis iuris.

Residentia personalis præcipitur à Concilio Tridentino sub diuersis pænis.

SS. Doctores hanc residentiam prædicant.

Loca Concilij Tridentini, in quibus præcipitur residentia, recensentur.

Concilium loquitur de residentia personali, vnde non licet ponere Vicarium.

Non sufficit ponere alium Episcopum pauperem loco sui, & quare.

Non licet ponere Episcopum titularem loco sui.

Episcopus maximè residere debet tempore pestis, & quare.

Quod dicitur de Episcopo, dicendum est etiam de Sacerdote curam animarum habente.

Curatus animarum non potest tempore pestis relinquere beneficium, nisi præstò esset alius idoneus, qui suscipiat curam animarum.

Tempore pestis curatus tenetur tantùm administrare Sacramentum Pœnitentię.

Laudantur Regulares, qui tempore pestis 1630 infectis profuerunt, sanis non defuerunt.

Causę, quibus licet Episcopo abesse à suo Episcopatu, non sunt æstimandæ respectu proprię personę Episcopi, sed tantum respectu boni Ecclesię, cui fidem habet obligatam.

Duplex absentia Episcopi, & quę permittatur à Concilio Tridentino.

Istæ causæ recensentur, & explicantur.

Mala, quę ex absentia Episcopi eueniunt, recensentur.

13 Episcopus potens prouidere saluti proximorum nō debet fieri Religiosus.

Episcopus non valens prouidere saluti proximorum potest

potest fieri Religiosus.

§ *Dupl:ci de causa Episcopus ingrediatur Religionē, vt suæ consulat saluti, licet ei attendere possit etiam manens Episcopus, & quæ.*

Iste Episcopus quamlibet poterit ingredi Religionem, etiam mixtam, & quare.

14 *Episcopus factus Religiosus propter impedimētum salutis proximorum procurandæ potest redire ad Episcopatum cessante impedimento.*

Si aliquis sit depositus ab Episcopatu, & in Monasterium intrusus, non potest redire ad Episcopatum.

§ *Episcopus depositus ab Episcopatu potest resurgere ad illum ex dispensatione Papæ.*

15 *Perfectio Episcopi consistit in hoc, vt proximorū saluti insistat.*

Curam Pastoralem non debet deserere, quamdiu proficere potest saluti proximorum.

De licentia Papæ potest renunciare Episcopatui propter defectum conscientiæ, vel corporis, vel scientiæ, vel irregularitatis, vel subditorum, vel ratione scandali orti de prælatione eius.

Si tamen scandalum oritur ex malitia subditorum volentium fidem, aut iustitiam conculcare Ecclesiæ, tunc Episcopatum non debet renunciare.

16 *Quæ Sacramenta dispensanda reseruentur Episcopis.*

§ *Sacramenta, quæ ponunt hominem in aliquo statu perfectionis, sunt cōfirmatio, & ordo, & quare.*

Ea, ad quæ tenentur Episcopi, recensentur.

Dupliciter potest Episcopus delinquere, & quomodo.

17 *Vasa sacra ab Episcopo debent consecrari.*

§ *Abbates consecrati possunt consecrare Calices.*

Quæritur, ad quid maximè teneantur Episcopi.

1 RESpondeo dicendum, quòd ad hoc maximè tenentur Episcopi, quòd omnia sua pro honore Dei, & saluti sui gregis contemnant, cum opus fuerit, vel pauperibus sui gregis largiendo, vel rapinam bonorum suorum cū gaudio sustinendo. 2.2.q.184.a.7.ad 1.

Episcopos ad hoc maximè teneri, quod omnia sua pro honore Dei, & salute sui gregis contemnant, cum opus fuerit, vel pauperibus sui gregis largiendo vel rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinendo, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ex hoc loco habemus Episcopos esse in statu perfectionis, qui consistit in abrenunciatione ꝓpriarum facultatum, non secundum quod actu fit talis abrenunciatio, hoc enim est tantùm perfectionis instrumentum, ait D. Thomas, sed attenditur secundum præparationem animi, vt scilicet homo sit paratus, si fuerit opus, omnia dimittere, vel distribuere, hoc directe pertinet ad perfectionem, vt ait D. Thomas, & adhoc maximè tenentur Episcopi, vt scilicet animum habeāt paratum omnia sua contemnendi, si opus fuerit, pro honore Dei, & salute sui gregis, pauperibus sui gregis ea largiendo, vel rapinam suorum bonorum cum gaudio sustinendo. quia tunc est signum, eos in huiusmodi bonis non collocasse affectum.

Quæritur, an Episcopi teneantur ad hoc, vt sine proprio viuant.

2 Respondeo dicendum, quòd ad ea, quæ sunt super erogationis, nullus tenetur, nisi se specialiter ad illud voto astringat: vndè Augustinus dicit in epistola ad Paulinam, & Armentarium, quia iam vouisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet; priusquam esses voti reus, liberum fuit, q̃d esses inferior: manifestum est autem, quod viuere absque proprio, super erogationis est, non enim cadit sub præcepto, sed sub consilio: vnde Matthæi 16. cum dixisset Dominus adolescenti, si vis ad vitam ingredi, serua mandata, postea superaddēdo subdidit, si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: non autem Episcopi in sua ordinatione se obligant, vt absq; proprio viuant, neque etiam viuere absq; proprio ex necessitate requiritur ad pastorale officium, ad quod se obligant, & ideò non tenentur Episcopi adhoc, quòd sine proprio viuant. 2.2.q.185.a.6.in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. non tenentur Episcopi adhoc, quod sine proprio viuant. probatur, quia ad ea, quæ sunt supererogationis, nullus tenetur, nisi se specialiter ad illa voto adstringat, sed viuere absq; proprio supererogationis est, ergo &c. sed Episcopi in sua consecratione non se obligant, vt absque proprio viuant, neque viuere absque proprio ex necessitate requiritur ad Pastorale officium, ad quod se obligant, ergo &c. maior probatur ex D. Augustino, vt in littera. minor probatur, quia viuere absque proprio non cadit sub præcepto, sed sub consilio, quod probatur ex Mathei 16. minor subsumpta patet ex se.

Sensus conclusionis D. Thomæ est, quod Episcopi, quamuis statum perfectionis profiteantur, non tamen quemadmodum Religiosi, vt absque proprio viuere obligentur. hanc conclusionem sufficienter probat ratio D. Thomæ, confirmat illud, quod dicitur. 10.qu.1.c.Episcopi. vbi habentur hæc verba; Episcopus de rebus proprijs, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habet, hæredibus suis derelinquat. vlterius duo sunt bonorum genera, quæ Episcopus possidet, alia sunt, quæ iure, seu hæreditario, seu donationis, seu quouis alio sæculari, illi obtingunt, alia sunt Ecclesiastica. de illis prioris generis nulla est ambiguitas, quin propriè, ac priuatim illa pos-

sidere valeat, horum enim bonorum dominium habet, vt ait D. Thomas. 2.2.q.185.a.7.in corp. de bonis etiam secundi generis hoc patet, scilicet de Ecclesiasticis bonis pro ea portione, quæ ipsis ratione stipendij obtingit, horum etiam dominium habet. non repugnat ergo Episcopo, vt Episcopus est, proprium possidere, non solum hæreditario, vel alio quouis ciuili iure, verùm etiam Ecclesiastico, non enim ex parte suæ dignitatis ei repugnat iustum stipendium pro ratione suæ functionis percipere, cuius verè sit dominus. præterea cum Episcopus Religionis votum non emittat, fit vt nec votum faciat peculiare paupertatis, sicut nec castitas, præter id, quod Ordini sacro adiunctum est, sed tantùm promittit obedientiam Papæ, fidemq; suam huic Ecclesiæ, consequēter dignitas Episcopalis non constituit Episcopum in statu paupertatis. meminerint tamen Decreti Concilij Carthaginensis tertij can. 11. vbi habet Episcopus vilem supellectilem, mensam, & victum pauperem habeat, & decreti Concilij Tridentini sess. 25.c.1. de reformatione, vbi habetur. exemplo Patrum nostrorum in Concilio Cartaginensi non solùm iubet, vt Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verùm etiam in reliquo vitæ generæ, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod à Sancto hoc instituto sit alienum, quodq; non simplicitatem, Dei zelū, ac vanitatum contemptum præseferat.

Quæritur, qua ratione Episcopi debeant non habere proprium.

3 Respondeo dicendum, quòd non debent, nec Episcopi, nec Clerici sic proprium possidere, vt dum curant propria, defectum faciant in his, quæ pertinent ad cultum Diuinum. 2.2.q.185.a.6. ad 3.

Quod Episcopi, & Clerici non debeant sic proprium possidere, vt dum curant propria, defectū faciant in his quę pertinent ad cultum Diuinum, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Hoc in loco explicatur, in quo sensu debeant Episcopi, & Clerici non habere proprium, scilicet vt non ita intendant his, quæ sunt mundi, vt eorum studium diminuatur circa ea, quæ sunt Dei. non tamen ex hoc sequitur, quod Episcopi, & Clerici non possint absolutè possidere proprium, quia simul stare potest, quod proprium possideant, & quòd non diminuatur studiū eorum circa ea, quæ sunt Dei, vt patet exemplo Abraham, qui erat Diues, & tamen dictum est ei, Ambula coram me, & esto perfectus. Genesis 17.

Quæritur, an Episcopi peccent, si bona Ecclesiastica, quæ procurant, pauperibus non largiantur.

4 Respondeo dicendum, quòd aliter est dicendum de proprijs bonis, quæ Episcopi possidere possunt, & de bonis Ecclesiasticis, nam propriorum bonorum dominium habent, vndè ex ipsa rerum conditione non obligantur, vt eas alijs conferant, sed possunt eas, vel sibi retinere, vel etiam alijs pro libito elargiri: possunt tamen in earum dispensatione peccare propter inordinationem affectus, per quam cōtingit, vel quòd sibi plura conferant, quàm oporteat, vel alijs etiam non subueniant, secundùm quòd requirit debitum Charitatis: non tamen tenentur ad restitutionem, quia huiusmodi res sunt eorum dominio deputatæ; sed Ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores, vel procuratores: dicit enim Augustinus ad Bonifacium, si priuatum possidemus, quod nobis sufficiat, non illa bona nostra sunt, sed illorum, quorum procurationem gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicemus: ad dispensatorem autem requiritur bona fides secundùm illud primæ ad Corinthios 4. hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur: sunt autem bona Ecclesiastica non solum in vsus pauperum, sed etiam ad cultum Diuinum, & necessitatem ministrorum expendenda: vndè dicitur 12. q. 2. de redditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium, sola Episcopo ex his vna portio mittitur, duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi pauperum profuturæ à Præsbytero sub periculo sui ordinis ministrentur, vltima Clericis pro singulorum meritis diuidatur: si ergo distincta sint bona, quæ debent in vsum Episcopi cædere, ab his, quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda, & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in vsum ministrorum, aut in cultum Diuinum expendenda, non est dubium, quòd contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur; de his autem, quæ sunt specialiter suo vsui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de proprijs bonis, vt scilicet propter immoderatum affectum, & vsum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & alijs non subueniat, sicut requirit debitum Charitatis; si verò non sunt prædicta bona distincta, eorum distributio fidei eius committitur, vt si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absq;

absq; bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet: si verò sit multus excessus, non potest latere, vndè videtur bonæ fidei repugnare, & ideò non est absq; peccato mortali, dicitur enim Matthæi 24. quòd si dixerit malus seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, quod pertinet ad Diuini iudicij contemptum, & cæperit percutere conseruos, quod pertinet ad superbiam, manducet autem, & bibat cum ebriosis, quod pertinet ad luxuriam, veniet Dominus serui illius die, qua non sperat, & diuidet eum, scilicet à societate bonorum, & partem eius ponet cum hypocritis, scilicet in inferno. 2.2.q.185.a.7.in corp.

Nouem conclusionibus respondet D. Thomas huic quæsito data distinctione, quæ est. aliter est dicendū de proprijs bonis, quæ Episcopi possidere possūt, & aliter de bonis Ecclesiasticis. prima conclusio. si loquamur de bonis proprijs, non obligantur Episcopi, vt ea alijs conferant, sed possunt ea vel sibi retinere, vel etiam alijs pro libito elargiri. probatur, quia propriorum bonorum dominium habent. secunda conclusio. possunt in eorum dispensatione peccare propter inordinationem affectus. probatur, quia per talem inordinationem affectus contingit, vel quod sibi plura conferant, quàm oporteat, vel alijs et non subueniant, secundum quod requirit debitum Charitatis, quæ constat esse peccata. tertia conclusio. non tamen tenentur ad restitutionem. probatur, quia huiusmodi bona sunt eorum dominio deputata. quarta conclusio. Episcopi bonorum Ecclesiasticorum sunt dispensatores, vel procuratores. probatur ex D. Augustino ad Bonifatium. quinta conclusio. bona Ecclesiastica nō solum in vsus pauperum, sed etiam in cultum Diuinum, & necessitatem ministrorum sunt expendenda. probatur, quia sic dicitur 12. q. 2. vt vt in littera. sexta conclusio. si distincta sint bona, quæ debent in vsum Episcopi cædere, ab his, quę sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda, & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in vsum ministrorum, aut in cultum Diuinum expendenda, non est dubium, quod contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur, hæc relinquitur vt nota. septima conclusio. circa ea, quæ sunt specialiter suo vsui deputata, potest peccare propter immoderatum affectum, & vsum, si immoderata sibi retineat, & alijs non subueniat, sicut requirit debitum Charitatis. probatur, quia de his bonis, & de proprijs videtur esse eadem ratio. octaua conclusio. si prædicta bona non sunt distincta, eorum distributio fidei eius committitur, & si in modico defficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absq; bonæ fidei detrimento. probatur, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet. nona conclusio. si verò sit mult⁹ excessus, nō potest latere, vnde videtur bonæ fidei repugnare, & ideò nō est absq; peccato mortali. ꝓbatur à simili ex Math. 24.

Ad explicationem huius litterę plura sunt obseruanda, & primò notādum est circa distinctionem, quod bona propria Episcopi sunt illa, quæ iure sæculari Episcopi possident, vt iure hæreditario, seu donationis, siue quouis alio sæculari iure, & horum habent dominium Episcopi, quia status illius non est paupertatis professio. bona autem Ecclesiastica sunt illa, quę Episcopo obueniunt ratione dignitatis Episcopalis, ista bona differunt inuicem in tribus, vt notat Caietanus hoc in loco, primò in titulo, nam Episcopus respectu bonorum propriorum habet titulum dominij, respectu autem bonorum Ecclesiasticorū habet titulum dispensatoris, vt habemus ex D. Augustino citato in littera, & habetur in decretis 12. q. 2. secundò differunt in vsu, nam Episcopus in vsu propriorum bonorū liber est, nec peccat, nisi eo modo, quo laicus peccare contingit in vsu rerum suarum, scilicet ex parte affectus inordinati, respectu autem bonorum Ecclesiasticorum non est liber, sed est obligatus ad creditam sibi dispensationem fideliter exequendam. tertiò differunt in restitutione, quia si in dispensatione bonorum propriorum peccat, non tenetur ad restitutionem Episcopus, sicut tenetur, si peccet in dispensatione bonorum Ecclesiasticorū distinctorum. notandum est secundò circa primā conclusionem, quod cum Episcopi status non sit paupertatis professio, fit vt ex propriorum bonorum, quorum dominium habet, conditione, & natura non teneatur iustitię lege ea pauperibus, vel alijs erogare, sed ea retinere potest, vel vt libuerit, elargiri. aduertendum tertiò circa conclusionem secundam, quod Episcopus in dispensatione bonorum propriorum potest peccare, sicut sæculares ciues possunt circa sua bona propria, puta peccato auaritiæ eas retinendo contra debitum Charitatis, vel peccato prodigalitatis ea indignè prodigendo. non obligatur tamen in his casibus ad restitutionem aliquam, vt dicit tertia conclusio, quia vbi iustitia non violatur, nulla restitutionis obligatio adest. quartā conclusionem vellem, vt aduerterent, & diligētissimè obseruarēt Prælati Ecclesiastici, insuper & auctoritatem D. Augustini ad Bonifacium Comitem, quæ recitatur in littera, & refertur. 21. q. 1. can. vltimo. ex his enim auctoritatibus clarissimè prospicient se esse meros dispensatores bonorum Ecclesiasticorum, non autem eorum Dominos, vnde si eorum domini non existunt, liberi respectu eorum non erunt, vt quibus voluerint, ea elargiantur; si dispensatores sunt, ergo obligati sunt ad creditam sibi dispensationem fideliter exequendam, tunc autem fideliter exequentur dispensationem, quando bona Ecclesiastica in communi possessa in quatuor distribuentur partes, nempe in vsus pauperum, in Diuinum cultum, & in ministrorum necessitates, & in

In vsum Episcopi iuxta Decretũ Simplicij Papæ, 12. q. 1. quod citatur in littera. hinc cernimus, quam celebrandum sit factum Pij quinti, qui, cum proposuisset Cardinalibus, an danda esset pro dote suæ neptis quædam parua quãtitas aureorum, & hoc risum excitaret Eminentissimis illis Dominis, dixit, ne rideatis, non enim bonorum Ecclesiasticorum sumus Domini, sed dispensatores. hisce temporibus sunt plurimi, qui prurientes auribus à veritate auertunt Prælatos, quorum beneuolentiam volentes captare, eos docent habere dominium bonorum Ecclesiasticorum, eaq; posse elargiri, quibus magis voluerint, quod profectò falsissimum est. legatur liber Conciliorum in vita Vrbani Primi, hic dicebat, ab exordio nascentis Ecclesiæ prædia, & huiusmodi à fidelibus assignata sunt Episcopis, quæ si quis inde abstraxerit, sacrilegij reatum incurrit, pœnam Ananiæ, & Saphiræ meretur, perpetua infamia damnetur, carceri, aut exilio perpetuo tradatur, & satanæ iuxta Apostolum. animaduertendũ quartò circa sextam conclusionem, quod quando bona Ecclesiastica sunt distincta, si Episcopus aliquid retinuerit de bonis, quæ obueniunt pauperibus, ministris, & Diuino cultui, infideliter agit, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur, quia in hoc casu verè furtum rei alienæ committit, furatur enim, quæ sunt pauperum, ministrorum, & fabricæ, & cum tale furtum sit rei notabilis, erit peccatum mortale contra iustitiam, & contra Charitatem, & consequenter tenetur ad restitutionem. obseruandum quintò circa septimam conclusionem, & eius rationem, quod ex hoc loco habemus Episcopos habere dominium illius portionis bonorum Ecclesiasticorum, quæ sibi in diuisione obuenit, sicut habent dominium bonorum suorum sæcularium, secus autem, si omnia bona Ecclesiæ in communi possiderentur, & eorum essent dispositioni mandata. idem docet D. Antoninus. 3. p. tit. 20. c. 8. quæ doctrina potest sic probari, stipendia, quæ Iudicibus, Prætoribus, Regibus, & alijs Dominis dantur pro suis laboribus, verè transeunt in eorum dominiũ, ergo & illa, quæ Clericis, & Episcopis pro suis obsequijs, & muneribus erogantur, probatur sequela, quia isti multò preciosius Reipublicæ seruiunt, quam illi. hæc tamen doctrina vera est de dominio fructuum prouenientium ex possessionibus, non autem de dominio prædiorum. rursus vera est, si castra, & prædia, quæ habent, constet non esse illis adiudicata sub conditione, vt pauperes alant, sed absolutè ad deferendum eorum sedi honorem, & auctoritatem, licet collatores crediderint beneficos eosdem Episcopos forè in pauperes. hanc doctrinam docent omnes Doctores Ordinis Prædicatorũ, vt testatur Dominicus Sotus lib. 10. de iustitia, & iure. q. 4. a. 3. conclusione 3. & 4. qui eam mordicus sustinet, & rationibus probat, excepto Caietano, qui hoc in loco vtitur hac distinctione, nempe aut redditus Episcopales sunt tenues, tantùmq; sufficiẽtes Episcopo, aut sunt mediocres, ita ut sint parum abundantes, aut sunt pingues, & abundantes. si sint tenues, aut mediocres, idem est iuditium de istis, & de præbendis Clericorũ, & quod parum superabundat, pro nihilo computatur à iure, & de istis non obligantur facere Episcopi distributionem in pauperes, & Ecclesiæ fabricã, quia ista bona ordinantur ad Episcopi sustentationem, vnde tenet, quod istorum bonorum habet dominium, & in hoc tenet cum S. Thoma; si autem sint pingues, & abundantes, & sunt supra id, quod est necessarium, & multum redundant, tũc tenetur Episcop' duas quartas ad minus distribuere, scilicet in pauperes, & Ecclesiæ fabricam. hoc probat tali ratione, quia tunc in sapiẽtis animum cadere non potest, quod tanti fructus sint Episcopo assignati pro sua sustentatione, & ideò fabrica, & pauperes non sunt fraudandi in sua quota. ex extraneis idem docet Adrianus in 4. in materia de restitut. vnde non est audiendus Alensis in 3. p. q. 36. memb. 5. ar. 2. Ricardus in 4. sent. d. 45. art. 3. q. 1. Thomas Valdensis to. 1. lib. 4. cap. 42. & quattuor subsequentibus asserẽtes, quod Clerici fructuum Ecclesiasticorum solum habent vsum, & non proprietatem, & quòd nullum penes Clericos est Ecclesiasticorum bonorum dominium; multò minus erit audiendus Archid. qui super cap. statutum §. assesorem, de rescript. lib. 6. ait, hæreticum esse in iure, quod Ecclesiastic' acquirat sibi verum dominium fructuum præbendæ, vel Ecclesiæ. argumentum Caietani soluitur à Soto loco citato.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 5. cap. 4. num. 15. & 16.

Quæritur, de quibus bonis possint Episcopi prouidere consanguineis.

5 Respondeo dicendum, quòd si de eo, quod vsui Episcopi, vel alicuius Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis, vel alijs dare, non peccat, dummodo illud faciat moderatè, idest vt non indigeant, non autem ditiores indè fiant, vnde Ambrosius dicit in lib. de officijs. hæc est approbanda libertas, vt proximos seminis tui ne despicias, si egere cognoscas, non tamen vt illos ditiores fieri velis ex eo, quòd tu potes conferre in opibus. 2. 2. q. 185. a. 7. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, si de eo, quod vsui Episcopi, vel alicuius Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis, vel alijs dare, non peccat, dummodo illud faciat moderatè, idest vt non indigeant, non autem ditiores indè fiant. probatur ex D. Ambrosio, vt in littera.

De deputatis ergo vsui Episcopi poterit dare, cui voluerit Episcopus, etiam consanguineis, cũ hoc tamen moderamine, vt non indigeant, non autem vt diuites fiant, & si diuites sunt, non vt ditiores euadant, nec recipiẽtes huiusmodi bona tenebuntur ad restitutionem. hoc autem non possunt

possunt præstare de redditibus Ecclesiæ, vel pauperibus debitis, quia ista bona sunt danda, quibus debentur, & si alijs dentur, tenebuntur ad restitutionem. quod dictum est de Episcopis, valet etiam de Clericis.

Quæritur, an omnia bona Ecclesiastica sint aliquando danda pauperibus.

6 Respondeo dicendum, quòd non omnia bona Ecclesiarum sūt pauperibus largienda, nisi fortè in articulo necessitatis, in quo etiam pro redemptione captiuorū, & alijs necessitatibus pauperum vasa cultui Diuino dicata distrahuntur, vt Ambrosius dicit: & in tali necessitate peccaret Clericus si vellet de rebus Ecclesiæ viuere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus viuere possit. 2.2. quæst. 185. art. 7. ad 3.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. non omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi fortè in articulo necessitatis, in quo etiam pro redemptione captiuorum, & alijs necessitatibus vasa cultui Diuino dicata distrahuntur. probatur hæc vltima pars ex D. Ambrosio. secunda conclusio. in tali necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ uiuere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus viuere possit.

Ex hoc loco habemus, Episcopum, & Clericū posse de Ecclesiastica præbenda viuere, quantūcunque habeat patrimonialia, extra casum necessitatis, nō sic autem in casu necessitatis, inquo tamen etiam si peccaret viuendo de sua præbenda, non tenetur tamen ad restitutionem, vt benè ait Caietanus hoc in loco, & ratio id suadet, quia peccatum consisteret in abusu, quo non subueniret alijs, quando subueniendum est, libertas autem à restitutione ex eo consurgeret, quod præbenda se habet, vt proprium Clerici, vel Episcopi bonum. hic subiungam duo, quorum primum est. mandato misericordiæ, quo vniuersi ad eleemosinas coguntur, Episcopi inter omnes Christi fideles, & omnes mortales arctissimè perstringūtur. quod sic probo, nam Episcopi sunt Pastores animarum, & eas nedum verbo, & exemplo pascere, & promouere tenentur, verùm & re ipsa, animarum autem salus sæpè numero in rerū temporalium egestate periclitatur, vnde Salomon sicut diuitiarum abundantiam, sic & rerum inopiam metuebat, & experientia cōprobatur, quod Viduarum honestas, Virginum pudor rei familiaris penuria vehementer arietatur, insuper famem patientes furandi, peierandi, decipiendi, & huiusmodi plurima intentandi periculis sunt expositi, ergo Episcopi tenebuntur præ cæteris eleemosinas elargiri, & viduis tenentur esse fauore, auxilio velut mariti, orphanis tanquam Patres, vniuersis mendicis, & inopibus singulare præsidium, ac suffugium. secundum est. præceptum eleemosinarum, quo Episcopi obligantur, non potest vniuersim secundum quartam, aut quintam, maiorem, aut minorem aliquotam partem æstimari, sed secundum iudicium prudentū, pensata tam prouentuum quātitate, tam & pauperum indigentia, ac temporum calamitate.

Quæritur, quæ sit ista necessitas, quæ obligat ad peccatum mortale.

7 Respondeo dicendum, quòd non potest determinari, quando sit ista necessitas, quæ ad peccatum mortale obliget, sicut nec cætera particularia, quæ in humanis actibus considerantur, horum enim determinatio relinquitur humanæ prudentiæ. 2.2. q. 185. art. 7. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. non potest determinari, quando sit ista necessitas, quæ ad peccatum mortale obliget. probatur à simili, quia nec possunt determinari cætera particularia, quæ in humanis actibus considerantur, horum enim determinatio relinquitur humanæ prudentiæ.

Contra hanc cōclusionem mouet dubium Caietanus tale, quia 2.2. q. 31. determinata est necessitas, quæ obligat ad peccatum mortale, & est necessitas extrema, si ergo necessitas extrema est illa, quæ obligat ad peccatum mortale, quomodo hoc in loco dicitur, quod non potest determinari, quando sit ista necessitas, quæ ad peccatum mortale obliget? & respondet dupliciter, & primò, quod hoc in loco loquitur D. Thomas de necessitate extrema in particularib⁹, in quæst. autem 31. determinata est necessitas in communi, quod est extrema. secundò respondet, & melius, quod hoc in loco D. Thomas loquitur in casu, quo quis habet de superfluo naturæ, & personæ, idest status, in quo casu tenetur ex Charitatis debito indigentibus illud erogare, sed quanta tunc indigentia alicuius occurrere debeat, vt obliget habentem superfluum ad dandum isti, non subest scientificæ determinationi, sed relinquitur prudentiæ, ad quam singularium iuditiū spectat.

Quæritur, quando ex bonis Ecclesiæ possint emi possessiones.

8 Respondeo dicendum, quòd bona Ecclesiarum vsibus pauperum deseruire debent, & ideò si quis necessitate non imminente prouidendi pauperibus de his, quæ superfluūt ex prouentibus Ecclesiæ, possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum vtilitati Ecclesiæ, & necessitatibus pauperum, laudabiliter facit, si verò necessitas immineat pauperibus erogandi, superflua cura est, & inordinata, vt aliquis in futurum conseruet, quod Dominus prohibet

hibet Matthæi 6. dicens, nolite solliciti esse in crastinum. 2.2.q.185.a.7. ad 4.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si quis necessitate nō imminente prouidendi pauperibus de his, quæ superfluunt, ex prouentibus Ecclesiæ possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum vtilitati Ecclesiæ, & necessitatibus pauperum, laudabiliter facit. probatur, quia bona Ecclesiarum vsibus pauperum deseruire debent. secunda conclusio. si necessitas immineat pauperibus erogandi, superflua cura est, & inordinata, vt aliquis in futurum cōseruet. probatur, quia hoc prohibet Dominus Matthei 6.

Ex hoc loco habemus, vt obseruat Caietanus, malè agere eos Episcopos, qui augendis Ecclesiarum prouentibus vacant, relictis pauperibus tabescentibus, & vtinam non arescentibus, posthabitis tot pauperibus puellis nobilibus, tot ciuibus pauperibus, pupillis, orphanis, viduis.

Quæritur, an Religiosus factus Episcopus teneatur ad obseruantias suæ Religionis.

9 Respondeo dicendum, quòd status Religionis ad perfectionem pertinet, quasi quædam via in perfectionem tendendi: status autem Episcopalis ad perfectionem pertinet tanquàm quoddam perfectionis magisteriū, vnde status Religionis cōparatur ad statū Episcopalem, sicut disciplina ad magisterium, & dispositio ad perfectionem, dispositio autem non tollitur perfectione adueniente, nisi fortè quantū ad id, in quo perfectioni repugnat, quantùm autem ad id, quod perfectioni congruit, magis confirmatur, sicut discipulo, cum ad magisterium peruenerit, non congruit, qd̄ sit auditor; congruit tamen sibi, quod legat, & meditetur etiam magis, quàm ante: sic ergo dicendum est, quod si qua sunt in regularibus obseruantijs, quæ non impediant Poncificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, & alia huiusmodi, ad hæc remanet Religiosus etiam factus Episcopus obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, qui est obligationis signum: si verò sunt in obseruantijs regularibus, quæ officio Pontificali repugnant, sicut est solitudo, silentium, & aliquæ abstinentiæ, vel vigiliæ graues, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum Pontificale officium, ad huiusmodi obseruanda non tenetur, in alijs tamen potest dispensatione vti, secūdùm quòd requirit necessitas personæ, vel officij, vel conditio hominum, cum quibus viuit per modum, quo etiam Prælati Religionum in talibus secū dispensant. 2.2.q.185.a.8. in corp. (q.88. art.11. ad 4.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si qua sunt in regularibus obseruantijs, quæ non impediant Pōtificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, & alia huiusmodi, ad hæc remanet Religiosus etiam factus Episcopus obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, qui est obligationis signum; si verò sunt in obseruantijs regularibus, quæ offitio Pontificali repugnant, sicut est solitudo, silentium, & aliquæ abstinentiæ, vel vigiliæ graues, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum Pontificale offi.ium, ad huiusmodi obseruanda non tenetur. probatur, quia status Religionis comparatur ad statum Episcopalem, sicut disciplina ad magisterium, & dispositio ad perfectionem, sed dispositio non tollitur perfectione adueniente, nisi fortè quantùm ad id, in quo perfectioni repugnat, quantùm autem ad id, quod perfectioni congruit, magis cōfirmatur, ergo &c. minor probatur exemplo discipuli, cum ad magisteriū peruenerit, vt in littera. secunda conclusio. in alijs potest dispensatione vti, secundum quod requirit necessitas personæ, vel offitij, vel conditio hominum, cum quibus viuit. probatur, quia etiam Prælati Religionum in talibus secum dispensant.

Ex hoc loco habemus distinctionem trimembrem regularium obseruantiarum, nam quædam sunt, quæ manifestè promouent, custodiunt perfectionem Pontificiam, & huiusmodi generis sunt continentia, paupertas, ieiunia. quædam autem sunt, quæ impediunt manifestè offitium Pontificale, vt silentium, solitudo, & ea omnia, quæ incompossibilia sunt cum offitio Pontificali, dignitate, & auctoritate. quædam sunt, quæ neutro modo se habēt, vt habere sociū, lineis vti, dormire super saccones laneos, seruare regularia Religionis ieiunia. circa quę omnia sūt aliqua proponenda dubia, & circa tria vota p imò q̄ritur, cui subdatur Religiosus fact᾽ Episcop᾽, & cui teneatur obedire. respōdeo subdi immediatè Papæ, & ei obedire tenetur, & per accidens est, quod nō subdatur Superioribus suæ Religionis, & eis nō obediat, vt infra dicetur, quia à Religione ad Episcopatum assumptus est, sicut dum Religiosus assumitur in Generalem Magistrum non obstante obedientiæ voto soli Papæ manet subiect᾽, vnde non deserit, sed mutat obedientiam. quæritur secundò circa votum castitatis, an Ecclesia possit cum Episcopis Religiosis dispensare in voto Castitatis, sicut potest dispensare cum cæteris Episcopis. cui quæsito respondeo, non posse Ecclesiam dispensare cum Episcopis Religiosis, sicut potest cū alijs Episcopis, quia Religiosi Episcopi nedum continentię obligantur lege Sacerdo-

dotum, qua cæteri Episcopi, quæ est lex positiua, sed etiam lege Religionis, quæ est lex Diuina, super quam non habet potestatem Ecclesia, sicut habet super legem positiuam, & ideò cum cæteris Episcopis poterit dispensare. tertiò quæritur circa votum paurpertatis, an Religiosus factus Episcopus possit habere proprium. cui dubio respondeo negatiuè, non posse scilicet Religiosum factum Episcopum habere proprium, hoc docet D. Thomas hoc in loco, dum inter obseruantias regulares, quæ non impediunt Pontificale offitium, sed magis valent ad perfectionis custodiam, ponit paupertatem, & 2.2.q.88.a.11.ad 4. apertè ait, quod Religiosus, qui fit Episcopus, sicut non absoluitur à voto continentiæ, ita nec à voto paupertatis, quia nihil debet habere tanquam proprium, sed sicut dispensator communiũ bonorum Ecclesiæ, & in hoc loco in responsione ad 3. ait, Religiosum Episcopum non posse habere proprium. ratio id etiam suadet, quia votum Religionis, quod tria includit vota, est indispensabile. idem docet Siluester verb. votum. 4.q.5. in fine, Armilla verb. Episcopus. num. 8. Tabiena eodem verb. qu. 6. huic tamen veritati se opponit, subperitorum tamen censura, Dominicus Sotus lib. 10. de iustitia, & iure q.5.a.7. qui facta diuisione de bonis Ecclesiasticis, & sæcularibus cõcludit, quod Religiosus factus Episcopus dominium habet suæ portionis, quæ sibi cõtingit post diuisionem factã de bonis Ecclesiasticis iuxta sacrorum sanctiones canonum, sicut, & cæteri Episcopi. quo ad bona autem sęcularia asserit eis quodammodo esse mutatum votum paupertatis, quod probat ex can. statutum. q.1. & ex vsu, quo Papa cũ Episcopis Monachis nõnunquã dispensat, vt sæcularia bona emant, quæ postea, quibus volunt, relinquant. hinc fit, quod paupertatis votum non sit tam indispensabile, sicut continentiæ, & obedientiæ vota. verùm hæc opinio Soti superius verb. dispensatio cap. 4. q. 3. satis confutata est, & eius argumenta ibidem satis, superq; sunt soluta. cum ergo Religiosi ad Episcopatum assumuntur, meminerint deferre habitũ suæ Religionis, qui est suæ obligationis signum, nec ipsum exuere debet Religiosus Episcopus, nisi summus eligatur Pontifex; discant à Caietano, qui licet Cardinalis, semper tamen cum habitu monachali religiosissimè vixit, recognoscãt in delatione habitus illam Religionem, quæ eos ad tã altum erexit gradum, ad tam eminentem transtulit dignitatem, non dedignentur illum apertè ostendere habitum, qui suæ exaltationis fuit motiuum.

Circa obseruantias secundi generis, quæ scilicet offitio Pontificali repugnant, à quibus consequenter absoluitur Religiosus statim quod Episcopus creatur, obseruat Caietanus hoc in loco, non solum in hoc genere comprehendi, quæ manifestè Episcopali functioni aduersantur, vt silentium, solitudo, Episcopus enim audientiæ subditorum suorum ad illum recurrentium vacare debet, sed etiam quę Episcopali dignitati dissonãt, aut congruentia non sunt. idem concedit Dominicus Sotus lib. 10. de iustitia, & iure q. 5. art. 7. negat tamen exempla posita à Caietano, qui hæc in medium adduxit, nempe habere socium ordinis, bibere sedendo, cum duabus manibus, cũ benedictione, & huiusmodi, hæc, inquit Caietanus, Episcopum non decent; immò, inquit Sotus, adeò huiusmodi cęremoniæ ipsum non dedecent, vt eius habitum, quem semper deferre debet, decorent, nec oculos prudentium sæcularium offendunt; verum, cum hæc sint res parui momenti, non incongruè asseritur, si Religiosos Episcopos ab his cęremonijs absolui dicamus: circa tamen socium ordinis habendum ego puto non esse indecens, quod Episcopus Religiosus socium sui ordinis, qui auctoritate vigeat, sibi adiũgat, cum quo confidat secreta sui cordis, familiariterq; conuersetur, negotia tractet.

Circa obseruantias tertij generis, vt lineis nõ vti, ordinis ieiunia seruare, ab esu carnium abstinere, ait D. Thomas, posse Religiosum Episcopum vti dispensationibus, secundum quod requirit necessitas personæ, vel offitij, vel hominum conditio, cum quibus viuit per modum, quo Prælati Religionum secum dispensant in talibus. ex quibus habemus, Religiosum Episcopum nõ absolui ab huiusmodi obseruantijs. si enim potest secum dispensare, ergo signum est, quod ad illas tenetur, sicut ad illas tenetur Prælatus Religionis, qui potest secum dispensare in huiusmodi obseruantijs, quod etiam non absoluitur ab his obseruantijs suadetur ex hoc, quod tales obseruantiæ fouent, & conseruant perfectionem vitæ.

Quæritur nunc, an Religiosus Dominicanus, cui ex statuto Regulæ interdicitur esus carnium, possit, si creetur Episcopus, feria sexta in die Natalis Domini vesci carnibus, & vti priuilegio cõcedente in tali die esum carnium. cui dubio respondeo non posse Religiosum Dominicanum factum Episcopum vesci carnibus feria sexta in die Natalis Domini, sed peccare mortaliter hoc faciendo, quia priuilegium canonis concedentis esum carnium in Natali Domini non conprehẽdit ipsum, excipit enim eos canon, qui vel ex voto, vel regula prohibentur edere carnes, Religiosus autem Dominicanus prohibetur ex regula comedere carnes, vnde priuilegium non est illi factum, & respectu illius relinquit feriam sextam in suo rigore, vnde sicut Prælatus Religionis non potest in hoc secum, nec cum suis subditis dispensare, ita nec Religiosus Dominicanus factus Episcopus poterit secum in hoc dispensare. sed quid dicendum de Religiosis Franciscanis, qui assumuntur ad Episcopatus, quibus licet non interdicatur esus carnium à regula sua, præcipitur tamen ieiunium feriæ sextæ, an isti possint comedere carnes feria sexta in die Natalis Domini, & frangere ieiunium. huic dubio dicendũ mihi videtur, Franciscanos assumptos ad Episcopatum posse feria sexta in die Natalis Domini comedere carnes, & consequenter posse frangere ieiunium, nam priuilegium concedens esum carnium non excipit nisi illos, qui ex voto, aut ex regulari obseruantia comedere carnes prohibentur,

tur, Franciscanis autem non prohibetur esus carnium ex regula, nec ex voto, ergo illis vesci poterunt in die Natalis Domini, si feria sexta contigerit, & cum esus carnium non stet cum ieiunio, cum abstinentia à carnibus sit essentialis ieiunio, nec ieiunare tenebuntur, & licet iuiunare feria sexta mandetur eis peculiari præcepto, quando tamen Franciscanus assumitur ad Episcopatū. absoluitur ab huiusmodi præcepto, præcepta enim, sicut, & censuræ inter dissona computanda sunt, vt ait Caietanus hoc in loco. verū hæc in sequenti dubio explicabuntur magis.

Quæritur vlterius, an Religiosus factus Episcopus subdatur vinculo præcepti, vel censuræ posito in Regula, quam professus est. cui quæsito respondeo cum Caietano hoc in loco, quod præcepta, & censuræ, quæ ponuntur in regula sunt dissona ab Episcopali statu, licet ea, quæ præcipiuntur, aut sub censuris ponuntur, non dissonēt, sed potius consonent Episcopali perfectioni, & dignitati, vt actus ieiunādi feria sexta, in aduentu est maximè congruus statui Episcopali, & Episcopi perfectioni, vinculum tamen præcepti, qđ superadditur, dissonat statui Episcopi, quod deduco ex doctrina D. Thomæ hoc in loco adducta, vbi dicitur, quod Episcopalis status se habet ad statum Religiosum, sicut status Magistri ad statum discipuli, frequentia autem studij ad meditandum, & legendum ita conuenit discipulo, quod non minus cōuenit Magistro, sed quod aliquis adstringatur ad huiusmodi frequētiam studij præceptis, & pænis, statui discipulorum cōuenit, non autem statui Magistrorum, ideò Religiosus factus Episcopus absolutus est à præceptis, & censuris regulæ, & statutorum, sicut absolutus est à præceptis, & censuris impositis à Prælatis Religionis, quia Episcopi se habent vt Magistri Religiosorum in disciplina perfectionis. ex his patet, Religiosum Franciscanum non teneri præceptis suæ regulæ, dum assumitur ad Episcopatum, & consequenter si feria sexta in die Natalis Domini non ieiunabit, præcepti suæ regulæ transgressor non erit, quia ab illo absolutus est ex hoc, quod ad Episcopatum assumptus est. dicet tamen aliquis, si Religiosus factus Episcopus non subditur præceptis suæ regulæ, ergo non tenebitur vinculo obedientiæ, paupertatis, & castitatis; sed facilis est responsio dicendo, tria vota solemnia vim suam retinere non ex superioris Regulæ, vel hominis vinculo, sed ex propria promissione Deo facta.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 5. cap. 4. num 20.

Quæritur, an Religiosus factus Episcopus teneatur obedire Prælatis suæ Religionis, & an possit condere testamentum.

10 Respondeo dicendum, quòd est per accidens, quod Episcopi Religiosi obedire Prælatis suarum Religionum non tenētur, quia scilicet subditi esse desierunt, sicut & ipsi Prælati Religionum: manet tamen adhuc obligatio voti virtualiter, ita scilicet quòd si eis legitimè aliquis præficiatur, obedire tenentur, inquantùm obedire tenentur statutis regulæ per modum prædictum, & suis superioribus, si quos habent: proprium autem nullo modo habere possunt, non enim paternam hæreditatem vendicant, quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ debitam, vnde in Decreto dicitur, postquā Episcopus ordinatur ad Altare, ad quod sanctificatur, quod acquirere potuit, restituat: testamentum autem nullo modo facere potest, quia sola ei dispensatio committitur rerum Ecclesiasticarum, quæ finitur morte, ex qua incipit testamentum valere, vt Apostolus dicit ad hæb. 9. si tamen ex concessione Papæ testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum, sed Apostolica auctoritate intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, vt eius dispensatio possit valere post mortem. 2.2. q. 185. art. 8. ad 3.

Quintuplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Per accidens est, quod Episcopi Religiosi obedire Prælatis suarū Religionum non tenentur. probatur, quia subditi esse desierunt, sicut & ipsi Prælati Religionum. secunda conclusio. manet tamen adhuc obligatio voti virtualiter. probatur, quia si eis aliquis præficiatur, obedire tenentur, inquantum obedire tenentur statutis regulæ, & suis superioribus, si quos habent. tertia conclusio. proprium nullo modo habere possunt. probatur, quia hæreditatem paternam non vendicant, quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ debitam, quod probatur ex Decreto, vt in littera. quarta conclusio. testamentum nullo modo facere potest. probatur, quia sola ei dispensatio committitur rerum Ecclesiasticarum, quę finitur morte, ex qua incipit testamentum valere, vt ait Apostolus ad hęb. 9. quinta conclusio. si tamen ex concessione Papę testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum, sed Apostolica auctoritate intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, vt eius dispensatio possit valere post mortem.

Quinque conclusiones D. Thomæ afferunt secum suas difficultates, in primis prima conclusio quærit de obedientia Religiosi Episcopi, an scilicet eximatur ab obedientiæ voto ex hoc, quod ad Episcopatum assumitur. cui quæsito respondetur, Religiosum nō eximi, nec absolui ab obedientiæ voto, dum ad Episcopatum assumitur, sed mutat obedientiam, quia prius, dum erat in Religione, tenebatur obedire Prælatis suæ Religionis, quibus subdebatur, dum autem assumptus est ad Episcopatum, obedire tenetur Papæ, cui

cui immediatè subiectus est, & quod de facto nõ obedit Prælatis suæ Religionis, per accidens est, quia assumptus ad Episcopatum desinit esse illis subiectus, sicut per accidens est, quod Religiosus assumptus in Generalem Magistrum non obedit Prælatis Religionis, quia eis amplius non est subiectus; obedire tñ tenetur Papæ, cui subiect⁹ immediatè remanet, vnde sicut Generalis non relinquit, sed mutat obedientiã, ita Religiosus factus Episcopus, notanda tamen est secunda conclusio, quæ dicitur, quod obligatio voti manet virtualiter in Episcopo Religioso, itaquòd si aliquis ei legitimè præficiatur, obedire tenetur ei, & suis superioribus, si quos habet, vnde Religiosus Episcopus hunc animum paratum debet semper habere, vt scilicet paratus sit obedire ei, qui ei præficiatur, si quãdo præficiatur à summo Pontifice, tertiam conclusionẽ vellem, optimè aduertisset Domini⁹ Sotus, qui docet lib. 10. de iusti tia, & iure q. 5. art. 7. quod Religiosus Episcopus possit habere proprium, inquantum scilicet portionis, quæ sibi ex diuisione bonorum Ecclesiasticorum obuenit, dominium habet, sicut & cæteri Episcopi ex sæculo assumpti; similiter potest adire hæreditatem paternam, quod probat ex can. statuimus 28. q. 1. & potest ex dispensatione Papæ emere bona sæcularia, & ea postea, quibus vult, relinquere testamento; ex quibus concludit, quod non est ita indispensabile paupertatis votum, sicut votum continentiæ, & obedientiæ. sed miror de hoc viro, quod suam fundauerit sententiam in huiusmodi decretis, & vsibus, & rationibus adductis à S. Thoma in argumento tertio, quibus optimè satisfacit per doctrinam præsentis quæsiti: falsũ est ergo, quod Religiosus factus Episcopus possit habere dominiũ illius portionis, quę sibi ex bonis Ecclesiasticis obuenit, quia proprium nullo modo habere potest; nec est eadem ratio de Religioso Episcopo, & cæteris Episcopis, quia isti voto paupertatis non sunt adstricti, sicut Religiosus. falsum est etiam, quod possit adire hæreditatem paternam, tanquam propriam sibi, vt inquit D. Thomas in ratione tertiæ conclusionis; sed eam potest adire, tanquam Ecclesię debitam, & sic intelligitur can. statutum, vt etiam notat D. Thomas. falsum est etiam, quod Religiosus Episcopus possit facere testamentum, vt dicit quarta conclusio, & ratio id probat; quia sola ei dispẽsatio committitur rerum Ecclesiasticarum, quæ finitur morte. & ad vsum, quo Papa dispensat cum aliquibus Religiosis Episcopis, vt possint emere bona sæcularia, & ea postea, quibus volunt relinquere ex testamento, respondetur per quintam conclusionem, quod dum testamento aliquid relinquunt, non illud relinquunt tanquã proprium. sed dicitur ex concessione Papæ ampliatam esse sibi potestatem suæ dispensationis, vt scilicet sua dispensatio etiam valeat post mortem, quæ aliàs morte finiebatur. vnde concludamus tàm esse indispensabile votum paupertatis, sicut & vota obedientiæ, & continentiæ, vt etiã notauit Siluester verb. votum 4. q. 5.

Quæritur, an si post votum simplex Religionis quis fit factus Episcopus, teneatur renunciare Episcopatui, & Religionem ingredi.

11 Respondeo dicendum, quòd in foro conscientiæ esset sibi consulendum, quòd omnibus dimissis Religionem intraret, vnde extra de voto, & voti redemptione cap. per tuas cõsuluit Episcopo Gratinopolitano, qui post votum Religionis Episcopatum assumpserat, voto non impleto, vt si suam saluare desideraret conscientiam, regimen Ecclesiæ resignaret, & redderet Altissimo vota sua. 2. 2. quæst. 189. art. 3. ad 1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. illi, qui post votum simplex Religionis factus est Episcopus, consulendum est in foro conscientiæ, quod omnibus dimissis Religionem intraret. probatur ex decret. extra de voto, & voti redemptionẽ cap. per tuas, vt in littera.

Circa hanc conclusionem mouetur dubium, quia maius vinculum tollit minus; sed vinculum Episcopi est maius vinculo simplicis voti Religionis, ergo illud tollit istud, ergo illi, qui post votum simplex Religionis factus est Episcopus, non est consulendum, vt dimissis omnibus Religionem intret. probatur minor, quia votũ Episcopi adeò est obligatorium, vt non liceat ad Religionem intrare. vlterius Episcopus est sponsus Ecclesiæ, itaquod est spirituale matrimonium inter ipsum, & Ecclesiam. confirmatur, quia habens votum simpliciter Religionis arctioris, si de facto profiteatur laxiorem, non tenetur ad arctiorem, vt patet ex cap. qui post. de regulari, in 6. ergo multò magis, qui tenetur voto simplici ad statum imperfectiorem, si de facto profitetur statum perfectiorem, non amplius tenetur ad imperfectiorẽ, sed Episcopalis status est perfectior, quàm status Religionis, ergo ille, qui voui simpliciter Religionem, si fiat Episcopus, non tenebitur transire ad Religionem, ergo non est consulendus iste, vt relictis omnibus intret Religionem, vt dicit conclusio. respondetur ad maiorẽ, quod maius vinculum tollit minus, quando maius includit minus, in proposito autem licet vinculum status Episcopalis sit maius vinculo Religionis, attamen in hoc maiori nõ clauditur istud minus, quia ille est status perfectionis alienæ, vt ipsum Episcopi nomen sonat. hic autem est status perfectionis propriæ, ideò cum perfectiori statu Episcopali remanet inconsumatum votum simplex Religionis, ideò qui votũ simplex fecit Religionis, debet consulere Papam, sicut consuluit Episcopus Gratinopolitan⁹, qui in hoc casu erat, & fuit ei responsum, quod si suam saluare vellet conscientiam, regimen Ecclesiæ resignaret, & redderet Altissimo vota sua. legatur Caietanus hoc in loco. ad confirmationem respondetur negan-

gando consequentiam, quia licet status Episcopalis sit maior, & perfectior statu Religionis, attamen ille non includit istum, & ideò cum statu Episcopali perfectiori stat inconsumatum votum simplex Religionis. siquis autem quærat, an peccet mortaliter iste, qui post emissum votum Religionis consentit in Episcopatum, respondebitur cum Siluestro verb. votum. 3. quæst. 9. distinguendo, quod si scienter, & aduertenter consenserit, peccat mortaliter, vt colligitur ex cap. per tuas, de vot. & ratio id suadet, quia hoc est consentire in fractionem voti; si verò non aduertebat, non peccat mortaliter, nisi esset lata culpa in non aduertendo.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 5. cap. 4. nu. 21.

Quaritur, an liceat Episcopis gregem suum deserere propter aliquam persecutionem.

12 Respondeo dicendum, quòd in qualibet obligatione præcipuè attendi debet obligationis finis, obligant autem se Episcopi ad exequendum Pastorale officium propter subditorum salutem, & ideò vbi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus Pastor animã suam ponere teneatur pro ouibus suis: si verò subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium prouideri, tunc licet Pastori, vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel personæ periculum corporaliter gregem deserere, vnde Augustinus dicit in Epistola ad Honoratum, fugiant de ciuitate in ciuitatem serui Christi, quando eorum quisquã specialiter à persecutoribus quæritur, vt ab alijs, qui non ita quæruntur, non deseratur Ecclesia: cum autem omnium est commune periculum, hi, qui alijs indigent, non deserantur ab his, quibus indigent, si enim perniciosum est nautam in tranquillitate nauem deserere, quantò magis in fluctibus, vt dicit Nicolaus Papa, & habetur. 7. quæst. 1. 2. 2. quæst. 185. ar. 5. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. vbi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere neque propter aliquod commodum temporale, neq; etiam propter aliquod personale periculum imminens. probatur primò, quia bonus Pastor animam suam ponere tenetur pro ouibus suis. probatur secundò, quia in qualibet obligatione præcipuè attendi debet obligationis finis, sed obligant se Episcopi ad exequendum pastorale officium propter subditorum salutem, ergo &c. secunda conclusio. si subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium prouideri, tunc licet Pastori, vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel personæ periculum corporaliter gregem deserere. probatur ex D. Augustino, vt in littera. tertia conclusio. cum omniũ est commune periculum, hi, qui alijs indigent, non deserantur ab his, quibus indigent. probatur ex Nicolao Papa, & vt in littera.

Prima, & tertia conclusio postulant, vt quæramus, an fides, quam Episcopus Ecclesię suæ, immò Deo obstrinxit vsque ad mortis tolerantiam eum, vt resideat, obliget. cui quæsito facili negotio respõdemus ex his, quæ dicuntur à S. Thoma in prima conclusione, vbi ait, quod propter nullum imminẽs personale periculum licet Episcopo Ecclesiam suam tempore necessitatis deserere, quod probat ex illo Ioannis 10. bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis, quæ verba ita exponuntur, vt bonus Pastor, bonitate scilicet, quæ ad gratiam, amicitiamq; Dei retinendam necessaria est, cum necessitatis casus occurrerit, teneatur pro ouibus suis mortem subire, teneatur pro ouibus suis animam ponere, vt ait D. Thomas hoc in loco, vbi notetur illud verbum, teneatur, quod præceptum vtiq; significat. idem docet D. Augustinus in Epistola 18. ad Honoratum inquiens, instante persecutione Episcopus non potest fugere, sed exemplo Christi debet animam pro ouibus suis ponere, vbi notetur illud verbum, non potest, quod præceptum denotare, nulli dubiũ esse debet. D. etiam Thomas 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3. ait, quod non est de necessitate Charitatis, quod homo propriũ corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur eius saluti prouidere, sed si quilibet homo in casu tenetur corpus proprium exponere interemptioni pro salute proximi, ergo multò magis hoc præstare tenebitur Episcopus pro salute sui gregis, cui datus est Pastor. hinc deducimus residentiam Episcoporum nedum esse de iure Pontificio, sed etiam de iure Diuino, quod dico contra aliquos, qui putant esse huiusmodi residentiam tantùm de iure Pontificio. quod autem sit de iure Diuino, Caietanus hoc in loco tãquam rem compertam breuibus absoluit. Bartolomeus Miranda splendor Religionis Prædicatoriæ singularis, qui Concilio Tridentino interfuit, hanc veritatem plurimis sacrorum eloquiorum testimonijs, & rationibus demonstrat. nobis sufficiat aliquas auctoritates, & rationes adduxisse. in primis est auctoritas Christi. Ioannis. 10. vbi dicitur, bonus pastor animam suã ponit pro ouibus suis, ex quibus verbis infert D. Thomas, quod ob nullum temporale periculum licet Præsuli de sua Ecclesia decedere, & gregem suũ deserere. vlterius quod Christus verbis docuit, exemplo, & factis præstitit, dum vitam propriã pro salute nostra posuit, multò ergo magis hoc

præ-

præstare tenentur Episcopi, qui Christum repræsentant, qui Pastores gregum sunt; & qui oppositum faceret, non Pastorem, sed se demonstraret mercenarium, de quo dicitur mercenarius autem, & qui non est Pastor, videt lupum venientem, dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues. Ioannis 10. Præterea dictum est à Christo Petro, pasce oues meas. Ioannis 21. idest pasce tu immediatè, & non per alium. his accedunt rationes aliquæ, quarum prima desumitur ex Caietano hoc in loco. ad illud tenetur Episcopus de iure Diuino, quod est necessarium ad finem Episcopi, qui est cura animarum, sed residentia Episcopi est necessaria ad curam animarum, ergo Episcopus tenetur sub Diuino præcepto ad personaliter residẽdũ in suo Episcopatu. maior probatur, nam si finis Episcopi est cura animarum cum ad eam teneatur ex iure Diuino, vt patet, ex eodem iure tenebitur ad medium necessarium pro cura animarum habenda, ex quo medium est ita necessarium, quod sine illo finis consequi non possit. minor probatur, quia Episcopus gerit curam animarum mediantibus his actibus personalibus, scilicet doctrina, administratione sacramentorum, consecrationibus, visitatione, custodia, diligentia, sed hæc requirunt personalem residentiam, ergo personalis residẽtia est necessaria ad curam animarũ, ꝓbatur minor primò de doctrina, nã Apostolus ait, oportet Episcopum esse Doctorẽ, non autẽ ait, oportet Episcopũ habere Doctorem. item in ordinatione Episcopi dicitur, Vade prædica populo Dei, non autem dicit, mitte ad prædicandum, vnde D. Paulus. 2. ad Corinth. 9. ait, vhe mihi si non euangelizauero, necessitas mihi incumbit. de administratione Sacramentorum constat, quod Sacramenta Confirmationis, & Ordinis à solo Episcopo possunt conferri. de consecrationibus autem patet, quod consecratio Ecclesiarum, Altarium, Virginum, confectio Chrismatis, Benedictio olei sancti ad solum Episcopum spectant. de visitatione, custodia, diligentia liquet ex eo, quod si ad hæc personaliter non teneretur, non esset ipse Pastor custodiens gregem, & vigilans super eo, ac visitans singulas oues, sed esset dominus ouium habens pastorem ouium, idest mercenarium, cui committit, quod vigilet, custodiat, & visitet, constat autem Episcopum esse Pastorẽ ouium Christi, & ad illum spectare actus sex à Domino expressos Ezechiel. 34. nempe cõsolidare infirmum, sanare ægrotum, alligare cõfractum, reducere abiectum, requirere perditũ, custodire pingue, ac forte, volo dicere, non est Episcopus Pastor eo sensu, quo dixerunt filij Iacob Pharaoni, Pastores sumus, isti enim per se nullam exercent ouilis curam, sed per suos famulos, & duntaxat vellere, caseo, fœturaq; fruentes, delicatè, ac molliter vitam degunt, Episcopus autem nõ sic est institutus Pastor gregis Christi, sed prorsus velut minister, qui gregum vigilias perferre tenetur, & per prata scripturæ gregem deducere, eiusque fontibus potare, atque oleo scabiem inungere, eisq; lupũ cauere, & quid quid vllo pacto nocere poterit. secunda ratio desumitur ex Dominico Soto lib. 10. de iustitia, & iure. qu. 3. artic. 1. D. Paulus ait si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, idest si legitimum est eius desiderium, non ad dignitatem, sed ad opus referendum est, vnde Hieronimus ad Honoratum ait, qui Episcopatum desiderat, opus desiderat, hoc est non dignitatem, aut delitias, sed opus, & laborem. D. etiã Augustinus ad Paulinum, & refertur 8. q. 1. can. qui Episcopatum, exponere, inquit, voluit Apostolus, quid est Episcopatus, quia nomen est operis, non honoris, opus autem, & labor pro grege subeundus residentiam exigit, quod & ex verbis sequentibus apertè deducitur, oportet Episcopum doctorem esse, quo non significatur habitus, seu facultas, & dignitas, sed vsus, idest oportet, vt doceat, non potest autem docere gregem suum, nisi illi præsens sit, & præsentialiter resideat. tertia desumitur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 1. de reformatione, Apostolus præcipit, vt Episcopi in omnibus laborent, & ministerium suum impleant, sed ministerium implere suum nõ possunt, si greges sibi cõmissos mercenariorum more deserant, atque ouium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo Iudice requirendus, custodiæ minimè incumbant, cum certissimũ sit, non admitti Pastoris excusationem, si lupus oues comedit, & Pastor nescit, ergo &c. quarta desumitur ex eodem Cõcilio Tridentino sess. 23. cap 1. de reformatione, præcepto Diuino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificiũ offerre, verbique Diuini prædicatione, sacramẽtorum administratione, & bonorum omniũ operum exemplo pascere, pauperum, aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere, & inter cætera munia pastoralia incumbere, sed hæc omnia nequaquam ab ijs præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserũt, ergo &c ex his ergo patet residentiam Episcoporum esse de iure Diuino, quod ius Diuinum cũ sit perfectiuum iuris naturalis, hinc fit, vt quod iure Diuino sancitum est, naturali etiam iure roboretur, & cum demonstrauerimus residentiam esse de iure Diuino, hinc sequitur, quod etiam obligatio residendi quàm proximè iuri naturali sit affinis, quam veritatem pluribus ostendit rationibus Dominicus Sotus lib. 10. de iustitia, & iure. q. 3 art. 2. nobis sufficiat hanc adduxisse rationem, stipendiũ tribuitur Episcopo non pro scientia, morum probitate, aut nobilitate, & dignitate Episcopali, sed pro functione, pro opere, exercitio, labore, vsu, vt habet admonitio Diuina Numer. 18. & 1. ad Corinth. 9. docet Apostolus, naturalis autem ratio dictat, vt si stipendium pro opere, & labore penditur Episcopo, vt ipse resideat, qui & operetur, laboret, doceat. his accedit dictũ Nicolai Papæ, vt habetur can. sciscitaris, qui ait, perinde iuri naturali aduersari, Episcopum in persecutione Ecclesiam deserere, ac si nauta sæuientibus fluctibus nauim destitueret.

Quod

Quod autem residentia Episcoporum, & Sacerdotum curam animarum gerentium iure Ecclesiastico sit sancita, & sub pœna peccati mortalis præcepta, habetur extra, de Clericis non residentibus cap. quia nonnulli. est Concilij Lateranensis, vbi sancitum est, vt Ecclesiasticum ministerium non committatur, nisi personæ, quæ residere in loco, & curam Ecclesiæ per se ipsum valeat exercere; ibi etiã prohibetur, vt nemo duas Parochias, quibus per se se residere non possit, retinere valeat, neque fructus earum percipere; & in ca. 22. eiusdem Concilij habetur, vt qui Parochialem Ecclesiam habuerit, non per Vicariũ, sed per se ipsum illi deseruiat. idemq; Alexander tertius cap. relatum. eodem tit. confirmat idem Cælestinus cap. ex parte. Innocentius cap. qualiter. & alijs duobus sequentibus. Concilium itẽ Antiochenum cap. 21. strictissime prohibet, ne Episcopus à sua exeat Diocæsi. item Cõciliũ Sardicense can. 14. inhibet, ne Episcop⁹ in aliena ꝓuincia vltra tres Dominicas commoretur. idem statuitur à Concilio Agathensi, quod refertur. 7. quæst. 1. can. si quis. & can. quæst. Concilium item Calcedonense cap. 17. quod 92. dist. refertur, habet, si quis Episcopus ꝑ manus impositionẽ Episcopatum acceperit, & præesse populo constitutus ministerium subire neglexerit, neq; acquieuerit ad Ecclesiam sibi commissam redire, hunc oportet Communione priuari, donec susceperit coactus officium. & 21. qu. 1. can. Clericus. residentiæ gratia prohibetur, ne quis in duabus Ecclesijs connumeretur, idq; Diuino testimonio cõfirmatur, quia nemo scilicet potest duobus Dominis seruire. Concilium item Cartaginense quintum, quod refertur. 7. q. 1. can. placuit. habet, vt nulli sit facultas relicta principali Catedra in aliquam Ecclesiam in diocæsi constitutã se cõferre, vel in re propria diutius, quàm oportet constitutum curam, & frequentationem propriæ catedræ negligere. vlterius 82. dist. can. Episcopis. iubentur Episcopi saltem die dominica esse in Ecclesia. sunt plura alia antiqua iura, quæ veritatem hanc demonstrant. nouissimè hæc residentia sancita est à Concilio Tridentino sess. 6. cap. 1. de reformatione, in quo diffinitur, quod nullus Episcopus quouis gradu, & dignitate fulgens excusatur à personali residentia Episcopali in suis Ecclesijs, nisi legitima habeat impedimenta, & transgressores sui Decreti pęnis etiam coercet. in quo decreto primò innouat antiquos canones aduersus non residentes promulgatos. secũdò priuat ipso iure quarta fructuum vnius anni applicandorum per superiorem Ecclesiasticum fabricæ Ecclesiæ, & pauperibus loci quẽcumque quacumq; dignitate, gradu, & præeminentia præfulgentem, vnde comprehenduntur etiam Cardinales Episcopi, vt expressè comprehenduntur sess. 23. cap. 1. de reformatione, qui legitimo impedimento, seu iustis, & rationabilibus causis cessantibus sex mensibus cõtinuis extra suam diocæsim morando abfuerit. tertiò priuat ipso facto alia quarta parte fructuũ similiter applicanda eundem, si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseuerauerit. quartò crescente contumacia præcipit sub pęna interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda Metropolitano, vt suffraganeos Episcopos absentes infra tres menses per litteras, seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur; similiter sub eadẽ pœna præcipit suffraganeo antiquiori residenti, vt Metropolitanum absentem infra idem tẽpus Papę denũciet. quintò Papa poterit suę sedis supremæ auctoritate animaduertere in ipsos absẽtes, prout vniuscuiusq; maior, aut minor cõtumacia exegerit, & Ecclesijs ipsis de Pastoribus vtilioribus prouidere, sicut in Domino nouerit salubriter expedire. aliud ẽt edidit decretũ sess. 23. cap. 1. de reformatione. ex his ergo patet, residentiam esse etiam de iure Ecclesiastico, cui etiam possumus addere ius Imperatorium, ꝙ ius citatur à Dominico Soto. quibus omnib⁹ adiungimus auctoritates Sanctorum Augustini in lib. de pasto. Gregorij Nazianzeni in oratione de statu Episcopali. Chrisostomi in lib. de Sacerdotio. Gregorij. & Ambrosij in suis pastoralib. Hieronymi in secunda Epistola ad Oceanum. Origenis super Iosuè hom. 7. Athanasij in Epistola directa Episcopo Crete, item in Epistola ad Episcopum Apameæ, item in alia ad eundem, item in alia ad Imperatorem directa, qui Cõstantinopoli sinebat Episcopos degere, nec cogebat eos ad suas Ecclesias abire, & aliorum. concludam cum D. Bernardo de persecutione sustinenda c. 31. super illud mercenarius videt lupum venientem, & fugit. vtinam hodie quicunq; Pastores non sunt, mercenarios gregi vellent se exhibere, non lupos; vtinam ipsi non læderent; vtinam non fugerent nemine persequente; vtinam non exponerent gregem, donec venientem lupum viderent. hæc ponderentur Ecclesiarum Præsules, hæc meditentur animarum curatores, hæc opere compleant, hæc factis exequantur, vt veri Pastores, & non mercenarij inueniantur; meminerint iterati decreti Concilij Tridentini incipientis, cum præcepto Diuino. sess. 23. cap. 1. de reformatione, quo in decreto primò declarat omnes Pręfectos Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Catedralibus Ecclesijs quibuscunque, quocunq; nomine, & titulo, etiam si S.R.E. Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel Diocæsi residentiam, & ibi fungi officio sibi iniuncto, neque abesse posse, nisi Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas aliquos nonnunquã abesse postulent, & exigant. secundò statuit has causas legitimæ absentiæ esse in scriptis approbandas à Papa, vel à Metropolitano, & in absentia Metropolitani à suffraganeo antiquiori residente, qui etiam probare debebit absentiam Metropolitani, nisi eũ absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ offitium Episcopalibus adiunctum. tertiò decernit, quod ad Metropolitanum cum Concilio Prouinciali spectabit iudicare de licẽtijs à se, vel à suffraganeo datis, & videre, ne quis eo iure abutatur, & vt pœnis canonicis errantes puniantur.

tur. quartò vult, vt discessuri ita ouibus suis prouideant, vt quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. quintò vult, quod spatium, quo extra causas prædictas abesse possunt Episcopi singulis annis, siue continuũ, siue interruptum, nullo pacto debeat duos, ad summum tres mẽses excedere, & debeat fieri æqua ex causa, & absq; vllo gregis detrimento, & hoc iudicandũ relinquit conscientiæ Episcoporũ discedentiũ. sextò admonet, ne vllo pacto absint tempore aduentus, quadragessimæ, diebus Natiuitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, & Corporis Christi, nisi Episcopalia munia in sua Diocæsi eos aliò vocent. septimò statuit, vt si quis Episcopus cõtra huius decreti dispositionem abfuerit, præter pænas contra non residentes impositas à Paulo tertio, & innouatas, & peccati mortalis reatum, quem incurrit, priuatur etiam fructibus pro rata temporis absentiæ, itaquod eos tuta conscientia retinere nõ possit, sed teneatur illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, & illo cessante per superiorẽ Ecclesiasticũ prohibita quacunq; cõuentione, vel compositione &c. non obstantibus quibuscũque priuilegijs &c. octauò eadem quoad culpã, & amissionem fructuum, & pænas declarat, & decernit de Curatis inferioribus, & alijs quibuscunq; qui benefitium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens obtinent. nonò isti, si abesse contigerit causa prius per Episcopum cognita, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. decimò discedendi licentiam inscriptis, gratisq; concedendam vltra bimestre tempus, nisi ex graui causa non obtineant. vndecimò vult, quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult ordinarijs, per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam vsq; ad priuationem, compellere, nec executionem hanc quolibet priuilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cuiuscunque beneficij pactione, statuto, etiam iuramento, vel quacunq; auctoritate confirmato, consuetudine, etiã immemorabili, quę potius corruptela censenda est, siue appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianæ constitutionis suspendi posse. postremò præcipit, vt decretum hoc, & decretum sub Paulo tertio factum in Concilijs Prouincialibus, & Episcopalibus publicetur. de huiusmodi residentia aliud edidit decretum sess. 6 ca. 2. de reformatione comprehendens omnes obtinentes benefitia, quæ requirunt residentiam de iure, seu consuetudine. sess. etiam 21. cap. 3. de reformatione decernit, vt saluæ sint consuetudines earum Ecclesiarum, in quibus nõ residentes, seu non seruientes nihil, vel minus tertia parte percipiunt, non obstantibus &c. item sess. 22. cap. 3. de reformatione statuit, vt obtinentes dignitates, personatus, offitia, si personaliter competens seruitium iuxta formam ab Episcopis præscribendam quolibet die statuto non impleuerint, illius diei distributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium requirant, sed fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio ordinarij applicetur. crescente vero cõtumatia contra eos iuxta sacrorum canonum cõstitutiones procedant Episcopi. item sess. 24. cap. 12. de reformatione sic decernit, vt obtinentibus in Catedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis vltra tres menses ab eisdem Ecclesijs quolibet anno abesse, saluis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius seruitij tẽpus requirunt, alioquin primo anno priuetur vnusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residẽtiæ fecit suos. quod si iterum eadem fuerit vsus negligentia, priuetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit; crescente verò contumatia contra eos iuxta sacrorum canonum constitutiones procedatur. ex tot ergo Decretis residentiam concernentibus, ex tot pænis, quas non residentes incurrunt, vnusquisque perspicere potest, quantùm Patres illi zelantissimi Tridentinæ Synodus impressam cordi haberent hanc residentiam, vt tot decretis eam decernere, & tot pænis eam vallare non dubitarint. vt autẽ constat ex verbis Concilij, sermo est de residentia personali, quæ scilicet requirit præsentiam personæ Episcopi, & aliorum curam animarum gerentium, vnde non sufficiet constituere Vicarium, vt expresse sancitum est in Concilio Lateranensi ca. 32. nempe vt qui paræcialem Ecclesiam habuerit, non per Vicarium, sed per se ipsum illi deseruiat. nec sufficit constituere Episcopum aliquem pauperem loco sui, quia qua ratione Episcopus diues tenetur residere in sua Ecclesia, & Episcopatu, eadem tenetur pauper Episcopus residere in sua Ecclesia; & qua ratione Episcopus diues, & Cardinalatus dignitate insignitus tenetur in sua Ecclesia fungi offitio suo, eadem Episcopus pauper tenetur in suo Episcopatu ad functiones suas, nec possibile video, vt idem Episcopus possit duabus inseruire Ecclesijs, vt feria quinta Cænæ Domini, quando conficiendum est Chrisma; multoties ẽt vrgebit simul necessitas prouidendi gregibus vtriusque Diocæsis, vterque grex sui Pastoris postulabit præsẽtiam, vnus ergo Episcopus pro alio supplere non poterit, immò abusionis esse detestabilis, asserit Caietanus hoc in loco, quod pauper Episcopus relicta sua Ecclesia alteri seruiat. nec sufficit cõstituere Episcopum titularem, quia per accidens est, quod inueniantur Episcopi titulares, ex hoc scilicet accidente, quia Ecclesiæ eorum sunt in manibus infidelium, vel sunt destructæ, quod autem per accidens est, relinquitur ab arte. præterea si Episcopus gaudet honore suæ Ecclesiæ, quare & onus non debet subire? si Episcopus fruitur diuitijs suæ Ecclesiæ, quare à seruitute illius se debet subtrahere? si Episcopus gloriatur de Episcopatu, quare potius lætari nõ debet de opere, cum Apostolus dicat, si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat? si Pa-

si Pastor pinguedine gregis pascitur, quare gregem non pascit, cum ei dictum sit, pasce oues meas? si Pastor inpinguatur ex grege, quare ipse gregem non inpinguabit sua præsentia, vitæ suæ integritate, morum sanctimonia? si oues sequi debent Pastorem, quare Pastor fugit? si fugit, si non residet, quomodo oues suas agnoscet? quomodo oues suum agnoscent Pastorem? & tamen bonus, & supremus Pastor, quem cæteri immitari debēt Pastores, aiebat, ego cognosco oues meas & nominatim voco eas, & cognoscunt me meæ. si grex ex fæturis suis conseruat vitam Pastoris, quare Pastor gregem suū conseruare, & sua præsentia custodire, & à lupis tueri non debet? attendat ergo Episcopus residentiæ personali, & ei ita intendat, vt oues suas nominatim vocare sciat. hinc concludamus, quod si Episcopus residere tenetur ordinariè, & extra necessitatem, multò magis residere tenebitur tempore necessitatis, vt quādo pestis grassatur in populos, tunc enim oues maximè egent præsentia Pastoris, qui eas consoletur verbo, frequentibus visitationibus, subueniat spiritualiter Sacramentorum administratione, prouidendo scilicet de idoneis ministris Sacramentorum; & in hoc si opus est magnis expensis pro stipendio ministrorum, ad has tenetur Episcopus, vt ait Dominic' Bannes. 2.2.qu.33.art.3.dub.4. tunc oues maximè egent subueniri pietatis operibus; tunc maximè Pastor tenetur ponere vitam pro ouibus suis; tunc præcipuè ostendere se debet Pastorem, & non mercenarium, qui dum videt lupum, fugit. vnde sicut non possum non laudare multos Episcopos Lombardiæ, qui tempore maximæ, ac sæuissimæ Epidimiæ totam hanc amęnissimam Prouinciam deuastantis anno millesimo sexcentesimo trigessimo personaliter in suis Ciuitatibus adfuerunt, præstò fuerunt suis ouibus, quas verbo, exemplo, eleemosinis, Sacramētis summopere adiuuerūt, ita cohibere linguam debeo a laudibus aliquorū, qui à Ciuitatibus suis eo tēpore abfuerunt. quod autem dixi de Episcopo, etiam de Sacerdote curato asserendum est, quòd tunc temporis maximè residere debet; neque pro tunc potest relinquere beneficium, nisi præstò esset alius idoneus, qui suscipiat curam animarum, vt loco citato dicit idem Bannes; tenetur tamen tunc tantùm administrare Sacramentum Pænitentiæ, quod est Sacramentum necessitatis, non autem obligatur administrare Eucharestiam, quia cum periculo vitæ suæ non tenetur administrare Sacramētum, quod non est necessarium; vnde non admodum rectè se gesserunt illi Episcopi, qui tempore illius maximæ pestis Parocos suos coegerunt, vt & Sacramentum Eucharestię suis administrarent Parochianis, propter quod ferè omnes perierūt Parochi, vnde postea non erat, qui Sacramentū Pænitentiæ eis administret, & nisi Sacerdotes Regulares, qui adhoc non tenebantur, eos adiuuissent, pessimè cum eis esset actum. hi profectò Episcopi habuerunt zelum, sed non secundū sciētiam, quæ postulat, vt in his casibus tantùm Sacramentum necessitatis administretur, nec alia cum tāto vitæ periculo ministrare teneantur Parochi. hinc patet, quantæ perfectionis fuerint illi Regulares, qui licet non tenerentur remanere in loco pestis, nec sacramenta ministrare peste infectis, sed fugere potuerint ad loca sana, attamē remanere elegerunt in loco peste infecto, in quo essent adiumenti infectis, auxilio non deessent sanis.

Nunc restat differere de causis, quibus licet Episcopo à suo abesse Episcopatu, ad quorum explicationem notandum est, quod istæ causæ nō sunt existimandæ respectu proprię personę Episcopi, cum & vitam ipsam Ecclesiæ debeat, sed tantùm respectu boni Ecclesiæ, cui fidem habet obligatam vt rectè obseruat Dominicus Sot' lib. 10. de iustitia, & iure. q. 3. a. 4. has causas Caietanus hoc in loco ad tres reducit, quæ sunt necessitas impedimenti, qualitas negotij, & conditio personæ, impedimentum item est duplex, scilicet intrinsecum, & extrinsecum, quas egregiè explicat, sicut & idem Sotus lib. 10. de iustitia, & iure. qu. 3. ar. 4. quibus addit quartam, nempe quando parochia annexa est superiori dignitati, tunc ille, qui residet in superiori Ecclesia, per Vicarium seruiat parochiæ, vt habetur in Concilio Lateranensi can. 32. iubetur tamen idoneum, & perpetuum habere Vicarium canonicè institutū, vt sit quasi curam habens animarum. Concilium tamen Tridentinum has assignat causas, ob quas licitè Præsul potest à sua abscedere Ecclesia, & sunt Christiana Charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euidens Ecclesiæ, vel Reipuplicæ vtilitas. pro quarum explicatione obseruandum est, quod duplex est absentia, vna est, quæ ad modicum tempus fit, quæ à canonibus reputatur pro non absentia, altera est longa, quæ pro vera absentia reputatur, prima permittitur à Concilio Tridentino his concurrentibus conditionibus, vt habetur sess. 23. cap. 1. de reformatione, primò quod adsit rationabilis aliqua causa, non existente enim rationabili causa nulla permittitur absentia, vt recuperandæ, vel conseruādæ valetudinis gratia, similiter gratia animi recreandi, suosq; visitandi necessarios exigua potest succidere tempora, quæ his, alijsq; id genus suis negotijs possit impendere. secundò si prouideat taliter, quod grex nullum detrimentum patiatur. tertiò quod talis absentia siue continuata, siue interpolata non excedat spatium duorū, vel ad summum trium mensium. quartò quod ista absentia non sit temporibus aduentus, quadragessimæ, Paschatis, Pentecostis, Corporis Christi. secunda autem absentia, quæ est longa, quæ scilicet durat per annum, duos, tres, vel plures, & etiam quæ fit per plures, quam tres menses supradictos nullo modo conceditur, nisi adsit aliqua ex supradictis causis positis a Concilio Tridentino, quarum prima est Christiana Charitas, quæ nil aliud est, quam proximorum vtilitas, vnde cum proximus laborat, potest Episcopus abesse, vt illi succurrat, vt si personæ alicuius diocæsis versarentur in periculo hæresis, si Episcopus alterius Diocæsis potest illis prodesse sua prædica-

dica-

catione, tunc relicta propria Ecclesia potest in aliena morari, quia tunc adest proximorum vtilitas, quæ est Christiana Charitas. hoc tamen debet intelligi, si in propria non sequatur notabile detrimentum spirituale, tunc enim abesse non potest, sed propriæ attendere debet, licet minus indigeat, vt ait Toletus lib. 5. cap. 4 num. 3. similiter Christiana Charitas concedit, vt Episcopus possit abesse ad paces Magnatum componẽdas, lites sedandas, dummodo tamen ex eius absentia non sequatur notabile detrimẽtum in propria Ecclesia, quia tunc relinquere eam esset contra Charitatis ordinẽ, qui postulat, vt prius, & plus sibi, quàm alteri quis subueniat. secunda causa est vrgens necessitas, quando scilicet periculum vitæ imminet Episcopo, nisi discedat ab Ecclesia, vt si ita infirmetur, quòd nisi mutet aerem, morietur, vel si adsit persecutio infidelium, vel Principis Christiani, qui cogat Episcopum exulare, vel recedere de suo Episcopatu, vt contingit B. Ioãni Euangelistæ, & B. Thomæ Cantuariensi Episcopo, tunc licitè Episcopus potest subtrahere propriam personam gregi suo, & in hoc sensu loquitur secunda conclusio D. Thomæ. hoc tamen verum est, si non sequatur detrimentum spirituale gregis ex eius absentia, quia tunc Episcopus potius debet mortem subire, puta si non singulariter in odium Præsulis, sed in Ecclesiam ipsam grassatur, tunc persistendum illi est vsq; ad mortem, in hoc enim casu verificatur illud, bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis, quãdo enim Ecclesia necessitate præsentiæ Antistitis premitur, occumbere potius debet morti, quàm exire, & in hoc sensu intelligenda est tertia cõclusio D. Thomæ. quando autem non vsque adeò Ecclesia affligatur, in rem eius vergit, quòd Episcopus suæ saluti consulat, vt expeditius ei seruire possit, vt exemplum extat D. Ioannis Euangelistæ, qui precibus suæ Ecclesiæ, vt expediebat, secessit, & D. Thomæ Cantuariensis, qui postea, dũ opus fuit, ad suas sedes cum periculo vitæ remearunt. tertia causa est debita obedientia, quando scilicet Papa imponit aliquod negotium Episcopo, quod requirit absentiã, tunc Episcopus abesse potest. sed aduerte, quod ista obedientia debet esse debita secundum Cõcilium, idest Episcopus potest abesse, vt obediat Papæ præcipienti cum causa rationabili, & cum necessitate aliqua, si enim Papa absque tali rationabili causa præcipiat aliquid Episcopo, ipsum non debet audire, nec Papa pro solo libito excusat Episcopum à præsentia suæ Ecclesiæ, vt obseruat Toletus lib. 5. cap. 4. nu. 3. in fine. attendenda est ergo causa, ne sit inferioris momenti, quàm vtilitas propriȩ Ecclesiæ, & sit cũ necessitate aliqua. quarta causa est euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas, idest quando propria Ecclesia indiget Episcopi absentia ad aliquid pro ea procurandum, tunc Episcopus potest abesse, sicut etiam potest abesse in vtilitatem totius Ecclesiæ, vel Ecclesiæ prouincialis, vt dũ congregatur Synodus generalis, vel Prouincialis, vel cũ Episcopus legatione fungi debeat in beneficium totius Ecclesiæ, quæ nõ ita benè, nisi per Episcopum fieri potest, cum enim aliter potest, nõ licet abesse, vt Tolet. loco citato notat. potest etiam Episcopus abesse in vtilitatẽ totius Reipublicæ, vel Prouinciæ temporalem. obserua tamen, quod ista causa debet esse cum necessitate, idest quod necessaria sit persona Episcopi, quia si aliter, quàm per Episcopum potest id fieri, non debet Episcopus abesse, vnde Episcopi, qui curam rerum sæcularium Regni gerunt, sibi caueant, & prospiciant, an sua præsentia sit necessaria, quia tunc à propria Ecclesia abesse possunt, si autem per alium potest res fieri, Episcopi non excusantur. ista autem vtilitas Ecclesiæ, vel Reipublicæ debet esse euidens secundum Concilium, nam cum non ita nota est, melius est, immò tenetur Episcopus in sua manere Ecclesia. istæ ergo sunt quattuor causæ, per quas Episcopus licitè potest à sua abesse Ecclesia ad tempus, & ibi non residere, & sine aliqua harum abesse peccatum est mortale, cuius grauitas pẽsari poterit ex malis, quæ ex Episcopi absentia oriuntur. Clerici euadunt irreligiosi, malè morigerati, arma prohibita deferentes, habitum iuxta formam sacrorum canonum nõ induentes, comas nutrientes, & vt vno verbo dicam, sæculariter viuentes; perit doctrinæ puritas, cum Doctor gregis non sedeat, nec resideat, & inimici veritatis occultè in ouile tanquam lupi intrent, vt perdant, & mactent; sæculares fiunt irreuerẽtes, iurisdictionem Ecclesiȩ vsurpantes, bona Ecclesiæ occupantes, Ecclesiasticos verbo, & factis lædentes; pauperes nimis patiuntur, quia redditus, qui sibi debentur ex sacris sanctionibus, nõ distribuuntur, Xenodochia non pauperes, sed scortorum filios alunt, loca pia non in nubendis pauperculis filiabus, sed in matrimonio collocandis meretricibus eorum, qui locorum piorũ curam gerunt, vel amicorum, consumantur, Viduarum non est adiutor, pupillorum, & orphanorum non est auxiliator; Ciuitas litibus ciuilibus scinditur, discordijs nutritur, perturbationibus conquatitur, sanguine gaudet, & innumera alia incommoda, & mala ex Episcopi absentia sequuntur.

Quæritur, an Episcopus possit transire ad Religionem.

13 Respondeo dicendum, quòd quia ad perfectionem Religionis pertinet studiũ, quod quis adhibet ad propriam salutem, ad perfectionem autem Episcopalis status pertinet adhibere studium ad proximorũ salutẽ, & ideò quamdiu potest esse aliquis vtilis proximorum saluti, retrocederet, si ad statum Religionis vellet transire, vt solùm suæ saluti insisteret, qui se obligauit ad hoc, quòd non solum suam salutem, sed ẽt aliorum procuraret, vndè Innocẽtius tertius dicit in decretali prædicta, quòd facilius indulgetur, vt Monachus ad Præsulatum

tum ascendat, quàm Præsul ad Monachatum descendat; sed si salutem aliorum procurare non possit, conueniens est, vt suæ saluti intendat. 2.2.q.185.a.4. ad 1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. quamdiu potest esse aliquis Episcopus vtilis proximorum saluti, retrocederet, si ad statum Religionis vellet transire, vt solũ suæ saluti insisteret. probatur primò, quia se obligauit ad hoc, quòd non solum suam salutem, sed etiam aliorum procuraret, sed ad perfectionem Religionis pertinet studium, quod quis adhibet ad propriam salutem, ad perfectionem autẽ Episcopalis status pertinet adhibere studiũ ad proximorum salutem, ergo &c. secundò probatur ex Innocentio tertio, vt in littera. hinc elicit corrolarium. si Episcopus aliorum salutem procurare non possit, conueniens est, vt suæ saluti intendat.

Ex hoc quod status Episcopalis est perfectior statu Religionis, cum ille sit vt status Magistri, hic autem vt status discipuli, ille attendat nõ solum Episcopi, sed etiam proximorum salutem, hic autem solum propriam Religiosi curet salutem, sequitur, quod Episcopus absolutè nõ possit statum deserere Episcopalem, & ad Religionem transire, quia desereret statum perfectiorem, & descenderet ad statum minus perfectum, quod non licet; sed supposito, quod Episcopus non possit amplius exequi ea, quæ sunt perfectioris status, idest Episcopalis, vt proximorum procurare salutem, tunc Episcopus poterit relicto Episcopatu Religionem intrare, vt suæ intendat saluti. posset tamen aliquis dicere, cum Episcopus possit etiam suæ propriæ salutis curam gerere remanẽs Episcopus, vt docet D. Thomas. 2.2. q. 185. a. 4. ad 2. ad quid deserere Episcopatum, & Religionem intrare? respondebitur tamen, quod in hoc casu rectè agit Episcopus, si renunciet Episcopatum, & Religionem ingrediatur duplici de causa, quarum vna desumitur ex parte sui, nempe quòd melius suæ potest attendere saluti in Religione, quàm in Episcopatu, quia dum est in Religione, regulares profitetur obseruantias, regulæ subijcitur rigorosæ, iuri adstringitur peculiari, quibus omnibus salus propria egregiè procuratur. secunda causa desumitur ex parte gregis, quia dum Episcopus non est amplius vtilis gregi, ingrediatur Religionẽ, vt alter succedat in Episcopatu, qui gregis curam gerat, non est enim rectè factum, vt grex remaneat cum Pastore, qui ei prodesse non possit; ille ergo Episcopus, qui alijs prodesse non potest, Religionem ingrediatur, in qua melius suam procurare poterit salutem, & in Episcopatu succedat alter, qui suæ, & aliorum saluti prouidere possit. Vlterius dicet aliquis, si Episcopus non valens prodesse gregi potest ingredi Religionem, vt suæ saluti attendat, ergo saltem iste Episcopus poterit tãtum ingredi Religionem Monacorum vitæ contemplatiuæ intẽdentium, non autem Religionem mixtam, quæ scilicet contemplatiuæ, & actiuæ, saluti propriæ, & alienæ procurandæ incumbit, vt est Religio fratrum Prædicatorum, cuius finis est procuratiò salutis propriæ, & proximorum; & si huiusmodi Religionem ingredi possit, melius est, vt in Episcopatu persistat, tanquam in statu perfectiori. respondebitur, quod Episcopus talis quamlibet poterit ingredi Religionem, etiam mixtam, quia in ea poterit suæ, & alienæ saluti attendere, quod non valebit præstare manens in Episcopatu, puta si adsit persecutio in Episcopum cogẽs eum exulare, vel saltem ita vexans eum, vt otium procurandæ salutis sui gregis ei non relinquat, tũc potest relicto Episcopatu Religionem ingredi mixtam, quia persecutio sæuiet in Episcopum, nõ sæuiet in Religiosum, & sic in habitu Religioso poterit saluti proximorum attendere. si etiam Episcopus ea non polleat scientia, quæ sufficiat ad curam regiminis, potest relicto Episcopatu transire ad Religionem, in qua studium vigeat, & in ea litteris operam nauare, vt doctus factus alienæ possit intendere saluti. si etiam Episcopus nõ possit salutem proximorum procurare ex defectu eorum, quia in eis non potest proficere, etiã tunc relicto Episcopatu Religionem intret, & sic Religiosus proficere poterit in proximis, in quibus proficere non potuit Episcopus, experientia enim compertum habemus, Religiosum vnum præstare potuisse, quæ Episcopus non potuit obtinere.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 5. cap. 4. nu. 25.

Quæritur, an Episcopus factus Religiosus possit iterum ad Episcopatum transire.

14 Respondeo dicendum, quòd propter nullum impedimentum debet homo prætermittere studium suæ salutis, quod pertinet ad Religionis statum, potest autem esse aliquod impedimentum procurandæ salutis alienæ, & ideò Monachus potest ad statum Episcopatus assumi, in quo etiam suæ salutis curam agere potest; potest etiã Episcopus, si impedimentum alienæ salutis procurandæ interueniat, ad Religionem transire, & impedimento cessante potest iteratò ad Episcopatum assumi, puta per correctionem subditorum, vel per sedationem scandali, vel per curationem infirmitatis, aut depulsa ignorãtia per instructionem sufficientem; vel etiam si simoniacè sit promotus eo ignorante, si se ad regularem vitam Episcopatu dimisso transtulerit, poterit iteratò ad alium Episcopatum promoueri, si verò aliquis propter culpam sit ab Episcopatu depositus, & in Monasterium detrusus ad pænitentiam peragendam, non potest iteratò ad Episcopatum reuocari, vndè dicitur. 7. quæst. 1. præcipit Sancta Synodus, vt quicunque de Pontificali

ficali dignitate ad Monachorum vitam, & pænitentiæ descēderit locum, nequaquam ad Pontificatum resurgat. 2. 2. quæst. 185. artic. 4. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. potest Episcopus, si impedimentum alienæ salutis procurandæ interueniat, ad Religionem transire, & impedimento cessante potest iteratò ad Episcopatum assumi. prima pars probabitur in sequenti quæsito. secunda pars explicatur, quia impedimenta procurandæ salutis alienæ erant incorrigibilitas subditorum, vel scandalum, vel infirmitas, vel ignorantia Episcopi, vel etiam si sit simoniacè promotus ipso ignorante, sed talia impedimenta possunt cessare per correctionem subditorum, per sedationem scandali, vel per curationem infirmitatis, aut depulsa ignorantia per instructionem sufficientem &c. ergo tunc poterit ad alium Episcopatum iteratò promoueri. secunda cōclusio. si aliquis propter culpam sit ab Episcopatu depositus, & in Monasterium detrusus ad pænitentiam peragendam, non potest iteratò ad Episcopatum reuocari. probatur ex 7. q. 1.

Iam diximus, quòd quando Episcopus videt, se non prodesse proximis ob varia impedimenta, potest relicto Episcopatu Religionem intrare, vt suæ intendat saluti, cessantibus autem huiusmodi impedimentis poterit iterum assumi ad suum Episcopatum, si vacet, si autem non vacet, ad alium Episcopatum, tanquam ad statum altiorem, perfectiorem, & hoc verum est, si spontè prius cessit Episcopatui, si autem coactè in pęnā alicuius delicti, tunc non poterit resurgere ad eundem, nec ad alium episcopatum, vt habem⁹ 7. q. 1. ca. hoc nequaquam, vbi præcipit Sancta Synodus, vt quicunque de Pontificali dignitate ad Monachorum vitam, & pœnitentiæ descendit locum, nequaquam ad Pontificatum resurgat, quo in loco notetur illud verbum, resurgat, quasi velit dicere, quòd sicut naturaliter, & regulariter homo mortuus non resurgit, miraculosè tamen poterit suscitari à Deo per merita alicuius Sancti, ita depositus ab episcopatu ob delictum regulariter resurgere non debet ad episcopatū, ex dispensatione tamen Papę poterit aliquis resurgere ad illum, si pœnitentia illius hoc postulauerit, hæc enim pęna est de iure positiuo, super quod Papam posse dispensare episcopum nullus ambigere debet.

Quæritur, quibus de causis possit Episcopus deserere curam Pastoralem, & fieri Religiosus, & cuius auctoritate.

15 Respondeo dicendum, quòd perfectio Episcopalis status in hoc consistit, quòd aliquis ex diuina dilectione se obliget ad hoc, quòd saluti proximorum insistat: & ideò tamdiu obligatur adhoc, quòd curam Pastoralem retineat, quamdiu potest subditis sibi commissis proficere ad salutem, quam quidem negligere non debet, neq; propter Diuinæ cōtemplationis quietem, cum Apostolus propter necessitates subditorum etiam a contemplatione futuræ vitę se differri patiēter toleraret secundùm illud ad Philipenses primò, ecce quid eligam ignoro, coarctor autem è duobus desiderium habens dissolui, & esse cum Christo multò magis melius, permanere autem in carne necessarium est propter vos, & hoc confidens scio, quia manebo; neq; propter quæcunq; aduersa vitanda, vel lucra conquirenda, quia sicut dicitur Ioannis 10. bonus Pastor ponit animam suam pro ouibus suis: contingit tamen quandoq; quòd Episcopus impeditur procurare subditorum salutem multipliciter, quandoq; quidem propter defectum proprium cōscientię, si sit homicida, vel simoniacus; vel etiam corporis, puta si sit senex, vel infirmus; vel etiam scientiæ, quæ sufficiat ad curam regiminis; vel etiam irregularitatis, puta si sit bigamus; quandoq; autem propter defectum subditorum, in quibus non potest proficere, vndè Gregorius dicit in 2. dialogorum, ibi æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniuntur aliqui, quib⁹ adiuuentur boni, vbi autē omninò fructus de bonis deest, fit aliquādo de malis labor superuacaneus: vndè sæpè agitur in animo perfectorum, quòd cum laborem suum sine fructu esse considerant, in loco alio ad laborem cum fructu migrant; quandoq; autem contingit ex parte aliorum, puta cum de Prælatione alicuius graue scandalum suscitatur, nam vt Apostolus dicit primæ ad Corinthios 8. si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, dum tamen scandalum non oriatur ex malitia aliquorum volentium fidem, aut iustitiam Ecclesię conculcare, propter enim huiusmodi scandalum nō est cura Pastoralis dimittenda secundùm illud Matthæi 15. sinite illos, scilicet qui scandalizabantur de veritate Doctrinæ Christi, cæci sunt, & duces cæcorum: oportet tamen, quòd sicut curam regiminis assumit aliquis per prouidentiam superioris Prælati, ita etiam per eius auctoritatem ex causis prędictis deserat susceptam, vndè extra de renunciatione dicit Innocentius tertius, si pennas habeat, quibus satagas in solitudinem auolare,

lare, ita tamen astrictæ sunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeas absq; nostra permissione volatum, soli enim Papæ licet dispensare in voto perpetuo, quo quis se ad curam subditorum astrinxit Episcopatum suscipiens. 2. 2. q. 185. ar. 4. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Episcopus tamdiù obligatur ad hoc, quod curam pastoralem retineat, quamdiù potest subditis sibi commissis proficere ad salutem. probatur, quia perfectio Episcopalis status in hoc consistit, quòd ex Diuina dilectione motus se obligat ad hoc, quòd saluti proximorum insistat. secunda conclusio. contingit quandoque, quòd Episcopus impeditur procurare subditorum salutem multipliciter. probatur, quia à tali procuratione impeditur Episcopus quandoq; propter defectum propriū, vel scientię, vel conscientiæ, vel corporis, vel irregularitatis; quandoque propter defectum subditorum, in quibus non potest proficere; quandoque ex parte aliorum, puta cum de Prælatione alicuius graue scandalum suscitatur. hęc omnia patent in littera. hinc elicit corrolarium, quod propter scandalum, quod oritur ex malitia aliquorum volentium fidem, aut iustitiam Ecclesię conculcare, non est cura pastoralis dimittenda. probatur ex Mathei cap. 13. vt in littera. tertia conclusio. oportet, quod sicut curam regiminis assumit aliquis per prouidentiam alicuius Prælati, ita etiā per eius auctoritatem ex causis prędictis deserat susceptam. probatur ex Innocentio tertio, extra, de renunciatione.

Circa secundam conclusionem, & eius probationem nota, quod huiusmodi defectus sunt desumpti ex decretali Innocentij tertij, extra, de renunciatione. cap. nisi cum pridem. corrolarium confirmat exemplum S. Thomæ Episcopi Canturiensis, qui non cessit Episcopatui, nec Ecclesię suę ex hoc, quod iniquus Henricus secundus Rex Anglię, qui iam leges tulerat iniquas contra vtilitatem, ac dignitatem Ecclesiasticam, scandalum petiebatur ex resistētia, quam sibi faciebat constantissimus Episcopus, vt sępè conquereretur, se in suo Regno cum vno Sacerdote pacem habere non posse.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quę docet Toletus lib. 5. cap. 4. num. 25.

Quæritur, an Episcopus, qui renunciauit loco, & non officio, possit conferre Ordines.

Respondeo dicendum sicut verbo. Ordo. cap. 3. q. 5.

Quæritur, quorum Sacramentorum dispensatio pertineat ad solum Episcopum.

16 Respondeo dicēdum, quòd secundum Dionysium Episcopus propriè habet perficiendi officium, sicut Sacerdos illuminādi, vndè illa Sacramenta dispensanda solis Episcopis reseruantur, quæ suscipientem in aliquo statu perfectionis ponunt. 4. sent. d. 23. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quęsito. quę est. illa sacramenta dispensanda solis Episcopis reseruantur, quę suscipientem in aliquo statu perfectionis ponunt. probatur, quia secundum Dionysium Episcopus propriè habet perficiendi officium, sicut Sacerdos illuminandi.

Sacramenta, quę reseruantur Episcopis conferenda, & quæ ponunt suscipientem in aliquo statu perfectionis, sunt Cōfirmatio, & Ordo; Confirmatio, inquam, collocat in aliquo statu perfectionis suscipientem, quia Confirmatio est quasi vltima consumatio Sacramenti Baptismi, sicut enim homo per Baptismum ædificatur in domū spiritualem, & conscribitur quasi quædam spiritualis epistola, ita per Confirmationem quasi domus ædificata dedicatur in templum spiritus Sancti, & quasi epistola conscripta signatur signo Crucis, & vlterius per eum datur plenitudo Spiritus Sancti, vnde homo post Confirmationis Sacramenti susceptionem plenus inuenitur Christianus; præterea confirmatus in quodam officio confitendi fidem constituitur. legatur D. Thomas. 3. p. q. 72. ar. 11. in corp. & 4. sent. d. 7. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 2. in corp. & quodlibeto 11. a. 7. in corp. Ordo etiam collocat hominem in aliquo statu perfectionis, cum per ipsum accipiat potestatem regendi multitudinē, & exercendi actus publicos. ista ergo duo sacramenta cum à solis Episcopis possint cōferri, ideò ratio pustulat, vt in suis Ecclesijs resideant, experientia enim constat, plures esse senes non confirmatos ex defectu Episcoporum non residentium, quod vtique abusus est magnus.

Horum occasione recensenda sunt ea, ad quæ tenentur Episcopi, ex quibus constabit, quantū obligentur ad personalem residentiam. primum desumitur ex Concilio Tridentino sess. 5. cap. 1. de reformatione, scilicet quod tenentur prædicare, & verbum Dei seminare per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis episcopis eligendum id præstent, & tunc maximè attendere debent, ne falsa doctrina seminetur, & eis, qui seminant, inhibere talium prædicationem, eos expellere, quicunq; illi fuerint. secundum desumitur ex eodē Concilio sess. 24. cap. 2. de reformatione, scilicet quod episcopi tenentur singulis annis Synodum diocæsanā facere, in qua prouideatur de rebus ad statum suæ ecclesiæ pertinentibus. hoc etiam fuit ius antiquum. d. 8. per multa capita. ex statuto eiusdē Concilij Tridentini vbi supra Metropolitanus tenetur singulis triennijs Concilium Prouinciale congregare, in quo omnes episcopi, qui ei subsunt, conueniant, quia autem sunt aliqui episcopi, qui nulli subijciuntur Archiepiscopo, vt Episcopus Papiæ, ideò etiam istis præcipit Concilium, vt aliquem vicinum Metropolitanum semel eli-

eligant, in cuius Synodo Prouinciali cum alijs interesse debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, obseruent, ac obseruari faciant. tertium desumitur ex eodem Concilio Tridentino sess. 24. cap. 3. de reformatione, nempe quod tenentur episcopi per se ipsos singulis annis suam visitare Diocæsim, & si legitimè impediti fuerint, per suum Vicarium, aut Visitatorem; & si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen vt tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur. huius visitationis scopus est sanam, orthodoxamq; doctrinam, expulsis heresibus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum exhortationibus, & admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiamque accendere, cætera, prout locus, & tempus, & occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. quòd si omnia rectè se habere inuenerint, Deo gratias agant, vt habetur 20. q. 1. cap. placuit. quartum habetur 90. d. c. præcipimus. nempe quod tenetur episcopus discordes vicinos, si potest, in concordiam, & pacem redigere. quintum habetur c. si hæredes, de testam. nempe quod episcopus tenetur Notarios conuocare, petere testamenta, & examinare, an impleta sint, si autem non sunt, implere facere. sextum habetur. d. 89. c. decenter, vbi habetur, quod episcopus tenetur bonos ministros constituere tàm in foro interiori, quàm exteriori, & in hoc defficere ex negligentia crassa, aut malitia, mortale peccatum est, & graue. septimum elicio ex Toleto lib. 5. ca. quarto num. 13. nempe quod tenetur episcopus mores populi diligenter considerare, & super populum vigilare, peccata publica, vt adulteria, ludos alearum, & similia prohibendo, & si opus est, castigando, & maximè peccata Clericorum animaduertendo. videre autem, & permittere horrendum est peccatum, nec excusatur episcopus, si non sciat, nisi omnem adhibuerit diligentiam, & inquisitionem adhoc, hoc enim ad eius officium nimis spectat. hæc autem omnia residētiam postulant, si enim episcopus non resideat, quomodo prædicabit, quomodo Synodum congregabit, quomodo suā visitabit Diocæsim, quomodo discordes episcopos cōcordabit, quomodo exactè inuigilabit in gregem suum circa Notarios in executione testamentorum, circa ministros, & circa mores populi sibi crediti? grauissimè ergo se peccare agnoscant episcopi, si hæc præstare neglexerint, si residere personaliter cōtempserint.

Ad horum maiorem explicationem notandū ex Caietano in summula verb. episcopi peccata, quòd episcop⁹ dupliciter delinquere potest, primò ex hoc quòd actionem peragit secundum se malam, vt consecrare non Virgines, vt Virgines, conferre Ordines indignis, conferre beneficia ecclesiastica indignis, isti enim actus cadunt super materia repugnante; negligere curam animarum, Ecclesiasticos prouentus dissipare, quia isti actus sunt manifestè infidelitatis perniciosæ; non curare de idoneis ministris, ad hoc enim tenetur omni iure, & tenetur de damnis omnibus, inquit Caietanus, & similia. secundò delinquere potest episcopus ex hoc, quòd præstat aliqua, quæ sunt mala propter aliud, idest propter mala, quæ inde nata sunt sequi, vt non residere, nō celebrare Synodum, non visitare singulis annis diocæsim, in visitatione non seruare iura tàm de inquirendis, & prouidendis, quàm de prædicādo, prædicatorem non procurare potentem in opere, & sermone in Ecclesia Catedrali, negligere executionem legatorum, non interesse Diuinis offitijs diebus saltem Dominicis, non corrigere verbo, & facto, vt opus est, subditos, negligere, vt Magistri instituantur ad docendum opportuna, & artes liberales subditos, & vniuersaliter negligere ea, quæ ad pascendū Christi oues sibi creditas, opportuna sunt, hæc omnia pro tāto mala sunt, pro quanto ex eis ouium bonum aut tollitur, aut minuitur, aut impeditur.

Quæritur, an solus Episcopus possit conferre Ordines.

Respondeo dicendum sicut verbo. Ordo. cap. 3. q. 2.

Quæritur, an vasa sacra debeant consecrari ab Episcopo.

17 Respondeo dicendum, quòd vasa, quibus ordinati vti debent, consecrantur ab Episcopo. 4. sent. d. 15. q. 1. a. 1. in corp.

Vasa, quibus ordinati vti debent, consecrari ab Episcopo, docet D. Thomas in hoc loco.

Vasa, & Calices consecrantur quidem ab episcopo, sed non à solo episcopo, quia etiam Abbates consecrati ea consecrare possunt.

ERROR.

1 *Quid sit error.*
Differentia inter errantem, & ignorantem.
Error est peccatum.
5 *In quibus differant error, ignorantia, nescientia.*
Nescientia reperitur in Angelis, & respectu quorum.
2 *Quando error excuset, vel non excuset à peccato.*

Quæritur, an error sit peccatum.

1 Respondeo dicendum, quòd error est approbare falsa pro veris, vnde addit actum quemdam super ignorantiam, potest enim esse ignorantia sine hoc, quòd aliquis de ignotis sententiam ferat, & tunc ignorans est, & non errans, sed quando iam falsam sententiam fert de his, quæ nescit, tunc propriè dicitur errare, & quia peccatum in actu consistit, error manifestè habet rationem peccati, non enim est absq; præsumptione, quòd ali-

aliquis de ignoratis sententiam ferrat, & maximè in quibus periculum existit. q. 3. de malo. a.7. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. error manifestè habet rationem peccati. probatur, tunc propriè dicitur quis errare, quando iam falsam sententiam quis fert de his, quæ nescit, sed quòd aliquis de ignoratis sententiam ferat, & maximè in quibus periculū existit, non est absque præsumptione, ergo &c. maior probatur, quia error est approbare falsa pro veris, vnde addit actum quemdā super ignorantiam, potest.n. esse ignorantia sine hoc, quòd aliquis de ignoratis sententiā ferat, & tunc ignorans est, & non errans.

Quia hoc in loco fit mentio de errore, ignorantia, videndum est, in quo differant ignorantia error, & nescientia. ignorantia ergo quandoque significat scientiæ priuationem, & tunc ignorantia nil aliud est, quam carere scientia, quam quis natus est habere, hoc enim est de ratione priuationis cuiuslibet; quandoque ignorantia est aliquid scientiæ contrarium, & dicitur ignorātia prauæ dispositionis, vt cum aliquis habet habitum principiorum falsorum, & falsarum opinionum, ex quibus impeditur à scientia veritatis. Error autem, vt dicitur in littera, est approbare falsa pro veris, vt etiam docuit D. Augustinus in Enchiridion c. 13. & errans fert sententiam de his, quæ nescit, vnde error addit super ignorantiā hunc actum approbandi falsa pro veris, & de his ferendi sententiā; nescientia autē est simplex negatio sciētiæ, & est negatio sciētiæ, quam quis non est natus habere, & hæc reperitur etiam in Angelis beatis, vt docet D. Dionysius cap. 6. Ecclesiast. Hierarch. est tamen in eis hæc nescientia non respectu naturalium cognoscibilium, sed respectu supernaturalium, vt docet D. Thomas p.p.q.58.a.5. ad 2. cū ergo error importet ferre sententiam de ignoratis, quod non est absq; præsumptione, & maximè in his, in quibus periculum existit, præsumptio autem sit peccatum, vt probat D. Thomas. 2.2.qu.21.a.2. hinc sequitur, quòd error etiam sit peccatum. ex quo elicitur aliud discrimen inter errorem, ignorantiam, & nescientiam, quod error est peccatum, ignorantia autem de se rationem pœnæ dicit, non autem omnis ignorantia habet rationem culpæ, ignorare enim ea, quæ quis non tenetur scire, absque culpa est, sed ignorantia illa, qua quis ignorat ea, quæ tenetur scire, non est absque peccato, vt si homo ignoret ea, quibus dirigitur in proprijs actibus, hæc enim scire tenetur, vnde homo tenetur scire ea, quæ fidei sunt, quia fides intentionem dirigit; insuper tenetur scire præcepta decalogi, per quæ potest peccata vitare, & bonum facere; Insuper tenetur scire ea, quæ ad suum offitium pertinent, vt Episcopus tenetur scire ea, quæ pertinent ad offitium Episcopale, & Sacerdos ea, quæ pertinent ad officium Sacerdotale &c. nescientia autem nec rationem culpæ, nec pœnæ habet, quod enim aliquis nesciat ea, quæ ad ipsum non pertinent scire, vel quæ non est natus scire, nec culpa, nec pœna est, vnde hæc nescientia etiam reperitur in Angelis Beatis, vt supra cum D. Dionysio dicebamus.

Quæritur, an error excuset à peccato.

2 Respondeo dicendum, quòd error non excusat à peccato, nisi sit illius circunstantiæ, cuius appositio, vel remotio facit differentiam liciti, & illiciti in actu, si enim aliquis percutiat patrem baculo ferreo, quem credit ligneum esse, non excusatur à toto, quamuis fortè à tanto, sed si credat quis percutere filium causa disciplinæ, & percutiat patrem, excusatur à toto diligentia debita adhibita. 4. sent. d. 30. q. 1. a. 2. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Error non excusat à peccato, nisi sit illius circunstantiæ, cuius appositio, vel remotio facit differentiam liciti, & illiciti in actu. explicatur, si aliquis percutiat Patrem baculo ferreo, quem credit ligneum esse, non excusatur à toto, quamuis fortè à tanto, sed si credat quis percutere filium causa disciplinæ, & percutiat Patrē, excusatur à toto diligentia debita adhibita.

Ista doctrina affertur à D. Thoma occasione explicationis impedimenti Matrimonij, quod dicitur, error, quærit enim, an omnis error matrimoniū impediat, ideò sustinendum est, quousque perueniamus ad verb. Matrimoniumm cap. 4. q. 2. vbi explicabitur hæc doctrina.

Quæritur, an audientes diuersos Magistros tenentes diuersas opiniones excusentur à peccato erroris, in quem incurrunt ex hoc, quod sequuntur opinionem suorum Magistrorum.

Respondeo dicendum sicut verbo. *Hæresis*. q. 14.

ERVBESCENTIA.

§ *Erubescentia, & verecundia sunt duæ species timoris.*
De quo sit timor.
Quid sit erubescentia, & verecundia.
Quomodo verecundia sit de actu commisso, & sit species timoris, qui est de malo futuro.
Erubescentia qua ratione sit peccatum.
Erubescentia quando sit peccatum mortale, vel veniale, ex materia iudicandum est.

Quæritur, quid sit erubescentia, & in quo differat à verecundia.

RESpondeo dicendum, quòd si turpitudo timeatur in actu committendo, est erubescentia, si autem sit de turpi

turpi iam facto, est verecundia. p. 2. q. 41. ar. 4. in corp.

Vnica conclusione bimembri respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. si turpitudo timeatur in actu committendo, est erubescentia, si autem si de turpi iam facto est verecundia.

Erubescentia, & verecundia sunt duæ species timoris, qui timor est de futuro malo, qđ excedit potestatem timentis, vt scilicet ei resisti non possit, in operatione autem hominis potest duplex malum timeri, scilicet labor grauans naturam, & turpitudo lædens opinionem, si autē turpitudo timeatur in actu committendo, est erubescentia, si autem sit de actu iam facto, est verecundia. vnde erubescentia sic potest diffiniri, quod est timor turpitudinis in actu malo committendo; verecundia autem sic diffinitur, quod est timor turpitudinis in operatione mali iam facta, & sic patet, quomodo differant erubescentia, & verecundia, erubescentia enim est de actu committendo, verecundia autem est de actu iam commisso. si autem quis dicat, quomodo possit verecundia esse de actu iam commisso, cum timor sit de malo futuro, vt iam diximus, & expresse docet D. Thomas. p. 2. q. 41. a. 2. in corp. & ratio id suadet, quia malum futurum difficile, cui resisti non potest, est obiectum timoris, sicut bonum futurum arduum possibile adipisci est obiectū spei. respondebitur, quod verecundia licet sit de actu turpi iam commisso, ex tali tamen actu turpi iam facto timetur læsio opinionis, & respectu huius est verecundia de futuro malo.

Erubescentia, pro quanto verecundiam de bono importat, peccatum est, quia actus timoris cadit super materia repugnante, non enim timēdum est bonum. quando autem sit peccatū mortale, vel veniale, iudicandum est ex materia, puta si quis erubescat de necessarijs ad salutē, peccat mortaliter, vt si erubescat confiteri peccatum suum mortale, aut si erubescat confiteri Christū. si autem de alijs erubescat, peccabit venialiter, vt si quis erubescat orationi vacare propter societatem, & huiusmodi.

EVANGELIVM.

1 *Oportuit hominem instrui Euangelica doctrina.*
2 *Ad quē pertineat proponere populo Euangelicam doctrinam.*
3 *Euangelica verba habent virtutem salutiferam.*
§ *Verba Euangelij scripta in triplici sensu dicuntur habere virtutem salutiferam.*
Euangelium tribus modis salutem confert; & qui.
Cauendæ sunt superstitiones caracterum.

Quæritur, an oportuerit homines instrui Euangelica doctrina.

1 Respondeo dicendum, quòd doctrina Euangelica est doctrina perfectionis, & ideò oportuit, quòd in ipsa perfectè instrueretur homo de omnibus, quæ pertinent ad rectitudinem vitæ, siue sint fines, siue sint ea, quæ sunt ad finē. 2. 2. q. 56. a. 1. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. oportuit, qđ in doctrina Euangelica perfectè instrueretur homo de omnibus, quæ pertinent ad rectitudinem vitæ, siue sint fines, siue sint ea, quæ sunt ad finē. probatur, quia doctrina Euangelica est doctrina perfectionis.

Circa hanc doctrinam nil occurrit scribendū, ideò pertranseo.

Quæritur, ad quos pertineat proponere populo doctrinam Euangelicam.

2 Respondeo dicendum, quòd Diaconibus committitur Euangelica doctrina populo proponenda. 4. contra Gentes c. 75.

Quod Diaconibus cōmittitur Euangelica doctrina populo proponenda, docet D. Thomas hoc in loco.

Non immoror hoc in loco, sed pertranseo ad alia.

Quæritur, an verba Euangelij habeant virtutem aliquam.

3 Respondeo dicendum, quòd verba Euāgelij scripta virtutem salutiferam habent, sicut Beatus Barnabas infirmos curabat Euangelium superpondo. lect. 6. cap. 1. ad Romanos.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. verba Euangelij scripta virtutem salutiferam habent. probatur exemplo D. Barnabæ infirmos curantis Euangelium superponendo.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua, qđ verba Euangelij dicuntur causare salutem iuxta illud Ioannis. 1. in mansuetudindine suscipite insitum verbum, quod saluare potest animas vestras; dicitur autem salutem causare in triplici sensu, primò quia per verbum Euāgelij remittuntur peccata iuxta illud Ioannis 15. iam mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. secundò inquantum per Euangelium homo consequitur gratiam sanctificantem iuxta illud Ioannis 17 sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. tertiò inquantum perducit ad vitam æternam iuxta illud Ioannis 6. verba vitæ æternæ habes. tribus autem modis Euangelium salutem confert. primò per fidē iuxta illud Marci vltimò, prædicate Euangelium omni creaturę, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. secundò per confessionem iuxta illud ad Rom. 10. oris confessio fit ad salutem. tertiò per scripturam, quia verba Euangelij scripta veritatem salutiferam habent, sicut legitur de B. Barnaba Apostolo, quod curabat infirmos ponendo super eos Euāgeliū scriptū, vndè Ezec. 9. legitur, quod illi saluati sunt, in quorum frontibus est scriptum

Tau.

Tau. quod est signum Crucis: euitandæ sunt tamen superstitiones characterum, quia hoc est superstitiosum.

EVBVLIA.

Quæritur, quid sit Eubulia.

1 Respondeo dicendum, quòd Eubulia est virtus, quæ est benè consiliatiua. p.2.q.57.a.6.in corp.

Eubuliam esse Virtutem, quę est benè consiliatiua, docet D. Thomas hoc in loco. Vt explicetur hæc doctrina, obseruandum est, quòd erga humana agibilia tres actus rationis inueniūtur, scilicet consiliari, iudicare, & præcipere, horum actuum principia sunt quartuor virtutes, nempe Prudentia, cuius est præcipere, Sinesis, & Gnomen, quarum est iudicare, Eubulia, cuius est cōsiliari, vnde in littera dicitur, quod est Virtus benè consiliatiua. & Aristoteles 6.eth. cap. 19. dicebat, quod Eubulia est rectitudo consilij, & D. Thomas. 2.2.q. 51. art. 1. in corp. aiebat, Eubuliam importare bonitatem consilij, dicitur .n. ab Eu, quod est bonum, & Bole, quod est consilium, quasi bona consiliatio, vel potius benè cōsiliatiua, hinc sequitur, quod sit virtus humana, vt ibidem ostendit Angelicus Doctor, de ratione enim Virtutis humanæ est, quod faciat actū hominis bonum, inter cæteros autem actus hominis proprium est ei consiliari, quia hoc importat quamdam rationis inquisitionem circa agenda, in quibus consistit vita humana, Eubulia autem est benè consiliatiua, ex quo etiam sequitur, quòd sit pars potentialis prudentiæ.

Quæritur, an Eubulia reperiatur in peccatore.

2 Respondeo dicendum, quòd in nullo peccatore, inquantùm huiusmodi, inuenitur Eubulia, omne enim peccatum est cōtra bonam cōsiliationem, requiritur enim ad benè consiliandum nō solum adinuentio, vel excogitatio eorum, quæ sunt opportuna ad finem, sed etiam aliæ circunstantiæ, scilicet tempus congruum, vt nec nimis tardus, nec nimis velox sit in consilijs, & modus consiliandi, vt scilicet sit firmus in suo consilio, & aliæ huiusmodi debitæ circunstantiæ, quæ peccatores peccando non obseruant, quilibet autem virtuosus est benè consiliatiuus in his, quę ordinantur ad finem virtutis, licet fortè in aliquibus particularibus negocijs non sit benè consiliatiuus, puta in mercationibus, vel in rebus bellicis, vel in aliquo huiusmodi. 2.2. q. 51. a. 1. ad 3.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cōclusione, quæ est. in nullo peccatore, inquantum huiusmodi, inuenitur Eubulia. probatur, quia omne peccatum est contra bonam consiliationē. probatur hoc assumptum, nam ad benè consiliādum requiritur non solum adinuentio, vel excogitatio eorum, quæ sunt opportuna ad finem, sed etiam aliæ circonstantiæ, scilicet tempus congruum, & modus consiliandi, & aliæ huiusmodi debitæ circunstantiæ, sed has circunstantias peccatores peccando non obseruant, ergo &c. hinc elicit corrolarium, quod quilibet Virtuosus est benè consiliatiuus in his, quæ ordinantur ad finem Virtutis, licet fortè in aliquibus particularibus negotijs non sit benè consiliatiuus, puta in mercationibus, vel in rebus bellicis, vel in aliquo huiusmodi.

Ad explicationem huius doctrinę, pro quanto dicit, omne peccatum esse contra bonam consiliationem, mouet, & soluit dubium Caietanus, quem tu lector legas in fonte.

EVCHARESTIA.

De necessitate Eucharestiæ. Cap. I.

Diffe-

Differentia formalis inter Baptiſmum, & Euchareſtiam reſpectu conſecutionis ſalutis notatur.
Pueri ex hoc ipſo, quòd baptizantur, ordinantur per Eccleſiam ad Euchareſtiam, & ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchareſtiam.
Iſti pueri habent rem Euchareſtiæ in ſui initio, & quare.
Res baptiſmi dupliciter tantùm haberi poteſt, & quomodo.
Res Euchareſtiæ tripliciter haberi poteſt, & quomodo.

Quæritur de multiplici nomine Euchareſtiæ.

1 Reſpondeo dicendum, quòd Sacramentum Euchareſtiæ habet triplicem ſignificationem, vnã quidem reſpectu præteriti, inquantùm ſcilicet eſt commemoratiuũ Dominicæ Paſſionis, quæ fuit verum ſacrificium, & ſecundùm hoc nominatur ſacrificium; aliam autem ſignificationem habet reſpectu rei præſentis ſcilicet Eccleſiaſticæ vnitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum, & ſecundùm hoc nominatur Cõmunio, quia communicamus per ipſam Chriſto, & quia participamus eius carne, & Deitate, quia communicamus, & vnimur ad inuicem per ipſam; tertiam ſignificationem habet reſpectu futuri, inquantùm ſcilicet hoc Sacramẽtum eſt præfiguratiuum fruitionis Dei, quæ erit in Patria, & ſecundùm hoc dicitur viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perueniendi, & ſecundùm hoc etiam dicitur Euchareſtia, ideſt bona gratia, quia Gratia Dei vita æterna, vt dicitur Romanorum 6. vel quia realiter continet Chriſtum, qui eſt plenus gratia, dicitur etiam in græco Metalepſis, ideſt aſſumptio, quia vt Damaſcenus dicit per hoc filij Deitatem aſſumimus. 3.p.q.73.ar.4. in corp.

Quintuplici cõcluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. Euchareſtia nominatur ſacrificium. probatur, quia Euchareſtia eſt commemoratiua Dominicæ Paſſionis, quæ fuit verum ſacrificium. ſecunda cõcluſio. Euchareſtia nominatur Communio. probatur primò, quia communicamus per ipſam Chriſto. ſecundò quia participamus eius carne, & Deitate. tertiò quia communicamus, & vnimur ad inuicem per ipſam. tertia concluſio. Euchareſtia dicitur Viaticum. probatur, quia hic prębet nobis viam perueniẽdi ad Patriam, in qua erit fruitio Dei. quarta concluſio. Sacramentum Altaris dicitur Euchareſtia, ideſt bona gratia. probatur primò, quia gratia Dei vita æterna. Rom. 6. & euchareſtia conferens gratiam præbet nobis viam ad vitam æternam. ſecundò quia realiter continet Chriſtum, qui eſt plenus gratia. quinta concluſio. euchareſtia in græco dicitur Metalepſis, ideſt aſſumptio. probatur, quia, vt ait Damaſcenus, per hanc filij Deitatem aſſumimus.

Ex varijs effectibus, quos Auguſtiſſimum euchareſtiæ Sacramentum nobis confert, varijs etiã nominibus vocatur. dicitur ergo primò ſacrificium, vel etiam Hoſtia, quia repræſentatiua eſt, & rememoratiua Paſſionis, qua ſpiritualis Agnus Chriſtus oblatus eſt. nuncupatur ſecundò Communio, vel Sinaxis græcè, vel ſocietas, quia Chriſti fideles per euchareſtiæ ſacramentum tanquã vnius corporis membra cum Chriſto capite vniuntur; & ob duas alias rationes in littera poſitas. tertiò dicitur Viaticum, quia præbet hic nobis viam perueniendi ad Patriam, inquantùm ſlz. continet illud, quo nobis Ianua Cœli aperta eſt, ideſt ſanguinem Chriſti; & eſt nobis ſubſidium, quo vtimur in via, qua ex hoc mundo properamus ad Cœli Patriam. vocatur quartò Euchareſtia græcè, quod latinè ſignificat bonam gratiam ab Eu, quod eſt bonum, & charis, quod eſt gratia, quia peculiariter adiuuat ad vitam æternam conſequendam, quæ Gratia Dei dicitur à D. Paulo ad Rom. 6. Gratia Dei vita æterna; vel dicamus, quod appellatur bona gratia, quia realiter continet Chriſtum plenum Gratia, & fõtem vberrimum Gratiarum; vel dicitur bona Gratia, quia confert Gratiam vberiorem prę cęteris ſacramentis, vltimò dicitur græcè Metalepſis, ideſt aſſumptio, quia per Euchareſtiam aſſumimus Filij Deitatem, vt ait Damaſcenus lib. 4. ca. 14. Ortodoxæ fidei. ex quo, vel ex quibus patet, quanta ſit dignitas huius ſacramenti, & excellentia, ideò meritò vocatur antonomaſticè ſanctiſſimum Sacramentum, Venerabile ſacramentum, Auguſtiſſimum ſacramentum, omnium ſacramentorum digniſſimum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Reginaldus lib. 29. num. 1. Suarez 3. p.q. 73.a.4. Coninchus ibidem. Henriquez lib. 4.c.1. Bellarminus lib. 1. de euchareſtia cap. 12. Valentia tom. 4. diſp 6.q.1.p.1. Toletus lib. 2. cap. 30. num. 1. 2. 3.

Quæritur, an homo indigeret Euchareſtia, ſi non peccaret.

2 Reſpondeo dicendum, quòd niſi homo peccaret actualiter, pænitentia non indigeret; indigeret tamen Baptiſmo, & Confirmatione, & Euchareſtia, ſicut & in vita corporali non indigeret homo medicatione, niſi infirmaretur; indigeret autem homo per ſe ad vitam generatione, augmento, & nutrimento. 3.p.q.84.a.6. in corp.

Vnica concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. niſi homo peccaret actualiter, Pænitentia non indigeret, indigeret tamen Baptiſmo, & Confirmatione, & Euchareſtia. probatur

batur à ſimili, ſicut in vita corporali non indigeret homo medicatione, niſi infirmaretur; indigeret tamen per ſe ad vitam generatione, augmento, & nutrimento.

Ex hac doctrina habemus differentiam inter Sacramentum Pænitentiæ, & Euchareſtiam, quod homo Pænitentia non indiget, niſi ex ſuppoſitione peccati, cuius morbi ſpiritualis eſt medicina Pænitentia, ſicut non eget medicina corporali, niſi ſuppoſita infirmitate corporali, in cuius ſignum Beatiſſima Virgo, quæ nullum habuit peccatum, non habuit Pænitentiæ Sacramentum, quod in contritione, confeſſione, & ſatisfactione, tanquam in materiali, & in hac forma, ego abſoluo te, tanquam in formali, conſiſtit; ſed loco contritionis habuit innocentiæ conuerſationem, loco confeſſionis habuit gratiarum actionem, loco ſatisfactionis habuit ſupererogationem bonorum, præſtando non ſolum iuſſa, ſed etiam omnia, quæ grata eſſe Deo ſibi videbantur, vt magnus docet Albertus ſuper Miſſus eſt, cap. 73. D. Antoninus, 4.p. tit. 15. cap. 16. Paulus Carraria Regula, 5. a. 3 puncto.4.n.6 Euchareſtia autem homo indigeret, etiam ſi non peccaret, ad vitam ſpiritualem, ſicut cibo corporali eget, licet non infirmetur, vt ſuſtentetur.

Quæritur, an Euchareſtia ſit de neceſſitate ſalutis.

3 Reſpondeo dicendum, quòd in hoc Sacramento duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum Sacramentum, & rem Sacramenti, res autem huius Sacramenti eſt vnitas corporis miſtici, ſine qua non poteſt eſſe ſalus, nulli enim patet aditus ſalutis extra Eccleſiam, ſicut nec in diluuio ſine arca Noè, quæ ſignificat Eccleſiam, vt habetur primæ Petri 3. res autem alicuius Sacramenti haberi poteſt ante perceptionem Sacramenti ex ipſo voto Sacramenti percipiendi, vnde ante perceptionem huius Sacramenti poteſt homo habere ſalutem ex voto percipiendi hoc Sacramentum, ſicut, & ante Baptiſmum ex voto Baptiſmi, eſt tamen differentia quantùm ad duo, primò quidē quia Baptiſmus eſt principium ſpiritualis vitæ, & Ianua Sacramentorum, Euchareſtia verò eſt quaſi conſumatio ſpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis, per ſanctificationes enim omnium Sacramentorum fit præparatio ad ſuſcipiendam, vel conſecrandam Euchareſtiam, & ideò perceptio Baptiſmi eſt neceſſaria ad inchoandam ſpiritualem vitam, perceptio autem Euchareſtiæ eſt neceſſaria ad conſumandam ipſam, non adhoc quòd ſimpliciter habeatur, ſed ſufficit eam habere in voto, ſicut & finis habetur in deſiderio, & intentione; alia differentia eſt, quia per Baptiſmum ordinatur homo ad Euchareſtiam, & ideò ex hoc ipſo, quòd pueri Baptizantur, ordinantur per Eccleſiam ad Euchareſtiā, & ſicut ex fide Eccleſiæ credūt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchareſtiam, & per conſequens recipiunt rem ipſius, ſed ad Baptiſmum non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum, & ideò ante ſuſceptionem Baptiſmi nō habent pueri aliquo modo Baptiſmum in voto, ſed ſoli adulti, vndè rem Sacramenti non poſſunt percipere ſine perceptione Sacramenti, & ideò hoc Sacramentum non hoc modo eſt de neceſſitate ſalutis, ſicut Baptiſmus. 3.p. q.73 a.3. in corp.

Data diſtinctione reſpondet D. Thomas huic quæſito triplici concluſione. diſtinctio eſt, quòd in Sacramento Euchareſtiæ duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum ſacramentum, & rem ſacramenti, prima concluſio, ſacramentum Euchareſtiæ quo ad rem ſacramenti eſt de neceſſitate ſalutis. probatur, res ſacramenti eſt vnitas corporis Chriſti miſtici, ſine quo non poteſt eſſe ſalus, ergo &c. probatur antecedens, quia nulli patet aditus ſalutis extra Eccleſiam, ſicut nec in diluuio abſque Arca Noè, quæ ſignificat eccleſiam, vt habetur, 1. Petri 3 ſecunda concluſio. ante perceptionem Sacramenti Euchareſtiæ homo poteſt habere ſalutem ex voto percipiendi actualiter ipſum. probatur primò ex vniuerſali regula, quòd ex voto Sacramenti poteſt haberi res Sacramenti. ſecundò probatur à ſimili de Baptiſmo, ante enim Baptiſmum poteſt quis conſequi ſalutem ex voto Baptiſmi. tertia concluſio. Sacramentum Euchareſtiæ non hoc modo eſt de neceſſitate ſalutis, ſicut Baptiſmus. probatur dupliciter ex duplici differentia reperta inter Baptiſmum, & Euchareſtiam. prima conſiſtit in hoc, quòd perceptio Baptiſmi eſt neceſſaria ad inchoādam vitam ſpiritualem, perceptio verò euchareſtiæ eſt neceſſaria ad conſumandam vitam ſpiritualem, ergo Baptiſmus eſt neceſſarius, vt principium, euchareſtia autem, vt finis, ergo ſufficit in voto eam habere. antecedens probatur, quia Baptiſmus eſt principium ſpiritualis vitæ, & Ianua ſacramentorum, euchareſtia verò eſt quaſi conſumatio ſpiritualis vitæ, & omnium ſacramentorum finis, per ſanctificationes enim omnium ſacramentorum fit præparatio ad ſuſcipiendam, vel conſecrandam euchareſtiam; prima conſequentia patet. ſecunda probatur, quia finis habetur in deſiderio, & intentione. ſecunda conſiſtit in hoc, Baptiſmus non poteſt haberi in voto per aliud ſacramentum, euchareſtia poteſt haberi in voto per aliud ſacramentum, ergo pueri non poſſunt habere rem ſacramenti Baptiſmi ſine perceptione ſacramenti Baptiſmi; poſſunt autem habere rem Sacramenti euchareſtiæ abſque perceptione ſacramenti Euchareſtiæ.

Ad

Ad explicationem huius doctrinæ nota circa tertiam concluſionem, quòd ex hoc ipſo quòd ſacramentum Euchareſtiæ dicitur non neceſſarium ad ſalutem, ſicut Baptiſmus, habemus Sacramentum euchareſtiæ non eſſe ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium ad ſalutem, ſicut eſt Baptiſmus. hoc etiam atteſtatur ſalus paruulorum, quibus non eſt ſalus ſine Baptiſmo, eſt tamen ſalus cum ſolo Baptiſmo. circa primam differentiam inter Baptiſmum, & Euchareſtiam repertam, quę aliquam patitur difficultatem, nota, quòd vis diſcurſus illius conſiſtit in hoc, vt notat Caietanus hoc in loco, quod Baptiſmus ſuapte natura eſt neceſſarius ſecundum actualem eius exhibitionem, ratio huius eſt, quia Baptiſmus eſt principiũ ſpiritualis vitæ, & ianua omnium Sacramentorum, principium autem ſecundum ordinem generationis debet eſſe ſecundum rem in eſſe reali exteriori; Euchareſtia autem ſuapte natura eſt neceſſaria ſecundum votum, quia Euchareſtia eſt finis omnium Sacramentorum, & quaſi conſumatio ſpiritualis vitæ, finis autem ſaluatur ſecundũ eſſe in intentione. per quam doctrinam Caietanus inſinuat, differentiam formalem inter Baptiſmũ, & Euchareſtiam repertam reſpectu conſecutionis ſalutis in hoc conſiſtere, quòd Baptiſmus per ſe ſaluat ſecundum eius realem exhibitionem, per accidens autem, & in caſu neceſſitatis, vt eſt in voto. Euchareſtia autem per ſe ſaluat non ſolũ per realem illius ſuſceptionem, ſed etiam vt in voto ſuſcipitur, quia Baptiſmus principij, euchareſtia autem finis rationem habet. circa ſecundam differentiam nota, quòd ex hoc quòd Baptiſmus eſt ianua omnium ſacramentorum, non poteſt haberi in voto per aliud ſacramentum antecedens, ſicut Euchareſtia per Baptiſmum. ordinatur enim homo per Baptiſmum ad euchareſtiam, & ex hoc ipſo quòd pueri Baptizantur, ordinantur per Eccleſiam ad euchareſtiam, & ſic ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione eccleſiæ deſiderant Euchareſtiam, & per conſequens recipiunt rem ipſius, vt dicitur in littera, & dicuntur habere rem Euchareſtiæ in ſui initio vt benè obſeruat Caietanus hoc in loco, quia ſacramentum Baptiſmi initium eſt ſpiritualis vitæ. ex quibus patet, vndè conſiſtat ſecunda differẽtia poſita in littera inter Baptiſmum, & Euchareſtiam, quæ differentia in hoc eſt, quòd res Baptiſmi dupliciter tãtùm haberi poteſt, vel ſcilicet percipiendo Sacramentum, vel per votum proprium, res autem Euchareſtiæ poteſt tripliciter haberi, vel ſcilicet percipiendo Sacramentum, vel per votum proprium, vel per antecedens ſacramentum, nempe Baptiſmi, quod eſt habere rem Euchareſtiæ in ſui initio, quia, vt dictum eſt, Baptiſmus eſt initium ſpiritualis vitæ.

Quando homo obligetur ſumere Euchareſtiã, ſupradiximus abundè verb. Communio. cap. 1. quæſt. 1.

De materia Euchareſtiæ. Cap. II.

1 *Panis, & vinum ſunt materia Euchareſtię.*

§ *Concluſio D. Thomæ eſt de fide.*

Euchareſtia non poteſt confici ex leguminibus, vt fabis, cicere, lente &c. & quare.

Euchareſtia non poteſt confici ex commolitis fructibus, & commaſſatis, vt amygdalis, caſtaneis, nucibus, radicibus &c. & quare.

Euchareſtia non poteſt confici ex ſiliquis, & quare.

Euchareſtia non poteſt confici ex paſta ſ ulie, & quare.

Ex paſta confecta cum aqua artificiali, vel vino non fit panis propriè.

Panes dulciarij non ſunt materia Euchareſtiæ.

Euchareſtia nõ poteſt confici niſi ex pane. qui propriè eſt panis, & vino, quod propriè eſt vinum.

Euchareſtia non poteſt confici ex vino malorũ granatorum, mororum, marenarum.

2 *Panis triticeus eſt propria materia Euchareſtiæ.*

§ *Concluſio D. Thomæ eſt de fide.*

Frumentum propriè quod ſit.

3 *Panis azimus eſt materia Euchareſtiæ, poteſt tamen etiam eſſe fermentatus.*

Peccat Sacerdos latinus celebrans in fermentato in Eccleſia latina.

Peccat Sacerdos Græcus celebrans in azimo in Eccleſia Græca.

Rationabilius eſt celebrare in azimo.

§ *Corrolarium D. Thomæ approbat Concilium Florentinum.*

Græci nedum poſſunt, ſed debent conſecrare in fermentato.

Peccat Præsbyter Græcus, ſi in græca Eccleſia celebrans non ſeruet ritum Eccleſiæ græcę.

Reijciuntur Paludanus, Scotus negantes corrolarium D. Thomæ.

Præsbiter græcus poteſt in Eccleſia latina conſecrare in azimo, & latinus in Eccleſia græca in fermentato.

Sacerdos latinus in Eccleſia latina non poteſt conſecrare in fermẽtato in caſu neceſſitatis, ſed peccat mortaliter conficiendo in fermentato.

Si neceſſitas adſit communicandi infirmum, & adſit ſolus panis fermentatus, potius permittat infirmum decedere ſine viatico, quàm quod conficiat in fermentato.

4 *Celebrantes in azimo non iudaizant.*

5 *Quando ex fermentato non conficiatur Euchareſtia propter fermentati corruptionem.*

§ *Tutius latini in azimo conficiunt, quàm Græci in fermentato.*

6 *Quid faciendum in locis, in quibus nõ eſt triticum, nec vinum.*

§ *Papa non poteſt diſpenſare, vt in Regionibus, in quibus non naſcitur triticum, vel vinum, cõficiatur euchareſtia in alia materia.*

Arguitur Paulus Areſius putans, aquam poſſe immediatè conuerti in ſanguinem Chriſti.

Perfectio ſacramenti præponenda eſt cæteris neceſſitatibus.

Perfectio ſacramenti tantę eſt neceſſitatis, quòd etiam bis in eadem miſſa quandoque oportet ſumere Corpus Chriſti, & quando.

Concilium Toletanum quartum tulit ſententiam excomunicationis contra celebrantes panem ſine

 vino,

Quo-

Quomodo intelligatur, quod Iulius reprehendit eos, qui expressum vinum in sacramento Dominici Calicis offerunt.

19 *Vino consecrando debet misceri aqua.*

20 *Appositio aquæ non est de necessitate Sacramenti.*

§ *Peccat mortaliter, qui aquam non admiscet vino consecrando, nisi tñ ex obliuione hoc omitteret.*

Admixtio aquæ est de necessitate Præcepti Ecclesiasti ci, non Diuini.

Qui scienter prætermittit aqę ę mixtionem, in pęnā pęcipitur priuari offitio, & beneficio.

Qui in sacrificio aliud adhibet pręter panem, & vinum aqua mixtum, suspenditur ab offitio.

21 *Aqua offertur vino permixta.*

22 *Quantùm ad necessitatem Sacramenti non refert, quòd ponatur quæcunq; aqua, siue naturalis, siue artificialis.*

Peccat tamen si vtitur alia aqua, quàm naturali.

§ *Qui vino miscet aliam aquam, quàm naturalem, peccat mortaliter.*

Quare conficiatur sacramentum ex vino aqua alia à naturali mixto, & non conficiatur sacramentum, si adhibeatur panis ex aqua confectus artificiali.

23 *Parùm de aqua debet poni in vino.*

Si tanta aqua poneretur, vt soluatur species vini, non conficitur Sacramentum.

§ *Ex hac doctrina Arguuntur Aresius & Baronius putantes aquam immediatè posse cõuerti in sanguinem Christi.*

Aqua non prius ante consecrationem conuersa in vinum non conuertitur postea in sanguinem Christi post consecrationem, sed remanet in propria substantia.

Ista aqua non adoratur latria.

Aqua, quę conuertitur in vinum eo tempore, quo forma consecrationis iam inchoata fuit, sed nũdum absoluta, cõuertitur in sanguinem Christi.

Soluuntur rationes recentiorum oppositum sententium.

Aqua, quę ante consecrationem non fuit conuersa in vinum, conuertitur in vinum post consecrationem, & quomodo.

24 *Sufficit, quòd aqua sentiatur, dũ vino immisceetur.*

§ *Aqua dicitur sentiri, dum apponitur vino, visu.*

25 *Non sufficit apponere aquam in dolio.*

§ *Affertur ratio, quare non sufficiat aquam ponere in dolio.*

Aqua ponitur in Calice circa ipsam celebrationem ex communi vsu, melius tamen faciunt Ædificatores pręparantes Calicem ante inchoationem Missę, vt etiam elicitur ex D. Thoma.

26 *Si fiat tanta permixitio liquoris in vino consecrato, vt liquor transeat ad omnes partes, & fiat aliquod mixtum tertium, desinit esse sanguis Christi.*

Si vero permixitio in vna parte tantùm fit, desinit esse sanguis Christi in illa parte, in alijs autem erit.

§ *Per artẽ non potest extrahi à vino linphato aqua.*

Si species vini sic commisceantur, vt detur perfecta commixtio per penetrationem vsque ad particulas minores minimis, nõ manet illic sanguis.

Quia illa mixtio est latentissima, nunquam Ecclesia iudicaret per mixtionem specierum consecratarum sanguinem desinere illic esse, quousque perciperentur non esse species vini.

Quæritur, an panis, & vinum sint materia Eucharestiæ.

1 RESpondeo dicendum, quòd circa materiam huius Sacramenti aliqui multipliciter errauerũt, quidam enim, qui dicuntur Artotiritæ, (vt Augustinus dicit in lib. de hæresibus,) offerunt panem, & caseum in hoc Sacramẽto dicentes, a primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ouium fuisse celebratas; alij verò scilicet Cataphrigæ, & Pepuziani de infantis sanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent quasi Eucharistiã suã conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemq; facientes; quidam verò, qui dicuntur Aquarij aquam solam sub specie sobrietatis in hoc Sacramento offerunt; omnes autem hi errores, & similes excluduntur per hoc, quòd Christus hoc Sacramentum sub specie panis, & vini instituit, vt patet Matthæi 26. vnde panis, & vinum sunt materia conueniens huiusmodi Sacramenti, & hoc rationabiliter, primò quidẽ quantùm ad vsum huius Sacramenti, qui est manducatio, sicut enim aqua assumitur in Sacramento Baptismi ad vsum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio cõmuniter fit in aqua, ita panis, & vinum, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc Sacramento ad vsum spiritualis manducationis; secundò quantùm ad Passionem Christi, in qua sanguis est à corpore separatus, & ideò in hoc Sacramento, quod est memoriale Dominicę Passionis, seorsum sumitur panis, vt Sacramentum Corporis, & vinum, vt Sacramẽtum sanguinis; tertiò quantùm ad affectum consideratum in vno quoque sumentium, quia vt Ambrosius dicit super Epistolam primam ad Corinthios, hoc Sacramentum valet ad refectionem animæ, & corporis, & ideò Corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis verò sub specie vini pro salute animę offertur, sicut dicitur Leuit. 17. quòd anima carnis in sanguine est; quartò quantùm ad effectum respectu totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diuersis fidelibus, sicut panis conficitur ex di-

uersis

uersis granis, & vinũ fluit ex diuersis vuis, vt dicit glosa super illud primæ Corinth. 10. multi vnum corpus sumus &c. 3. p. qu. 74. a. 1. in corp.

Adductis tribus erroribus circa materiam Eucharestiæ respondet quæsito vnica conclusione confutatiua trium errorum. primus error fuit Artotiritarum offerentium in hoc sacramento panem, & caseum. secundus est Cataphrygarũ, & Peputianorum offerentium panem confectum ex farina, & sanguine puerorum, quem extorquebant ab eorum corpore minutis punctionum vulneribus. tertius est Aquariorum offerentium solam aquam in hoc Sacramēto sub specie sobrietatis. hi errores confutantur hac vnica conclusione responsiua quęsito. panis, & vinum sunt materia conueniens Sacramenti Eucharestiæ. probatur primò, quia Christus hoc Sacramentum sub specie panis, & vini instituit, vt patet Mathei 26. ergo panis, & vinum sunt materia Eucharestiæ. secundo probatur ex vsu huius sacramenti, qui est manducatio, sicut enim aqua assumitur in Sacramento Baptismi ad vsum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita panis, & vinum, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc Sacramento ad vsum spiritualis manducationis. tertiò ꝓbatur ratione repręsentationis Passionis Christi, in qua sanguis est à corpore separatus, ideò in hoc Sacramento, quod est memoriale Dominicæ Passionis, seorsum sumitur panis, vt Sacramentum Corporis, & vinum vt sacramentũ sanguinis. quartò probatur ex effectu considerato in vnoquoq; sumentium, nam Ambrosius ait, qđ hoc Sacramentum valet ad refectionem animæ, & corporis, & ideò corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis verò sub specie vini pro salute animæ offertur, quod probatur ex Leuit. cap. 17. quintò probatur ex effectu considerato respectu totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diuersis fidelibus, sicut panis conficitur ex diuersis granis, & vinum ex diuersis vuis, vt dicit glosa &c.

Ad explicationem huius litteræ obserua, quòd duo primi errores recensentur à D. Augustino in lib. hæresum c. 26. conclusio D. Thomæ est de fide, nã Mathei 26. Marci 14. & Lucæ 22. habem' Christũ in pane, & vino consecrasse, vnde Ioannis. 6. non alij alimento se cōparauit, quàm panis dicens, ergo sum panis viuus, qui de cælo descendi. his accedunt quàmplurimi canones de consecrat. d. 2. quorũ primus est Alexandri primi in epist. ad omnes Orthod. inquientis, in Sacramentorum oblationibus panis tantùm, & vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. idem in can. non oportet. habetur. in can. etiã, in Sacramento. statuitur, vt nihil præter panem, aquam, & vinum adhibeatur. idem sancitur extra de summa Trinitate ca. firmiter. & c. cũ Marthæ de celebratione Missarum. idem in Concilio Florentino.

Ex hac conclusione habemus Eucharestiã non posse confici ex leguminibus, puta ex fabis, cicere, lente, & huiusmodi, quia sicut farinæ horum non sunt propriè farinæ, ita nec compaginatum ex aqua, & illa farina propriè dicitur panis, quãdo autem in conclusione fit mentio de pane, sermo est de pane propriè, & formaliter. multò minus poterit confici Eucharestia ex commolitis fructibus, & commassatis, puta ex amygdalis, castaneis, nucibus, radicibus, & huiusmodi, quia huiusmodi pastę nō sunt propriè panes. multò ēt minus poterit cōfici Eucharestia ex siliquis, quia hæc in vsum humanum non veniunt, sed potius iumentorum pabulum est. iterum habemus ex conclusione Eucharestiam non posse confici ex pasta, pulte, quia ista non sunt propriè panis, & licet pasta non differat specie à pane, formaliter tamen non est panis, nec in vsum communem hominum venit; pasta ergo debet esse cocta, vt dicatur panis, & conueniens possit esse materia huius Sacramenti; item pasta debet esse compaginata cum aqua naturali, non autem artificiali, aut vino, aliter non propriè ex ea dicitur fieri panis, vnde panes, quos vocant dulciarios, confectos scilicet ex melle, vel lacte, vel butiro, aqua rosacea, nō sunt materia Eucharestiæ, quia panes propriè non dicuntur, nec sunt. ex eadem conclusione elicimus Eucharestiam non posse confici nisi in vino, quod propriè fit vinum, vt est illud, quod conficitur ex vuis vitis, vnde in vino malorum granatorum, mororum, marenarum, & huiusmodi non poterit confici Eucharestia, quia ista non sunt propriè vinum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 2. cap. 15. num. 1. & 2. Pitigianus dist. 11. q. 6. dub. 2. Vasquez 3. p. d. 70. cap. 4. num. 25. 26. Coninchus 3. p. q 74. a. 3. nu. 46. Emanuel Sà verb. Missa. num. 4. Valentia tom. 4. d. 6. q. 2. p. 1. vers. putat etiam. Henriquez lib. 4. c. 9. num. 2. & alij.

Quæritur, an ad materiam Eucharestiæ requiratur, quòd sit panis triticeus.

2 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, ad vsum Sacramentorum assumitur talis materia, quæ communius apud homines in talem vsum venit, inter alios autem panes communius homines vtuntur pane triticeo, nam alij panes videntur esse introducti in huius panis defectum, & ideò Christus creditur in huius panis specie hoc Sacramentum habuisse, qui etiam panis magis confortat hominē, & ita conuenientius significat effectum huius Sacramenti, & ideò propria materia huius Sacramenti est panis triticeus. 3. p. q. 74. a. 3. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. propria materia huius Sacramenti est panis triticeus. probatur dupliciter, & primò, quia ad vsum Sacramentorum assumitur talis

talis materia, quæ communius apud homines in talem vsum venit, sed inter alios panes communius homines vtuntur pane triticeo, ergo &c. probatur minor, quia alij panes videntur esse introducti in huius panis defectum. secundò quia panis triticeus magis confortat hominē, & ita conuenientius significat effectum huius Sacramenti Eucharestiæ.

Conclusio D. Thomæ est de fide, nam in can. in Sacramento. de consecrat. d. 2. ex Concilio tertio Cartaginensi cauetur, ne aliud in hoc sacramento offeratur, quàm de vuis, & frumentis. Conciliū item Florentinum. expressè decreuit panem triticeum materiam Eucharestiæ, & ita panis triticeus est materia necessaria Euchareſtia, vt fine illo nullum esset Sacramentum, vt expresse inquit S. Thomas in sequenti quæsito, & docet etiam Alexander. 4. p. q. 32. memb. 2. D. Bonauentura. 4. sent. d. 11. a. 1. q. 4. Ricardus. 4. sent. d. 11. a. 2. q. 2. Durandus q. 4. Paludanus q. 1. Dominicus Sotus. 4. sent. d. 9. quæst. vnica a. 3. Siluester verb. Eucharestia. 1. qu. 1. Armilla eodem verb. nu. 1. Tabiena eodem verb. 1. quis his accedit, quòd Christus se comparauit grano frumēti dicens, vt habemus Ioannis 12. nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit &c. super quæ verba inquit D. Augustinus, cum sint multa grana frugum nulli se comparauit, nisi illi, vndè mos cæpit Ecclesia de hoc solo grano conficere Corpus Christi. Cum autem nomine frumenti nominet Plinius lib. 18. naturalis historiæ c. 7. triticum, & hordeum, & D. Isidorus lib. 17. etimolog. dicat, frumenta esse propriè illa, quæ aristas habent, Item Varro de re rust. ca. 48. ait, frumentum esse illud, quod culmus extulit, idest, cuius calamus spicam profert, & producit, videndum esset, an ex hordeo, & ex omni grano producente spicam possit confici Eucharestia, verum hæc in spetie in sequentibus explicabuntur.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 2. cap. 25. num. 1. Angles de Eucharestia cap. 7. q. 1. a. 3. Camerota de Eucharestia ca. 7. pag. 147. & 156. Vasquez 3. p. disp. 70. cap. 1. & 3. Henriquez lib. 4. cap. 9. num. 1. Valentii tom. 4. disp. 6. q. 2. p. 1. Graffius. 2. p. lib. 1. cap. 6. num. 4. & 5.

Quæritur, an Eucharestia debeat confici ex pane azimo.

3 Respondeo dicendum, quòd circa materiam huius Sacramenti duo possunt cōsiderari, scilicet quid sit necessarium, & quid conueniens; necessarium quidem est, vt sit panis triticeus, sicut dictum est, fine quo non perficitur Sacramentum: non est autem de necessitate Sacramenti, quòd sit azimus, vel fermētatus, quia in vno quoq; confici potest: conueniens autem est, vt vnusquisq; seruet ritum suæ Ecclesiæ in Sacramenti celebratione, super hoc autem sunt diuersæ Ecclesiarum consuetudines; dicit enim B. Gregorius in registro, Romana Ecclesia offert azimos panes, propterea quòd Dominus sine vlla commistione suscepit carnem; sed certæ Ecclesiæ offerunt fermentatum pro eo, quòd verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ, vndè sicut peccat Presbyter in Ecclesia latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret Præsbyter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azimo, quasi peruertens Ecclesiæ suæ ritum, & tamen consuetudo de pane azimo celebrandi rationabilior est, primò quidem propter institutionem Christi, qui hoc Sacramentum instituit prima die azimorum, vt habetur Matthæi 26. & Marci 14. & Lucæ 22. qua die nihil fermentatum in domibus Iudæorum esse debebat, vt habetur exodi 12. secundò quia panis est propriè Sacramentum corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est, magis quā Diuinitatis ipsius. tertiò quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad vsum huius Sacramenti secundum illud primæ Corinth. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus, itaq; epulemur in azimis sinceritatis, & veritatis; tñ hæc consuetudo Grecorū habet aliquam rationem, & propter significationem, quam tangit Gregorius, in detestationem hæresis Nazareorum, qui legalia Euangelio miscebant. 3. p. q. 74. a. 4. in corp.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. circa materiam Eucharestiæ necessarium est, vt sit panis triticeus, sine quo non perficitur Sacramentum, nō autem est de necessitate Sacramēti, quòd sit azimus, vel fermentatus. prima pars relinquitur vt supra probata, secunda pars probatur, quia in azimo, & in fermentato, sacramentū confici potest. secunda conclusio conueniens est, vt vnusquisq; seruet ritum suæ Ecclesiæ in Sacramenti celebratione. probatur ex D. Gregorio in registro, hinc elicit corrolarium, quod sicut peccat Præsbyter in Ecclesia latina celebrans de pane fermentato, ita peccat Præsbyter græcus in Ecclesia Græcorū de pane azimo celebrās, quasi peruertēs Ecclesiæ suæ ritū. tertia cōclusio. consuetudo celebrandi de pane azimo est rationabilior. probatur tripliciter, & primò quia Christus instituit hoc Sacramentum prima die azimorum, vt habetur Mathei 26. Marci 14. & Luce 22. qua die nihil fermentatum in domibus Iudæorum esse debebat, vt habetur Exodi 12 secundò quia panis est propriè Sacramentum Corporis Christi, quod fine

fine corruptione conceptum eft, magis quàm Diuinitatis ipfius. tertiò quia hoc magis competit finceritati fidelium, quæ requiritur ad vfum huius facramenti, quod probatur ex. 1 Corinth.5. quarta conclufio. confuetudo Græcorum habet aliquam rationem. probatur, quia habet fignificationem, quam tangit D Gregorius in deteftationem hærefis Nazareorum.

Corrolarium, quo D. Thomas ait, Præsbiterū Græcum peccare, fi confecret in azimo, ficut peccare facerdotem latinum, fi confecret in fermẽtato, quia peruerterent Ecclefiæ fuæ ritum, negat Paludanus 4. fent.d.11.q.1.ar.4.quem fequitur Scotus 4. fent. d. 11 q. 3. & ait Græcos grauiter peccare, fi conficiant in fermentato, quia fchifmatici hac in re funt, vnde nullus eorum debet eis adhærere, & per hoc vnufquifque eorum poteft ficut in toto, fic & in parte ab eis difcedere, & confequenter non peccaret, fi non feruet ritū eorum, & non confecret in fermentato, fed in azimo. fed doctrinam D. Thomæ approbat Concilium Florentinum fub Eugenio quarto celebratum, in quo fancitum habemus, vnumquenque iuxta fuæ Ecclefię, fiue orientalis, fiue occidẽtalis cõfuetudinẽ cõficere debere, fiue in azimo, fiue in fermẽtato, vnde Græci nedū hoc poffunt, fed debent præftare, vt ait Dominicus Sotus 4. fent. d. 9. quæft. vnica. artic.4. quia hic mos eft velut ab Ecclefia ftatut᷑, vt in Ecclefia Græca feruetur, vt notat Caietan᷑ hoc in loco, vnde peccaret Presbyter Græcus, fi in Græca Ecclefia celebrans, nō feruet ritum Ecclefiæ Gręcæ, & fi illum obferuet, non peccabit. ad obiectionem autem in contrarium refpondetur, quod licet Græci fint fchifmatici in hoc, dum arbitrantur latinos non fequi exemplum Chrifti, attamen quia illis permiffum eft conficere in fermentato propter fimilitudinem, quam adducit D. Gregorius, quia nimirū Verbum Diuinum corruptione carnis noftræ veftitum eft, ideò non peccant Præsbiteri Græci morem fuæ Ecclefiæ feruantes, immò tenentur eum feruare, & fi non obferuent fuum ritum, etiã tempore fchifmatis, peccabunt, quia fchifma nõ foluit ritus rectos, qualis eft ifte, qui non ex fchifmate, fed ex ratione Ecclefiaftica in eis eft. verū autem facerdos latinus poffit conficere in fermentato in Ecclefia Græca, & è conuerfo verum facerdos Græcus poffit conficere in azimo in Ecclefia latina. dico breuiter poffe, quia Gręcis permittitur in fua Ecclefia Græca conficere infermentato, ergo poterit in Ecclefia latina Græcus conficere in azimo, & è conuerfo. vlterius dum Græcus celebrat in Ecclefia latina, ritum latinū feruare tenetur, aliter non diceretur celebrare in Ecclefia latina, quæ non diftinguitur à Græca nifi in ritu, ergo poterit gręcus facerdos conficere in azimo in Ecclefia latina, ficut Præsbiter latinus poterit conficere in fermẽtato in Ecclefia Græca. quæret nunc aliquis, an facerdos latinus in Ecclefia latina poffit conficere in fermentato in cafu neceffitatis, puta fi non adfit alius panis, & neceffitas communicandi infirmum vrget, refpondebitur non poffe, fed peccare mortaliter conficiendo in fermentato, vnde potius ifte debet permittere, quòd infirmus decedat fine viatico, quàm quòd conficiat in fermentato. ratio id fuadet, quia fi poffet in illo cafu celebrare in fermentato, hoc effet ratione præcepti Diuini, quo iubemur facra refici Euchareftia in mortis articulo, fed in hoc cafu non obligaret præceptum Diuinum infirmum ad communionem, ergo nec Sacerdos poterit in illo cafu celebrare in fermentato. minor probatur, quia præceptū Diuinum non obligat, quando per eius adimpletionem violarentur leges ordinatæ ad reuerentiam tanti facramenti, quod ficut eft maioris dignitatis, ita eft minoris neceffitatis, maximè autem derogaretur reuerentiæ debitæ huic facramento, fi infermentato celebraretur.

Ex hoc loco tanquam ex fonte haufferunt, quę docent Azorius tom. 1. lib. 10. ca. 23. quæfit. 8. Vafquez 3. p. difp. 172. 173. 174. Pefantius 3. p. q. 74. a. 4. difp.1. Rodriquez in fumma cap. 249. de Miffa. Suarez difp. 24. fect. 4. Sanchez de matrimonio lib 3. d. 18. Henriquez lib. 8. c. 9. nu. 2. Coninchus 3. p. q. 74. a. 4. dub. 3. Valentia tom. 4. difp. 6. quæft. 2. p. 1. verf. porrò. Camerota de Euchareftia cap. 6. dub. 16. Toletus lib. 2. cap. 25. num. 2. & alij plures.

Quæritur, an celebrantes in azimo poffint dici iudaizare.

4 Refpondeo dicendum, quòd conficientes in azimo non intendunt cæremonias legis feruare, fed conformare fe inftitutioni Chrifti, & ideò nõ iudaizant, alioquin, & celebrantes in pane fermentato iudaizarent, quia Iudæi panes primitiarum fermentatos offerebant. 3. p. quæft. 74. art. 4. ad 2.

Vnica conclufione refpondet D. Thomas huic quæfito, quæ eft. conficientes in azimo non iudaizant. probatur dupliciter, & primò quia cõficientes in azimo non intendunt cæremonias legis feruare, fed cõformare fe inftitutioni Chrifti. fecundò quia fi conficientes in azimo iudaizarent, ergo & celebrantes in fermentato iudaizarent, probatur fequela, quia Iudęi panes primitiarum fermentatos offerebant.

Quod tangitur hoc in loco, obijcitur latinis à Græcis dicentibus latinos iudaizare, dum in azimo celebrant, azimi fiquidem fuerũt in vfu apud Iudęos in lege veteri, vt Exodi 12. habetur, & Leuit. 23. quibus additur, quòd cum cæremonię illæ fuerint futurorum vmbræ, hinc fequiter nos prænunciare aliquid futurum, dum in azimo celebramus, quod apertiffimum eft mendacium. ad hæc autem eft refponfio, quòd latini, dum cõficiunt in azimo, non iudaizant, quia non hoc faciunt, vt feruent cæremonias legis veteris, fed vt fe conforment inftitutioni Chrifti, qui in azimo confecraffe creditur, prima enim die azimorum Euchareftiã inftituit, vt habem᷑ Mathei 26. Mar-

Marci 14. Lucæ 22. qua die nihil fermentatum in domibus Iudæorum esse debebat, vt habetur Exodi 12. hoc idem etiam argumentum retorquetur contra Græcos celebrantes in fermentato, quibus si licet arguere contra latinos dicendo, latini conficiunt in azimo, ergo iudaizant, cum se conforment Iudæis vtentibus azimis, pari ratione licebit latinis arguere contra Græcos celebrantes dicendo, si græci conficiunt in fermentato, ergo græci iudaizant conformantes se Iudęis, quibus præcipiebatur, vt habemus Leuit. 23. vt duo panes primitiarum, qui offerebantur in templo, ex simila fermentata conficerentur.

Quæritur, quando ex pane fermentato non conficiatur Eucharestia.

5 Respondeo dicendum, quòd quia fermentum habet aliquid corruptionis, & ex pane corrupto non potest confici hoc Sacramentum, vt dictum est, posset esse tanta corruptio fermenti, quòd ex eo nō posset confici Sacramentum. 3. p. quæst. 74. ar. 4. ad 4.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. potest esse tanta corruptio fermenti, quòd ex eo non posset confici sacramentum Eucharestiæ. probatur, quia fermentum habet aliquid corruptionis, ergo corruptio fermēti potest esse tanta, vt ex eo non possit confici sacramentum. probatur sequela, quia ex pane corrupto non potest confici hoc sacramentum.

Quia fermentum corruptionem dicit, cuius vtiq; tanta potest esse corruptio, vt materia esset sacramento inepta, ideò tutius latini in azimo conficiunt, quàm Græci in fermentato.

Quæritur, quid agendum in locis, in quibus non nascitur triticum, vel vinum.

6 Respondeo dicendum, quòd licet nō in omnibus terris nascatur triticum, vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantùm sufficit ad vsum huius Sacramenti, nec propter defectum alterius est vnum tantum sine altero consecrandum, quia non esset perfectum Sacramentum. 3. p. q. 74. a. 1. ad 2.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. licet non in omnibus terris nascatur triticum, vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad vsum huius sacramenti. secunda cōclusio. propter defectum alterius non est vnum tantùm sine altero consecrandum. probatur, quia non esset perfectum sacramentum.

Ista doctrina duas resoluit quæstiones, quarū prima est. quid faciendum circa confectionem sacramenti Eucharestiæ in locis, in quibus non nascitur vinum, vel triticum. cui respondet, quòd de facili in ea loca potest deferri vinum, & triticum in tanta quantitate, quanta sufficit ad confectionem, & vsum huius sacramenti, ideò in his regionibus non licebit in alia materia celebrare, quàm in tritico, & vino, puta in aqua, liquore pomorum, ceruisia, liquore mororum, & huiusmodi. nec in hoc Papa potest dispensare, quia Papa non habet auctoritatem super essentialia Sacramentorum, vt supra diximus, vinum autem & triticum est materia essentialis sacramēti Eucharestiæ; immò Tabiena verb. Eucharestia. 1. q. 20. refert, quòd Alexander vltimus voluit dispensare super hoc ad petitionem quorumdam, sed à peritis conclusum fuit, non posse. ex quibus patet non benè dixisse Paulum Aresium Episcopum Derthonensem tenentem, quòd aqua immediatè possit conuerti in sanguinē Christi, si enim aqua potest immediatè conuerti in sanguinem Christi, ergo Christi fideles habitantes in regionibus, in quibus non nascitur vinum, poterunt in aqua celebrare, quod tamen est falsum dicente Concilio Tridētino sess. 13. can. 2. panem in corpus, vinum in sanguinem cōuerti, ergo nō aqua. verùm huius Episcopi opinio satis confutata à nobis fuit oretenus in congregatione Theologorum peritissimorum habita Papiæ in aula Sancti Officij coram Admodum Reuerendo Patre Inquisitore, & scriptis etiam impugnata, vt videre licet in nostris Arcanis lib. 3. q. 52. sicut etiam in eisdem Arcanis eodem libro. q. 47. resoluimus principale quæsitum, vnde veniendumm est ad resolutionem secundę quęstionis tactæ hoc in loco à D. Thoma, nempe quod si in aliqua regione nascatur triticum, & non vinum, vel è conuerso nascatur vinum, & non triticum, quòd non licet vnum sine altero cōsecrare, quia non esset perfectum sacramētum, quæ perfectio sacramenti prę ponenda est reliquis necessitatibus, vt optimè docet Caietanus. 2. 2. q. 74. a. 1. qui etiam obseruat, quod perfectio sacramenti tantæ est necessitatis, quòd etiam bis in eadem Missa quandoq; oporteat sumere corpus Christi, sicut si contingeret, quòd sacerdos post sumptionem corporis percipiat, quòd vinum non fuerit positum in Calice, tunc enim debet aliam Hostiam consecrandam cum sanguine assumere, & sumere iuxta doctrinam D. Thomæ 3. p. q. 83. artic. 6. ad 4. immò Concilium Toletanum quartum. q. 1. cap. nihil. contra celebrantes panem sine vino, vel vinum sine pane tulit sententiam excommunicationis. D. Thomam sequitur S. Antoninus 3. p. tit. 13 cap. 6. §. 1. Dominicus Soto. 4. sent. d. 9. quæst. vnica. artic. 1. Siluester verb. Eucharestia. 1. q. 5. Innocentius quartus lib. 4. de Misterijs Missæ cap. 13. idem docet dicens, vbi non est copia vini, nullatenus est consecrandum corpus. an autem Papa possit dispensare in hoc, vt scilicet in his regionibus, in quibus vinum non potest haberi, sacerdos possit conficere corpus, & non sanguinem, dissensio est Doctorum. Armilla verb. Eucharestia. num. 10. in hoc est dubius. Dominicus etiam Sotus. 4. sent. d. 9. q. vnica. artic. 1. non audet affir-

mare, quòd Papa poſſit ſuper hoc diſpēſare, quia res nunquam audita eſt, vt hoc ſacramentum dimidiari fuerit permiſſum; quia tunc ſignificatio integræ perfectionis non ſeruaretur. Tabiena verb. Euchareſtia. 1. q. 20. docet abſolutè Papam poſſe diſpēſare in hoc motus hac ratione, ne propter defectum Sacramenti fideles incurrant maximum damnum, cum corpus non ſit ſine ſanguine in Hoſtia conſecrata. alij aſſerunt, quod ſi Papa diſpenſaret, teneret diſpenſatio, licet fortè malè faceret. ratio horum eſt, quia non videtur de eſſentia ſacramenti, vt vnum ſine reliquo non conficiatur, & per hoc poterit diſpenſare. aliorum eſt opinio non poſſe ſuper hoc diſpenſare, quam vt veriſſimam his confirmo rationibus, quarum prima eſt, quòd Papa non poteſt diſpenſare ſuper his, quæ ſunt de integritate Sacramentorum, vt communis eſt ſententia, ſed conſecratio ſanguinis eſt de integritate, & perfectione Euchareſtiæ, ergo ſuper hoc nō poterit Papa diſpenſare. minor eſt D. Thomæ hoc in loco, & 4. ſent. d. 11. quæſt. 2. artic. 1. quæſtiuncula 1. ad 4. ſecunda eſt, quia ſacramentum Euchareſtiæ eſt ſacramentum refectionis, ſed integritas refectionis conſiſtit in cibo, & potu, ergò ſi non adſit potus, tolletur ſignificatum Euchareſtiæ, ergo Papa ſuper hoc non poteſt diſpenſare. ad rationē Tabienæ dicitur, quod de facili poteſt transportari vinum, & triticum ad Regiones, in quibus hæc non enaſcuntur, ſi ergo de facili poſſunt hæc deferri, ergo fideles nullum patientur damnum. ad rationem aliorum dicitur, quòd licet non ſit de eſſentia ſacramenti, vt vnum, ſine altero non cōficiatur, eſt tamen de illius integritate, & perfectione, vnde ſi vnum ſine alio conficiatur, tenebit ſacramentum, ſed integrum non erit, perfectum non exiſtet. ſi quis diffuſiorem requirat huius quæſiti explicationem, legat noſtra Arcana lib. 3. q. 47.

Quæritur, an poſſit confici Euchareſtia ex ordeaceo pane.

7 Reſpondeo dicendum, quòd hoc Sacramentum pertinet ad ſuaue iugum Chriſti, & ad veritatem iam manifeſtam, & ad populum ſpiritualem, vndè non eſſet materia conueniens huius Sacramenti panis ordeaceus, qui competit ad ſignificandam duritiem veteris legis propter duritiem panis, tùm etiam quia, vt Auguſtinus dicit in lib. 83. quæſtionum, ordei medulla, quæ tenaciſſima palea tegitur, vel ipſam legem ſignificat, quæ iam data erat, vt in ea vitale animæ alimentum corporalibus Sacramentis obtegeretur, vel ipſum populum nundum expoliatū carnali deſiderio, quod tanquam palea cordi eius inhærebat. 3. p. q. 74. artic. 3. ad 1. (4. ſent. diſt. 11. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. in corp.

Reſpondet D. Thomas huic quæſito vnica cōcluſione, quæ eſt. non eſt materia conueniens huius ſacramenti panis ordeaceus. probatur, quia panis ordeaceus competit ad ſignificādam duritiem veteris legis propter duritiem panis, & ſecūdum Auguſtinum lib. 83. quæſt. ordei medulla, quæ tenaciſſima palea tegitur, vel ipſam legem ſignificat, quæ ita data erat, vt in ea vitale animæ alimentum corporalibus ſacramentis obtegeretur; vel ipſum populum nundum expoliatum carnali deſiderio, quod tanquam palea cordi eius inhærebat, ſed hoc ſacramentum pertinet ad ſuaue iugum Chriſti, & ad veritatem ipſam manifeſtatam, & ad populum ſpiritualem, ergo ordeaceus panis non eſt. conueniens materia Euchareſtiæ.

Concluſionem Diui Thomæ ſequuntur Silueſter verb. Euchareſtia. 1. quæſt. 2. Tabiena eodem verb. 1. quæſt. 7. Armilla eodem verb. num. pri. Dominicus Sotus 4. ſentent. diſt. 9. quæſt. vnica. artic. 3. Victoria in ſummula de Sacramentis, de Euchareſtia. q. 54. ſuadet ratio allata in littera, cui addimus alias duas, quarum prima eſt, quia iam diximus, materiam huius ſacramēti eſſe triticum, ordeum autem non eſt ſpecies tritici, vt elicimus ex D. Thoma. 2. 2. q. 74. art. 3. ad 2. ergo &c. ſecunda eſt. iam etiam diximus, quòd panis conſecratur in corpus Chriſti, ſed ordeaceus nō eſt vſualis panis apud homines, nec formaliter eſt panis, ſed in defectum veri panis aſſumitur, ergo &c. verum hæc expoſuimus in noſtris Arcanis lib. 3. q. 48.

Quæritur, an Euchareſtia poſſit confici ex ſiligine, ordeo, ſpelta, farre.

8 Reſpondeo dicendum, quòd ſi qua frumenta ſunt, quæ ex ſemine tritici generari poſſunt, ſicut ex grano tritici ſeminato in malis terris naſcitur ſiligo, ex tali frumento panis confectus poteſt eſſe materia huius Sacramenti, quod tamen non videtur habere locum, neque in ordeo, neque in ſpelta, neq; etiam in farre, quod inter omnia eſt grano tritici ſimilius: ſimilitudo autem figuræ in talibus magis videtur ſignificare propinquitatem, quàm identitatem ſpeciei, ſicut ex ſimilitudine figuræ manifeſtatur, quòd canis, & lepus ſunt propinquæ ſpeciei, non autem eiuſdem; vndè ex talibus frumentis, quæ nullo modo poſſunt ex ſemine tritici generari, non poteſt confici panis, qui ſit debita materia huius Sacramenti. 3. p. quæſt. 74. a. 3. ad 2.

Duplici concluſione reſpōdet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. Euchareſtiæ ſacramentum poteſt confici ex pane confecto ex ſiligine. probatur, quia ſi qua frumenta ſunt, quæ ex ſemine tritici generari poſſunt, ex tali frumēto panis confectus poteſt eſſe materia huius ſacramenti, ſed ſiligo naſcitur ex grano tritici ſeminato

minato in malis terris, ergo &c. ſecunda concluſio. Euchareſtia non poteſt cõfici ex ordeo, ſpelta, farre, quod inter omnia grana eſt grano tritici ſimilius. probatur, quia iſta non naſcuntur ex ſemine tritici. hinc elicit corrolarium, quòd licet hæc habeant ſimilem figuram grano tritici, hæc tamen ſimilitudo magis videtur ſignificare propinquitatem, quam identitatem ſpeciei. probatur à ſimili de cane, & lepore, quæ ex hoc quod habent ſimilem figuram, arguitur propinquitas, non autem identitas ſpeciei.

An Euchareſtia poſſit confici ex ſiligine, ſpelta, farre, ſatis diximus in noſtris Arcanis lib. 3. q. 48. quibus tantùm addo, quòd in prima concluſione diſcordat S. Thomas à ſuo Præceptore B. Alberto magno, qui in 4. ſentent. d. 12. tenet non poſſe confici Euchareſtiã ex ſiligine. D. Thomam ſequitur Siluester verb. Euchareſtia. 1. q. 3. Dominicus Sotus. 4. ſent. d. 9 quæſt. vnica. art. 3. Armilla verb. Euchareſtia. num. 1. Opinionem D. Thomę comprobat ratio allata ab ipſo, nempe quia ſiligo naſcitur ex grano tritici, quod eſt materia Euchareſtiæ, vt ſupra vidimus, nec ſubſtantialiter differt à tritico, ſed tantùm accidentaliter, puta in quantitate, in figura, ſapore. cui rationi addimus aliam, quia panis ex ſiligine confectus verè, & formaliter eſt panis ad ſuſtentationem hominis ordinatus, & eſt in vſu, ergo aptus eſt, vt ſit materia conſecrationis. hic tamen obſeruandum, quòd pane ex ſiligine confecto debet ſacerdos tantum vti in caſu neceſſitatis, quando ſcilicet deeſſet panis triticeus, regulariter tamen debet vti pane triticeo, aliter grauiſſimè peccaret.

Circa ſpeltam, an ex ea poſſit confici Euchareſtia, diſſenſio eſt inter Doctores, & in hoc etiã D. Thomas tenens partem negatiuam diſcordat à ſuo Præceptore Magno Alberto tenente partẽ affirmatiuam. 4. ſent. diſt. 11. artic. 7. nempe quòd panis ex ſpelta confectus poteſt eſſe materia Euchareſtiæ. B. Albertũ magnum ſequitur Paludanus 4 ſent. d. 11. q. 1. Thomas Argentina. 4 ſent. d. 9. quæſt. vnica. art. 3. Caietanus hoc in loco, Dominicus Sotus. 4. ſent. d. 9. quæſt. vnica. a. 3. hac ratione motus, quia ſi quis conſulat dictionarios, inueniet eos affirmare ſpeltam eſſe ſpetiẽ tritici, immò eſſe panem delicatum. ſed miror Caietanum, & Sotũ diſceſſiſſe à doctrina ſui Magiſtri, à quo quidquid ſcinerunt, didicerunt. dico ergo panem confectum ex ſpelta nullo modo poſſe eſſe materiam aptam ad conſecrãdum, quia non eſt ſpecies tritici, quod triticum iam dixim' eſſe materiam Euchareſtiæ, vnde ruit fundamentum Soti, qui non debuit ſuam opinionem in tàm debili fundamento, qualis eſt auctoritas dictionariorum, fundare. & confirmatur ex eo, quòd vt refert B. Albertus magn' loco nuper citato, in curia Romana, ſecundum quod aliqui dicunt, decretum fuit, vt ſpelta eſſet ſpecies ordei. quòd faceſſit negotium eſt, quod refert Paludanus loco citato, nempe in aliquibus locis confici Euchareſtiam ex pane confecto ex ſpelta. cui etiã conſuetudini maximè innititur Caietanus hoc in loco. hunc vſum profectò tangit D. Thomas in argumento ſecundo, cui cum nihil reſpondeat, ſignum eſt, vel quòd non extet talis vſus, vel ſi extat, ſit falſus. debuerant certè aſſertores contrariæ ſententiæ recenſere huiuſmodi loca, in quibus ex ſpelta conficitur Euchareſtia. contra huiuſmodi ergo caſum ſic arguo, aut in his locis enaſcitur triticum, aut non; ſi naſcitur triticum, ergo in pane triticeo, q. eſt certa materia Euchareſtiæ debent conficere; ſi autem non naſcitur, de facili poterit ad illa loca deferri triticum, vt ſupra dicebat D. Thomas, ergo non eſt veriſimile, quòd in ſpelta conficiant. vlterius ſi terra illa, quam colunt illic habitantes, eſt apta ad producendum ſpeltam, quæ apud ipſos eſt ſpecies tritici, ergo etiam erit apta ad producendum triticum, ſi autem eſt apta ad producendum triticum, credendum eſt, quòd illic ſeminetur triticum ad tollendum omnem ſcrupulum, non eſt ergo veriſimile, quod dicunt, nempe quòd in aliquibus locis conficiatur Euchareſtia in pane ex ſpelta confecto. tenendum eſt ergo cum S. Thoma, quem ſequitur Siluester verb. Euchareſtia. 1. q. 3. Armilla eodem verb. nu. 1. Tabiena eodem verb. 1. quæſt. 8. ex extraneis ſequuntur Scotus, Durandus.

Diſſenſio eſt etiam inter Doctores, an ex pane confecto ex farre poſſit Euchareſtia cõfici. B. Albertus magnus, Paludanus, Victoria, Toletus lib. 2. cap. 25. n. 2. partem aſtruunt affirmatiuam. D. Thomas, quem ſequitur Siluester verb. Euchareſtia. 1. qu. 2. Tabiena eodem verb. 1. quæſt. 8. Armilla eodem verb. num. 1. partem docet negatiuam, nempe non poſſe Euchareſtiam confici ex pane ex farre confecto, cum non poſſit generari ex ſemine tritici, quod eſt materia Euchareſtiæ. Dominicus Sotus. 4. ſent. d. 9. quæſt. vnica. artic. 3. nititur conciliare has opiniones diſtinguens duplicem farris ſpeciem, quædam, Inquit, eſt duriſſima, alia eſt, quæ dicitur ſcandia, de prima ſpetie loquitur D. Thomas, de ſecunda loquuntur cæteri Doctores, ſed cum D. Thomas abſolutè neget far eſſe materiam Euchareſtiæ, profectò abſolutè negat omnem ſpeciem farris, ſi tamen diſtinguuntur ſpecie, eſſe materiam Euchareſtiæ.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Henriquez lib. 4. ca. 9. Camerotta de Euchareſtia c. 6. dub. 9. Toletus lib. 2. c. 25. nu. 1.

Quæritur, an Euchareſtia poſſit confici ex Amydo.

9 Reſpondeo dicendum, quòd aliquando eſt tanta corruptio panis, quòd ſoluitur ſpecies panis, ſicut cum continuitas ſoluitur, & ſapor, & color, & alia accidentia mutantur, vndè ex tali materia non poteſt confici Corpus Chriſti: aliquando verò non eſt tanta corruptio, quæ ſpeciem ſoluat, ſed eſt aliqua diſpoſitio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immuta-

tio saporis, & ex tali pane potest confici corpus Christi, sed peccat conficiens propter irreuerētiam Sacramenti, & quia amydum est ex tritico corrupto, non videtur, quòd panis ex eo cōfectus possit fieri Corpus Christi, quamuis quidam contrarium dicant. 3. p. q. 74. a. 3. ad 4.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. panis ex amydo confectus non potest fieri corpus Christi. probatur, corp' Christi non potest confici ex illa materia, cuius corruptio tanta est, quòd soluitur species eius, sicut cum soluitur continuitas, sapor, color, & alia accidentia mutantur, sed amydum est ex tritico corrupto, ergo panis ex eo confectus non potest fieri Corpus Christi. hinc elicitur corrolarium, quòd quando non est tanta corruptio, quæ speciem soluat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat aliqua immutatio saporis, ex tali pane potest confici corpus Christi, sed peccat conficiens propter irreuerentiam Sacramenti.

Quia istud quæsitum à nobis in nostris Arcanis lib. 3. qu. 49. diffusè resolutum est, ideò nunc supersedendum esse arbitror, & ad eum locum remittendum esse lectorem. tantùm referam id, quod docet Bonacina ex Diuo Thoma tom. 1. disputatione. 4. quæst. 2. p. 2. num. 7. de materia Eucharestiæ, vbi docet, quòd si amydum de nouo redigatur in farinam, & compactum aqua coquatur igne, erit materia sufficiens; quia denominabitur panis triticeus, cum amydum ex tritico conficiatur. sed iste toto cælo aberrat; inprimis hoc non asserit D. Thomas, vt potest videri in loco ab ipso citato, nec in citanda D. Thomæ auctoritate fuit fidelis, sicut non est fidelis in adducendis aliorum opinionibus, vt ego simul cum alijs expertus fui. secundò conclusio sua est falsa, quia etiam si amydum redigatur in farinā, & aqua compactum coquatur, non erit materia sufficiens Eucharestiæ, quia amydum est ex tritico corrupto. tertiò ratio sua non cōcludit, quia tale compaginatum ex ferina amydi non potest dici panis triticeus, quia cum sit ex tritico corrupto, soluta est species tritici, & consequenter non poterit dici panis triticeus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 2. cap. 25. num. 2. Vasquez d. 70. c. 4. num. 23. Coninchus 3. p q. 74. ar. 3. nu. 54. Valentia tom. 4. disp. 6. quæst. 2 p. 1. vers. item communis. Pitigianus dist. 14. q. 6. dub. 1. Viualdus de Eucharestia cap. 2. num. 10.

Quæritur, quæ admixtio alterius grani cum tritico faciat indebitam materiam.

10 Respondeo dicendum, quòd modica permixtio non soluit speciem, quia id, qđ est modicum, quodammodo absumitur à plurimo: si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo maiorem quantitatem tritici, poterit exindè confici panis, qui est materia huius Sacramenti: si verò sit magna permixtio (puta ex æquo, vel quasi) talis permixtio speciem mutat, vndè panis exindè confectus non erit debita materia huius Sacramenti. 3. p. quæst. 74. artic. 3. ad 3.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si sit modica admixtio alterius frumenti ad multò maiorē quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia huius sacramenti. probatur, quia modica permixtio non soluit speciem, quia id, quod est modicum, quodammodo absumitur à plurimo. secunda conclusio. si sit magna permixtio, puta ex æquo, vel quasi; panis exinde confectus non erit debita materia Eucharestiæ: probatur, quia talis permixtio speciem mutat.

Ex hac doctrina habemus duas regulas, quarum prima est. quotiescunq; ex permixtione alterius grani cum tritico non soluitur species tritici, ex tali materia sic permixta poterit confici Eucharestia. secunda regula est. quotiescunque ex permixtione aliorum granorum cum tritico soluitur species tritici, talis materia nō erit apta ad consecrationem. vtrumque autem horum dignoscetur ex quantitate granorum, quæ immiscentur tritico, puta si quantitas granorum, quæ immiscentur, sit æqua, vel quasi æqua cum granis tritici, talis panis ex huiusmodi granis confectus non erit materia sufficiens ad consecrationem, quia tunc soluitur species tritici, quod est materia propria Eucharestiæ, sicut etiam si tanta quātitas aquæ immisceatur vino, vt soluatur species vini, non est illa materia apta ad consecrationē; si autem quantitas granorum, quæ immiscentur, sit parua, & modica, sic talis panis confectus ex granis sic immixtis poterit esse materia apta ad consecrationem, quia non soluitur species tritici, sed modicum illud absumitur à multo, & plurimo, sicut etiam si modica aqua misceatur vino, tale vinum erit materia sufficiens ad consecrationem, quia non soluitur species vini, quod est materia propria consecrationis, quia parum à multo vino absorbetur.

Quæritur, an requiratur determinata quantitas panis, & vini ad materiam Eucharestiæ.

11 Respondeo dicendum, quòd quidam dixerunt, quòd Sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis, aut vini, puta totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod est in dolio; sed hoc non videtur esse verum, quia in omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem, sicut materia serræ est ferrū, vt sit apta sectioni; finis autem huius Sacra-

cramenti est vsus fidelium, vndè oportet, quòd quantitas materiæ huius Sacramenti determinetur per comparationem ad vsum fidelium, qui nunc occurunt, alioquin Sacerdos paucos parochianos habēs non posset consecrare multas hostias, vndè relinquitur, quòd materia huius Sacramenti determinetur per comparationem ad vsum fidelium absolutè, numerus autem fidelium est indeterminatus, vndè nō potest dici, quòd quantitas materiæ huius Sacramenti sit determinata. 3. p. q. 74. a. 2. in corp.

Duo facit D. Thomas hoc in loco, primò adducit vnam opinionem, secundò respondet quæsito vnica conclusione, qua opinionem confutat; quo ad primum opinio fuit quorumdam dicentium, quòd sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis, aut vini, puta totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod est in dolio. contra hanc opinionem statuitur talis conclusio: non potest dici, quòd quantitas materiæ huius sacramenti sit determinata. probatur, si quantitas huius sacramenti esset determinata, oporteret, quòd determinaretur per comparationem ad vsum fidelium absolutè, sed numerus fidelium est indeterminatus, ergo & materia sacramenti Eucharestiæ erit indeterminata. maior probatur, quia in omnibus habētibus materiam ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem, sed vsus fidelium est finis huius sacramenti, ergo si quantitas Eucharestiæ esset determinata, oporteret, quòd determinaretur per comparationem ad vsum fidelium.

Ad explicationem huius litteræ obserua tres propositiones, quarum prima est. quæcunque quantitas, sub qua potest conseruari panis, & vinum, potest esse consecrationis materia, siue sit visibilis, siue non, itaquod minima pars panis, vel vini, quæ per solam diuisionem desineret esse panis, vel vinum, si sub ea conseruatur minimū panis, vel vini, consecrabilis est. ratio huius propositionis est, quia materia Sacramenti corporis est panis, ergo quælibet pars, licet minima, quæ conseruat speciem panis, erit consecrabilis. vlterius sumatur Hostia consecrata, & diuidatur in minutissimas partes, quælibet pars remanet consecrata, ergo etiam si hostia ante consecrationem diuideretur in easdem minutissimas partes, illæ poterunt consecrari. Pro quorum maiori explicatione obserua in hoc circa materiam discriminari Sacramentum Baptismi à Sacramento Eucharestiæ, quòd aqua, quæ est materia remota Baptismi, debet assumi in tanta quantitate, quanta sufficiat ad abluendum, cum Baptismus sit Sacramentum consistens in actione, & vsu abluendi; in sacramento autem Eucharestiæ ea quantitas materiæ sufficiet ad consecrationem, quæ sufficit, vt in ea contineatur corpus, & sanguis Christi, cum autem sub quali-bet parua quantitate contineri possit corpus, vel sanguis Christi, hinc sequitur sufficere quamlibet pertem, licet minimam. de hac propositione legatur Victoria de Eucharestia cōcl. 56. Dominicus Sotus 4. sent. d. 9. quæst. prima art. 2. Bartolomeus ab Angelo dialogo 4. §. 330. secūda propositio. quælibet magna quantitas præsens potest validè consecrari, non enim Christus facultatem Sacerdotibus limitauit ad consecrandā solum tantā quantitatē, & non maiorē, nullo siquidem iure hoc probatur. vlterius non repugnat, quòd Sacerdos possit consecrare quālibet magnam quantitatem panis, vel vini, neque ex parte materiæ, nec ex parte formæ, neque ex parte ministri, ergo quælibet magna pars consecrari poterit. quòd nō repugnet ex parte materiæ, suadetur ex hoc, ꝙ quælibet quantitas panis verè est panis, qui est propria materia Eucharestiæ. quòd non repugnet ex partæ formæ, ex hoc probatur, quòd verba consecrationis possunt proferri, & verificari super quacunque magna quantitate. non etiam repugnat ex parte ministri, quia supponimus eum habere debitam intentionem. hic tamē aduerte ex Siluestro verb. Eucharestia. 2. qu. 6. à quo desumpserunt, quæ docent Toletus lib. 2. cap. 25. num. 6. Coninchus 3. p. q. 74. a. 1. dub. 3. num. 32. Henriquez lib. 8. c. 14 num. 5. Pitigianus dist. 11. q. 6. a. 5. Vasquez 3. p. disp. 71. c. 4. num. 6. Suarez disp. 43. sect. 6. Reginaldus lib. 29. num. 18. quòd materia consecranda debet esse aliquo modo determinata, & definita in mente Sacerdotis consecrantis, effectus enim consecrationis, vt ait Durandus, sequitur intentionem consecrantis, vnde si Sacerdos intendat consecrare totum, quod est ante se, totum est consecratum; si intendat tantum consecrare partem Hostiæ dexteram, vel sinistram, illa solum pars erit consecrata; si intendit vnam tantum hostiā ex pluribus ante se positis, designatam tamen in sua mente consecrare illa solum erit consecrata. ex quibus elicimus, quòd quando Sacerdos intendit solùm consecrare quartam partem hostiæ, vel medietatem non distinguens, quam partem, vel quam medietatem, nihil remanet consecratum, vt idem Siluester loco citato docet, quam postea secuti sunt Coninchus, Henriquez, Reginaldus, Pitigianus locis citatis. rursus ex supradictis sequitur nullam hostiam remanere consecratam, si Sacerdos intēdat consecrare quatuor hostias ex decem præsentibus, si non determinet, quas velit consecrare, quia, vt benè ait Siluester loco paulò ante citato, reales operationes non sunt circa singularia vaga, & vlterius quia materia non est determinata, nec maior ratio est, quòd vna potius hostia, quam alia remaneat consecrata. hic tamen obserua ex Paludano, quòd non requiritur, vt fiat determinatio tactu, visu, aut imaginatione, sed sufficit, si fiat intellectu. sequitur præterea ex supradictis vini guttas remanantes extra Calicem nō esse consecratas, quia Sacerdos non habet intentionem super illas; si autem guttæ existerent intra Calicem

licem ſeparatæ à vino, illæ eſſent conſecratæ, quia intentio ſacerdotis fertur ſuper omne conſecrabile intra Calicem exiſtens, vndè non eſt audiẽdus Reginaldus oppoſitum ſentiens. ſi quis autem quærat, an Hoſtiæ, quas quis inſcio ſacerdote conſecrandas appoſuit, remaneãt conſecratæ, cũ illas appoſuerit in corporali ſacerdos, in quo dubio cerno diſſentire Doctores, quorum aliqui affirmatiuam, alij negatiuam ſuſtinent. mihi diſtinguendum videtur, nam ſacerdos, dum Hoſtias appoſuit in corporali, aut intendebat tunc totum conſecrare, quod appoſuit in corporali, aut intendebat conſecrare Hoſtias, quas ipſe prius preparauit putans eis non eſſe alias additas. ſi hoc ſecundum detur, illæ Hoſtiæ de nouo appoſitæ non ſunt conſecratæ, quia illæ Hoſtiæ non ſunt determinatæ in mente ſacerdotis, & voluntas nõ fertur in incognitum; ſi detur primum, ſic omnes ſunt conſecratæ, quia intentio fertur in omnes, & ſic facilè concordari poſſunt Doctores. Vt autem ſacerdos euitet omnem ſcrupulũ, dum vult celebrare, & conſecrare, ſatagat, vt intentio feratur in totam materiam præſentẽ, ita quod intendat conſecrare totum, quod ante ſe poſitum eſt. in quacunque ergo quantitate licet magna licebit conſecrare, dummodo tamen illa quantitas ſit præſens, quia, vt ſcitè ait Dominic⁹ Sotus. 4. ſent. d. 9. quæſt. 1. art. 2. niſi materia eſſet coram ſacerdote, tunc forma eſſet falſa propter demonſtratiuum pronomen, Hoc, vel Hic. cui adiungitur vſus Eccleſiæ, qui nunquam fuit, vt materia abſens conſecretur; & vlterius ſi ſacerdos poſſet materiam abſentem conſecrare, ergo poterit ſacerdos exiſtens Comi conſecrare panem, vel vinum exiſtentia Mediolani, vel Romę, quod manifeſtã habet falſitatem. nomine autem præſentiæ intelligo eam, quæ more, & vſu hominum præſentia rei cenſetur, vt eius fiat demonſtratio per pronomen, Hoc, vel Hic. vnde ſi Hoſtia ſit à tergo ſacerdotis, vel poſt parietem, non poterit conſecrari, licet Sacerdos ſit certus de exiſtentia materiæ in illis locis, & illius intentio proferendo verba conſecrationis illuc dirigatur, quia non reputatur præſens; poterit tamẽ panis, & vinum coopertum conſecrari, ſi certus ſit ſacerdos de exiſtentia materiæ ſub illis coopercuiis, quia iſta, licet cooperta, cenſentur præſentia. verũ de his ſatis diximus in noſtris Arcanis lib. 3. q. 50. tertia propoſitio. ſi quis panem, vel vinum conſecraret in maxima quantitate, immane committeret ſacrilegium, quia magnam iniuriã irrogat tanto ſacramento, quod opportuno tempore nõ poſſet conſumi; & ſicut ille turpiter ageret, qui totum triticum pro totius anni vſu congregatum in panes conficeret, cum tot panes toto illo anno non poſſent conſeruari, & à corruptione præſeruari, ita turpiter, ac ſceleſtiſſimè ageret, qui tantam quantitatem ſimul conſecraret, vnde quando D. Thomas conceſſit poſſe quãtitatem maximam conſecrari, hoc ad validitatẽ retulit ſacramenti, maximum tamen ſacrilegiũ eſſet ſacramentum Euchareſtiæ in tanta quantitate conficere.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Valentia tom. 4. d. 6. q. 2. p. 2. in principio. Reginaldus lib. 29. nu. 17. Henriquez lib. 8. cap. 14. nu. 4. Toletus lib. 2. ca. 25. n. 5. Vaſquez diſp. 71. cap. 2. & 3. Suarez d. 43. ſect. 7. Coninchus 3. p. q. 74. artic. 2. dub. 2. Pitigianus d. 11. q. 6. a. 5. Angles. q. 1. a. 3. difficult. 5. & alij.

Quæritur, an poſſit conſecrari Panis abſq; vino.

12 Reſpondeo dicendum, quòd quamuis conſecratio panis non dependeat à conſecratione vini, quod quidam poſuerunt; tamen potius deberet deſiſtere, qui non haberet vtrumque, quàm conficere præter morem Eccleſiæ in vna tantum ſpecie; quamuis etiam ſi in vna tantum conſecraret, conſecratum eſſet, peccaret autem grauiter, niſi poſt conſecrationem Corporis ante conſecrationem ſanguinis occideretur, vel aliàs præter culpam ſuam impediretur. 4. ſent. d. 11. q. 2. a. 1. quæſtiunc. 1. ad. 4.

Vnica concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. quamuis conſecratio panis nõ dependeat à conſecratione vini, tamen potius deberet deſiſtere, qui non haberet vtrumque, quàm conficere in vna tantum ſpetie. probatur, quia faceret præter morem Eccleſiæ. hinc elicit corrolarium, quòd ſi in vna tantum conſecraret, conſecratum eſſet, peccaret tamen grauiter, niſi poſt conſecrationem Corporis ante conſecrationem ſanguinis occideretur, vel aliàs præter culpam ſuam impediretur.

Pro explicatione huius litteræ nota, quòd datur duplex neceſſitas, nempe neceſſitas ſacramenti, & præcepti. neceſſitas ſacramenti ea eſt, qua aliquid ita eſt neceſſarium, vt ſine eo non conficiatur ſacramentum. neceſſitas autem præcepti eſt, qua præcipitur aliquid fieri, quod ſi omittatur, ſacramentum tenet, ſed illicitè conficitur. hoc ſtante dico, non eſſe neceſſarium neceſſitate Sacramenti conſecrare ſub vtraque ſpetie, ſed tantùm neceſſitate præcepti, quod non ſit neceſſarium neceſſitate ſacramenti, ſuadetur ex hoc, quòd in littera dicitur, nempe quòd cõſecratio panis non dependet à conſecratione vini, ergo ſi vnum conſecretur ſine alio, tenebit ſacramentum. quòd etiam his comprobo rationibus, quarum prima eſt, ſacramentum Euchareſtiæ verè conficitur, quando adeſt debita materia, legitima forma, & intentio conſecrandi illã materiam, ſi ergo Sacerdos, dum profert verba conſecrationis ſuper vnam ſpetiem, puta panis, intendit eam conſecrare, verum efficietur ſacramentum, in cuius ſignum ſtatim quòd Hoſtia cõſecrata eſt, proponitur populo adoranda. ſecunda eſt, forma ſacramenti nedum ſignificat ibi eſſe corpus Chriſti, ſed etiam ſignificando efficit, ſed forma corporis ſignificat ibi eſſe corpus Chriſti, etiam ſi nondum Calicis forma prolata ſit, ergo

efficit

efficit ibi esse corpus Christi, etiam si nundũ prolata sit Calicis forma. quòd autem sit necessarium necessitate præcepti conficere sub vtraque spetie, hac suadetur ratione, peccatum non committitur nisi ob violationem præcepti, sed graue est peccatum vnam speciem consecrare sine alia, vt in littera dicitur, ergo consecrare sub vtraq; spetie est necessarium necessitate præcepti. qui ergo consecraret vnam spetiem sine alia, verum efficit sacramentum, sed peccat, quia & contra morem Ecclesiæ; & contra præceptum facit, & sacramentum relinquit imperfectum, & consequenter peccat mortaliter; hoc tamen verum est, si ex professo, & data opera quis consecret sub vna spetie, & nõ sub alia, quia si casu aliquo vnam contingeret consecrare spetiem cum intentione consecrandi aliam, sed ex aliquo accidenti superueniente, puta mortis violentæ, vel naturalis, vel alterius impedimenti, complere non potest, quod intendit, nullum tunc adest peccatum, & in his casibus perficiendum esset sacramentum ab alio sacerdote, ne sacrificium remaneat imperfectum. nunc videndum est, an istud præceptum sit Diuinum, an Ecclesiasticum. aliqui recentiores putant esse merum præceptum Ecclesiasticum, cum in sacra scriptura non reperiatur præceptum Diuinum. alij vt Paludanus 4. sent. dist. 9. quæst. 1. artic. 1. Caietanus 3. p. q. 80. artic. 12. Nugnus 3. p. q. 74 artic. 1. astruunt esse præceptum Diuinum. ego puto nedum esse Ecclesiasticum præceptum, sed etiam Diuinum, nam Lucæ 12. habemus, hoc facite in meam commemorationem, per illud enim verbum, Hoc, demonstrat Christus, quod ipse fecit, scilicet consecrare sub vtraque spetie, & per illud verbum, facite, datur præceptum Sacerdotibus idem faciendi, vt habemus expressè ex Concilio Tridẽtino sess. 22. cap. 1. ratio etiam id suadet, de iure Diuino est, vt quoties fit consecratio, simul etiã fiat sacrificium, vt patet ex supradictis verbis Lucæ 12. hoc facite in meam commemorationem, sed sacrificium non est perfectum absque consecratione, & oblatione vtriusque speciei, ergo de iure Diuino est consecratio sub vtraque spetie. probatur minor, nam hoc sacrificium repræsentat sacrificium, & mortem Christi, in qua effusus, & separatus fuit sanguis à Corpore, ergo nõ potest perfectè repræsentari sacrificium Christi, nisi sub vtraque spetie fiat consecratio, & sacrificiũ. nec huic veritati obstat argumentum recentiorum, quo sic obijciunt. præceptum istud non colligitur ex verbis Christi, nec ex illius factis, ergo non datur præceptum Diuinum consecrandi sub vtraque spetie. minor probatur, quia si colligeretur ex verbis Christi, profectò haberetur ex illis Lucæ. 12. hoc facite in meam commemorationem, sed ex his verbis non colligitur præceptum, ergo &c. probatur minor, quia illa verba non ostendunt necessitatem in omnibus, quæ fecit Christus, alioquin Sacerdotes tenerentur ex præcepto Diuino ea omnia præstare, quæ fecit Christus, quod non est dicendum; nec colligitur ex facto Christi, qui sub vtraque spetie consecrauit, alioquin si ex actione Christi volumus arguere præceptum Diuinum, etiam argueremus præceptum Diuinum communicandi sub vtraq; spetie, & consecrandi in azimis, cum Christus sub vtraque spetie communicauerit Apostolos, & in azimis consecrauerit. vlterius Christus communicauit duos discipulos euntes in Emaus sub vna tantum spetie, & sub vna tantum spetie consecrauit, vt probabiliter inquiunt Theophilactus in Lucam, Chrisostomus. respondetur, Præceptum Diuinum haberi ex verbis Christi Lucæ 12. hoc facite in meam commemorationem, vt expressè habemus ex Concilio Tridentino sess. 22. ca. 1. & nos iam declarauimus. nec obstat, quod obijcitur in contrarium, quia ly Hoc, demonstrat tantùm consecrationem sub vtraque spetie, & non alia, vnde de hoc, & non de alijs datum fuit præceptum. aduertendum tamen, hoc præceptum esse affirmatiuum, non autem negatiuum, quia si esset præceptum negatiuum, obligaret sẽper, & ad semper, præceptum autem consecrationis sub vtraque spetie non obligat in omnibus casibus, sed dantur aliqui casus, in quibus non obligatur sacerdos consecrare sub vtraque spetie, vt in casu, quo sacerdos consecrata Hostia comperiat vinum non esse in Calice, nec possit aliud inuenire, saltem sine magno scandalo, aut sine vitæ periculo, aut si Sacerdoti post cõsecrationem Hostiæ immineat periculum vitæ prosequendo consecrationem Calicis, quia præceptũ consecrandi sub vtraque spetie non obligat cum tanto detrimento, & si adsit scandalum. non admitto tamen casum positum ab aliquibus recentioribus, vt si sacerdos consecrata Hostia comperiat vinum esse veneno infectum, nec habeat copiam alterius vini, hoc enim est merè per accidens, Missam enim Sacerdos inchoauit cum intentione consecrandi sub vtraque spetie, merè autẽ per accidens est, quòd non reperiatur aliud vinum, si enim reperiretur, teneretur iterum sumere aliud vinum, & illud cõsecrare ratione Diuini præcepti, quod non obligat, quando adest impotentia. an autem in casu mortis, in qua tenetur Christi fidelis sacra se reficere communione, possit sacerdos tantùm consecrare sub spetie panis, saltem quando non adest tempus consecrandi vinum, vt possit infirmum communicare. respondeo non posse in hoc casu Sacerdotem cõsecrare tantùm sub spetie panis, vt communicet infirmum, quia non est transgrediendum vnum præceptum Diuinum, vt obseruetur reliquum. & vlterius præceptum communicandi infirmum supponit supponenda, quòd scilicet existat Hostia consecrata in Missa simul cum spetie vini, aliter non tenebitur ad Communionem sacramentalem, & tunc sufficit communio spiritualis, præceptum enim Diuinum communicandi se in articulo mortis sacramentaliter obligat saluo alio præcepto consecrandi sub vtraque spetie, quod spectat ad reuerentiam tanto sacramento debitam. deinde Papa non potest in hoc dispensare, vt iam iã dicemus, ergo multò minus poterit hoc præstare simplex sacerdos. si autem quis quærat, an

an ſacerdos poſſit conſecrare tantùm ſub ſpecie panis, vt communicet infirmum, ſi adhoc cogatur metu mortis. reſpondeo, ſacerdotem in hoc caſu non poſſe ſub ſpecie tantùm panis conſecrare, quia faceret contra præceptum Diuinum, & intenderet facere ſacrificium imperfectum, quod intrinſecè eſt malum, & in hoc caſu potius deberet ſubire mortem. ſi autem nobis objiciatur, quod paulò ſuperius diximus, vbi dicebamus, præceptum Diuinum conſecrandi ſub vtraq; ſpetie non obligare cum periculo vitæ noſtræ, & cũ tánto detrimento. facilis erit reſponſio, quòd aliud eſt inchoare ſacrificium cum intentione illud non perficiendi, & aliud eſt non perficere ſacrificium bona fide inchoatum, & cum intentione illud perficiendi. primum non eſt licitum, quia ibi intenditur mutilatio ſacrificij, quod de ſe, & intrinſecè eſt malum, & in hoc ſenſu eſt caſus noſter. ſecundum autem aliquando eſt licitum, vt diximus ſupra, quia ibi nõ intenditur violatio integritatis, & perfectionis ſacrificij, ſed per accidens remanet imperfectum.

Ex his vſque modo dictis liquet non poſſe Papam diſpenſare, vt ſacerdos conſecret ſub vna tantùm ſpetie, quia Papa non poteſt diſpenſare in his, quæ pertinent ad ſubſtantiam ſacramentorum, vtraque autem ſpecies pertinet ad ſubſtantiam ſacramenti, quia ſacramentum non eſt perfectum ſine vtraque ſpetie. deindè ſupra diximus Papam non poſſe diſpenſare, vt in regionibus, in quibus non naſcitur vinum, vel triticum; conſecratio fiat ſub vna tantùm ſpetie, ergo multò minus hoc poterit præſtare in alijs regionibus, vbi abundat vtraque ſpecies. ſic Dominicus Sotus. 4. ſent. diſt. 9 quæſt. vnica. artic. 1. ad 3. ſic elicimus ex Siluestro verb. Euchareſtia. 1. qu. 5. Nugnus idem aſtruit 3. p. q 74. artic. 1. Bartolomeus ab Angelo dialog. 4. § 51. licet oppoſitum ſentiant alij apud Henriquez lib. 8. cap. 13. nu. 1. his moti rationibus, quarum prima eſt, quia Euſebius refert Innocentium diſpenſaſſe cum Nouatianis. ſecundò Papa conſueuit diſpenſare in aliquibus, quæ ſunt de iure Diuino, vt in votis. tertiò quia etiam de Iure Diuino eſt, vt conſecrãs ſumat vtramque ſpetiem, & tamen in ordinatione ſacerdotum vnus tãtum communicat ſub vtraque ſpetie, licet omnes concurrant ad conſecrationem. quartò quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. habet, in Eccleſia reſidere poteſtatem ſtatuendi, & variandi ea, quæ ſpectant ad ſacramenta ſalua ſacramentorum ſubſtantia, ſed ſi concedatur facultas conſecrandi ſub vna tãtùm ſpetie, adhuc ſalua remanet ſubſtantia huius ſacramenti, ergo Eccleſia poteſt diſpenſare, vt ſub vna tantum ſpetie fiat conſecratio. ad primum reſpondetur, falſum eſſe, quòd diſpenſatum fuerit cum Nouatianis, vt oſtendit Suarez diſp. 43. ſect. 3. ad ſecundum dicitur ex D. Thoma 2. 2. q. 88. artic. 11. ad 2. quòd ſicut ex iure naturali, & præcepto Diuino tenetur homo implere votum, ita etiam tenetur ex eiſdem obedire ſuperiorum legi, vel mandato, & tamen cum diſpenſatur in aliqua lege humana, non fit, vt legi humanæ non obediatur, quod eſt contra legem naturæ, & mãdatum Diuinum, ſed fit, vt hoc, quod erat lex, non ſit lex in hoc caſu, ita etiam auctoritate ſuperioris diſpenſantis fit, vt hoc, quod continebatur ſub voto, non contineatur, inquantùm determinatur non eſſe congruam materiam voti, & ideò cum Prælatus Eccleſię diſpenſat in voto, nõ diſpenſat in præcepto iuris naturalis, vel Diuini, ſed determinat id, quod cadebat ſub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circonſpicere. ad tertium reſpondet Nugnus 3. p. quæſt. 74. art. 1. quòd ſolũm eſt præceptum Diuinum, vt ille, qui tanquam principale inſtrumentum conſecrat, recipiat ſacramentum ſub vtraque ſpetie. ad quartum dicitur, quòd nomine ſubſtantiæ intelligitur etiam id, quod eſt de integritate, ſicut brachium dicitur pertinere ad ſubſtantiam hominis, cum ergo vtraque ſpecies ſit de integritate ſacramenti, ſuper hoc non poterit Papa diſpenſare ex Concilio Tridentino.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Azorius, 1. p. lib. 10. cap. 19. quæſit. 5. Coninchus 3. p. q. 78. ar 6. Reginaldus lib. 19. num. 12. 13. Henriquez lib. 8. cap. 13. Suarez diſp. 43. ſect. 1. 2. & alij.

Quæritur, an vinum vitis ſit propria materia huius Sacramenti.

13 Reſpondeo dicendum, quòd de ſolo vino vitis poteſt confici hoc Sacramentũ. primò quidem propter inſtitutionẽ Chriſti, qui in vino vitis hoc Sacramentum inſtituit, vt patet ex eo, quod ipſe dicit Matthæi 26. circa inſtitutionem huius Sacramenti non bibam modo de hoc genimine vitis. ſecundò quia ſicut dictum eſt ad materiam Sacramentorum aſſumitur id, quòd propriè, & communiter habet talem ſpeciem, propriè autem vinum dicitur, quod de vite ſumitur, alij verò liquores vinum dicuntur ſecundum quandam ſimilitudinem ad vinum vitis. tertiò quia vinum vitis magis competit ad effectum huius Sacramenti, qui eſt ſpiritualis lætitia, quia ſcriptum eſt, quòd vinum lætificat cor hominis. 3. p. q. 74. a. 5. in corp. 4. ſent. d. 11. q. 2. a. 3. quæſtiunc. 3. in corp.

Reſpondet D. Thomas huic quæſito vnica cõcluſione, quæ eſt. De ſolo vino victis poteſt confici ſacramentum Euchareſtiæ. probatur tripliciter, primò propter inſtitutionem Chriſti, qui in vino vitis hoc ſacramentum inſtituit, vt patet ex eo, quod ipſe dicit Mathei 26. non bibam de hoc genimine vitis. ſecundò quia ad materiam ſacramentorum aſſumitur id, quod propriè, & communiter habet talem ſpetiem, propriè autẽ vinum dicitur, quod de vite ſumitur, alij verò liquores vinum dicuntur ſecundum quamdam ſimi-

similitudinem ad vinum vitis. tertiò quia vinum vitis magis competit ad effectum huius sacramenti, qui est spiritualis lætitia, quia scriptum est, quod vinum lætificat cor hominis.

Conclusionem D. Thomæ, & primam eius rationem vellem, perpendisset Paulus Aresius, qui putat, aquam posse immediatè conuerti in sanguinem Christi, ex quo sequitur, aquam posse esse materiam Eucharestiæ, & tamen D. Thomas hoc in loco asserit, quòd de solo uino uitis potest confici hoc sacramentum, quia sic etiam instituit Christus, qui, vt habemus Mathæi 26. dixit, non bibam de hoc genimine vitis, genimē autem vitis est vinum, vndè D. Chrisostomus hom. 83. ait, de genimine vitis, quæ certè vinum, non aquā producit. idem decretatur de consecrat. dist. 2. can. in sacramentorum. & can. non oportet. & can. in sacramento. qui est Concilij Cartaginensis tertij. item in Concilio Florētino eadem sancitur conclusio. ex qua elicimus primò; Vuam non esse materiam Eucharestiæ, quia vt expressè docet D. Thomas hoc in loco ad 3. vua non cōtinet vinum sub forma potabili, sed manducabili, vt etiam asserit Caietanus hoc in loco, Dominicus Sotus. 4. sent. d. 9. quæst. 1. art. 5. Siluester verb. Eucharestia. 1. qu. 4. Tabiena eodem verb. q. 18. Armilla eodem verb. num. 8. quibus accedit ratio altera, quam adduximus in arcanis nostris lib. 3. quæst. 51. ex quo elicimus, quòd qui votum fecisset ieiunandi in pane, & vino, nō posset sumere vuam, quia vua est comestibilis, non potabilis. huic tamen veritati obstare videtur, quod legitur de consecrat. d. 2. vbi memoratur ritus quarumdam Ecclesiarum, vbi sacerdotes vuas simul offerebant in Altari, & cum sacramēto Corporis simul dispensabant populo, quia vuæ illæ, quas populus accipere, si vellet, permittebatur, non censentur consecratæ, sed benedictæ ad referendum gratias Deo de fructibus terræ. elicimus secundò vinum album, & nigrum esse materiam Eucharestiæ, quia vtrumque est verum vinum vitis. elicimus tertiò Eucharestiæ materiam non esse aquam è vite effluentem, quia non est vinum. elicimus quartò, agrestam non esse materiam aptam ad consecrationem sanguinis, quia agresta adhuc non est vinum. quartò elicimus, acetum non esse materiam consecrationis, quia acetum nō est vinum. verum hæc in sequentibus iam iā explicabuntur. sequitur sextò, quòd vinum congelatum possit esse materia consecrationis sanguinis, qa illud verè est vinū. rursus si species vini iam consecratæ congelentur, remanet sub illis sanguis Christi, ergo etiam in vino congelato poterit fieri consecratio. deindè vinum congelatum non differt specie à non congelato, sed tantùm accidentali qualitate, ergo sicut potest consecrari vinum non congelatum, ita & congelatum. sic docet Siluester verb. Eucharestia. 2. q. 10. vers. quintum, Nugnus 3. p. quæst. 74. artic. 5. quos sequuntur plurimi recentiores. subiungit tamen Siluester ibidem, quòd si congeletur vinum, debet prius resolui, vt habeat rationem actualem potus, si tamen non resoluit, adhuc conficit sacramentum. dicet tamen aliquis, tunc non est potabile, ergo &c. respondeo vtique tunc esse potabile, & potari posse lambendo, vel suggendo, vel prius ipsum liquefaciendo. si quis verum arguat, aqua congelata non potest esse materia Baptismi, ergo nec vinum congelatum materia Eucharestiæ. respondebitur negando cōsequentiam, quia Baptismus consistit in ablutione, quæ non potest fieri per aquam congelatam, Eucharestia autem consistit in re permanente, consequenter non requirit materiam, quæ actu bibatur, sed quæ bibi possit, vt est vinum congelatum, sicut & panis durus potest cōsecrari, quia verè est panis, licet actu non possit præ duritie comedi. notandum tamen cum Dominico Soto 4. sent. d. 9. quæst. 1. artic. 5. quod si vsque adeò indurescerét, vt desineret esse vinum, & transeat in formam lapidis, quod ex hoc poterit dinosci, quòd si liquefiat, non habebit vini virtutem, tūc non posset consecrari. quando ergo dicitur, vinum congelatum posse consecrari, verum est, si congelatio fiat exiliter, vt maneat vinum. sequitur septimò, quòd vinum decoctum non possit esse materia huius sacramenti, quia non est propriè uinum, mutauit enim speciem. elicimus octauò, uinetam multùm adæquatam non posse consecrari, quia uinum non est; secus autem, quando esset parum de aqua, ut nō mutasset speciem uini, ut docet Armilla uerb. Eucharestia. num. 9. qui tamen subiungit, quòd non liceret, nisi cum aliud nō posset haberi. Dominicus Sotus. 4. sent. d. 9. quæst. 1. art. 5. ait, non posse de huiusmodi fieri consecratio sine periculo. quæret autem aliquis, an uinum miraculosè factum possit esse materia Eucharestiæ. ratio dubitationis est, quia illud uinum non dicetur esse uitis. respondebitur huiusmodi uinum posse esse materiam aptā consecrationis sanguinis, quia licet non sit formaliter ex uite, est tamen uinum eiusdem rationis, & speciei cum uino ex uite producto, sicut etiā Baptismus potest fieri in aqua miraculosè producta, quæ sit eiusdem speciei cum aqua naturali; & tale uinum licet sit productum ab Auctore uitis, ita tamē se habet, ac si esset ex uite naturali causatum, & productum, & uerum est uinum, & cōsequenter materia consecrationis esse potest.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt; quę docent Azorius 1. p. lib. 10. ca. 9. Miranda in manuali Prælatorum. q. 40. Angles de Eucharestia. q. 1. artic. 5. Vasquez 3. p. disp. 75. cap. 11. 12. 13. Pesantius 3. p. q. 74. artic. 8. disp. 1. Reginaldus lib. 29. num. 23. Coninchus 3. p. q. 74. artic. 5. nu. 121. Graffius. 2. p. lib. 1. cap. 6. num. 11. Toletus lib. 2. cap. 25. nu. 3. Suarez disp. 44. sect. 4. & disp. 45. sect. 1. & disp. 76. sect. 2 dub. 2. Valentia tom. 4. disp. 6. q. 2. p. 2. Henriquez lib. 8. c. 9. nu. 2. Camerota de Eucharestia c. 6. dub. 17. & alij.

Quæritur, an ex vino malorum granatorum, vel ex liquore mororum &c. possit confici Eucharestia.

14 Respondeo dicendum, quòd liquores malo-

malorum granatorum, vel mororum, aut huiuſmodi non dicuntur propriè vinũ, ſed ſecundum ſimilitudinem, & ideò ex illis non poteſt confici Euchareſtia. 3. p. q. 74. a. 5. ad 1.

Vnica concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. ex liquoribus malorum granatorum, uel mororum non poteſt confici Euchareſtia. probatur, quia huiuſmodi liquores non dicuntur propriè uinum, ſed ſecundum ſimilitudinem.

Sicut ex liquore malorum granatorum, & mororum non poteſt confici Euchareſtia, ita nec ex ceruiſia, quia ſicut duo prima non ſunt propriè uinum, ita nec tertium, cum non ſit uinum uitis, quod tantùm eſt materia conſecrationis ſanguinis iuxta illud, nõ bibam de hoc genimine uitis.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Coninchus 3 p. quæſt. 74. art. 5. num. 121. Toletus lib. 2. cap 25. num. 3. Henriquez lib. 8. cap. 9. num. 2. Valentia tom. 4. diſp. 6. qu. 2. p. 1. Suarez, Reginaldus locis citatis.

Quaritur, quid agendum in locis, in quibus non creſcant vites.

15 Reſpondeo dicendum, quòd poteſt verum vinum ad terras illas deferri, in quibus vites non creſcunt, quantùm ſufficit ad hoc Sacramentum. 3. p. q. 74. ar. 5. ad 1.

Quòd ad terras illas, in quibus uites non creſcunt, poſſit deferri uinum, quantùm ſufficit ad hoc ſacramẽtum, docet D. Thomas hoc in loco.

Teſtatur Dominicus Sotus. 4 ſent. d. 9. quæſt. unica. artic. 1. quòd penuria uinĩ in nouo occidẽtali Orbe moleſta fuit in initio, cuius cauſa ſæpè ſacramentum non conficiebatur, quamuis, ut fertur, nunquam omninò defuerit, quia, ut benè ait D. Thomas hoc in loco, & in artic. 1. huius quæſtionis ad 2. vinum, ſicut & panis per uecturam ubique haberi poteſt; ubi tamen uinum non poſſet inueniri, panis ſolus non eſt conſecrandus, quia ſacramentum non eſſet integrum, & perfectum, ut iam diximus; nec in hoc poteſt a Papa diſpenſari, ut ſupra etiam diximus. q. 6.

Quaritur, quid faciendum, quando vinum nocet alicui.

16 Reſpondeo dicendum, quòd vinum in modica quantitate ſumptum non poteſt multùm ægrotanti nocere, & tamen ſi nocumentum timeatur, non eſt neceſſe, quòd omnes accipientes Corpus Chriſti etiam accipiant ſanguinem. 3. p. q. 74. a. 1. ad 3.

Duplici concluſione reſpõdet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. Vinum in modica quantitate ſumptum non poteſt multùm ægrotanti nocere. ſecunda concluſio. non eſt neceſſe, quòd omnes accipientes corpus Chriſti etiam accipiant ſanguinem.

Iſtæ duæ concluſiones ſunt duæ reſponſiones ad tale argumentum, Euchareſtia competit ſanis, & infirmis, ſed vinum nocet quibuſdam infirmis, ergo &c. cui reſpondetur dupliciter, & primò, quòd modicus vini hauſt' nequit infirmo nocere. ſecundò quod non eſt laicis ſacramentum ſanguinis miniſtrandum. hic eſſet videndũ, an eſſet communicandum ſub vtraque ſpetie; ſed hæc iam explicauimus ſupra verb. communio. cap. 1. q. nona.

Quaritur, an ex aceto poſſit confici Euchareſtia.

17 Reſpondeo dicendum, quòd vinum fit acetum per corruptionem, vndè non fit reditus de aceto in vinum, vt dicitur 8. Metaph. & ideò ſicut de pane totaliter corrupto non poteſt confici hoc Sacramentũ, ita nec de aceto; poteſt tamen confici de vino aceſcenti, ſicut & de pane, qui eſt in via ad corruptionem, licet peccet conficiens. 3. p. q. 74. a. 5. ad 2.

Duplici concluſione reſpõdet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. ſicut de pane totaliter corrupto non poteſt confici Euchareſtia, ita nec de aceto. probatur, quia vinum fit acetum per corruptionem, vnde non fit reditus de aceto in vinum, vt dicitur 8. Metaph. ſecunda concluſio. Euchareſtia poteſt cõfici de vino aceſcenti, probatur à ſimili, quia etiam Euchareſtia poteſt cõfici de pane, qui eſt in via ad corruptionem. hinc elicit corrolarium, quòd talis conficiens peccat.

Ad explicationem duarum concluſionem obſerua, quòd acetum in hoc differt à vino aceroſo, quòd acetum eſt vinum perfectè, & totaliter corruptum, vnde mutat ſpetiem, cuius inditium ſumitur ex hoc, quòd ſicut à priuatione ad habitum non datur regreſſus, ita nec ab aceto in vinum, vt ait Ariſt. 8. Metaph. text. 14. vinum autẽ aceroſum eſt vinum, quod eſt in via ad corruptionem. ex aceto ergo non poteſt confici Euchareſtia, quia acetum non eſt vinum, quod verè eſt materia conſecrationis ſanguinis Chriſti, ſicut nec confici poteſt Euchareſtia ex pane totaliter corrupto, quia non eſt amplius panis, in cuius ſignum non conſeruantur ſpeties cõſecratæ vini, ſicut panis, quia dum ſic aceſcerẽt, vt ſpeties eſſent aceti, deſineret eſſe illic ſanguis Chriſti, vnde non eſt audienda gloſa canonis, ſicut in ſanctificando, de conſecrat. d. 2. quæ ait, acetum, dummodo factum ſit ex vino, eſſe materiam ſacramenti. ex vino autem aceroſo poteſt confici, quia adhuc retinet ſpetiem vini, ſicut ex pane tẽdente ad corruptionem poteſt confici Euchareſtia, quia adhuc retinet ſpetiem panis. peccaret tamen, inquit S. Thomas, talis conficiens in vino aceroſo, ſicut peccaret conficiens in pane tẽdẽte ad corruptionem. quodnam autem ſit peccatum, mortale, an veniale, non explicat. dicendum tamen eſt diſtinguendo, aut iſte conſecrat in vino aceroſo extra caſum neceſſitatis, aut in

caſu

casu necessitatis; si extra casum necessitatis, aut tenet pro certò ipsum esse merè vinum acetosum, aut dubitat, quin sit verè acetum. si extra casum necessitatis celebrat in acetoso dubitans, an sit merè acetum, peccat mortaliter, quia exponit se periculo consecrandi in materia indebita, & insufficiente. si consecrat acetosum purè, peccat grauiter, sed non mortaliter. quòd peccet, habetur ex D. Thoma in hoc textu. quòd autē peccet grauiter, suadetur, quia aliqualis iniuria fit tanto sacramento, dum adhibetur materia, quæ tendit ad corruptionem. quòd autem non peccet mortaliter, habetur ex hoc, quòd materia apta ad consecrationem adhibetur. de hac materia legatur D. Antoninus 3.p.tit.13.cap.6.§ 1. Siluester verb. Eucharestia 1. qu. 4. Tabiena eodem verb. 1.q.15. Dominicus Sotus. 4.sent. dist. 9.quæst.1.ar.5. Armilla verb. Eucharestia nu.7. Victoria, qui omnes conueniunt cum D. Thoma. legantur nostra Arcana lib. 3. q. 51.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Pitigianus dist.11.q.7.concl.6. Viualdus de Eucharestia cap. 3.num. 4. summa Corona de Eucharestia, num.20. Suarez disp. 43. sect. 1. Valentia tom. 4. disp. 6. qu. 2. p. 1. Reginaldus lib. 29. num.23. Coninchus 3.p.q.74.art.5. num.121. Toletus lib. 2 cap 25. nu.3.

Quaeritur, an ex agresta, & musto possit confici sanguis Christi.

18 Respondeo dicendum, quòd agresta est in via generationis, & ideò nundum habet speciem vini, & propter hoc de ea non potest confici hoc Sacramentum; mustum autem iam habet speciem vini, nam eius dulcedo attestatur digestioni, quæ est completio à naturali calore, vt dicitur in 4. meteo. & ideò de musto potest confici hoc Sacramentum, non tamen debent vuę integræ huic Sacramento misceri, quia iam esset ibi aliquid præter vinum; prohibetur etiam ne mustum statim expressum de vua in calice offeratur, quia hoc est impertinens propter impuritatem musti; potest tamen in necessitate fieri, dicitur enim à Iulio Papa, si necesse fuerit botrus in calicem præmatur. 3. p. quæst. 74. artic. 5. ad 3. (4. senten. dist. 11. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Quinque conclusionibus respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. de agresta non potest confici Eucharestia. probatur, quia agresta nundum habet speciem vini, cum sit in via generationis. secunda conclusio. de musto potest confici Eucharestia. probatur, quia mustum iam habet speciem vini, nam eius dulcedo attestatur digestioni, quæ est completio à naturali calore, vt dicitur in 4. Meteo. tertia conclusio. non debent vuę integræ huic sacramento misceri. probatur, quia iam esset ibi aliquid præter vinum. quarta conclusio. prohibetur, ne mustū statim expressum de vua in Calice offeratur. probatur, quia hoc est impertinens propter impuritatem musti. quinta conclusio. potest tamen in necessitate fieri. probatur, quia dicitur à Iulio Papa, si necesse fuerit, botrus in Calicem prematur.

Tria quæruntur hoc in loco, quorum primum est, an ex agresta possit fieri Eucharestia: secundò an ex musto. tertiò an ex vua. quantùm ad agrestam iam dubium resoluimus in nostris Arcanis lib. 3. qu. 51. quibus addimus, quòd idem iuditium faciendum est de agresta, & aceto, vnde sicut ex aceto non potest confici Eucharestia, quia iam soluta est per corruptionem species vini, ita nō poterit confici ex agresta, quia agresta nundum peruenit ad speciem vini, sed est in via ad illam, agresta enim est acerba ob suam cruditatem, vinum autem est dulce ob suam maturitatem, vndè illa dicetur esse in via; vinum autem in termino. hinc elicimus; quòd liquor vuæ in triplici potest cōsiderari statu, primò in sui principio, & sic clarissimum est non esse vinum, & consequenter non poterit consecrari. secundò in progressu, quando scilicet vuæ maturescunt, & sic res dubia est, an sit vinum, inquit Dominicus Sotus. 4. sent. dist. 9. quæst. 1. art. 5. vnde erit graue peccatum in re dubia consecrare. tertiò in termino, quando peruenit ad maturitatem, & sic esse vinum, & consequenter poterit consecrari. legatur circa hanc materiā Tabiena verb. Eucharestia. 1. q 16. Armilla eodem uerb nu. 7. Siluester eodem verb. 1. qu. 3. Dominicus Sotus loco citato.

Circa mustū iā aliqua tetigimus in nostris Arcanis lib 3. q 51. quibus addimus, quòd conclusio D. Thomæ habetur in c. cum omne, de consecrat. d. 2. Doctores eam astruunt, Siluester verb. Eucharestia. 1. quæst. 3. Dominicus Sotus. 4 senten. dist. 9. quæst. 1. artic. 5. Armilla verb. Eucharestia num. 8. Tabiena eodem verb. 1. quæst. 17. D. Antoninus. 3. p. tit. 13. cap. 6. § 2. eam ratio suadet, quia mustum est uinum, quod eius dulcedo demonstrat. obseruanda tamen est circa hoc quarta conclusio, quòd mustum statim expressum de vua non consecretur, quia tunc esset nimis impurum, & fæculentum, & qui secus faceret, peccaret profectò mortaliter contra reuerentiam tanto sacramento debitam, si tamē hoc fiat extra necessitatem, quia si fiat in necessitate, quando non esset aliud vinum, tunc absque peccato mustum ita impuerum posset consecrari, vt habet quinta conclusio ex dicto Iulij, vt habetur de consecrat. d. 2. cap. cum non omne crimen. si quis autem objiciat, quòd idem Iulius reprehēdit quosdam, qui expressum vinum in sacramento Dominici Calicis offerunt, vt habemus in decret. 7. respondebitur, quòd reprehendit eos, qui hoc præstabant extra necessitatis casum.

Circa vuam iam dictum est supra. q. 13. quibus addimus, quòd ideò vua non potest consecrari, quia præter uinum continet etiam aliquid aliud,

nempe grana, pellem, quæ ſunt comeſtibilia, & tamē materia ſanguinis debet eſſe aliquid, quod ſit totum potabile. legatur circa hoc Dominicus Sotus. 4. ſent. d. 9. q. 1. ar. 5. ad 3.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Angles de Euchareſtia. quæſt. 1. artic. 5. difficul. 1. Henriquez lib. 8. cap. 12. num. 1. Coninchus. 3. p. q. 74. artic. 5. num. 124. Vaſquez 3. p. d. 175. cap. 2. num. 13. Graffius 2. p. lib. 1. c. 6. nu. 14. Pitigianus d. 11. q. 7. dub. 1. & alij.

Quæritur, an vino conſecrando debeat immiſceri aqua.

19 Reſpondeo dicendũ, quòd vino, quod offertur in hoc Sacramento, debet aqua miſceri, primò quidem propter inſtitutionem, probabiliter enim creditur, quòd Dominus hoc Sacramentum inſtituerit in vino aqua permixto ſecundùm morem illius terræ, vndè, & prouerb. 9. dicitur bibite vinum, quod miſcui vobis. ſecundò quia hoc conuenit repræſentationi Dominicæ Paſſionis, vndè dicit Alexander Papa, non debet in calice Domini, aut vinũ ſolùm, aut aqua ſolum offerri, ſed vtrumque permixtum, quia vtrumque ex latere eius in paſſione ſua profluxiſſe legitur. tertiò quia hoc conuenit ad ſignificãdum effectum huius Sacramenti, qui eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum, quia vt Iulius Papa dicit, videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinẽ Chriſti, ergo cum in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur. quartò quia hoc competit ad vltimum effectum huius Sacramenti, qui eſt introitus ad vitã æternam, vndè Ambroſius dicit in lib. de Sacramentis, redundat aqua in calicem, & bibit in vitam æternam. 3. p. quæſt. 74. a. 6. in corp.

Vnica concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. uino, quod offertur in Euchareſtiæ ſacramento, debet aqua miſceri. probatur quadruplicìter, & primò quia probabiliter creditur, quòd Dominus hoc Sacramentum inſtituerit in uino aqua permixto ſecundum morem illius patriæ, unde & prouerb. 9 dicitur, bibite uinum, quod miſcui uobis. ſecundò quia hoc cõuenit repreſentationi Dominicæ Paſſionis, in qua utrumque ex latere Chriſti profluxiſse legitur, quod corroboratur ex dicto Alexandi Papæ, ut in littera. tertiò quia hoc conuenit ad ſignificãdum effectum huius ſacramenti, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum, & corroboratur ex dicto Iulij Papæ, ut in littera. quartò quia hoc conuenit ad ultimum effectum huius ſacramenti, qui eſt introitus ad uitam æternam, quod probatur auctoritate Ambroſij, ut in littera.

Concluſio D. Thomæ pluribus ſancita eſt canonibus, ut de conſecrat. diſt. 2. per 7. primos canones decernitur. & de celebrat. Miſſ. ca. cum Marthæ & cap. in quadam. item in Concilio Florentino item in Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 7. & can. 9. hunc etiam ritum immiſcendi aquã vino, nõ eſt dubium, quin Apoſtoli ab ipſo Chriſtõ acceperint, moreq; ſeruauerint, & lege ſucceſſoribus tradiderint, vt habemus ex Dominico Soto 4. ſent. diſt. 9. quæſt. 1. art. 6. Rationes tres concluſionis D. Thomæ recenſentur à Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 7.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Coninchus 3. p. q. 74. artic. 6. num. 129. Bellarminus lib. 4. de Euchareſtia cap. 10. Suarez diſp. 45. ſect. 2. Miranda in manuali Prælatorum. q. 40. artic. 6. Vaſquez 3. p. q. 19. cap. 1. Henriquez q. 4. de Miſſa cap. 38. Viualdus de Euchareſtia cap. 3. n. 9. & alij.

Quæritur, an appoſitio aquæ ſit de neceſſitate Sacramenti.

20 Reſpondeo dicendum, quòd appoſitio aquæ ad vinum refertur ad ſignificandam participationem huius Sacramenti à fidelibus quantùm adhòc, quòd per aquã mixtam vino ſignificatur populus adunatus Chriſto, vt dictum eſt, ſed hoc ipſum, quòd de latere Chriſti pendentis in Cruce aqua profluxit, ad idem refertur, quia per aquam ſignificatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per Paſſionem Chriſti, hoc autem Sacramentum perficitur in conſecratione materiæ, vſus autem fidelium non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed eſt aliquid conſequens ad Sacramentum, & ideò conſequens eſt, quòd appoſitio aquæ non ſit de neceſſitate Sacramenti. 3. p. quæſt. 74. artic. 7. in corp.

Reſpondet D. Thomas huic quæſito vnica cõcluſione, quæ eſt. appoſitio aquæ in vino ante conſecrationem non eſt de neceſſitate ſacramẽti Euchareſtiæ. probatur, appoſitio aquæ ad vinum refertur ad vſum fidelium, ſed vſus fideliũ non eſt de neceſſitate Sacramenti, ergo appoſitio aquæ ad vinum non eſt de neceſſitate Sacramenti. maior probatur, quia per aquam mixtã vino ſignificatur populus adunatus Chriſto, vt dictum eſt. probatur minor, quia vſus fidelium eſt quid conſequens ad Sacramentum Euchareſtiæ, quod perficitur in conſecratione materiæ.

Ad explicationem huius litteræ recole, quæ ſupra diximus, nempe quòd ſolus panis triticeus, & ſolùm vinum de vite eſt materia neceſſaria ſacramenti Euchareſtiæ, quod etiam docuit Concilium Florentinum. nomine autem vini non cõprehenditur aqua, conſequens ergo fit, vt appoſitio aquæ non ſit de eſſentia Euchareſtiæ, qui ergo conſecraret purum uinum ſine aqua, uerum con-

conficeret sacramentum. nec obstat, quod Christus sic consecrauerit, & consequenter sic consecrare instituerit, necessarium siquidem est eius sequi exemplum, & consequenter, quòd admixtio aquæ sit de essentia sacramenti, quia nō quid quid Christus inter consecrādum obseruauit, est de essentia sacramenti, de essentia est siquidem tantùm materia, forma, intentio, materia autē est uinum, non aqua; attamen peccaret mortaliter sine aqua consecrans, quia contra morem antiquissimum, & solemnissimum Ecclesiæ, eiusq; præceptū ageret, vndè appositio aquæ in uinum licet non sit de necessitate sacramenti, est tamen de necessitate præcepti Ecclesiastici, quod profectò obligat sub reatu mortali, nisi forsan ex obliuione omitteretur, undè postquam Concilium Florentinum asseruit, quòd solus panis triticeus, & uinum de uite ponitur tanquam materia necessaria Eucharestiæ, subiungit, quòd ante consecrationē aqua modicissima misceri debet, quibus in verbis notetur illud verbum vltimum, debet, quo præcepti necessitas designatur Ecclesiastici, non autē Diuini, vt putauerunt Henriquez lib. 8. cap. 12. num. 3. Valentia hac moti ratione, quia Christus consecrauit in vino aqua delibuto, ergo aqua miscenda est ex præcepto Diuino. hoc argumento iam nos vsi sumus supra ad probandum, quòd mixtio aquæ videatur de essentia sacramenti. cui respondimus, non omnia, quæ Christus obseruauit in consecrando, esse de essentia sacramenti. idem possum inferre nunc, ex hoc, quòd Christus consecrauit in vino aqua mixto, non sequitur, quòd sit de præcepto Diuino mixtio aquæ cum vino, alioquin inferendum esset etiam, omnia, quæ Christus gessit, nunc esse facienda ex præcepto Diuino, quod tamen est falsum, nec admittimus; mixtio ergo aquæ cum vino consecrando est tantùm de præcepto Ecclesiastico, quod ab Apostolis emanauit, vt testatur Alexander primus, qui hoc præceptum innouauit dicens, se tradere, quod à Patribus acceperat. & aduertendum, quòd qui scienter prætermittit aquæ mixtionem, in pænam delicti præcipitur priuari officio, & benefitio, si ex aperta malitia omittat. ca. litteras. de celebrat. Missarum. & c. 7. cum omne crimen. de consecrat. d. 2. suspenditur ipso facto ab officio, qua suspensione afficitur etiā, si in sacrificio aliud adhiberet præter panem, & vinum aqua permixtum, vt patet ex eodem cap. cum omne.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 2. cap. 25. num. 3. Graffius. 2. p. lib. 1. cap. 6. num. 17. Pitigianus dist. 11. qu. 7. dub. 2. Vasquez 3. p. d. 176. cap. 1. Pesantius 3. p. qu. 74. artic. 7. d. 2. Reginaldus lib. 29. num. 26. Azorius. 1. p. lib. 10. c. 30. quæsit. 1. Angles q. 1. ar. 6. difficult. 1. Viualdus de Eucharestia cap. 3. num. 8. Camerota de Eucharestia ca. 6. dub. 6. & 16. Coninchus. 3. p. qu. 74. artic. 7. num. 133. Suarez disputat. 43. sect. 2. Bellarminus, & alij.

Quæritur, quare aqua non offeratur nisi vino permixta.

21 Respondeo dicendum, quòd aqua non seorsum offertur à vino in Sacramento, sicut vinum offertur seorsum à pane, sed aqua offertur vino permixta, vt ostendatur, quòd vinum per se pertinet ad hoc Sacramentum tanquā de eius necessitate existens, aqua autem secundùm quòd adiungitur vino. 3. p. q. 74. ar. 7. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Aqua non seorsum offertur à vino in sacramento, sicut vinum offertur seorsum à pane, sed aqua vino permixta, vt ostendatur, qđ vinum per se pertinet ad hoc sacramentum, tanquàm de eius necessitate existēs, aqua autem secundùm quòd adiungitur vino.

Non immoror circa hoc quæsitum, cum nil occurrat scribendum.

Quæritur, quæ aqua possit apponi vino.

22 Respondeo dicendum, quòd quia admixtio aquæ ad vinum non est de necessitate Sacramenti, non refert quantùm ad Sacramenti necessitatem, quæcunque aqua misceatur vino, siue naturalis, siue artificialis, vt rosacea; quamuis quantùm ad cōuenientiam Sacramenti peccet, qui aliam aquam miscet, nisi naturalem, & veram; quia de latere Christi pendentis in Cruce aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus, vt quidam dixerunt ad ostendendum, quòd Corpus Christi erat verè compositum ex quattuor elementis, sicut per sanguinem fluentem ostendebatur, quòd erat compositum ex quattuor humoribus, vt Innocentius tertius dicit in quadam decretali, quia verò admixtio aquæ ad farinam est de necessitate huius Sacramenti, vt potè constituens substantiam panis, si farinæ admisceretur aqua rosacea, vel quicunque alius liquor, quàm vera aqua, non posset ex eo confici Sacramentum, quia non esset verus panis. 3. p. quæst. 74. art. 7. ad 3.

Triplici conclusione respōdet D. Thomas hoc in loco, quarum prima est. non refert quantùm ad Sacramenti necessitatem quæcunq; aqua misceatur vino, siue naturalis, siue artificialis, vt rosacea. probatur, quia mixtio aquæ ad vinum non est de necessitate Sacramenti. secunda conclusio. quantùm ad conuenientiam Sacramenti peccat, quia aliam aquam miscet, nisi naturalem, & ueram. probatur, quia de latere Christi pendentis in Cruce aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus, vt quidam dixerunt, ad ostenden-

dendum, quòd Corpus Christi erat verè compositum ex quattuor elementis, sicut per sanguinem fluentem ostendebatur, quòd erat compositum ex quattuor humoribus, vt Innocentius tertius dicit in quadam decretali. tertia conclusio, si farinæ admisceatur aqua rosacea, vel quicunque alius liquor, quàm vera aqua, non posset ex eo confici sacramentum. probatur, quia admixtio aquæ ad farinam est de necessitate Sacramenti Eucharestiæ, vt potè constituens substantiam panis, si autem admisceatur alius liquor, quã aqua naturalis, non esset verus panis.

Ex prima conclusione habemus, quòd si vino misceatur aqua alia à naturali, perficitur nihilominus sacramentum, quia admixtio aquæ vino non est de necessitate Sacramenti, vt iam diximus. peccaret tamen ille, qui aliam aquam à naturali admisceret vino, quia faceret contra vetustissimam consuetudinem Ecclesiæ, quæ incæpit a Christo, qui aqua vsus est naturali; faceret etiam cõtra præceptum Ecclesiasticum in re graui, quo iubemur aquam miscere vino, nomine autem aquæ intelligitur vera aqua, quæ sola naturalis est; peruerteret etiam significationem huius ritus mixtionis aquæ cum vino, significat enim aquam, quæ de latere Christi pendentis effluxit, quæ vera fuit, & naturalis, vt etiam docet Dominicus Sotus 4. sent. d. 9. quæst. 1. artic. 6. ad 3. vndè puto, immiscentem aquam artificialem vino peccare mortaliter. tertia conclusio est responsio ad tacitam obiectionem, quam quis posset facere. si aqua artificialis admisceatur farinæ, ex qua fit panis, ex illo pane non conficitur sacramentum, ergo etiam si admisceatur aqua artificialis vino non conficietur sacramentũ. huic argumento debet negari consequentia, quia panis est materia consecrationis Corporis, si autem panis cõmassetur ex aqua artificiali, ex illa mixtione non consurgit panis verus, & consequenter ex illo non potest confici sacramentum, nec talis panis est consecrabilis, si autem admisceatur aqua artificialis vino, ex illa admixtione non consurgit tertia substantia, quæ non sit materia apta ad consecrationem sanguinis, ideò vinum mixtum aqua alia à naturali poterit consecrari, & sacramentum tenebit. Caietanus tamen hoc in loco in dubium reuocat, an ex aqua artificiali possit confici verus panis, & parti affirmatiuæ videtur adhærere, quia, inquit, aqua non est materia permanens in pane, sed calore ignis exhalatur, & ideò panis ex quacunque aqua fiat, potest esse speciei eiusdem, sed Dominicus Sotus 4. sentent. d. 9. quæst. 1. a. 6. ad 3. vocat hanc opinionem non tutã, neque vllo modo esse concedẽdum talem licentiam, puta conficiendi panem ex alia aqua, quàm naturali.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Coninchus 3. p. qu. 74. artic. 7. num. 148. Viualdus de Eucharestia cap. 3. n. 12. & alij.

Quæritur, in qua quantitate debeat esse aqua, quæ miscetur vino?

23 Respondeo dicendum, quòd circa aquam adiunctam vino, sicut Innocentius tertius dicit in quadam decretali, triplex est opinio, quidã enim dicunt, quòd aqua adiuncta vino per se manet vino conuerso in sanguinem, sed hæc opinio stare non potest, quia in Sacramento Altaris post consecrationem nihil est, nisi corpus, & sanguis Christi, sicut enim Ambrosius dicit in lib. de officijs, ante benedictionem illa species nominatur, post benedictionẽ Corpus significatur, alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ, & ideò alij dixerunt, quòd sicut vinum conuertitur in sanguinem, ita aqua cõuertitur in aquã, quæ de latere Christi fluxit. sed nec hoc rationabiliter dici potest, quia secũdùm hoc aqua seorsum consecraretur à vino, sicut vinum à pane, & ideò sicut ipse dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam cõuerti in vinum, & vinum in sanguinem; hoc autem fieri non posset, nisi adeò modicũ apponeretur de aqua, quòd conuerteretur in vinum, & ideò semper tutius est parum de aqua apponere, & præcipuè si vinum sit debile, quia si tanta fieret appositio aquæ, vt solueretur species vini, non posset perfici Sacramentum, vndè Iulius Papa reprehendit quosdam, qui pannum lineũ musto intinctum per totũ annum seruant, & in tẽpore sacrificij aqua partem eius lauant, & sic offerunt. 3. p. qu. 74. art. 8. in corp.

Adductis tribus opinionibus, & duabus primis confutatis respondet quæsito vnica conclusione sequens tertiam opinionem. prima ergo opinio erat dicentium, quòd aqua adiuncta vino per se manet vino conuerso in sanguinem. confutatur, quia in Sacramento Altaris post consecrationem nihil est, nisi corpus, & sanguis Christi, quod probatur auctoritate D. Ambrosij, vt in littera, & ratione, alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ. secunda opinio erat dicentium, quòd sicut vinum conuertitur in sanguinem, ita aqua conuertitur in aquam, quæ de latere Christi fluxit. confutatur, quia secundùm hoc aqua seorsum consecraretur à vino, sicut vinum à pane. tertia opinio erat dicentium, aquã conuerti in vinum, & vinum in sanguinem. iuxta hanc opinionem respondet quęsito hac vnica cõclusione, quæ est. semper tutius est parũ de aqua apponere, & præcipuè si vinum sit debile. probatur dupliciter, & primò quia si tanta fieret appositio aquæ, vt solueretur species vini, non posset perfici sacramentum, quod probatur ex reprehensione Iulij facta quibusdam, qui pannum lineum musto intinctum per totum annum seruant, & in tempore sacrificij aqua partem eius lauant, & sic offerunt. secundò probatur, quia

tertia

tertia opinio, quæ est probabilior asserit, aquam conuerti in vinum, & vinum in sanguinem, sed hoc fieri non posset, nisi adeò modicum apponeretur de aqua, quod conuertere ur in vinum.

Tres opiniones hoc in loco recensitæ ex Innocentio leguntur c.cum Marthæ. de celebrat. Missarum. reprehensio etiam Iulij, quæ legitur in calce quæsi.1, habetur can. cum omne. de consecrat. d. 2. Conclusionem D. Thomæ, & eius rationem primam debuerunt considerare Paulus Aresius, Cæsar Baronius tom. 12. Annalium sub finem anni 1182. Coninchus 3.p. q.74.art.8 quia si modica aqua debet apponi vino, vt conuerti possit in vinum, ergo aqua non conuertitur immediatè in sanguinem, alioquin necesse non esset apponere aquam in tam exigua quantitate, si aqua immediatè cõuertitur in sanguinem Christi, sed posset apponi in quacunque quantitate, dummodo saluetur vinum moraliter sumptum, quod scilicet creditur vinum. aqua ergo primò, & immediatè conuertitur in vinum, & vinũ postea conuertitur immediatè in sanguinem Christi, & aqua dicetur conuerti in sanguinem Christi mediatè, idest mediante vino. si autem quis in fauorem Aresij arguat, non posse aquam cõuerti in vinum, vt experientia comprobari videtur, si enim diffundatur vinum super pannum lineum, videbimus aquam separatam à vino. sed respondebimus cum S. Thoma. 4 sentent. d. 11. illud non esse verè aquæ substantiam, sed aqueũ humorem, qui etiã ex vino puro extrahi potest, vt patet, si diffundatur vinum purum super pannũ lineum, adhuc apparebit ille aqueus humor separatus à vino, & circonstans uinum, quidquid dicat Coninchus 3.p qu.74.artic.8. num. 168. si autem quis quærat, an aqua, quæ ante consecrationem non fuit conuersa in uinum, conuertatur postea in sanguinem Christi post consecrationẽ. respondebitur, quòd talis aqua non conuertitur in sanguinẽ Christi, sed remanet in propria substantia, huiusmodi enim aqua non est materia sanguinis, & conuersio in sanguinem fit per uerba consecrationis, ex quo sequitur, quòd licet ista aqua remaneat coniuncta cum spetie sacramentali, non adoratur tamen latria, sicut nec adoratur latria festuca, quæ reperiri posset in sanguine, adorans enim solum intendit adorare sanguinem Christi. an autem aqua conuertatur in sanguinem Christi, si ipsa conuertatur in vinũ eo tẽpore, quo forma consecrationis iam inchoata fuit, sed nũdum absoluta. Suarez disp.57 sect. 2. quem sequitur quidam modernus tom. 1.disp. 4 qu. 2. p. 5. de materia Eucharestiæ respondet negatiuè. Nugnus 3.p.quæst.74.art.8. respondet affirmatiuè, cui adhærendum esse censeo, quia licet aqua eo tempore, quo inchoata fuit forma, non esset conuersa in vinum, attamen iam conuersa erat in vinum, quando forma habuit suam significationem, quam habet in vltimo instanti, in quo significat, & efficit conuersionem vini in sanguinem Christi. nec huic decisioni obstant argumenta recentiorum primò sic arguentium, illud conuertitur in sanguinem Christi, quod per particulam, Hic, demonstratur, sed aqua non fuit demonstrata per hanc particulã, Hic, ergo &c. probatur minor, quia aqua nundum erat conuersa in vinum, quando prolata fuit hæc particula, Hic. respondetur negando minorem quia aqua vtique fuit demonstrata per particulam, Hic. ad probationem dicitur, quod illud pronomen demonstratiuum, Hic, demonstrat totam materiã præsentem, immò & intentio consecrantis fertur in totam materiam præsentem, scilicet in vinum, & aquam, quam putat esse conuersam in vinum, quæ tamen tunc nõ erat conuersa in vinum, quia tamen in termino prolationis formæ, quãdo scilicet forma habet suam significationẽ, aqua erat conuersa in vinum, ideò tunc facta est sanguis Christi. secundò sic arguunt, sicut non potest cõuerti in Corpus, vel sanguinem Christi panis, aut vinum, quod tempore inchoatæ consecrationis non est præsens, ita neque potest conuerti in sanguinem uinum, quod nundum erat materia sanguinis inchoata forma consecrationis, cum non diceretur præsens, etiam si aqua ante finitam consecrationis formam conuersa sit in vinum. respondetur negando paritatem rationis inter panem, & vinum non præsentia tempore inchoatæ consecrationis, & aquam nundum conuersã in sanguinem in principio prolationis formæ, quia duo prima non sunt præsentia, quam tamẽ præsentiam requirunt illa pronomina, Hic, vel Hoc, aqua autem nundum cõuersa in uinum utique est præsens. & per pronomen, Hic, potest demonstrari. si iterum quis quærat, an aqua, quæ ante consecrationem non fuerat in uinum conuersa, conuertatur in uinum post consecrationẽ, dubitandi si quidẽ ratio adest, quia iam diximus, illam aquam non cõuerti in sanguinem, nec credibile est, quòd remaneat aqua semper, consequens ergo erit, ut conuertatur in uinum. respondetur, utique illam aquam conuerti in uinũ post consecrationem quia in spetie illa sacramẽtali remanet virtus ad generandum uinum, ac si adesset substantia uini, remanet s enim quantitas post consecrationem est Vicaria substantiæ, idest eo fungitur officio, quo fungeretur substãtia vini, si adesset, sed si adesset substantia uini, posset in se conuertere aquam, ergo etiam hoc poterit præstare eius Vicaria, idest quantitas.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt. quæ docent Azorius tom. 1.lib.10 cap. 28. quæsit. 1. Vasquez 3. p. d. 178.cap 2. Suarez disp.45.sect.3. Pitigianus dist.11.q 7.dub. 1. & alij.

Quæritur, an aqua, quæ vino miscetur, debeat sentiri.

24 Respondeo dicendum, quòd sufficit ad Sacramenti huius significationem, quòd sentiatur aqua, cum apponitur vino, non autẽ oportet, quòd sit sensibilis post mixtionem. 3. p. q. 74. ar. 8. ad 1.

Quod sufficiat ad Eucharestiæ Sacramenti significationem aquam sentiri, cum apponitur uino,

no, non autem poſt mixtionem, docet D. Thomas hoc in loco.

Hic nota, quòd aqua dicitur ſentiri, dum apponitur uino, uiſu, ſicut etiam uiſu fuit ſenſibilis aqua, quæ fluxit de latere Chriſti, undè dicitur Ioannis 19. qui uidit, teſtimonium perhibuit.

Quaritur, an ſufficiat apponere aquam in dolio.

25 Reſpondeo dicendum, quòd ſi aqua apponeretur dolio, non ſufficeret ad ſignificationem huius Sacramenti, ſed oportet aquam vino apponi circa ipſam celebrationem. 3. p. q. 74. ar. 8. ad 3.

Non ſufficere ad ſignificationem Sacramenti Euchareſtiæ aquam apponere dolio, ſed oportere aquam vino apponi circa ipſam celebrationē, docet D. Thomas hoc in loco.

Ratio, quare nō ſufficiat aquam apponere dolio, ſed oporteat eā apponere in Calice, eſt, quia non ſeruaretur ſignificatio populi per hoc Sacramentum adunandi Chriſto. circa tempus apponendi aquam vino in Calice ait S. Thomas, eſſe apponendam circa ipſam celebrationem, antequam ſcilicet incipiatur oblatio, attendens ad communem vſum Eccleſiæ. attamen benè faciūt Patres Prædicatores, qui calicem ſolent præparare, antequam Miſſam inchoent, vt notauit Dominicus Sotus, & Tabiena, vel dicamus, quòd nomine celebrationis S. Thomas intellexit Miſſam celebrandam, ante ergo celebrationem apponenda eſt aqua vino in Calice, ideſt ante Miſſæ celebrandæ inchoationem, & hunc puto ſenſū eſſe litteralem verborum D. Thomæ, qui vt Religionis Prædicatoriæ alumnus eodem vtebatur ritu, quo & cæteri.

Quæritur, an aliquis liquor poſſit vino conſecrato commiſceri.

26 Reſpondeo dicendū, quòd iſtius quæſtionis veritas manifeſta eſt, ſpecies enim in hoc Sacramento remanentes ſicut adipiſcuntur virtute conſecrationis modum eſſendi ſubſtantiæ, ita etiam conſequuntur modum agendi, & paciēdi, vt ſcilicet agere, & pati poſsint quidquid ageret, vel pateretur ſubſtantia, ſi ſibi præſens exiſteret, manifeſtum eſt autem, quòd ſi eſſet ibi ſubſtantia vini, liquor aliquis poſſet ei permiſceri; huius tamen permixtionis diuerſus eſſet effectus, & ſecundùm formam liquoris, & ſecundùm quantitatem, ſi enim permiſceretur aliquis liquor in tanta quantitate, quòd poſſet diffundi per totum vinū, totum fieret permixtum, quòd autem eſt admixtum ex duobus neutrum miſcibiliū eſt, ſed vtrumque tranſit in quoddam tertium ex his compoſitum, vndè ſequeretur, quòd vinum prius exiſtens non remaneret, ſed ſi liquor permixtus eſset alterius ſpeciei (puta ſi permiſceretur aqua) ſolueretur ſpecies vini, & eſset liquor alterius ſpeciei, ſi autem eſset eiuſdē ſpeciei liquor adiunctus, puta ſi vinum permiſceretur vino, remaneret quidem eadem ſpecies, ſed non remaneret idem numero vinum, quod declarat diuerſitas accidentium, puta ſi vnum vinum eſset album, & aliud rubeum; ſi verò liquor adiunctus eſset tàm paruæ quantitatis, quòd non poſset perfundi per totum, non fieret totum vinum permixtum, ſed aliqua pars eius, quæ quidem non remaneret eadem numero propter permixtionem extraneæ materiæ, remanet tamen eadem ſpecie, non ſolum ſi paruus liquor permixtus eſſet eiuſdem ſpeciei, ſed etiam ſi eſſet alterius ſpeciei, quia gutta aquæ multo vino permixta tranſit in ſpeciem vini, vt dicitur in primo de generatione, manifeſtum eſt autem, quod Corpus, & ſanguis Chriſti remanet in hoc Sacramēto, quamdiù illæ ſpecies manent eædem numero, conſecratur enim hic panis, & hoc vinum, vndè ſi fiat tanta permixtio liquoris cuiuſcunque, quòd pertingat ad totum vinum conſecratum, & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi ſanguis Chriſti, ſi verò fiat tàm parua alicuius liquoris adiunctio, quòd non poſſit diffundi per totum, ſed vſque ad aliquā partē ſpecierum, deſinit eſse ſanguis Chriſti ſub illa parte vini conſecrati, remanebit tamen ſub alia. 3. p. quæſt. 77. artic. 8. in corp.

Concluſione duplici reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. ſi fiat tanta permixtio liquoris cuiuſcunque, quòd pertingat ad totum vinum conſecratum, & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi ſanguis Chriſti. ſi verò fiat tam parua alicuius liquoris adiunctio, quòd non poſſit diffundi per totum, ſed vſque ad aliquam partem ſpecierum, deſinet eſſe Chriſti ſanguis ſub illa parte vini conſecrati, remanebit tamen ſub alia. probatur, ſpecies in hoc ſacramento remanentes ſicut adipiſcuntur virtute conſecrationis modum eſſendi ſubſtantiæ, ita etiam conſequunter modum agendi, & patiendi, vt ſcilicet agere, & pati poſſint quidquid ageret, vel pateretur ſubſtantia, ſi ibi præſens exiſteret, ſed manifeſtum eſt, quòd ſi ibi eſſet ſubſtantia vini, liquor aliquis poſſet ei permiſceri, huius tamen permixtionis diuerſus eſſet effectus, & ſecundùm formam liquoris, & ſecundùm quantitatem, itaut remaneret quandoque idem nume-

numero vinum, quandoque non, ergo &c. ergo etiam si fiat tanta permixtio liquoris cuiuscunq; quòd pertingat ad totum vinum consecratum, & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi sanguis. si verò fiat tam parua alicuius liquoris adiunctio, quòd non possit diffundi per totum, sed vsque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia. probatur minor, quia si permisceretur aliquis liquor in tanta quantitate, quòd possit diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum, sed quòd est commixtum ex duobus, neutrum miscibiliū est, sed vtrumque transit in quoddam tertium ex his compositum, ergo vinum prius existens nō remanebit. similiter si liquor permixtus esset alterius speciei, puta si permisceretur aqua, solueretur species vini, & esset liquor alterius speciei; similiter si esset eiusdem speciei liquor adiūctus, puta si vinum permisceretur vino, remaneret quidem eadem species, sed non remaneret idem numero vinum, vt declarat diuersitas accidentiū: similiter si liquor adiunctus esset tam paruę quātitatis, quòd non posset perfundi per totum, nō fieret totum vinum permixtum, sed aliqua pars eius, quæ quidem non remaneret eadem numero propter permixtionem extraneæ materiæ, remaneret tamen eadem specie, nō solum si paruus liquor permixtus esset eiusdem speciei, sed etiam si esset alterius speciei, quia gutta aquæ multo vino permixta transit in speciem vini, vt dicitur in primo de generat. sed manifestum est, quòd corpus Christi remanet in hoc Sacramento, quādiu illæ species manent eædem numero, ergo si remanebit idem numero vinum consecratum, remanebit etiam sanguis Christi, si autem non remanet idem numero vinum consecratum, desinet esse ibi sanguis Christi. secunda conclusio. liquor aliquis potest vino consecrato misceri. hæc supponitur in conclusione prima, & patet ad sensum, nempe aliquem liquorem vino permisceri posse post consecrationem, sicut & ante.

Pro explicatione huius litterę aliqua sunt proponenda, & soluenda dubia, non minus curiosa, quàm vtilia, quorum primum est circa quod supponitur in conclusione prima, quòd ex aqua, & vino possit fieri permixtum, est argumentum tale, Physici aiunt, per artem posse à vino lymphato extrahi aquam, sed hoc fieri non posset, si vinum, & aqua fuissent in aliquod tertium conuersa. respondetur negando maiorem, tanquam nō credibilem, licet possit credi, quòd possit extrahi, antequam mixtio perfecta facta sit. secundū dubium est circa illam propositionem, sanguis Christi remanet, quamdiu species Sacramentalis manet eadem numero; misceatur vna species sacramentalis cum alia specie, puta misceatur vinum consecratum in vno Calice cum vino consecrato existente in alio Calice, tunc neutra species manet eadem numero, & consequenter desinet esse ibi sanguis Christi, quod tamen videtur esse falsum. respondetur ex Dominico Soto. 4. sent. d. 10. q. 2. artic. 8. quòd si species consecratæ sic commisceātur, vt detur perfecta commixtio per penetrationem vsque ad particulas minores minimis, non maneret illic sanguis, quia species sacramentales non manent eædem numero, subiungit tamen ibidem Sotus, quòd quia illa mixtio est latentissima, nunquam Ecclesia iudicaret per mixtionem specierum cōsecratarum sanguinem desinere illic esse, quousque perciperentur non esse species vini.

De forma consecrationis corporis, & sanguinis Christi. Cap. III.

1 *Euchareftia perficitur in consecratione materiæ.*
Consecratio materiæ consistit in quadam miraculosa conuersione substantiæ.
Forma Euchareftiæ importat solàm consecrationē materiæ, quæ in transubstantiatione consistit.
Forma Euchareftiæ profertur quasi in persona Christi loquentis.
§ *Quomodo intelligatur, quòd forma Euchareftiæ proferatur quasi ex persona Christi.*
Verba consecrationis proferuntur à Sacerdote non merè recitatiuè, sed etiam significatiuè, & formaliter, & quomodo.
Verba formæ consecrationis panis & verba formæ consecrationis vini significant transubstantiationem, & quomodo.
2 *Hoc est corpus meum, est conueniens forma consecrationis Corporis Christi.*
§ *Non conficitur sacramentū dicendo, illud est Corpus meum.*
Conficitur Sacramentum dicendo, istud est corpus meum.
Non conficitur sacramentum dicendo, hoc, quod est panis, vel hic panis est corpus meum.
Non conficitur sacramentum dicendo, hoc corpus meum, vel corpus meum.
Non conficitur sacramentum dicendo, hoc fit corpus meum.
Non conficitur sacramentum dicendo, hoc est corpus Christi.
Non conficitur sacramentum dicendo, hoc corpus Christi est corpus Christi.
3 *Proferens formam sine aliis verbis præcedentibus conficit Sacramentum, si intentionem consecrandi habeat.*
Grauiter tamen peccat Sacerdos sic consecrans.
§ *Defenditur D. Thomas contra Scotum dicentem, quòd verba præcedentia formam consecrationis sunt necessaria; & relinquentem sub dubio, an proferens sola verba consecrationis conficiat sacramentum &c.*
Manducatio spiritualis quomodo dicatur supplere pro manducatione in re.
4 *Illa particula, enim, non est de essentia formæ.*
Ista particula, enim, apponitur secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ deriuatā à D. Petro.
§ *Omittens illam particulam, enim, in forma consecrationis verum perficit Sacramentum.*
5 *Omittens illam particulam, enim, ex negligentia, vel*

vel contemptu peccat.

5 *Omittens illam particulam, enim, siue ex negligentia, siue ex contemptu peccat mortaliter.*

6 *Hic est calix, & cætera vsq; ad illa verba exclusiuè, Hæc quotiescunque feceritis, sunt de substantia forma consecrationis vini.*

Quid significent, vel designent verba consecrationis vini.

5 *Qui vtitur tantùm illis verbis, hic est calix sanguinis mei, peccat mortaliter.*

7 *Perficitur Eucharestia, licet non obseruētur ritus, relinquantur indumenta.*

Peccat tamen huiusmodi omittens, & taliter celebrans degradandus est.

5 *Qui consecraret omittens ritus, & indumenta, peccat mortaliter.*

Quid præcipiat Ecclesia circa ritus huius sacramenti.

Quæritur, an hæc sit conueniens forma Eucharestiæ, hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei &c.

1 RESpondeo dicendum, quòd hoc Sacramentum ab alijs Sacramētis differt in duobus, primò quidē quantùm adhoc, quòd hoc Sacramentum perficitur in consecratione materiæ, alia verò Sacramēta perficiuntur in vsu materiæ consecratæ; secundò quia in alijs Sacramentis consecratio materiæ cōsistit solùm in quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit instrumentaliter quandam spiritualem virtutem, quæ per ministrum, qui est instrumentum animatum, potest ad instrumenta inanimata procedere, sed in hoc Sacramento consecratio materiæ consistit in quadam miraculosa conuersione substantiæ, quæ à solo Deo perfici potest, vndè minister in hoc Sacramento perficiendo non habet alium actū, nisi prolationem verborū, & quia forma debet esse conueniens rei, ideò forma huius Sacramēti differt à formis aliorū Sacramētorum in duobus, primò quidē, quia formę aliorum Sacramentorum importāt vsū materiæ, puta baptizationem, vel consignationem, sed forma huius Sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transubstantiatione consistit, puta cum dicitur, Hoc est corpus meum, vel hic est calix sanguinis mei; secundò quia formæ aliorum Sacramentorum proferuntur ex persona ministri, siue per modum exercentis actum, sicut cum dicitur, Ego te baptizo, vel ego te confirmo; siue per modū imperantis, sicut in Sacramento ordinis dicitur, accipe potestatem &c. siue per modum deprecantis, sicut cum in Sacramento extremæ vnctionis dicitur, per istā vnctionem, & nostram intercessionem, sed forma huius Sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, vt detur intelligi, quòd minister in perfectione huius Sacramenti nihil agit, nisi quòd profert verba Christi. 3.p.q.78.a.1. in corp.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. sacramentum Eucharestiæ ab alijs sacramētis differt in duobus. probatur, quia Sacramentum Eucharestiæ perficitur in consecratione materiæ, alia vero Sacramenta perficiuntur in vsu materiæ consecratæ. secūdò quia in alijs sacramentis consecratio materiæ consistit solùm in quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit instrumentaliter quamdam spiritualem virtutem, quæ per ministrum, qui est instrumentum animatum, potest ad instrumenta inanimata procedere, sed in hoc Sacramento consecratio materiæ cōsistit in quadam miraculosa conuersione substantiæ, quæ à solo Deo perfici potest. hinc elicitur corrolariū, quòd minister in sacramento perficiendo nō habet alium actum, nisi prolationem verborum. secunda conclusio, forma huius sacramenti differt à formis aliorum sacramētorum in duobus. probatur, quia formæ aliorum sacramentorum important vsum materiæ; puta baptizationem, vel consignationem, sed forma huius Sacramēti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transubstantiatione consistit, puta cum dicitur, Hoc est Corpus meum. Hic est calix sanguinis mei. secundò quia formæ aliorum sacramentorū proferūtur ex persona Ministri per diuersos modos, vt in littera, sed forma huius Sacramēti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, vt detur intelligi, quòd minister in perfectione huius Sacramenti nihil agit, nisi quòd profert verba Christi.

Circa hoc quæsitum legatur Dominicus Sotus. 4. sent. d.11.qu.1. artic. 1. qui egregiè defendit D. Thomam contra Scotum, qui carpit S. Doctorem circa titulum, quo vocat formas huius sacramenti, cum debeat eas vocare formas consecrationis. an autem sint conuenientes formæ cōsecrationum panis, & vini, in sequentibus iam iā dicetur. Obseruo ego tantùm circa illa verba in calce quæsiti posita, nempe quòd forma huius sacramēti profertur quasi ex persona ipsi' Christi loquentis, hoc dici, vt detur intelligi, quòd minister in perfectione huius Sacramenti nihil agit, nisi quòd profert verba Christi, ad differentiam formarū aliorū sacramentorum, quę proferuntur ex persona Ministri. quòd autem verba consecrationis proferantur in persona Christi, suadetur, quia in persona illius proferuntur, de quo verificantur, verificantur autem de Christo, & non de sacerdote, sacerdos enim dicere non potest esse corpus suum, consequenter verba consecrationis

tionis à Sacerdote proferuntur in persona Christi. dicitur autẽ in textu, quasi in persona Christi, non quod ille terminus, quasi, sit diminutiuũ quoddam, sed potius, vt exponit Seraphinus à Porecta hoc in loco, factum rei certæ mirandum exprimit, & est idem quod tanquam, vel sicut; formam ergo Eucharestiæ minister ità certò in persona Christi dicit, Hoc est corpus meum, & Hic est calix sãguinis mei, vt nulla tergiuersatione, vel à stulto negari possit. verũ animaduerte, quòd uerba consecrationis à Sacerdote proferũtur non merè recitatiuè, quasi merè recitet Sacerdos ea, quæ Christus fecit, & dixit, sed etiam formaliter, & significatiuè, significando scilicet id, quod uerba important, sicut enim baptizans uerè intendit significare ablutionẽ, quæ per uerba significatur, ita etiam Sacerdos intendit significare id, quod uerba prolata significant; & ulterius forma in sacramentis efficit, quod significat, & significat, quod efficit, cum ergo sacerdos per formam consecrationis intendat efficere, & re ipsa efficiat corpus Christi sub speciebus, hinc sequitur, Sacerdotem proferre uerba consecrationis non solum recitatiuè, uerum etiam formaliter & significatiuè, aliquis tamen posset arguere hoc pacto, si uerba consecrationis acciperentur, & proferrentur formaliter, & significatiuè, ergo significarent transubstantiationem, idest conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi, & conuersionem totius substantiæ uini in sanguinem Christi, quod tamen facere non uidẽtur, hæc enim verba, Hoc est corpus meum, & illa, Hic est enim Calix &c. non significant panem conuerti in corpus Christi, & vinum conuerti in sanguinem, sed illud esse corpus Christi, & illud aliud esse sanguinem Christi. respondetur tamen, quòd verba formæ consecrationis panis, & verba formæ consecrationis vini vtique significant transubstantiationem, quod deduco ex hoc, quia illa verba proferuntur super rem, quæ non est corpus, & sanguis Christi, iterum formæ verba sunt vera, iterum illa verba habent vim effectiuam cõuersionis panis in corp⁹ Christi, & vini in sanguinem Christi, vt docet D. Thomas 3. 2. q. 78. ar. 8. ad 3. & artic. 5. in corp. ergo significant transubstantiationem. sequela patet, nam si proferuntur verba super rem, quæ non est corpus, & super rem, quæ non est sanguis, & habent virtutem factiuam conuersionis panis in corpus Christi, & vini in sanguinem, & significant existentiam corporis, & sanguinis Christi, significabunt etiam conuersionem panis in corpus Christi, & vini in sanguinem Christi. hoc expresse habet D. Thomas art. 2. huius quæstionis, cuius sunt verba. consecratio consistit in conuersione substãtiæ panis in corpus Christi, oportet autem formam sacramenti significare id, quod in sacramento efficitur, vndè & forma consecrationis panis debet significare ipsam conuersionem panis in Corpus Christi. quid clarius his verbis?

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Coninchus 3. p. quæst. 78. artic. 3. Henriquez lib. 8. cap. 16. & cap. 18. Valentia tom. 4. disp. 6. q. 6. p. 2. Reginaldus lib 29. num. 35 Angles de Eucharestia q. 1. artic. 10 Suarez dist. 58. sect. 4. Camerota de Eucharestia cap. 7 dub. 3. Pesantius. 3. p. q. 78. a. 5. disp. 1. Bellarminus lib. 4. de Eucharestia cap. 14. & alij.

Quæritur, an forma consecrationis panis sit conueniens.

2 Respondeo dicendum, quòd hæc est cõueniens forma consecrationis panis, Hoc est corpus meum, hæc enim consecratio consistit in conuersione substantiæ panis in corpus Christi, oportet autem formam Sacramenti significare id, quod in Sacramento efficitur: vndè & forma consecrationis panis debet significare ipsam conuersionem panis in corpus Christi, in qua tria considerantur, scilicet ipsa conuersio, & terminus à quo, & terminus ad quem: conuersio autem potest considerari dupliciter, vno modo vt in fieri, alio modo vt in facto esse, primò quidem, quia hæc conuersio non est successiua, sed instantanea, in huiusmodi autem mutationibus fieri nõ est nisi factum esse; secundò quia ita se habent formæ Sacramentales ad significandum effectum Sacramenti, sicut se habent formæ artificiales ad repræsentandum effectum artis, forma autem artificialis est similitudo vltimi effectus, in quem fertur intentio artificis, sicut forma artis in mente ædificatoris est forma domus ædificatæ principaliter, ædificationis autem per consequens, vndè & in hac forma debet exprimi conuersio, vt in facto esse, ad quod fertur intentio, & quia ipsa conuersio exprimitur in hac forma, vt in facto esse, & necesse est, quòd extrema conuersionis significentur, vt se habent in facto esse conuersionis, tunc autem terminus ad quem habet propriam naturam suæ substantiæ, sed terminus à quo non manet secundùm suã substantiam, sed solùm secundum accidẽtia, quibus sensui subiacet, & ad sensum determinari potest, vndè cõuenienter terminus conuersionis à quo exprimitur per pronomen demonstratiuum relatum ad accidentia sensibilia, quæ manent, terminus autem ad quem exprimitur per nomẽ significans naturam eius, in quod fit conuersio, quod quidem est totum corpus Christi, & non sola caro eius, vndè hęc forma est conuenientissima hoc est corpus meum. 3. p. q. 78. a. 2. in corp.

Concluſione vnica reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. hæc forma eſt conuenientiſſima, Hoc eſt corpus meum. probatur forma alicuius ſacramenti tunc eſt conuenientiſſima illi, quando ſignificat id, quod in ſacramento illo efficitur, ſed hæc forma, Hoc eſt corpus meum, optimè ſignificat id, quod in cōſecratione panis efficitur, ideſt conuerſionem panis in corpus Chriſti, ergo &c. probatur minor, quia in conuerſione tria conſiderantur, ſcilicet ipſa conuerſio, & terminus à quo, & terminus ad quem. conuerſio exprimitur vt in facto eſſe per ly, eſt. terminus autem cōuerſionis à quo per ly, Hoc, ideſt per pronomen demonſtratiuum relatum ad accidentia panis, quæ manent, terminus verò ad quem cōuerſionis per ly, Corpus meum, ideſt per nomen ſignificans naturam eius, in quod fit conuerſio.

Vt explicetur hæc doctrina obſerua, hanc formam, Hoc eſt corpus meum, eſſe eam, quã Chriſtus inſtituit, & qua Chriſtus ipſe vſus fuit, & qua ipſe conſecrauit, vt patet ex verbis Canonis, Benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens, Accipite, & comedite, Hoc eſt corpus meum. vlterius hæc forma ſignificat conuerſionem panis in corpus Chriſti, quam etiam efficit, conſequēter conuenientiſſima eſt hæc forma, Hoc eſt corpus meum. vbi nota, quòd ex hoc quòd dicit, Hoc, elicitur primò non confici Sacramentum, quando dicitur, illud eſt corpus meum, quia mutatur ſenſus formæ; teneret autem Sacramentū, ſi diceretur, iſtud eſt corpus meum, vel alio ſimili modo, vt ait Toletus lib. 2. cap. 26. num. 1. quia non variatur ſenſus formæ. ſequitur ſecundò, non confici Sacramentum, quando dicitur, Hoc, quod eſt panis, vel hic panis eſt corp⁹ meū, quia etiam mutatur ſenſus formæ. ex hoc etiam quòd dicitur, eſt, ſequitur non confici ſacramentum, quando dicitur, Hoc corpus meum, vel corpus meum, quia variatur ſignificatio propoſitionis. ſequitur etiam, non confici ſacramentum, quando dicitur, Hoc fit corpus meum, quia variatur ſenſus, cum exprimatur conſecratio in fieri, debet autē exprimi in facto eſſe, vt ait D. Thomas in littera, cum conuerſio ſit inſtantanea, nō autem ſucceſſiua, in huiuſmodi autem mutationibus inſtantaneis fieri non eſt niſi factum eſſe. per hoc etiam quod dicitur, corpus meum, elicitur, non confici Sacramentum, quando dicitur, Hoc eſt corpus Chriſti, quia variatur ſenſus verborum, cum hæc verba non proferantur in perſona Chriſti. ex hoc etiam quod hæc forma, Hoc eſt corpus meum, dicitur conuenientiſſima, ſequitur, quòd non teneat ſacramentum, ſi dicatur, Hoc corpus Chriſti eſt corpus Chriſti, quia hæc locutio eſt impropria, & identica, nec ſignificat conuerſionem panis in corpus Chriſti.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Bellarminus lib. 4. de Euchareſtia ca. 12. Valentia tom. 4. diſp. 6. q. 1. p. 1. Reginaldus lib. 29. num. 22. Coninchus 3. p. q. 78. artic. 1. Suarez diſp. 58. ſect. 1. Henriquez lib. 8. c. 16. num. 4. Viualdus de Euchareſtia c. 4. n. 2. Camerota de Euchareſtia c. 7. dub. 6. Toletus lib. 2. cap. 26. nu. 1. & alij.

Quæritur, an proferens totam formam ſine alijs verbis conficiat Euchareſtiam.

3 Reſpondeo dicendum, quòd quidam dixerunt hoc Sacramentum perfici non poſſe prædictis verbis prolatis, & alijs prætermiſſis, præcipuè quę ſunt in canone Miſſæ, ſed hoc patet eſſe falſum, tū ex verbis Ambroſij dicentis in lib. de Sacramentis, conſecratio fit verbis, & ſermonibus Domini Ieſu, nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Dei refertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris, tum etiã quia canon Miſſæ non eſt idem apud omnes, nec ſecundùm omnia tempora, ſed diuerſa ſunt à diuerſis appoſita, vndè dicendum eſt, quòd ſi Sacerdos ſola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum, quia intentio faceret, vt hæc verba intelligerentur quaſi ex perſona Chriſti prolata, etiam ſi verbis præcedentibus hoc non recitaretur, grauiter tamen peccaret Sacerdos ſic conficiens hoc Sacramentum, vt potè ritum Eccleſiæ non ſeruans, nec eſt ſimile de Baptiſmo, quod eſt Sacramentum neceſſitatis, defectum autem huius Sacramenti poteſt ſupplere ſpiritualis manducatio, ſicut Auguſtinus dicit. 3. p. q. 78. a. 1. ad 4.

Tria facit D. Thomas in hoc quæſito. primò adducit, & confutat vnam opinionem. ſecundò reſpondet quæſito concluſione duplici. tertiò reſpondet obiectioni. quo ad primum erat opinio dicentium, hoc Sacramentum Euchareſtiæ perfici non poſſe prædictis verbis prolatis, & alijs prætermiſſis, præcipuè quæ ſunt in canone Miſſæ, confutatur dupliciter, & primò ex verbis Ambroſij, vt in littera. ſecundò quia canon Miſſæ non eſt idem apud omnes, nec ſecundùm omnia tempora. quoad ſecundum ponitur hæc prima concluſio. ſi Sacerdos ſola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc ſacramentum. probatur, quia intentio faceret, vt hæc verba intelligerentur quaſi ex perſona Chriſti prolata, etiã ſi verbis præcedentibus hoc non recitaretur. ſecunda concluſio. grauiter tamen peccaret Sacerdos ſic conficiens hoc ſacramentum. probatur, quia ritum Eccleſiæ non ſeruaret. quoad tertium obiectio eſt talis, Sacramentum Baptiſmi perfici poteſt ſolis verbis formæ prolatis, omnibus alijs prætermiſſis, quia forma Sacramenti ſufficit ad perfectionem ſacramenti, ſed ſi prædicta verba ſunt forma Euchareſtiæ, ergo aliquando poterit hoc Sacramētum perfici his ſolis verbis prolatis, & omnibus alijs prętermiſſis, quę in Miſſa dicuntur, quod tamen videtur eſſe falsū, quia tunc verba illa acciperentur ex perſona Sacer-

cerdotis proferentis. respondet non esse simile de Baptismo, qui est Sacramentum necessitatis, & de Eucharestia, ideò cum sola forma prętermissis alijs poterit perfici Baptismus, sine quo salus esse non potest, si autem deficiat Eucharestia, potest suppiere manducatio spiritualis, sicut Augustinus dicit.

Opinionē improbatā hoc in loco à D. Thoma sequitur Scotus 4. sent. d. 8. qu. 2. asserens prędentia verba formam ipsam consecrationis, nēpe Accipite, & comedite, esse necessaria, & non solùm illa, sed etiam alia antecedentia in canone, accipiens panem &c. relinquit tamen sub dubio, an sola verba consecrationis prolata à Sacerdote conficiant hoc sacramentum, prætermissis alijs, quæ in canonæ Missæ continentur, & inquit, quòd si quis proferret sola verba, Hoc est corpus meum, sine præcedentibus, non esset illud adorandum, nisi sub conditione, si verè consecratum est. ad hoc autem docēdum mouetur hac ratione, verba huiusmodi debent ex vi verborū significare, hoc esse corpus Christi, alioquin nō significarent, quod efficitur in hoc Sacramento, sed prætermissis alijs hoc non significaretur, sed significaretur hoc esse corpus Sacerdotis ex vi verborum, licet ex intentione significaretur esse corpus Christi, ergo &c. Caietanus hoc in loco distinguit, nempe verba hæc proferri à Sacerdote dupliciter, scilicet recitatiuè, & significatiuè; si proferantur recitatiuè, rationabilis est opinio, quam hic improbat S. Thomas, & quam sequitur Scotus, quia non recitaretur, hoc esse corpus Christi, nisi prærecitaretur Christū dixisse, Hoc est corpus meum; si autem hæc verba proferantur significatiuè tantùm, cum proferantur à Sacerdote in persona Christi, ex hoc ipso quòd Sacerdos dicit ea in persona Christi, significat Hoc esse corpus Christi. in primo sensu accipiuntur à Scoto, & in hoc sensu concludit eius ratio; in secundò autem sensu accipiuntur à S. Thoma, & hic secundus sensus præponderat primo, vt rectè ait Caietanus hoc in loco, propter duo, quorum primum est, quia verba recitatiuè tenentur materialiter; secundò quia recitatiuè Sacerdos non conficit in persona Christi, sed recitat Christum conficientem, vndè sequenda est opinio D. Thomæ, quam tuentur eius discipuli, Caietanus hoc in loco, Dominicus Sotus 4. sent. d. 11. q. 1. art. 2. Siluester verb. Eucharestia. 1. qu. 6. quam etiam sequitur Concilium Florentinum sub Eugenio quarto his verbis, Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum, vndè sequitur, quòd intentio Sacerdotis ad gerendum personam Christi, in hoc ipso quòd intendit conficere Sacramentum, sufficiat ad exprimendum ex vi verborum hoc esse corpus Christi, dicendo in persona Christi, Hoc est corpus meum. ad rationem Scoti iam responsum est ex Caietano. secundò respondet aliter Sotus, vbi supra, negando maiorem, ratio negationis est, quia licet per verba præcedentia significetur, quòd forma profertur in persona Christi, & ob id Ecclesia ea verba præmitti iussit, attamen intentio sola Sacerdotis per se etiam id satis significat, quia Ecclesia cum tali intentione illa proferre mandauit; imnò, vt benè ait Durandus. 4 sent d. 8. q 2. nisi talis adesset intentio, verba præcedentia per se non id certò significassent, nam ex eorum rigore, accipiens Iesus panem &c. pronomen, Hoc, non demonstraret id, quod Sacerdos habet in manibus, sed quod Christus habebat, intentio ergo facit, vt verba prolata in persona Christ significent hunc nostrum panem conuerti in corpus Christi.

Pro explicatione responsionis ad obiectionem nota, quòd in hoc uis illius consistit, nempe non esse eandem rationem de Baptismo, & de Eucharestia, nam Baptismus, cum sit Sacramentum necessitatis, potest in tali articulo sine Ecclesiæ solemnitate exhiberi, Sacramentum autem Eucharestiæ nō est de necessitate, vnde eius defectum, quando scilicet non potest Missa integra celebrari, manducatio spiritualis, vt ait D. Augustinus super Ioannem c. 6. supplere potest, quantùm scilicet ad gratiam, licet non quantum ad Sacramentalem, vt quæ non confertur nisi per sacramentum in re.

Quæritur, an illa particula, enim, sit de essentia formæ.

4 Respondeo dicendum, quòd hæc coniunctio, enim, apponitur in hac forma secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ à B. Petro Apostolo deriuatam, & hoc propter continuationem ad verba præcedentia, & ideò non est de essentia, sicut nec verba præcedentia formam. 3. p. q. 78. a. 2. 4. (4. sent. d. 8. q. 2. a. 1. quæstiunc. 2. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est ista particula, enim, non est de essentia formæ, sicut nec verba præcedentia formam. probatur, quia hæc coniunctio, enim apponitur in hac forma secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ à B. Petro Apostolo deriuatā, & hoc propter continuationem ad verba præcedentia.

Ex hoc loco habemus, quòd omittens hanc particulam, enim, in forma consecrationis verū perficiet Sacramentum, quia non est de essentia illius, & omissio huius particulæ non variat sensum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Bellarminus de Eucharestia lib. 4. c. 14. Reginaldus lib. 29. num. 3. Pitigianus. dist. 8. q. 2. artic. 2. Henriquez lib. 8 cap. 19. nu. 4. Suarez disp. 59. sect. 5. Coninchus hoc in loco. Toletus lib. 2. cap. 26. nu. 1. & alij.

Quæritur, an omittens illam particulam, enim, peccet.

5 Respondeo dicendum, quòd ly, enim, sublatum non tollit debitum sensum verbo-

borum, & ideò non impedit perfectionem Sacramenti, quamuis poſsit contingere, quòd ille, qui prætermittit, peccet ex negligentia, vel contemptu. 3. p. quæſt. 60. ar. 8. in corp.

Duplici concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. illa particula, enim, ſublata non impedit perfectionem ſacramenti. probatur, quia illa ſublata non tollit debitum ſenſum verborum. ſecunda concluſio. poteſt contingere, quòd ille, qui prætermittit eam, peccet. probatur ex ratione negligentiæ, vel contemptus.

Ex prima concluſione habemus verum eſſe, qđ in præcedenti quæſito diximus, nēpe quòd omittens illam particulam, enim, verum perficit Sacramentum. circa ſecundam concluſionem nota, quòd licet D. Thomas non determinet, quodnā peccatum ſit omittere illam particulam, enim, attamen dicendum eſt, omittentem illam ſiue ex negligentia, ſiue ex contemptu peccare mortaliter, quia faceret contra celebratiſſimam cōſuetudinem Eccleſiæ in re graui, vt aſſerit Nugnus hoc in loco, vndè non ſunt audiendi Suarez diſp. 59. ſect. 5. Coninchus hoc in loco, Henriquez lib 8. cap. 19. num. 4. Pitigianus. d. 8. q. 2. a. 2. apud quemdam modernum tom. 1. diſp. 4. q. 3. p. 1. num. 10. oppoſitum ſentientes.

Quæritur, an hæc ſit conueniens forma conſecrationis vini. Hic eſt calix ſanguinis mei &c.

6 Reſpondeo dicendum, quòd circa formam conſecrationis vini eſt duplex opinio, quidam enim dixerunt, quòd de ſubſtantia formæ huius eſt hoc ſolùm, quod dicitur, Hic eſt calix ſanguinis mei, non autem ea, quæ ſequuntur; ſed hoc videtur incōueniens, quia ea, quæ ſequuntur ſunt quædam determinationes prædicati, ideſt ſanguinis Chriſti, vndè pertinent ad integritatem eiuſdem locutionis; & propter hoc ſicut alij melius dicunt, omnia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ vſq; ad hoc, quod poſtea ſequitur, hoc quotieſcunque feceritis, quod pertinet ad vſum huius Sacramenti, vndè non eſt de ſubſtantia formæ, & indè eſt, quòd Sacerdos eodem ritu, & modo ſcilicet tenendo calicem in manibus omnia hæc verba profert; Lucę etiam 22. interponuntur verba ſequentia verbis præmiſsis, cum dicitur hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. dicendum eſt ergo, quòd omnia prædicta verba ſunt de ſubſtantia formæ, ſed per prima verba, hic eſt calix ſanguinis mei, ſignificatur ipſa conuerſio vini in ſanguinem eo modo, quo in forma conſecrationis panis, per verba autem ſequentia deſignatur virtus ſanguinis eſfuſi in Paſsione, quæ operatur in hoc Sacramento, quæ quidem ad tria ordinatur, primò quidem, & principaliter ad adipiſcendam æternam hęreditatem ſecundùm illud Hebræorum 10. habemus fiduciam in introitu Sanctorum per ſanguinem eius, & adhoc deſignandum *dicitur*, noui, & æterni teſtamenti; ſecundò ad *iuſtitiam* gratiæ, quæ eſt per fidem ſecundùm illud Rom. 3. quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine eius, vt ſit in ſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti, & quantùm adhoc ſub*ditur* Myſterium fidei; tertiò autem ad remouendum impedimenta vtriuſq; prædictorum, ſcilicet peccata ſecundum illud Heb. 9. ſanguis Chriſti emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis, ideſt à peccatis, & quantùm adhoc ſubditur, qui pro vobis, & pro multis effundetur *in* remiſſionem peccatorum. 3. p. quæſt. 78. artic. 3. in corp.

Triplici cōcluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. inconueniens eſt opinio dicentium, quòd de ſubſtantia formæ huius eſt hoc ſolùm, hic eſt calix ſanguinis mei, non autem ea, quæ ſequuntur. probatur, quia ea, quæ ſequuntur, ſunt quædam determinationes prædicati, ideſt ſanguinis Chriſti, vndè pertinent ad integritatem eiuſdem locutionis. ſecunda cōcluſio. nedum iſta verba, Hic eſt calix ſanguinis mei. ſed etiam omnia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ vſque ad hoc, quod poſtea ſequitur, hoc quotieſcunq; feceritis, quod pertinet ad vsū huius ſacramenti. probatur dupliciter, & primò quia Sacerdos eodem ritu, & modo, ſcilicet tenendo Calicē in manibus, omnia hæc verba profert, ergo &c. ſecundò quia Lucæ etiam 22. interponuntur verba ſequentia verbis præmiſſis, cum dicitur, Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. tertia concluſio. per prima verba, cum dicitur, Hic calix ſanguinis mei, ſignificatur ipſa conuerſio vini in ſanguinem per verba autem ſequentia deſignatur virtus ſanguinis effuſi in Paſſione, quæ operatur in hoc Sacramēto. probatur, quia Paſſio Chriſti ad tria ordinatur, primò ad adipiſcendam æternam Beatitudinem, quod probatur ex D. Paulo ad heb. 10. vt in littera, & adhoc deſignandum dicitur, noui, & æterni teſtamenti. ſecundò ordinatur ad iuſtitiam gratiæ, quæ eſt per fidem. quod probatur ex Apoſtolo Rom. 3. vt in littera, & quantùm ad hoc ſubditur, Miſterium fidei. tertiò ordinatur ad remouendum impedimenta vtriuſque prædictorum, ſcilicet peccata, quod probatur ex D. Paulo ad heb. 9. vt in littera, & quantùm ad hoc ſub-

subditur, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Conclusionem secundam iam exposuimus in nostris Arcanis lib. 3. quæst. 53. quibus addimus, quòd qui vteretur tãtùm illis verbis, Hic est Calix sanguinis mei, licet conficeret Sacramentum, Peccaret tamen mortaliter, tum quia faceret cõtra præceptum Ecclesiæ, & ritum consecrationis in re graui, tùm quia forma esset mutila, & trunca, sicut mutilus esset homo, cui defficeret manus, vel pes, quæ sunt partes illius integrales, nos autem iam exposuimus in nostris Arcanis, verba illa alia à primis esse de integritate formæ. addo vlterius, quòd D. Thomas sequitur secundã opinionem tanquam meliorem, ergo supponit etiã primam esse bonam, comparatiuum enim supponit positiuum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Suarez disp. 60. sect. 1. Coninchus 3. p. q. 78. a. 3. num. 33. Valentia tom. 4. disp. 6. q. 6. p. 1. Henriquez lib. 8. ca. 16. & c. 17. Emanuel sa verb. Missa. num. 5. Camerota de Eucharestia cap. 7. dub. 15. & alij.

Quæritur, an possit fieri consecratio, si omittantur ritus, indumenta &c.

7 Respondeo dicendum, quòd remotis his, quæ non sunt de essentia rei, nihilominus res manet, vndè cum ritus, & quantùm ad determinationem horæ, vel loci, vel indumentorum non sint de essentia Sacramenti, sed de solemnitate, si omittantur, nihilominus consecratum est sacrificium, dummodo adsint ea, quæ sunt de essentia Sacramenti, scilicet ordo, & intentio ex parte consecrantis, & materia, & forma ex parte consecrati, tamen grauiter peccat, qui aliter facit, & degradandus esset. 4. sen. distinct. 13. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 6. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Tuomas huic quæsito, quæ est. si omittantur ritus, indumenta, nihilominus consecratum est sacrificium, dummodo adsint ea, quæ sunt de essentia sacramenti; scilicet ordo, & intentio ex parte consecrantis, & materia, & forma ex parte consecrati. probatur, quia remotis his, quæ non sunt de essentia rei, nihilominus res manet, sed ritus quantùm ad determinationem horæ, vel loci, vel indumẽtorum, non sunt de essentia Sacramenti, sed de solemnitate, ergo &c hinc elicit corrolarium, qui aliter facit, grauiter peccat, & degradandus esset.

Circa corrolarium nota, quòd qui consecraret omittens ritus, & indumenta, peccaret mortaliter, quia iste meretur degradationem, vt in littera dicitur, quæ degradationis pæna nõ nisi pro peccato mortali, & grauissimo infligitur; peccat etiam mortaliter ratione trãsgressionis præcepti Ecclesiæ, & ratione scandali, præcipit enim Ecclesia, vt Sacerdos non consecret, nisi determinatis horis, in locis determinatis, sacris indutus vestibus, vnde si consecret in locis alijs, vel alio tempore, vel non indutus sacris vestibus grauissimè peccabit.

De ministro sacramenti Eucharistiæ. Cap. IV.

1 *Proprium est Sacerdotis conficere Eucharestiam.*
2 *Plures Sacerdotes possunt consecrare vnam, & eandem Hostiam.*
§ *In triplici sensu potest intelligi, quòd plures Sacerdotes possint consecrare vnam, & eandem Hostiam, & qui intentus.*
Plures Sacerdotes consecrant, vt instrumenta in virtute principalis agentis, scilicet Christi.
Quomodo intentio debet ferri ad idem instans consecrationis.
3 *Malus Sacerdos potest consecrare.*
4 *Heretici, Schismatici, excommunicati possunt consecrare.*
Peccant tamen si consecrant.
§ *Degradatus realiter potest consecrare.*
§ *In nullo casu licet Hæreticis, Schismaticis, et excomunicatis consecrare.*
§ *In extrema necessitate permittitur Baptismus hæreticis, & schismaticis.*
6 *Sacerdos præcisus ab Ecclesia consecrat celebrãdo Missam.*
Orationes tamen eius non habent efficatiam, quia est ab Ecclesiæ vnitate separatus.
§ *Sacerdos in Missa loquitur in persona Ecclesiæ, in cuius vnitate consistit.*
Certum est, ipsis præcisis sacrificiũ nihil prodesse.
Præcisorum preces, quatenus ex eorum deuotione procedunt, nullius sunt efficaciæ.
Qui scienter à præcisis petunt sacrificium, aut sacrificio intersunt, nullum percipiunt fructum.
Missa mali, & præcisi Sacerdotis quoad sacrificiũ valet illi, pro quo offertur, si sit capax talis fructus.
Preces, quæ fiunt in Missa à præciso, nullius sunt efficaciæ.
Quando S. Thomas ait, orationes sacerdotis peccatoris in Missa, quatenus est minister Ecclesiæ, esse fructuosas, non loquitur de præciso.
7 *Sacerdos degradatus potest consecrare.*
§ *Sacerdos degradatus nedum verbaliter, sed etiam realiter licet possit consecrare, peccat tamen mortaliter.*
8 *Sacerdos intendens consecrare propter malum finem verè consecrat.*
Peccat tamen.
§ *Consecrans malo fine peccat mortaliter.*
9 *Sacerdos non debet omninò à consecratione cessare.*
Potest hoc ex speciali Dei instinctu.
§ *Sacerdos solutus ab omni obligatione peccat mortaliter, si omninò abstineat à celebratione.*
Notãtur dies, in quibus Sacerdos tenetur celebrare.
10 *Sacerdos consecrans tenetur sumere integrum Sacramentum.*

§ Con-

§ *Conclusio D. Thomæ habetur in Concilio Toletano 12.*
Vis rationis primæ D. Thomæ expenditur.
11 *Sacerdos cæcus, mutus, mancus digitis, patiens morbum caducum non possunt consecrare.*
Leprosus publicè celebrare non debet.
Potest tamen celebrare occultè, si lepra non reddiderit ipsum impotentem.
§ *Quod Sacerdos non debeat omninò abstinere à consecratione, intelligitur tantùm de sacerdotibus non detentis legitimo impedimento.*
12 *Si corpus Christi appareat in forma carnis, vel sanguis sub specie sanguinis non est sumendum.*
13 *Solus Sacerdos potest tangere corpus Christi.*
In casu necessitatis etiam laicus potest illud tangere.
§ *Quando non adest sacerdos, potest laicus, etiam peccator tangere manibus corpus Christi sublevando illud de loco immundo.*
14 *Laicis licet Sanctis non licet dispensare Eucharestiam.*
§ *Solus sacerdos dispensat Eucharestiam.*
15 *Non licet accipere Eucharestiam ab alio, quàm à proprio Sacerdote.*
§ *Hoc verum est stando in iure communi canonico.*
Ex iure communi excomunicantur Religiosi Eucharestiam ministrantes sine licentia Parochi speciali, vel generali.
Ex priuilegio Religiosi possunt vbiq; extra tempus Paschale Eucharestiam fidelibus ministrare.
Sacerdotes sæculares possunt ministrare Eucharestiam in Ecclesijs Religiosorum de eorũ licentia.
Religiosi possunt ex priuilegio Eucharestiam ministrare in Paschate volentibus communicare ob deuotionem.
Quando in priuilegijs fit exceptio Communionis Paschalis, sermo est de communione impletiua præcepti Communionis.
Religiosi ex priuilegio possunt Eucharestiam ministrare in Paschate fidelibus ad implendum præceptum Communionis sine licentia Curatorum, vel Rectorum.
Priuilegia concessa vni monasterio intelliguntur concessa toti Ordini.
Priuilegia concessa vni Religioni cõceduntur alijs Religionibus per communicationem.
16 *Potest accipi ab alio, cui sit commissum.*
17 *Arcetur aliquando aliquis ab Eucharestia sine propria culpa.*
§ *Tota Ciuitas non excomunicatur.*
Tota Ciuitas supponitur interdicto.
Ratio huius discriminis assignatur.

Quæritur, an consecratio Eucharestiæ sit propria Sacerdotis.

1 RESpondeo dicẽdum, quòd hoc Sacramentum est tantæ dignitatis, quòd non conficitur, nisi in persona Christi, quicunq; autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam; sicut autem baptizato conceditur à Christo potestas sumendi hoc Sacramentum, ita Sacerdoti cum ordinatur, confertur potestas hoc Sacramentum consecrandi in persona Christi, per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est à Domino, hoc facite in meam commemorationem, & ideò dicendum est, quòd proprium est Sacerdotum conficere hoc Sacramentum. 3.p.quæst.82. artic.1. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. proprium est sacerdotum conficere Eucharestiæ Sacramentum. probatur, hoc sacramentum tantæ est dignitatis, quòd non cõficitur nisi in persona Christi, sed quicunque agit aliquid in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam, ergo sicut baptizato conceditur à Christo potestas sumendi hoc sacramentum, ita Sacerdoti, cum ordinatur, cõfertur potestas hoc sacramentum consecrandi in persona Christi. hinc elicit corrolarium, quòd per hoc sacerdos ponitur in gradu eorum, quibus dictum est à Domino, Hoc facite in meam commemorationem.

Conclusio D. Thomæ sacris extat constabilita decretis, vt dist. 25. & de Summa Trinitate, & fide Catholica c. firmiter. & in Concilio Florentino. in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. & can. 2. hinc Ecclesia solemniter canit, cuius officium committi voluit solis Præsbyteris, quibus sic congruit, vt sumant, & dent cæteris.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Bellarminus lib. 4. de Eucharestia ca. 16. Suarez disp. 61. sect. 3. Coninchus 3. p. q. 82. ar. 1. num. 3. Henriquez lib. 8. num. 44. Reginaldus lib. 29. num. 4. Viualdus de Eucharestia cap. 6. num. 1. Camerota de Sacrificio Missæ pag. 289. Toletus lib. 2. cap. 28. num. 1. & alij.

Quæritur, an plures Sacerdotes possint vnam, & eandem Hostiam consecrare.

2 Respondeo dicendum, quòd Sacerdos cum ordinatur constituitur in gradu eorum, qui à Domino acceperunt potestatẽ consecrandi in cæna, & ideò secundùm cõsuetudinem quarumdam Ecclesiarum, sicut Apostoli Christo cænanti concænauerunt, ita noui ordinati Episcopo ordinãti concelebrant, nec propter hoc iteratur cõsecratio super eandem Hostiam, quia sicut Innocentius tertius dicit, omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis. 3. p. q. 82. artic. 2. in corp. (4. sent. d. 13. q. 1. a. 2. quæstiunc. 2. in corp.

Duplici conclusione respondet, D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. plures Sacerdotes possunt consecrare vnam, & eandem Hostiã. probatur, quia secundum consuetudinem quarũdam

dam Ecclesiarum, sicut Apostoli Christo cœnanti concœnauerunt, ita noui ordinati Episcopo ordinanti concelebrant, ergo &c. secunda conclusio. nec propter hoc iteratur consecratio super eandem Hostiam. probatur, quia Innocentius tertius dicit, omnium intentio debet ferri ad idẽ instans consecrationis.

Conclusionis primæ D. Thomæ triplex potest esse sensus, quorum primus est, quòd vnus quisque Sacerdotum intendat suam Hostiæ partem consecrare. secundus est, vt plures intendant consecrare eandem totam Hostiam complexim, vt scilicet nemo per se absolutè consecrare intẽdat, sed simul cum reliquis, itaut omnium illorũ intentiones essent conditionales, & vna ab altera dependens. tertius sensus est, ut plures Sacerdotes concurrant quasi habentes suam quisque intentionem totalem per se consecrandi. primus sensus non est intentus à D Thoma, immò si nullus illorum Sacerdotum signaret, quam partem consecret, sed in confusò quisque intendat consecrare vnam partem, consecratio nulla esset, ratio est, quia pronomen, Hoc, debet singularem demonstrare materiam. si tamen partes Hostiæ delinearentur, vnusquisque Sacerdotum posset suam cõsecrare partem, vt ostendimus in nostris Arcanis lib. 3. q. 41. immò etiam vnus Sacerdos posset consecrare vnam partem Hostiæ remanentibus alijs non consecratis, & in hoc casu quantitas specierum consecratarum continuaretur cũ quantitate residui panis, iste tamen sic conficiẽs peccaret mortaliter. secundus etiam sensus non est intentus à D. Thoma, immò est sacrilegus, debet enim intentio esse absoluta, sicut forma, & profectò talis intentio non esset sufficiens ad cõficiendum Sacramentum. tertius ergo sensus erit intentus, & verus, & licet vnus effectus non possit produci à pluribus causis totalibus, eiusdem generis, eiusdẽ ordinis, vt habemus ex 2. physic. & 5. metaph Sacerdotes autem illi plures sint causæ efficientes consecrationis, & totales, cum vnusquisque illorum sufficiat, & eiusdem ordinis, attamen quia agunt tãquam instrumenta in virtute principalis agentis, nempe Christi, ideò plures possunt eandem Hostiam cõsecrare. quòd facit difficultatem hac in re, est, si vnus Sacerdos citius proferat formam super debitam materiã quàm alter, an ille solus consecret, & alij non. verùm hoc explicauimus in nostris Arcanis lib. 3. qu. 42. Conclusionem D. Thomæ sequuntur D. Antoninus 3 p. tit. 13. cap. 6. §. 2. Tabiena verb. Eucharestia. 2. q. 2. Siluester eodem verb. 2. q. 2. Armilla eodem verb. num. 16. Circa rationem secundæ conclusionis, qua dicitur, quòd ideò non iteratur consecratio, quia omnium intentio debet ferri ad idem instans consecrationis, intellige, quñ Episcopus consecrat, quia tunc, cum sit vna omnium intentio celebrantium, non erit nisi vna consecratio.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docẽt Reginald' lib. 29. n. 43. Suarez disp. 61. sect. 4. Henriquez lib. 8. c. 54. n. 1. Coninchus 3. p. q. 82. a. 2. Camerota de sacrificio Missę pag. 289. & alij.

Quæritur, an malus Sacerdos possit Eucharestiam consecrare.

3 Respondeo dicendum, quòd Sacerdos consecrat hoc Sacramentum non virtute propria, sed sicut minister Christi, in cuius persona consecrat hoc Sacramentum, non autem ex hoc ipso desinit aliquis minister esse Christi, quòd est malus, habet enim Dominus bonos, & malos ministros, seu seruos, vndè Matthæi 24. Dominus dicit, quis putas est fidelis seruus, & prudens &c. & postea subdit, si autem dixerit malus ille seruus in corde suo &c. & Apostolus dicit primæ Corinth. 4. sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & tamen postea subdit, nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, erat ergo certus se esse ministrum Christi, tamen non erat certus se esse iustũ, potest ergo aliquis esse minister Christi, etiam si ĩustus non sit. 3. p. qu. 82. artic. 5. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Sacerdotes, etiam si non sint iusti, sed peccatores, possunt Eucharestiam consecrare. probatur, Sacerdos consecrat hoc Sacramentum non virtute propria, sed sicut minister Christi, in cuius persona consecrat, sed ex hoc ipso quòd aliquis est malus, non desinit esse minister Christi, ergo sacerdos malus potest cõsecrare. probatur minor, quia Dominus habet bonos, & malos ministros, vt patet Mathei 24. & probatur ex D. Paulo 1. ad Corinth. 4.

Hæc doctrina explicabitur simul cum doctrina sequentis quæsiti.

Quæritur, an Hæretici, Schismatici, excommunicati possint consecrare.

4 Respondeo dicendum, quòd quiddam dixerunt, quòd hæretici, schismatici, & excommunicati, quia sunt extra Ecclesiã, non possunt conficere hoc Sacramentum, sed in hoc decipiuntur, quia sicut Augustinus dicit in 2. contra Parmenianum, aliud est aliquid omninò non habere, aliud autem non rectè habere, & similiter etiam est aliud non dare, & aliud non rectè dare, illi igitur, qui intra Ecclesiam constituti receperunt potestatẽ consecrandi Eucharestiam in ordinatione Sacerdotij, rectè quidem habent potestatem; sed non rectè ea vtuntur, si postmodum per hæresim, aut schisma, vel excommunicationem ab Ecclesia separẽtur; qui autem sic separati ordinantur, non rectè habent potestatem, nec rectè vtuntur: quòd tamen vtriq; potesta-

teſtatem habeant, patet per hoc, quòd ſicut Auguſtinus ibidem dicit, cum redeunt ad vnitatem Eccleſiæ, non reordinantur, ſed recipiuntur in ſuis ordinationibus, & quia conſecratio Euchariſtiæ eſt actus cõſequens ordinis poteſtatem, illi, qui ſunt ab Eccleſia ſeparati per hæreſim, aut ſchiſma, vel excommunicationem, poſſunt quidem conſecrare Euchareſtiam, quæ ab eis conſecrata verum corpus, & ſanguinem Chriſti continet, non tamen hoc rectè faciunt, ſed peccãt facientes, & ideò fructum ſacrificij non percipiunt, quod eſt ſacrificium ſpirituale. 3. p. q. 82. a. 7. in corp.

Adducta, & confutata vna opinione reſpondet D. Thomas huic quæſito vnica concluſione. opinio erat dicentium, quòd hæretici, ſchiſmatici, & excomunicati, qui ſunt extra Eccleſiam, non poſſunt conficere Sacramẽtum Euchareſtiæ. confutatur ex D. Auguſtino, vt in littera. concluſio eſt. illi, qui ſunt ab Eccleſia ſeparati per hęreſim, aut ſchiſma, vel excomunicationem, poſſunt conſecrare Euchareſtiam, quæ ab eis conſecrata verum corpus, & ſanguinem Chriſti continet. probatur, qui ab Eccleſia ſeparantur per hæreſim, aut ſchiſma, aut excomunicationem, retinent poteſtatem ordinis, quam acceperunt, ſed conſecratio Euchareſtiæ eſt actus conſequẽs Ordinis poteſtatem, ergo &c. maior probatur, quia cum ad Eccleſiæ vnitatem redeunt, non reordinantur, ſed recipiuntur in ſuis ordinationibus.

Quilibet ergo Sacerdos, ſiue malus, & exiſtẽs ſimpliciter in peccato mortali, licet enormiſſimo, ſiue hæreticus, ſiue ſchiſmaticus, ſiue irretitus excomunicatione, immò & degradat⁹ realiter poteſt conſecrare, quia ſicut per peccatum ſimplex, licet enormiſſimum non auffertur poteſtas Sacerdotalis conſecrandi, & character, qui eſt indelebilis, ita nec per hęreſim, ſchiſma, excomunicationem, degradationem auffertur hæc poteſtas conſecrandi, vnde ſi Sacerdos malus, hæreticus, ſchiſmaticus, excomunicatus, degradatus conſecret, tenebit ſacramentum, ſi intentionem habuit conficiendi, quod Eccleſia intendit facere; & ſicut per peccatum ſimplex non deſinit ſacerdos eſſe miniſter Chriſti, in cuius virtute conſecrat, ita nec per hæreſim, ſchiſma, excomunicationem, degradationem, & conſequẽter tanquam miniſtri Chriſti poterunt conſecrare. verum de degradatis iterum redibit ſermo.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Valentia tom. 4. diſp. 6. q. 10. p. 1. & alij Doctores citati in quæſit. 1.

Quæritur, an in aliquo caſu Hæretici, Schiſmatici, excommunicati poſſint Euchareſtiam conſecrare.

5 Reſpondeo dicendum, quòd ſolus Baptiſmus permittitur eſſe ratus hæreticis, & ſchiſmaticis, quia poſſunt licitè baptizare in articulo neceſſitatis; in nullo autem caſu licitè poſſunt Euchareſtiam conſecrare, vel alia Sacramenta conferre. 3. p. q. 82. artic. 7. ad 2.

Duplici concluſione reſpõdet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. ſolus Baptiſmus permittitur eſſe ratus hæreticis, & ſchiſmaticis. probatur, quia poſſunt licitè baptizare in articulo neceſſitatis. ſecunda concluſio. in nullo caſu licitè poſſunt Euchareſtiam conſecrare, vel alia ſacramenta conferre.

Ad explicationem duarum concluſionum nota, quòd dicitur permitti Baptiſmus hæreticis, & ſchiſmaticis, ſcilicet in extrema neceſſitate, cum Baptiſmus ſit neceſſarius ſimpliciter, vt baptizando non peccent; non permittitur autem eis, vt conſecrẽt, aut alia ſacramenta miniſtrent, vt ſcilicet ſi conſecrẽt, vel alia ſacramenta miniſtrent, non peccent, immò grauiſſimè peccabũt, quia cætera ſacramenta à Baptiſmo tantæ non ſunt neceſſitatis.

Quæritur, an Sacerdos præciſus ab Eccleſia poſſit conſecrare.

6 Reſpondeo dicendum, quòd ſi Sacerdos ab vnitate Eccleſiæ præciſus Miſſam celebret, quia poteſtatẽ ordinis non amittit, conſecrat verum Corpus, & ſanguinem Chriſti; ſed quia eſt ab Eccleſiæ vnitate ſeparatus, orationes eius efficatiam non habent. 3. p. q. 82. a. 7. ad 3.

Duplici concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. ſi Sacerdos ab vnitate Eccleſiæ præciſus Miſſam celebret, conſecrat verum corpus, & ſanguinem Chriſti. probatur, quia poteſtatem ordinis non amittit. ſecunda concluſio. orationes eius efficaciam non habent. probatur, quia eſt ab Eccleſiæ vnitate ſeparatus.

Ad explicationem harum duarum concluſionum nota, quòd ſacerdos in Miſſa in orationibus loquitur in perſona Eccleſiæ, in cuius vnitate cõſiſtit, & ideò ſi ſeparetur ab Eccleſiæ vnitate, eius orationes efficaciam non habent. in conſecratione autem loquitur in perſona Chriſti, cuius vicem in hoc gerit per Ordinis poteſtatem, ideò ſi ſeparetur ab Eccleſiæ vnitate, & Miſſam celebret, verum efficit ſacramentum, quia poteſtatẽ ordinis non amittit. verùm hæc emuntius ſunt examinanda, & videndum, an ſacrificium iſtorum, qui ſunt ab Eccleſia præciſi, licet illis nihil proſit, alijs tamen proſit, pro quibus offertur, & vt certa ab incertis diſcernamus, tres ſtatuo propoſitiones certas, quarum prima eſt. certum eſt, ipſis præciſis ſacrificium nihil prodeſſe. probatur, quia tunc peccant. ſecunda eſt. manifeſtum eſt, eorum preces, quatenus ex eorum deuotione dimanant, nullius eſſe efficaciæ. probatur, quia

quia peccant offerendo. tertia eſt, notum eſt, nullum eorum, qui ſcienter ab eis petunt ſacrificiũ, aut ſacrificio interſunt, vllum percipere fructum. probatur, quia peccant. dubium autem eſt, an ſi quis ignorans hunc eſſe præciſum ab Eccleſia det ei eleemoſinam pro ſacrificio celebrãdo, cui etiam interſit, & præciſus intendat facere, quod Eccleſia Catholica facere intendit, licet non credat illic eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti, vtrum proſit illi, pro quo offertur. circa quod duo dico iuxta duo, quæ in ſacrificio conſiderari poſſunt, nempe ſacrificium ipſum, & orationes ſacrificãtis. quantùm ad ſacrificium, & ſacramentum vtique prodeſt illis, quod docuit D. Thomas. 2. 2. q. 82. art. 6. in corp. vbi ait, Miſſam mali Sacerdotis, non diſtinguendo de præciſo, vel non præciſo eſſe fructuoſam. ratio id ſundet, quia ſacrificij ſubſtantia in conſecratione, & Sacramenti ſumptione conſiſtit, præciſus autem ab Eccleſia poteſtate conſecrandi potitur, nec talis poteſtas ab Eccleſia ei aufferri poteſt, cum caracter ſit indelebilis, licet poſſit ei aufferri, & de facto auferatur vſus talis poteſtatis, vnde ſi conſecrat, uerè conſecrat, & tenet ſacramentum, & conſequenter ſacrificium ex natura ſua proderit alijs, pro quibus offertur, ſi tamen ſint capaces talis fructus, puta ſi ſint in Gratia. Quo ad præces autem, quæ in Miſſa fiunt à præciſo, dico, eas eſſe nullius efficacię, quia preces dupliciter poſſunt habere efficaciam, vel quia procedunt ab aliquo tanquam Miniſtro Eccleſiæ, vel quia procedunt ab aliquo tanquam perſona priuata, quæ eſt in Gratia Dei, & ex Deuotione mouetur ad orandum. orationes præciſi ab Eccleſia non poſſunt habere efficaciam in primo ſenſu, quia præciſus ab Eccleſia, ex hoc quod eſt præciſus, Eccleſiæ miniſter eſſe non poteſt, vnde quando D. Thomas 2. 2. q. 82. artic. 6. in corp. aiebat, orationes Sacerdotis peccatoris in Miſſa, quatenus eſt miniſter Eccleſiæ, eſſe fructuoſas, non comprehendit præciſos, quia præciſi non ſunt miniſtri Eccleſiæ. ſi autem conſiderentur in ſecundò ſenſu, adhuc non poſſunt eſſe fructuoſæ, quia præciſus eſt in peccato mortali.

Quæritur, an Sacerdos degradatus poſſit conſecrare.

7 Reſpondeo dicendum, quòd poteſtas conſecrandi Euchareſtiam pertinet ad caractèrem Sacerdotalis ordinis, character autem quilibet, quia cum quadam conſecratione datur, indelebilis eſt, ſicut & quarumcumque rerum conſecrationes perpetuæ ſunt, nec amitti, nec reiterari poſſunt, vndè manifeſtum eſt, quòd poteſtas conſecrandi non amittitur per degradationem, dicit enim Auguſtinus 2. contra Parmenianum vtrumque, ſcilicet Baptiſmus, & Ordo Sacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur, illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur, ideòque non licet catholicis vtrumque iterare, & ſic patet, quòd Sacerdos degradatus poteſt conficere hoc Sacramentum. 3. p. queſt. 82. artic. 8. in corp.

Vnica concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. Sacerdos degradatus poteſt conficere Sacramentum Euchareſtiæ. probatur dupliciter, & primò quia poteſtas conſecrandi Euchareſtiam pertinet ad caracterem Sacerdotalis ordinis, ſed caracter quilibet indelebilis eſt, ergo poteſtas conſecrandi non amittitur per degradationem. minor probatur, quia cum quadam conſecratione datur, vnde & quarumcunq; rerum conſecrationes perpetuæ ſunt, nec amitti, nec reiterari poſſunt. ſecundò probatur auctoritate Auguſtini lib. 2. contra Parmenianum, vt in littera.

Concluſionem huius quæſiti ſatis euidenter probat ratio D. Thomæ, ex hoc enim quòd Sacerdos degradatur, etiam realiter non amittit caracterem Sacerdotalem, ſuper quem fundatur poteſtas conſecrandi, cum ſit indelebilis, conſequenter degradatus non ſolum verbaliter, ſed etiam realiter poterit conſecrare. peccat tamen mortaliter talis conſecrans.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſit, quæ docet Valentia tom 4. diſp. 6. q. 10. p. 1. & alij.

Quæritur, an Sacerdos intendens conſecrare propter malum finem, conficiat Sacramentum.

8 Reſpondeo dicendum, quòd poteſtas miniſtrorum Eccleſiæ ad duo ordinatur, primò quidem ad effectum proprium, ſecundò ad finem effectus, ſecundum autem non tollit primum, vndè ſi Sacerdos intendat conſecrare corpus Chriſti propter aliquem malum finem, puta vt irrideat, vel veneficia faciat, propter intentionem mali finis peccat, nihilominus tamẽ propter poteſtatem ſibi datam perficit Sacramentum. 3. p. q. 74. a. 2. ad 2.

Reſpondet D. Thomas huic quæſito vnica cõcluſione, quæ eſt. ſi ſacerdos intendat conſecrare corpus Chriſti propter aliquem malum finem, puta vt irrideat, vel vt veneſitia faciat, peccat, nihilominus tamen perficit Sacramentum. probatur, quòd peccet, quia habet intentionem mali finis. quòd autem ſacramentum perficiat, probatur, quia habet poteſtatem ſibi datam, quæ ad duo ordinatur, primò quidem ad effectum proprium. ſecundò ad finem effectus, ſecundum autem non tollit primum.

Cum Sacramentum quodlibet conſtet ex materia, forma, & intentione conficiendi illud, vt habemus ex Concilio Florentino, vtique conficiet ſacramentum, qui hæc omnia habet, licet malo fine infectus ſit. peccabit tamen mortaliter

ter, qui tali infectus est malo fine, quia Sacramento abutitur.

Quaritur, an liceat Sacerdoti omnino à consecratione abstinere.

9 Respondeo dicendum, quòd secundùm quosdam non peccat, qui dimittit celebrationem, nisi populum habeat commissum, vel ex obedientia teneatur celebrare, sed quia secundùm Gregorium cum crescunt dona, rationes crescunt donorum, cum Sacerdoti sit data potestas nobilissima, reus negligentiæ erit, nisi illa vtatur ad honorem Dei, & salutem suam, & aliorum viuorum, & mortuorum secundùm illud primæ Petri 3. vnusquisque gratiam, quam accepit in alterutrum, illam administrantes &c. nisi fortè aliquis ex familiari Spiritus sancti instinctu dimittat, sicut legitur de quodam sancto Patre in vitis Patrum, qui ordinatus nũquam postea celebrauit. 4. sent. d. 13. q. 1. art. 2. quæstiunc. 1. in corp. (3. p. q. 82. a. 10. in corp.

Duo facit D. Thomas in hoc quæsito. primò affert quamdam opinionem, secundò respondet quæsito duplici conclusione. quo ad primum opinio erat quorumdam dicentium, quòd non peccat, qui dimittit celebrationem, nisi populum habeat commissum, vel ex obedientia teneatur celebrare. cõtra hanc opinionem ponitur prima conclusio; Sacerdos non debet omninò à consecratione cessare. probatur, quia secundum Gregoriũ cum crescunt dona, rationes crescunt donorum, sed Sacerdoti est data potestas nobilissima, ergo reus negligentiæ erit, nisi illa vtatur ad honorem Dei, & salutem suam, & aliorum viuorum, & mortuorum, vt dicitur primę Petri 3. secunda conclusio. potest aliquis dimittere omninò consecrationem ex familiari Spiritus sancti instinctu, probatur ex facto cuiusdam sãcti Patris, qui ordinatus nunquam postea celebrauit, vt legitur in vitis Patrum.

Hæc doctrina supra verb. Communio c. 1. q. 2. à nobis est explicata, quibus nunc addimus, q Sacerdos liber, qui scilicet curam nõ habet animarum, & omni alia obligatione celebrandi, puta ex obedientia, vel ratione stipendij solutus est, peccat mortaliter, si omninò abstineat à celebratione, tùm quia facit contra præceptum Christi inquientis, Hoc facite in meam commemorationem, quibus in verbis non solum consilium, sed etiam præceptum designatur, vt hoc in loco, & alibi obseruat Dominicus Sotus; tùm ratione scandali plebi fidelium dati, quæ de tãta negligentia admirari, cõqueri solet; tum quia iste assimilatur seruo nequam, de quo Mathei 26. & Lucæ 19. qui talentum in sudario reposuit, nec eo vnquam vsus fuit, & ideò iussus fuit mitti in tenebras exteriores, quod vtique non contingit, nisi propter peccatum mortale. Conclusionem D. Thomæ sequuntur Ricardus. 4. sent. dist. 13. a. 1. q. 2. Durandus, Paludanus ibidem q. 2. Siluester verb. Missa 1. q. 7. cæterique summistę, Dominicus Sotus 4. sent. d. 13. q. 1. artic. 10. quia autem præceptum hoc est affirmatiuum, ideò nõ obligabit nisi pro loco, & tempore; huiusmodi autem tempora, in quibus tenebitur sacerdos celebrare, erunt dies Paschatis, Pentecostes, Natiuitatis Domini, in quibus fideles solent communicare, vt supra loco citato diximus.

Quaritur, an Sacerdos consecrans debeat sumere Eucharestiam.

10 Respondeo dicendum, quòd Eucharestia non solum est Sacramentum, sed etiam sacrificium, quicunque autem sacrificiũ offert, debet sacrificij fieri particeps, quia exterius sacrificium, quod offertur, signum est interioris sacrificij, quo quis se ipsum offert Deo, vt Augustinus dicit 10. de ciuit. Dei, vndè per hoc quòd participat sacrificio, ostendit ad se sacrificium interius pertinere, similiter etiam per hoc, quòd sacrificium populo dispensat, ostendit se esse dispensatorem Diuinorum, quorum ipse primò debet esse particeps, sicut Dionysius dicit in lib. Eccl. Hierarchiæ, & ideò ipse ante sumere debet, quàm populo dispenset, vndè in Concilio Toletano legitur, & habetur de consecrat. d. 2. cap. relatum. modis omnibus tenendum est, vt quotiescunq; sacrificans corpus Christi, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in Altari immolat, totiẽs perceptionis Corporis, & sanguinis Christi participem se præbeat, quale est sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? per hoc autem fit particeps, quòd de sacrificio sumit secundùm illud Apostoli primæ corinth. 10. non ne qui edunt Hostias participes sunt Altaris? & ideò necesse est, quòd Sacerdos, quotiescunque consecrat, sumat integrè hoc Sacramentum. 3. p. q. 82. a. 4 in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. necesse est, quòd Sacerdos, quotiescunque consecrat, sumat integrè hoc Sacramentum. probatur dupliciter, & primò quia quicunque sacrificium offert, debet sacrificij fieri particeps, sed Eucharestia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium, ergo &c. probatur maior, quia exterius sacrificium, quod offertur, signum est interioris sacrificij, quo quis se ipsum offert Deo, vt ait D. Augustinus. 10. de ciuit. Dei, vnde per hoc quòd participat sacrificio, ostendit ad se sacrificium interius pertinere.

nere. secundò Sacerdos est dispensator Diuinorum, sed dispensator debet esse primò Diuinorũ particeps, ergo ipse ante sumere debet, quàm populo dispenset.

Conclusio D. Thomæ est statuta in Concilio Toletano 12. can.5. & habetur de consecrat. d. 2. c. relatum. vbi recitantur hæc verba, modis omnibus tenendum est, vt quotiescumque sacrificans Corpus Christi, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in Altari immolat, totiens perceptionis corporis, & sanguinis Christi participem se præbeat. hanc conclusionem optimè demonstrat optima ratio D. Thomæ prima, quæ in hoc fundatur, quòd Eucharestia nedum est Sacramentum, cuius ratio in sola consecratione consistit, sed etiam est sacrifitium, cuius ratio in repræsentatione Passionis Christi consistit, vnde fit, vt dum à Sacerdote sumitur, tunc quasi Christus immoletur, morsq; eius, & sepultura designetur.

Quæritur, quid dicendum circa diuersa genera infirmitatum.

11 Respondeo dicendum, quòd debilitas, vel ægritudo superueniens ordini Sacerdotali ordinem non tollit, executionem tamen Ordinis tollit quantùm ad consecrationem Eucharestiæ, quandoq; quidẽ propter impossibilitatem executionis, sicut si priuetur oculis, aut digitis, aut vsu linguæ, quandoque propter periculum, sicut patet de eo, qui patitur morbum caducum, vel etiam quamcunque alienationem mentis, quandoque propter abominationem, sicut patet de leproso, qui non debet publicè celebrare; potest tamen Missam dicere occultè, nisi lepra adeò inualuerit, quòd per corrosionem membrorũ eum adhoc reddiderit impotentem. 3.p.q. 82. artic. 10. ad 3.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. debilitas, vel ægritudo superueniens Ordini Sacerdotali ordinem non tollit, executionem tamen ordinis tollit quantùm ad consecrationem Eucharestiæ. probatur secunda pars, quia quandoque hoc contingit propter impossibilitatem executionis, sicut si priuetur oculis, aut digitis, aut vsu linguę; quandoque propter periculum, sicut patet de eo, qui patitur morbum caducum, vel quamcũque alienationem mentis; quandoque propter abominationem, sicut patet de leproso, qui non debet publicè celebrare. secunda conclusio. leprosus potest Missam dicere occultè, nisi lepra adeò inualuerit, quòd per corrosionem membrorum eum adhoc reddiderit impotentem.

Ex hoc loco habemus, quòd quando in quæsito nono dicebat D. Thomas, non licere Sacerdoti omninò à consecratione abstinere, illius dictum verificatur solum de Sacerdotibus impedimento legitimo non detentis, priuatus autem oculis, aut digitis, aut vsu linguæ, aut patiens morbum caducum, aut quamcunque mentis alienationem, aut leprosus impeditur quo ad executionem Ordinis, & potestatis Sacerdotalis, vel propter impossibilitatem executionis, vt patet in tribus primis, aut propter periculum, vt patet in quarto, & quinto, aut propter abominationem, vt patet in leproso.

Quæritur, an Sacerdos debeat sumere Eucharestiam, quando apparet sub specie carnis, vel sanguinis.

12 Respondeo dicendum, quòd si miraraculosè corpus Christi in Altari sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis, non est sumendum. 3. p. quæst. 82. art. 4. ad 3.

Non esse sumendum corpus Christi, si miraculosè in Altari sub spetie carnis appareat, aut sanguis sub spetie sanguinis, ostendit D. Thomas hoc in loco.

Hanc doctrinam iam exposuimus supra uerb. Communio cap. 7. q. 1. 2. 3. & in nostris Arcanis lib. 3. q. 44. legatur etiam q. 45.

Quæritur, quibus liceat tangere Corpus Christi.

13 Respondeo dicendum, quòd tangere corpus Christi ex offitio soli Sacerdoti cõpetit, sed in casu necessitatis potest, & debet laicus corpus Christi tangere, etiam si sit peccator, vt si in aliquo loco immundo iaceret. 4. sentent. d. 13. quæst. 1. artic. 3. quæstiunc. 1. ad 3.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. tangere corpus Christi ex offitio soli Sacerdoti competit. secunda conclusio. in casu necessitatis potest, & debet laicus corpus Christi tangere, etiam si sit peccator, vt si in aliquo loco immundo iaceat.

Tangere manibus corpus Christi soli Sacerdoti ex offitio incumbit, de quo tactu manuum loquitur prima conclusio, si enim loquamur de gustu, qui est quidam tactus, vt dicitur in 3. de anima, omnibus Christi fidelibus licet illud hoc modo tangere, in casu tamen necessitatis, quando scilicet corpus Christi iaceret in loco immundo, & non adesset Sacerdos, qui illud subleuet, tunc laicus, licet peccator potest illud manibus tangere subleuando de loco immundo, & in locum decentem reponere. legantur ea, quæ diximus supra verb. communio cap. 5. q. 1.

Quæritur, an laicis liceat dispensare Eucharestiam.

14 Respondeo dicendũ, quòd laicis quantùm-

tumcunque sanctis sicut nec cõsecratio, ità nec dispensatio huius Sacramenti competit. 4. sentent. dist. 13. quæst. 1. artic. 3. quæstiunc. 1. in corp.

Quod laicis quantumcunque sanctis sicut nec consecratio, ita nec dispensatio Eucharestiæ cõpetit, docet D. Thomas hoc in loco.

Ad explicationẽ huius litteræ nota ex D. Thoma hoc in loco, quòd sicut in corpore naturali sunt quædam membra principalia, per quæ virtutes, & operationes vitæ ad cætera membra decurrunt, ita & in Ecclesia Sacerdotes, & alij ministri sunt quasi membra principalia, quibus mediantibus Sacraméta vitæ populo dispensari debent, ideò hoc non competit laicis. legatur D. Thomas 3. p. q. 82. artic. 3. quo in loco probat tribus rationibus dispensationem Eucharestiæ soli Sacerdoti competere, vnde laicis nullo modo hoc licebit, de consecrat. enim d. 2. c. peruenit. dicitur; Peruenit ad notitiam nostram, quòd quidam Presbyteri laico, aut fœminæ corpus Domini tradunt ad deferendum infirmis, igitur interdicit Synodus, ne talis præsumptio vlterius fiat, sed Presbyter persemetipsum infirmos communicet.

Quæritur, à quo liceat Eucharestiam sumere.

15 Respondeo dicendum, quòd non licet Eucharestiam ab alio, quàm à proprio Sacerdote accipere. 4. sentent. dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 6. ad 2.

Quod non liceat accipere Eucharestiã ab alio, quàm à proprio Sacerdote, docet D. Thomas hoc in loco.

Conclusio D. Thomæ vera est stando in iure communi canonico, quo soli Parocho ex officio competit Eucharestiam ministrare, vt patet ex Clement. 1. de priui. vbi etiam excomunicantur Religiosi Eucharestiam ministrantes, vel matrimonia solemnizantes sine Parochi licentia speciali, vel generali iuxta declarationem Eugenij quarti; attamen ex priuilegio Religiosi possunt vbique saltem extra tempus Paschæ Eucharestiã fidelibus ministrare, quia Nicolaus quintus Bul. 2. & Sixtus quartus Bul. 11. concesserunt Minoribus, vt quorum Confessiones audierint, eisdẽ Eucharestiam ministrent in omni tempore, excepto die Paschatis Resurrectionis. Iulius item secundus, vt habetur in supplem. concl. 160. de qua Rodriquez in q. reg. tom. 1. q. 56. art. 3. concessit eisdem Minoribus, vt in suis Ecclesijs, quoties opus sit, ministrent, vel ministrare faciant Eucharestiam. ex quo patet, quòd Sacerdotes sæculares de licentia Religiosorum in ipsorum Ecclesijs idem præstare possunt, quoties Religiosis illud facere licet. ita Medina in sum. lib. pri. cap. 11. parag. 13. immò etiam ex priuilegio Religiosi possunt in Paschate Eucharestiã ministrare fidelibus communicantibus ob Deuotionem, vt dicit Ioannes della Crux lib. 2. cap. 5. concl. 2. contra Nauarrum in manuali cap. 21. n. 52. vnde quando in priuilegijs excipitur Cõmunio Paschalis, sermo est de Communione impletiua præcepti Communionis, hæc enim debet fieri in propria Parochia, vt ait Suarez 3. p. disp. 82. sect. 2. sed Ioannes della Crux loco citato concl. 3. docet licere Religiosis ministrare fidelibus in suis Ecclesijs Eucharestiam in Paschate, etiam ad implendum præceptum Communionis sine licentia Curatorum, vel Rectorum, quod probat ex concessione Nicolai quinti, Iulij secũdi facta fratribus de Guadalupe, quod priuilegiũ censetur etiam factum toti ordini D. Hieronimi, vt declarauit Pius quartus; Iulius item secundus Bul. 26. vult, vt priuilegia concessa vni monasterio Minimorum toti Ordini concessa intelliguntur, & consequenter alijs Religionibus per communicationem.

Quæritur, an Eucharestia possit aliquando sumi ab alio, quàm à proprio Sacerdote.

16 Respondeo dicendum, quòd licet recipere Eucharestiam non à proprio Sacerdote, cui tamen fuit hoc commissum. opusculo 19. cap. 4.

Quod liceat recipere Eucharestiam nõ à proprio Sacerdote, cui tamen hoc fuit commissum, docet D. Thomas hoc in loco.

Iam dictum est, quòd de iure communi canonico soli Parocho ex officio competit Eucharestiã ministrare, vt patet ex Clement. 1. de priui. immò quòd excomunicantur Religiosi Eucharestiam ministrantes sine Parochi licentia speciali, vel generali, ergo ille Sacerdos, cui impertitur Parochus licentiam ministrandi Eucharestiam, poterit illam ministrare, & sic fidelis potest recipere Eucharestiam non à proprio Sacerdote, cui tamen hoc fuit commissum.

Quæritur, an aliquis sine sui culpa possit arceri ab Eucharestia.

17 Respondeo dicendum, quòd aliquis sine culpa quandoque ab Eucharestia arcetur, sicut patet in suspensis, vel interdictis, quia tales pœnæ quandoque alicui pro culpa alterius, qui in eis punitur, inferuntur. 4. sentent. dist. 18. quæst. 2. artic. 4. quæstiunc. 3. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. aliquis sine culpa quandoque ab Eucharestia arcetur, sicut patet in suspensis, vel interdictis. probatur, quia tales pænæ quandoque alicui pro culpa alterius, qui in eis punitur, inferuntur.

Ad explicationem huius doctrinæ nota in hoc distingui excomunicationem ab interdicto, & suspensione, quod tota Ciuitas, vel Communitas non potest excomunicari, quia cum excomunicatio sit maxima pænarum, & in Ciuitate, siue

Com-

Communitate licet sint plures pessimi homines, sunt tamen alij boni, & timorati, tanta autem pæna, qualis est excomunicatio, non debet puniri bonus pro malo, interdictum autem, & suspensio non sunt tantæ pænæ, ideò tota Ciuitas, siue Communitas, vnus pro alio, bonus pro malo potest interdicto supponi, vt boni ex tali pæna, quam sine sua culpa subeunt, insurgant contra eos, qui sunt causa interdicti, & sic à peccato resipiscant, & cum tempore interdicti non liceat recipere Eucharestiam, ideò aliquis sine sua culpa poterit arceri ab Eucharestiæ sumptione. de hac materia etiam agetur infra verb. excom. ca. 3. quæst. 3.

EXCANDESCENTIA.

§ *Quid nominis excendescentiæ ponitur.*
Quid sit excandescentia.
Tres sunt speties iræ, & quæ.
Secundùm quæ sumantur speties iræ.
Irascentium alij sunt acuti, alij amari, alij difficiles.
Excandescentia magis videtur pertinere ad primam spetiem iræ.

Quæritur, ad quod vitium pertineat excandescentia.

RESpondeo dicendum, quòd excandescentia magis videtur pertinere ad primam speciem iræ, quæ perficitur secundùm velocitatem iræ, quàm ad furorem. p. 2. q. 46. a. 8. ad 2.

Quod excandescentia magis videatur pertinere ad primam speciem iræ, quæ perficitur secundum velocitatem iræ, quàm ad furorem, docet D. Thomas hoc in loco.

Ad explicationem huius doctrinæ nota, quòd excandescentia latinè dicitur græcè schismos, vt ait Cicero in 4. de Tusculanis quęst. & est ira modo nascens, & modo desistens, iræ autem tres sunt speties, vt ait Damascenus lib. 2. cap. 16. & Gregorius Nisenus lib. 4. cap. 13. scilicet Fel, Mania, & Furor, quæ, vt docet D. Thomas p. 2. qu. 46. artic. 8. in corp. sumuntur secundum ea, quæ dant iræ aliquod augmentum, quod contingit tripliciter, & primò ex facultate ipsius motus, & talis ira vocatur Fel, quia citò accenditur. secũdò ex parte tristitiæ causantis iram, quæ diu in memoria manet, & hæc pertinet ad Maniam, quę à manendo dicitur. tertiò ex parte eius, quod iratus appetit, scilicet vindictæ, & hæc pertinet ad furorem, qui nunquam quiescit, donec puniat, vnde phylosophus in 4. eth. quosdam irascentiũ vocat accutos, quia citò irascuntur; quosdam amaros, quia diu retinent iram; quosdam difficiles, quia nunquam quiescunt, nisi puniant: excandescentia autem magis videtur pertinere ad primam spetiem, scilicet Fel, quæ perficitur secundùm velocitatem iræ, quàm ad tertiam, quę dicitur Furor. si quis autem obijciat, quòd excandescentia secundùm Damascenum dicitur græcè schismos, quod est idem, quod Furor latinè, ergo potius videtur pertinere ad tertiam spetiem, quàm ad primam. respondebitur, quòd vtrumque importat, nempe velocitatem ad irascendum, & firmitatem propositi ad puniendũ, licet magis videatur pertinere ad primã spetiẽ.

EXCAECATIO.

1 *Excatio quid importet.*
§ *Duo importat excæcatio, & quæ.*
In quo sensu dicatur Deus excæcare peccatores, & in quo Deus non dicatur excæcare.
2 *Excæcatio est quædam pæna.*
§ *Homo non fit deterior per excæcationem, & indurationem, vt important subtractionem Gratiæ.*
Per quid homo fit deterior.
3 *Excęcatio in quo sensu sit culpa.*
4 *Excęcatio est quoddam preambulum ad peccatum.*
Excęcatio ex sui natura ordinatur ad damnationẽ eius, qui excęcatur.
Excęcatio ad tempus ex misericordia Diuina ordinatur ad salutem predestinatorum.
§ *Ordinare excęcationem aliquorum ad eorum salutem est opus misericordię.*
Quòd ordinetur excęcatio aliorum ad eorum damnationem, est opus iustitię.
Nec in hoc alicui fit iniuria.
Quòd Deus non omnium ordinet excæcationem ad eorum salutem, non est acceptio personarum.

Quęritur, quid importet excęcatio.

1 RESpondeo dicendum, quòd excæcatio, & obduratio duo importãt, quorum vnum est motus animi humani inhærentis malo, & auersi à Diuino lumine, aliud autem est subtractio Gratiæ, ex qua sequitur, quòd mens Diuinitus non illuminetur ad rectè videndum. p. 2. q. 79. a. 3. in corp.

Excæcationem, & obdurationem duo importare docet D. Thomas hoc in loco, primò enim importat motum animi inhærẽtis malo, & auersi a Diuino lumine. secundò subtractionem Gratiæ, ex qua sequitur, quòd mens Diuinitus non illuminetur ad rectè videndum.

Secundum ista duo importata in excæcatione dicitur Deus excæcare, vel non excæcare peccatores, quatenus enim excæcatio importat motum animi inhærentis malo, & auersi à Diuino lumine, sic Deus non dicitur esse causa excæcationis, sicut non est causa peccati. quatenus autem excæcatio importat subtractionem Gratiæ, ex qua sequitur, quòd mens Diuinitus non illuminetur ad rectè videndum, sic Deus dicitur causa excæcationis peccatorum. legatur D. Thomas hoc in loco per totum, & eius expositores Caietanus, & Bartolomeus Medina.

Quęri-

Quæritur, an excęcatio sit pęna.

2 Respondeo dicendum, quòd excæcatio, & induratio ex parte subtractionis Gratię, sunt quædam pœnæ. p. 2. quæst. 79. artic. 3. ad 1.

Quod excæcatio, & induratio ex parte subtractionis Gratiæ sunt quædam pænæ, docet D. Thomas hoc in loco.

Per hanc doctrinam vult S. Thomas respondere auctoritati cuidam D. Augustini in lib. 83. qu. inquientis, quòd Deus non est causa eius, quo homo fit deterior, homo autem fit deterior per excæcationem, ergo Deus non est causa excæcationis, quod est contra supradicta à nobis. respondet autem, quòd excæcatio, & induratio, vt important subtractionem Gratiæ, sunt quædam pænæ, & ex hac parte per eas homo non fit deterior, sed benè fit deterior per culpam, per quã has, & alias incurrit pænas, idest homo fit deterior per excæcationem ratione primi, quod importat, non autem ratione secundi, quia primum est culpa, secũdum autem est pæna, per culpam homo deterioratur, non per pænam.

Quæritur, an excæcatio sit aliquando culpa.

3 Respondeo dicendum, quòd excæcatio, & induratio, vt important motum animi humani inhærentis malo, & auersi à Diuino lumine est culpa. p. 2. quæst. 79. artic. 3. ad 2.

Quod excæcatio, & induratio, vt important motum animi humani inhærentis malo, & auersi à Diuino lumine, est culpa, docet D. Thomas hoc in loco.

Ex hac doctrina habemus, excæcationem, & indurationem ratione primi, quod important, esse culpas, sicut ratione secundi esse pænas, vndè sicut culpa est causa pænæ, ita excæcatio, vt est culpa, est causa excæcationis, vt est pæna.

Quęritur, an excęcatio, & obduratio semper ordinentur ad salutem eius, qui excęcatur, & obduratur.

4 Respondeo dicendum, quòd excæcatio est quoddam præambulum ad peccatum, peccatum autem ad duo ordinatur, ad vnum quidem per se, scilicet ad damnationem, ad aliud autem ex Diuina misericordia, vel prouidentia, scilicet ad sanationem, inquantùm Deus permittit aliquos cadere in peccatum, vt peccatum suum cognoscentes humilientur, & conuertantur, sicut Augustinus dicit in lib. de natura, & Gratia, vndè & excæcatio ex sui natura ordinatur ad damnationem eius, qui excæcatur, propter quod ponitur etiam reprobationis effectus, sed ex Diuina misericordia excæcatio ad tẽpus ordinatur medicinaliter ad salutem eorum, qui excæcantur, sed hæc misericordia non omnibus impenditur excæcatis, sed prædestinatis solum, quibus omnia cooperantur in bonum, sicut dicitur Rom. 8. vndè quantùm ad quosdam excæcatio ordinatur ad sanationem, quãtùm verò ad alios, ad damnationem, vt Augustinus dicit in 3. de quæst. Euang. p. 2. quæst. 79. artic. 4. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. quantùm ad quosdam excæcatio ordinatur ad sanationem, quantùm verò ad alios, ad damnationem. probatur primò ratione tali, excæcatio ex sui natura ordinatur ad dãnationem eius, qui excæcatur, propter quod ponitur etiam reprobationis effectus, sed ex Diuina misericordia excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem eorum, qui excæcantur, sed hæc misericordia non omnibus impenditur excæcatis, sed prædestinatis solum, quibus omnia cooperantur in bonũ, sicut dicitur Rom. 8. ergo excæcatio quantùm ad quosdam ordinatur ad sanationem, quantùm verò ad alios, ad damnationem. probatur maior, quia excæcatio est quoddam præambulum ad peccatum, peccatum autem ad duo ordinatur, ad vnum quidem per se, scilicet ad damnationem, ad aliud autem ex Diuina misericordia, vel prouidentia, scilicet ad sanationem, inquantùm Deus permittit aliquos cadere in peccatum, vt peccatum suum cognoscentes humilienter, & conuertantur, sicut Augustinus dicit de natura, & Gratia, ita excęcatio &c. secundò probatur conclusio auctoritate D. Augustini in 3. de quæst. Euang.

Hic aduerte, quòd sicut ad misericordiam Diuinam spectat, quòd aliquorum excæcationem ordinet in eorum salutem, ita ad iustitiam Diuinam spectat, quòd excæcatio aliorum ordinetur ad eorum damnationem, & si spectat ad iustitiam, nulli in hoc facit iniuriam, sicut non facit personarum acceptionem, quòd aliquorum, & nõ omnium excæcationem ordinet ad eorum salutem, quia hoc ex misericordia procedit, misericordię autem opus quibus vult impertiri potest absque peccati acceptionis labe, sicut eleemosinam vni pauperi, & non alteri potest quis impertiri absq; personarum acceptionis nota.

Excommunicatio.

Cap. I.

1 *Excommunicatio directè non est actus clauis, sed magis respectu exterioris iudicij.*

Potestas excommunicandi in quo sensu possit dici clauis.

5 *Quid nominis excomunicationis exponitur.*

Excomunicatio dicitur censura Diuina, & Ecclesiastica, & quare.

Exco-

& non sit priuatus omnibus Ecclesiæ suffragijs.
Concilium Constantiense permittit externam communicationem cum excomunicatis toleratis non autem internam.
9 *Quomodo excomunicatio dicatur subtrahere gratiam Dei.*
10 *Excommunicatio potest esse iniusta, & ex parte excommunicantis, & ex parte ipsius excommunicationis.*
Excommunicatio iniusta ex parte excommunicantis habet effectum.
Excommunicatio continens errorem, qui sententiã facit nullam, non habet effectum.
Si error non anullat sententiam, habet effectum, & excommunicatus ei tenetur obedire.
Si contempserit eam, peccat mortaliter.
Quando aliquis excommunicatur ex causa, quæ sit debita ex parte excommunicationis, indebita tamen ex parte excommunicati, si sustineat eam, humilitatis meritum recompensat damnum excommunicationis.
§ *Excomunicatio potest dici iniusta ex triplici capite, & quæ.*
In quotuplici sensu excommunicatio est iniusta ex parte excommunicantis, & quando valida, & quando nulla.
In quotuplici sensu excommunicatio est iniusta ex parte excomunicationis, & quando valida, & quando nulla.
Quis dicatur error intolerabilis.
Duplex error intolerabilis, scilicet iuris, & facti, & quid sint vtrique.
Excomunicationẽ debet præcedere aliqua monitio.
Monitio aliqua est de essentia excomunicationis.
In quotuplici sensu est iniusta excommunicatio ex parte excommunicati, & quando valida, & quando non.
Excomunicatus propter peccatum, de quo est conuictus, sed illud verè non commisit, si celebret absque scandalo, & præsertim in occultò, non peccat in foro interiori, nec pænis canonicis afficitur.
11 *Excommunicatio quo fine feratur.*
§ *Triplex sensus illorum verborum D. Pauli, vt spiritus eius saluus fiat in die Domini.*

Quæritur, an excommunicatio sit actus Clauis.

2 Respondeo dicendum, quòd excõmunicatio non est actus Clauis directè, sed magis respectu exterioris iudicij, sed sententia excommunicationis quamuis in exteriori iudicio promulgetur, quia tamen aliquo modo pertinet ad aditum regni secundùm quòd Ecclesia militans est via ad triumphantem, ideò etiam talis iurisdictio, per quam homo excommunicare potest, Clauis dici potest, & secundùm hoc à quibusdam distinguitur, quòd est Clauis ordinis, quàm omnes Sacerdotes habent, & Clauis iurisdictionis in foro iudiciali, quam habent soli iudices exterioris fori, vtrumque Deus Petro contulit Matthæi 16. & ab ipso in alios descendit, qui vtramque habent. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 2. quæst. 1. ad primum.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. excomunicatio non est actus clauis directè. probatur, quia magis est respectu exterioris iuditij. secunda conclusio. iurisdictio, per quam homo excomunicare potest, in aliquo sensu clauis dici potest. probatur, quia quamuis sententia excomunicationis in exteriori iuditio promulgetur, quia tamen aliquo modo pertinet ad aditum regni, secundú quòd Ecclesia militans est via ad triunphantem, ideò talis iurisdictio clauis dici potest. hinc elicitur corrolarium, quòd à quibusdam distinguitur, quòd est clauis ordinis, quam omnes Sacerdotes habent, & clauis iurisdictionis in foro iuditiali, quam habent soli iudices exterioris fori. tertia conclusio. vtramque Deus Petro contulit. probatur ex Mathei cap. 16. hinc elicitur corrolarium, quòd à Petro in alios descendit, qui vtráque habent.

Antequam ad explanationem huius litteræ deueniamus, quid nominis excomunicationis dilucidandum est. dicitur ergo excomunicatio quasi extra cõmunionem, in primitiua enim Ecclesia qui publico maculatus erat peccato, à Sãcta Euchareſtiæ arcebatur communione, qua capiti suo Christo coadunatur homo, in eiusq; carnem transformatur, quo vtique sacramento nos, qui membra Ecclesiæ sumus, in vnum corpus cõpingimur, & talis priuatus sacra Eucharestiæ participatione excomunicatus censebatur, & dicebatur, sed successu temporis frigescente feruore erga Sacram Communionem addidit Ecclesia priuationem aliorum Sacramentorum, & bonorum. quia igitur per Eucharestiæ Sacramẽtum, vt ex D Dionysio in lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. & ex D. Damasceno lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14. tradit Dominicus Sotus lib. 4. sent. d. 22. q. 1. art. 1. Christo capiti nostro coadunamur, in eiusque carnem trãsformamur, & fideles tanquã membra Ecclesiæ in vnum corpus maximè reducentur, communio inter fideles per antonomasiam vni sacramento Eucharestię tribuitur, sic etiam & excomunicationis sententia, quæ à tali participatione excludit, nomẽ hoc primariò desumpsit. secundò etiam sic dicitur, quia per illam etiam ab aliorum sacramentorum, & bonorum Ecclesiæ participatione, & etiam à consortio, societate, & communione fidelium arcemur. pluribus etiam alijs nominibus nuncupatur, hæc censura, dicitur enim à Tertuliano in Apologetico aduersus gentes cap. 39. Censura Diuina. ab Innocentio tertio in c. irrefragabili. de offi. iud. ord. & in c. quærenti. de verb. sign. & à Ioanne 22. in extrauag. quæ incipit, S. Romana. & à Clemente quinto in Clemẽt. 3. de sent. excom. dicitur censura Ecclesiastica. vocatur autem censura, quia huiusmodi pęna hominis

minis contumatia reprimitur, punitur, quod munus olim Censores apud Romanos exercuerunt; dicitur autem censura Diuina, quia Diuinis priuat sacramentis; vocatur censura Ecclesiastica, quia hac pœna vtitur Ecclesia in puniendis hominum sceleribus. secundò dicitur Districtio Ecclesiastica ab Alexandro tertio in c.nuncios. de Decimis. & in c. aduersus. de immunit. Eccl. quia Ecclesia per excomunicationem quasi ligatam, & constrictam tenet hominis contumatiã, ne longius erumpat. vocatur etiam tertiò Anathema nomine græco, quod significat sepositum, vel separatum, vt ait Dominicus Sotus, vnde donaria, quæ templorum delubris oblata in ipsis templis suspenduntur, anathemata appellantur, quasi ab vsu humano semota, vnde & excomunicati dicuntur anathemata, ideſt separati iuxta illud Apostoli ad Rom.9. optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, dicitur enim ab ana græcè, quod latinè dicitur sursum, & teatè græcè, quod latinè dicitur positio, desumitur enim similitudo ab antiquis, qui capta in bello appendebant separata, & seiuncta à cæteris. vel significat Anathema, vt exponit D. Hieronimus super Epistolam ad Galat. c.1. id, quod detestationi, & abominationi habetur, vnde homo anathematizatus idem est quod homo detestabilis, & execrabilis; rursus anathema idẽ est, quod excomunicatio maior, vt habemus ex Synodo quinta can. certum. 24. q. 3. anathema tamen maiorem videtur per se incutere terrorem; hinc est quod in Concilijs huius nominis frequẽtior extat vsus, anathema enim solet ferri cum maiori solemnitate, nam consueuit ferri ab Episcopo, quem circonstant duodecim Sacerdotes cum candelis, quas ad finem proijciunt, & pedibus conculcant. quartò vocatur anathema Maramatha à D Paulo primæ ad Corinth. 16. & idẽ est quod excomunicatus vsque ad aduẽtum Domini, nisi pæniteat, anathema enim idẽ est, quod excomunicatus, maramatha autem idem est, qđ donec Dominus veniat, vt S. interpretatur Hieronimus. quintò vocatur Mors à S.Cipriano lib. 1. dist. 11. quia sicut mortuus vitæ huius fructibus priuatur, ita excomunicatus spiritualis vitæ fructibus priuatur. sextò dicitur Medicina à D. Augustino hom. 50. de pænit. c. 12. & D.Thoma in addit. ad 3. p.q. 21. art. 3. quia sicut Medicus applicat medicinam infirmo, vt sanetur, ita iudex vtitur excomunicatione, vt excomunicatus peccator sanetur, corrigatur, resipiscat, à contumatia discedat, vnde D. Paulus primæ ad Timoth. dicebat, tradidi eos sathanæ, vt discant non blasphemare. septimo dicitur Mucro Episcopi à Ioanne Papa, vt habetur 16. q.2. visis. & à S.Hieronimo Epist. 1. vocatur Mucro spiritualis. est, inquam, Mucro Episcopi, quia eam Episcopi tantùm proferre debent, vt vult Panormitanus in c. cum non ab homine. de Iudic. glosa etiam in c. transmissum. de elect. ait, iurisdictionis Episcopalis esse ferre censuram. vocatur item Mucro spiritualis, quia sicut Princeps vtitur gladio temporali, & materiali ad malorum correctionem, & punitionem, ita Prælatus Ecclesiasticus vti debet excomunicatione tanquam gladio spirituali, vt contumaces reprimat, puniat, hinc benè aduertit Dominicus Sotus 4. sent. d. 22.qu.1. art. 1. quod hi duo gladij, scilicet ciuilis, & spiritualis sunt duo illi gladij, quos Lucæ 22. Christus dixit satis esse ad Christianam familiam gubernandam; vel dicitur gladius spiritualis, quia sicut in veteri lege voluit Deus, vt qui voci Sacerdotis non obtemperaret, gladio moreretur, vt testatur D. Hieronim' ep.1. ita in noua excomunicationem reliquit, vt rebelles, & contumaces ea coerceret. octauò vocatur virga ferrea à S. Hieronimo Epist. 58. quia nulla alia censura Ecclesiastica sic apta est hominum audaciam, & superbiam comprimere, & constringere, sicut est excomunicationis pæna. nonò vocatur excomunicatio maior maxima omnium pænarum à D. Augustino de correpr.& Gratia cap.19. & meritò, quia primò priuat excomunicatum bonis spiritualibus. secundò quia grauis pæna est inter homines esse, & ipsorum consortio priuari. tertiò quia excommunicati non solum tanquam ethnici, & publicani à populo, & templo Dei separati existunt, sed peioris longè conditionis sunt, quia si quis ad mensam Paganorum ire voluerit, sine difficultate permittitur, sed cum excomunicato non licet vesci, neque orare, neque loqui. & aduerte, quòd excomunicatio maior nedum est maxima pænarum spiritualium, quæ sunt in Ecclesia, puta suspensione, interdicto, depositione, degradatione &c. sed etiam est maxima omnium pænarum corporalium, quæ ob diuersa delicta solent infligi delinquentibus; est, maior fustigatione, verberibus, damnatione ad carceres, damnatione ad mortem, quia hæ pœnæ tantùm corpus lædunt, cruciant, affligunt, excomunicatio autem animam punit, bonis spiritualibus, nempe Sacramentis, & orationibus, & communione fidelium priuat. ista ergo excomunicatio non est actus clauis directè, aliter qui habent claues Ecclesiæ, possent excomunicare, & cum in quolibet Sacerdote adsint claues Ecclesiæ, quilibet Sacerdos posset excomunicare, quod tamen est falsum. rursus nomine clauium per antunomasiam intelligimus potestatem Ordinis ad remittendum peccata, vnde vocantur claues sacramentales, & sunt discernendi scientia, & potentia iudicandi, ideſt ligãdi, & soluendi, qua Ecclesiasticus Iudex dignos recipere, & indignos debet excludere à Regno; dicuntur autem scientia, ideſt potestas exercendi actum scientiæ in iuditio Confessionis, & potestas ligandi, & soluendi in eodem iuditio Pænitentiali, vt supra verb. Clauis. cap. 1.q.1. cum Siluestro exposuimus, excomunicatio autem pertinet ad actum exterioris iuditij, vnde propriè loquendo excomunicatio non est actus Clauium; communiter tamen potest dici actus clauium, quia etiam communiter potestas iurisdictionis nomine clauium gaudet.

Ex tertia conclusione habemus Claues Ordinis, & Iurisdictionis esse de iure Diuino, de clauibus

nibus siquidẽ Ordinis loquens Christus Mathei 16. dicebat Petro, tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis; loquens autem de Claue iurisdictionis Mathei 18. dicebat, si correptus non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, & postea subdit, amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, ex hoc enim quòd dicit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, denotat, ꝙ rebellis non solum ab externo consortio Christi fidelium debet esse semotus, & sequestratus, sed etiam communibus orationibus, & suffragijs, ac sacramẽtis est priuatus, quia Ecclesia hæc nõ impertitur, ac communicat nisi fratribus, qui sunt in suo gremio; quod etiam sequentibus verbis voluit docere, dum dicebat, quæcunque ligaueritis super terrã, erunt ligata & in cælo, quasi quòd excludere hominem tanquam ethnicum non sit tantùm à terreno contubernio repellere, verùm etiam à spiritualibus subsidijs, quæ uim habent apud Deum in cælo. obseruandum tamen est ex Dominico Soto 4. sent. d. 22. q. 1. a. 1. quòd potestas excommunicandi iure Diuino tradita est Ecclesiæ, forma tamen ipsa, & effectus, nempe priuare hominem participatione Sacramentorum, suffragijs, & orationibꝰ non est expressus in Euãgelio. si quis autem objiciat interpretationem supra positam verbis Christi, quæ habentur Mathei 18. respondebitur, quòd Ecclesia sic interpretatur illa verba de potestate sibi Diuinitus tradita, & ideò vsus excomunicandi, quem Ecclesia seruat, hac ratione est de iure Diuino, quod habet fundamentum in Euangelio.

Quæritur, quid sit excommunicatio?

2 Respondeo dicendum, quòd ille, qui per Baptismum in Ecclesia ponitur, ad duo adscribitur, scilicet ad cætum fidelium, & ad Sacramentorum participationem, & hoc secundum præsupponit primum, quia in Sacramentis participandis etiam fideles communicant, & ideò aliquis potest extra Ecclesiam fieri per excommunicationem dupliciter, vno modo ita quòd separetur tantùm à participatione Sacramẽtorum, & hęc erit excommunicatio minor, alio modo ita quòd excludatur ab vtroq; & sic erit excommunicatio maior, quæ sic diffinitur, excommunicatio est separatio à communione Ecclesiæ, quo ad fructum, & suffragia generalia, non autem potest esse tertium, scilicet, quòd excludatur à communione fidelium, & non à participatione Sacramentorum ratione iam dicta, quia scilicet fideles in Sacramentis communicant, sed communicatio fidelium est duplex, quædam in spiritualibus sicut mutuæ orationes sunt, & conuentus ad sacra percipienda, quædam in corporalibus actibus legitimis, qui quidẽ legitimi actus, & licita communio his versibus continentur.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os scilicet, ne detur osculum; orare, nè cùm excommunicatis oremus; vale, nè salutentur; communio, nè scilicet in Sacramentis cum ipsis communicet; mensa negatur, nè aliquis cũ eis comedat. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. in corp.

Conclusione quintuplici respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ille, qui per Baptismum in Ecclesia ponitur, ad duo adscribitur, scilicet ad cætum fidelium, & ad Sacramentorũ participationem, & hoc secundum præsuponit primum. probatur secunda pars, quia in sacramentis participandis etiam fideles communicant. secunda conclusio. aliquis potest extra Ecclesiam fieri per excomunicationem dupliciter. probatur, quia vel separatur tantùm à participatione Sacramentorum, & hoc fit per excomunicationem minorem, vel excluditur ab vtroque, scilicet à cætu fidelium, & sacramentorum participatione, & hoc fit per excomunicationẽ maiorem. tertia conclusio, excomunicatio maior est separatio à cõmunione Ecclesiæ quo ad fructum, & suffragia generalia. hæc patet ex secunda cõclusione. quarta conclusio. non potest dari tertium, scilicet quòd excludatur quis à communione fidelium, & non à participatione Sacramentorum. probatur, quia fideles in sacramentis communicant. quinta conclusio. communicatio fidelium est duplex. probatur, quia quædam est in spiritualibus, sicut in mutuis orationibus &c. quædam in corporalibus actibus legitimis, qui legitimi actus, & licita communio his versibus continentur.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Circa secundam conclusionem, & eius rationem nota, quòd hæc diuisio excomunicationis in maiorem & minorem ab omnibus conceditur Theologis, & est diuisio analogi in sua analogata, & colligitur ex c. pen. & ibi glòsa in verb. non tantùm minori. de sentent. excom. & ex cap. 1. & glosa ibi verb. speciem. de excep. lib. 6. dicitur autem maior respectu minoris, sicut minor dicitur respectu maioris, vt docet Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. a. 1. §. contra nomina vero &c. quia scilicet est pars maioris excomunicationis, quæ sacramẽtis, & alijs bonis priuat, maior enim excomunicatio actiua, & passiua participatione Sacramentorum, & fidelium exteriori conuictu priuat, minor autem excomunicatio sola participatione passiua omnium Sacramentorum priuat. cap. si celebrat. de Cler. excom. minist. vnde maior, & minor excomunicatio ab effectu maiori, vel minori dicuntur, maior siquidem plures, & grauiores causat effectus, minor vero pauciores, & non ita graues. dicitur etiam minor excomuni-

municatio, vt loco citato subiungit idem Sotus, quia minoribus peccatis incurritur, maior enim solum ob peccatum mortale incurritur, vt communiter docent Theologi, & de hoc est Decretum Concilij Meldensis can. nemo Episcoporum. 11. q. 2. minor autem incurritur frequentius ob peccatum veniale. si quis autem obijciat, quòd homo per excomunicationem minorem incurrit priuationem participationis passiuæ Sacramentorum, quæ sunt potiora subsidia ad Regnum Cęlorum, quàm orationes, cum causent Gratiam, ergo excomunicatio minor non incurritur nisi ob peccatum mortale, sicut excomunicatio maior, quæ his orationibus priuat. respondebitur, quòd licet Sacramenta sint potiora subsidia ad Regnum cælorum, quam orationes absolutè, attamen cum orationes, & suffragia sint perennia, & continua subsidia, ideò eorum priuatione homo grauiter læditur, receptio autem Sacramentorum raro contingit in hominibus. ex his sequitur primò quòd quando homo certus est, nō peccasse mortaliter, tutam debet habere conscientiam quòd nullam incurrit excomunicationem coram Deo, nec coram Deo erit priuatus Ecclesiæ suffragijs, licet in foro exteriori propter falsas præsumptiones Iudex possit eum arcere ab externo fidelium cætu. sequitur secundò eos malè dixisse, qui inquiebant excomunicationem dici minorem propter paruitatem obiecti, illius siquidem obiectum est magni momenti, nempe priuari participatione Sacramentorum passiua. sequitur tertiò, quòd excomunicatio maior simpliciter, & absolutè dicitur excomunicatio, non sic autem excomunicatio minor, vnde quando præcisè ponitur ista vox, excomunicatio, semper intelligitur de maiori, non autem de minori, nisi ponatur ille terminus, minor, vt colligitur ex c. illa quotidiana. nu. 8. de elect. & docent Siluester verb. excom. 1. §. quintum est. Dominicus Sotus, Tabiena apud Sairum lib. 1. thesauri cap. 4. num. 19.

Circa tertiam conclusionem, in qua datur diffinitio excomunicationis maioris talis, excomunicatio maior est separatio à communione Ecclesiæ quoad fructum, & suffragia generalia, nota, quod sic explicatur à Siluestro verb. excom. 1. q. 1. quòd excomunicatio maior, quæ etiam dicitur anathema, est separatio à communione Ecclesiæ, quia separat, & excludit à triplici communione, quarum prima cōsistit in conuersatione, siue in actibus legitimis corporalibus. secunda consistit in sacramentorum susceptione, dum vnus suscipit, & alius ministrat, vel multi ad suscipiendū adunantur. tertia consistit in actibus legitimis spiritualibus, siue in bonorum spiritualium participatione, quæ fit vel ratione intentionis, dum vnus pro alio orat, vel aliud suffragium facit, vel ratione Charitatis, quæ facit omnes esse vnum in Deo iuxta illud psalm. particeps ego sum omniū timentium te. per fructum autem intelligit perceptionem Sacramentorum, & conuictum fidelium per suffragia autē generalia intelligit spiritualia bona, quibus Ecclesia priuat excomunicatum, inquantùm sunt communia per intentionem non quidem huius personę particularis, quę orare potest pro eo, sed Ecclesiæ, quæ excomunicatum separat ab vniuersitate fidelium, pro quibus suffragia facit, vnde secundùm D. Thomā excomunicato non prosunt suffragia, quæ pro tota Ecclesia fiunt, nec ex persona Ecclesiæ oratio pro eo inter membra Ecclesiæ fieri potest, quamuis aliqua persona particularis possit aliquod suffragium ad eius conuersionem per intentionem dirigere. ex his ergo patet, quòd excomunicatus non priuatur bonis particularibus, puta orationibus, quas persona particularis pro alijs fūdit, possumus siquidem orare tanquam personę particulares, & priuatæ pro excomunicatis ad eorum conuersionem, vt docet Hostiensis in sum. de sent. excom. §. nunquid. num. 17. immò si excomunicatus verè contritus pro viribus absolutionem procurauerit, licet illam non obtinuerit, non solum his fruitur, sed etiam suffragijs communibus Ecclesiæ, quibus omnes fideles participes sumus, vt docet Turrecremata in c. si quis Episcopus. 11. q. 3. D. Antoninus 3. p. tit. 24. c. 77. ex his patet, quanta sit pæna excomunicatio maior, tùm ratione effectuum, cùm ratione causæ, quæ est peccatum mortale; minus tamen malum est excomunicatio maior secundum se considerata, quàm peccatum veniale, quia illa est pæna, istud culpa est. hæc diffinitio à D. Thoma data melior est cęteris, quas alij recentiores tradunt eam sic diffinientes, excomunicatio est cēsura Ecclesiastica, qua homo Christianus bonis fidelium communibus priuatur, secundùm Toletum lib. 1. cap. 5. num. 1 secundùm autem Nauarrum in manuali cap. 27. nu. 1. excomunicatio est censura priuans participatione tàm actiua, quàm passiua sacramentorum, & hominum. secundùm autem Suarez disp. 7. sect. 1. Vasquez to. 4. in 3. p. tract. de excomunicatione dub. 1. nu. 7. Valentiam tom. 4. disp. 7. qu. 17. p. 2. Filiucium quæsito. 3. est censura Ecclesiastica, qua homo baptizatus priuatur aliquibus bonis communibus, videlicet consortio fidelium, participatione Sacramentorum, & communibus Ecclesiæ suffragijs; quæ diffinitiones licet in verbis differāt, sensu tamen non discrepant; formalior tamen est diffinitio tradita à D. Thoma, quam sequitur Siluester verb. excom. 1. q. 1. Tabiena eodem verb. 1. num. 1. Armilla eodem verb. num. 4. eam etiā tradunt D. Bonauentura 4. sent. d. 18. q. 1. Ricardus 4. sent. d. 18. a. 1. q. 1. & alij.

Data, & explicata diffinitione excomunicationis maioris superest nunc tradere, & explicare diffinitionem excomunicationis minoris, quę sic diffinitur, quòd excludit præcisè à participatione, & communione passiua Sacramentorum, & à participatione eorum, quæ sunt via ad Sacramenta percipienda, puta quia excomunicatus minori excomunicatione non est eligibilis, nec consequenter habilis ad quodcunque Ecclesiasticum beneficium, vt in c. si celebrat. notatur, & docet Siluester verb. excom. 1. q. 1. & Innocentius in dicto ca. ait, quòd nullam dignitatem consequi

qui potest, etiam si eligentes hoc ignorabant. ex his patet, excommunicationem minorem non excludere à cætu fidelium, vel spiritualium bonorum participatione, aut etiam à Sacramentis conferendis, itaquod collata effectu non carent, licet ipse peccet, vt patet in eodem ca. & docet Siluester loco citato.

Circa quintam conclusionem nota, quòd in ea describuntur effectus excommunicationis maioris, quorum primus est priuare excomunicatum cōmunicatione fidelium in spiritualibus, nempe communibus suffragijs Ecclesiæ, itaut nec Missas, nec publicas orationes Ecclesiæ pro eo fundere, aut celebrare licet. hic tamē recole, quòd supra diximus, nempe quòd potest quis vt persona priuata, & particularis orare, & quascunque orationes fundere pro excomunicato, vt docet D. Thomas 4. sent. d. 18. q. 2. a. 1. quæstiuncula 1. ad 2. immò Siluester apud Toletum lib. 1. cap. 12. nu. 1. ait, quòd in memento Missæ potest quis vt persona particularis orare pro excomunicato, non tamen ipsum sacrificium pro ipso applicando, vnde si Rex, vel Episcopus esset excomunicatus, non esset nominandus in Canone; omnibus ergo suffragijs, quæ nomine Ecclesiæ fiunt, quatenus nomine Ecclesiæ funduntur, priuatus est excommunicatus. hic etiam aduerte, quòd quando persona particularis orat, non debet orare pro eo, tanquam pro membro Ecclesiæ, cū non sit. secundus effectus est priuare excomunicatum participatione Sacramentorum tàm actiua, quàm passiua, itaut nec Sacramenta ministrare, nec ea suscipere absque peccato mortali possit, vt colligunt Doctores ex can. Engeltrudam. 3. qu. 4. nota, quod iste effectus secundus, sicut & primus non tàm sunt effectus excomunicationis maioris, quàm essentia eius, quæ in hoc consistit, quòd sit priuatio bonorum communium, siue separatio à communione Ecclesiæ quoad fructum, & suffragia generalia. tertius effectus est priuare excomunicatum communicatione in corporalibus actibus legitimis, qui actus hoc describuntur versiculo.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per os intelligit S. Thomas osculum iuxta ca. excomunicatus 11. q. 2. vel etiam intelliguntur collocutiones siue per verba, siue per signa, siue per litteras. secundum Nauarrum in manuali c. 27. nu. 20. per os intelliguntur etiam amplexus, receptio, missio, datio litterarum. per orare prohibetur, ne cum excomunicato oremus, inhibetur etiam conuentus in sacro audiendo, recitando horas, cantando in choro, Diuinis offitijs adesse, in talibus enim non licet conuenire cum excomunicato, similiter nec ei conferre Sacramenta, nec ab ipso recipere; licitum est tamen dicere Aue Maria cum eo, quia non pulsatur ad orationem communem, sed priuatam, vt ait Caietanus in summula verb. participatio cum excomunicatis licita. vers. illicita. sicut etiam ibidem ait, quòd si in eadem Ecclesia vnus audit Missam in vno sacello, & excomunicatus audit in alio sacello, non communicant; quod etiam docuit Paludanus 4. sent. d. 18. q. 6. artic. 1. Tabiena verb. excom. 8. vers. tertiò. Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. ar. 4. communicarent tamen, si ambo interessent Vesperis, vni Missæ, aut vni processioni, etiam si vnus esset in capite, & alter in fine processionis extensæ per duo miliaria. per Vale prohibetur, ne salutetur excomunicatus; inhibetur etiam donaria, honoris exhibitiones aperiendo caput, & similia. aliqui recentiores sequentes D. Antoninum 3. p. tit. 25. c. 2. putant, quòd quis possit excomunicatum salutare, vel resalutare absque verbis, puta aperiendo caput, mouendo labia, assurgendo, dando locum in sedili, vel similia signa præbendo in signum Vrbanitatis, aut sine animo salutandi, vel resalutandi, sed intra se dicendo, Deus te conuertat, vel similia, quia nomine salutationis propriè intelliguntur verba, vel litteræ. hoc potest sustineri propter auctoritatem D. Antonini. Per Communionem prohibetur, ne in Sacramentis cum excomunicato communicemus; vel dicamus, quòd inhibentur humani, & ciuiles contractus; itaqd qui contractum aliquem cum excomunicato facit, peccat. an autem sint validi contractus cum excomunicato facti, dissensio est inter Doctores, nam Hostiensis, quem alij sequuntur, distinguit, nam aut contractus sunt in fauorem excomunicati, aut sunt in fauorem illius, qui cum excomunicato contractum facit; si sint, inquit, in fauorem excomunicati, sunt inualidi, si autem sint in fauorem illius, qui cum excomunicato contrahit, sunt validi. sic docet in cap. si verè. & in cap. veritatis. de dol. & cont. Innocentius autem in dicto cap. Veritatis. nu. 1. de dol. & contum. & ibidem Abbas nu. 35. asserunt contractum etiam in fauorem excomunicati initum esse validum. hanc sententiam sequor ego, quam etiam amplexus est Siluester Princeps summistarum verb. excom. 3. in fine. hanc sententiam consuetudo etiam approbat. hic tamen aduerte duo, quorum primū est, quòd licet contractus in fauorem excomunicati initi sint validi, ipse tamen excomunicatus non potest agere in iuditio excomunicatione durante, vt tradunt Innocentius, & Abbas vbi supra, excomunicatus siquidem conueniri potest per alium, at ipse non potest conuenire alium. secundum est, quòd si excomunicatus esset beneficiatus, & contraheret super bonis Ecclesiæ, tūc actus, & contractus non est validus, cap. Veritatis. in fin. de dol. & contum. ita docet Decius in cap. Pastoralis. §. verum. col. 3. de appel. vbi expressè ait, gesta per excomunicatum de bonis Ecclesiæ non valere; hoc tamen verum est, si sit publicus excomunicatus, secus autē, si sit occultus, vt ait Siluester verb. excom. 3. qu. 15. quia tunc valent. Per Mensam prohibetur, ne simul in eodem lecto quis dormiat cum excomunicato, licebit tamen in eadem domo manere, vt ait D. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 2. quod tamen intellige eo modo, quo solent multi in eadem domo habitare, non vt simul conuiuentes, sed veluti si domus essent distinctæ, immò secundum Innocentium licet in eodem cubiculo esse, & habitare.

lega-

legatur Sairus lib. 2. thesauri cap. 13. per totum diffusè de his tractans. in his ergo omnibus non licet cum excomunicatio communicare, & qui secus faceret, itaut communicet cum excomunicato in aliquo prædictorum modorum, minorem incurrit excomunicationem, vt habemus ex cap. Nuper de sent. excom. & vltra excomunicationem minorem communicans cum excomunicato in Diuinis peccat mortaliter, in cæteris autem communicans cum excomunicato peccat tãtum venialiter, nisi tamen id fiat in contemptum Ecclesiæ, vt habet S. Thomas 4. sent. d. 18. q. 3. art. 4. & nisi esset excomunicatio de participantibus, vt ait Angelus verb. excom. 8. §. 4. quia tunc participantes quocunque modo peccarent mortaliter, & excomunicationem maiorem contraherent, vt habetur cap. nuper. & cap. si concubinę. de sent. excom. vltimò aduerte, quòd si Clericus communicaret cum excomunicato a Papa in Diuinis, sponte, & scienter, Papalem contraheret excomuuicationem iuxta c. significauit. de sent. excom.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Henriquez lib. 13. cap. 7. Filiucius tract. 13. ca. 5. num. 82. quæst. 3. Reginaldus lib. 5. num. 68. Suarez disp. 15. sect. 1. Sairus lib. 2. thesauri cap. 13. & alij.

Quæritur, an excommunicatio minor habeat perfectam rationem excommunicationis.

3 Respondeo dicendum, quòd minor excommunicatio non habet perfectam rationem excommunicationis, sed aliquid ipsius participat. 4. sent. d. 18. q. 2. ar. 1. quæstiunc. 1. ad 4.

Hoc in loco D. Thomas docet, quòd excomunicatio minor nõ habet perfectam rationem excomunicationis, sed aliquid ipsius participat.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua, quòd ideò excomunicatio minor dicitur non habere perfectam rationem excomunicationis, sed aliquid tantùm ipsius participare, quia non conuenit ei totaliter excomunicationis diffinitio, sed solum quo ad aliquid, vt ait D. Thomas hoc in loco, priuat enim tantùm participatione passiua Sacramentorum, maior autem excomunicatio priuat passiua, & actiua participatione Sacramẽtorum, & similiter communione fidelium, & sic nos priuat duplici communione, minor autem excomunicatio vnica tantùm communione, ideò Innocẽtius tertius in c. illa quotidiana. de elect. vocat hanc excomunicationem minorem, simplicem, quia priuat tantùm participatione Sacramentorum, & ab alijs vocatur imperfecta, sicut maior vocatur perfecta, quia omni exteriori cõmunione Ecclesiæ priuat.

Quæritur, an Ecclesia debeat aliquos aliquando excommunicare.

4 Respondeo dicendum, quòd iudicium Ecclesiæ conforme debet esse iudicio Dei, Deus autem multipliciter peccatores punit, vt eos ad bonum trahat, vno modo flagellis castigando, alio modo hominem sibi relinquendo, vt auxilijs subtractis, quibus à malo præpediebatur, suam infirmitatem agnoscat, & humilis ad Deum redeat, à quo superbus abscessit, & quantùm ad vtrumque Ecclesia in excommunicationis sententia Diuinum iudicium immitatur, inquantùm enim eum à communione fidelium separat, vt erubescat; immitatur Diuinum iudicium, quo per flagella castigat, inquantùm autem à suffragijs, & alijs spiritualibus separat, immitatur Diuinum iudicium, quo hominem sibi relinquit, vt per humilitatem seipsum cognoscens ad Deum redeat. 4. sent. d. 18. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2. in corp. (2. 2. q. 33. a. 2. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Ecclesia debet aliquando aliquos excomunicare. probatur, iudicium Ecclesiæ debet esse conformè iuditio Dei, sed Deus multipliciter peccatores punit, vt eos ad bonum trahat, vno modo flagellis castigando, alio modo hominem sibi relinquendo, vt auxilijs subtractis, quibus à malo impediabatur, suam infirmitatem agnoscat, & humilis ad Deum redeat, ergo etiam Ecclesia hoc præstare debet, & de facto vtrumque in excomunicationis sententia Diuinum iuditium immitatur, inquantùm enim excomunicatum à communione fidelium separat, vt erubescat, immitatur Diuinum iuditium, quo per flagella castigat, inquantùm autem à suffragijs, & alijs spiritualibus separat, immitatur Diuinum iuditium, quo hominem sibi relinquit, vt per humilitatem seipsum cognoscens ad Deum redeat.

Conclusio D. Thomæ constabilitur ex facto Apostoli Pauli, qui mandauit quemdam excomunicari, vt legitur primæ ad Corinth. 5. corroboratur ex illo Mathei 18. si autem Ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, sed ethnici sunt extra Ecclesiam, ergo & qui nolunt audire Ecclesiem, erunt per excomunieationem extra Ecclesiam ponẽdi. ex discursu D. Thomæ, quo probat conclusionem, notatur finis excomunicationis, fertur enim excomunicatio propter bonum, & vtilitatem hominis, vt scilicet resipiscat, ad bonum se conuertat, vt à malo perpetrando retrahatur hinc est, quòd excomunicatio dicitur medicinalis iuxta ca. medicinalis. de sent. excom in 6. non mortalis; disciplinans, nõ eradicans, & in hoc optimè immitatur Ecclesia Deum, qui flagella peccatori immittit, auxilia subtrahit, vt castigatus, & humilis factus; infirmitatem suam agnoscens ad cor redeat, ad Deũ conuertatur, à malo retrahatur.

Quæri-

Quaeritur, an pro aliquo damno temporali excommunicatio ferri debeat.

5 Respondeo dicendum, quòd per excōmunicationem Iudex Ecclesiasticus excōmunicatos excludit à Regno quodammodo: vndè cum non debeat excludere, nisi indignos, nec aliquis redditur indignus, nisi per peccatum mortale amiserit Charitatem, quæ est via ducens ad regnum, ideò nullus excommunicari debet, nisi pro peccatō mortali, & quia in damnificando aliquem corporaliter, vel in rebus mortalibus aliquis mortaliter peccat, & contra Charitatem facit, ideò pro damno temporali illato Ecclesia aliquem excōmunicare potest: sed quia excommunicatio est grauissima pœnarum, pœnæ autem medicinæ sunt secundum Phylosophum in 2. ethicorum, sapientis autem Medici est à leuioribus medicinis incipere, & minus periculosis, ideò excommunicatio intelligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, vel non veniendo ad iudiciū, vel antè terminationem iudicij sine licentia discedendo, vel damnationi non parendo, tunc enim postquam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur, & excommunicari debet à iudice iam non habente quid contrarium faciat amplius. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. nullus excomunicari debet nisi pro peccato mortali. probatur, per excomunicationem Iudex Ecclesiasticus excomunicatos excludit à Regno Cęlorum quodāmodo, sed non debet excludere nisi indignos, nec aliquis redditur indignus, nisi per peccatū mortale amiserit Charitatem, quæ est via ducēs ad Regnum, ergo nullus excomunicari debet nisi pro peccato mortali. secūnda conclusio. pro damno temporali illato Ecclesia aliquem excomunicare potest. probatur, pro peccato mortali potest excomunicari quis, sed damnificando aliquem corporaliter, vel in rebus mortalibus aliquis mortaliter peccat, ergo pro damno temporali illato Ecclesia aliquem excomunicare potest. probatur minor, quia facit contra Charitatem. tertia conclusio. excomunicatio intelligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, vel non veniendo ad iudicium, vel ante terminationem iudicij sine licentia discedendo, vel damnationi non parendo, tunc enim postquam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur, & excomunicari debet à Iudice iam non habente quid cōtra eum faciat amplius. probatur, quia excomunicatio est grauissima pænarum, & pænæ medicinæ sunt secundùm phylosophum 2. eth. sed sapientis medici est à leuioribus medicinis incipere, & minus periculosis, ergo excomunicatio intelligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit.

Hoc in loco ponitur causa materialis proxima excomunicationis maioris, quæ causa est peccatum mortale, non autem veniale, vt dicit prima conclusio, quæ multis contabilita existit sacris Sanctionibus 11. q. 3. can. nemo. & can. nullus. cap. 1. de Iud. ca. sacro. de sent. excom. eam probat efficaciter ratio D. Thomæ, cuius vis in hoc consistit, quòd per excomunicationem maiorem quodammodo excluditur homo a Regno Cælesti, idest ab Ecclesiasticis subsidijs, quæ Dei amicis impenduntur, vt exponit Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. art. 2. ergo Ecclesia id præstare non debet nisi pro peccato læthali, quo Gratia, & Charitas tollitur, qua homo est acceptus ad Regnum; quibus addimus aliam rationē desumptā ex verbis D. Thomæ in superiori quæsito allatis, & est talis, iuditium Ecclesiæ conforme esse debet iuditio Dei, ergo nullus præscidendus est ab Ecclesia à communione, & corpore Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, nisi quē Deus præscindit, sed Deus nullum præscindit nisi propter peccatum mortale, ergo nec Ecclesia aliquē excomunicare debet, nisi pro peccato mortali. nec huic conclusioni obstat Decretum Concilij Cartaginensis quarti. c. 24. vbi habetur, quòd si Sacerdote in Ecclesia verbum faciente quispiam exierit, excomunicetur, exire autem de Ecclesia eo tempore non videtur nisi peccatum veniale, ergo propter peccatum veniale poterit quis excomunicari maiori excomunicatione, de qua loquitur Concilium, vt elicimus ex regula data à Gregorio nono c. si quem. de sent. excom. qui ait, quòd quando sub hac forma dicitur, illum excomunico, vel simili, intelligitur de maiori. non obstat, inquam, quia verba Concilij debent intelligi de minori excomunicatione, vt loco citato obseruat Sotus ex antiqua forma, qua excommunicari non erat nisi priuari Sacramento Eucharestiæ, Gregorius autem loquitur de forma noua, quando à Iudice cognita causa sententiæ excomunicationis pronunciatur. vel dicamus, quòd Concilium intelligitur, quando quis præmonitus concionem audire contemnebat, quod tunc vt mortale habebatur. secundam conclusionem probat factum D. Petri, qui Ananiam, & Saphiram pro defraudatione precij agri sententia mortis damnauit, ergo & Ecclesiæ licebit pro temporalibus damnis excommunicare.

Tertia conclusio maximè obseruanda est, quòd licet peccatum mortale sit causa materialis proxima excomunicationis, non tamen pro præcisè peccato mortali, licet enormissimo debet excomunicatio ferri, sed alio supplicio puniri, sed debet vltra peccatum mortale adesse contumatia, & inobedientia, quod colligitur ex verbis Christi apud Matheum cap. 18. si Ecclesiā &c. quibus non tradidit potestatem excomunicandi nisi eis, qui præmissis monitionibus noluerit Ecclesiam audi-

audire, & ei parere, hunc enim excomunicationis gladium Ecclesiæ tradidit, vt subditos posset in suam cogere obedientiam; hoc etiam suadet talis ratio, excomunicationis natura est expellere hominem à cætu fidelium, suffragijs, & precibus, sed nemo tali expoliatione dignus censetur, nisi se ab Ecclesia subduceret per inobedientiam, ergo requiritur inobedientia in excomunicando. ex his liquet, quòd si quis, licet sit lapsus in flagiosissimum crimen, sit paratus Ecclesiæ obedire, excomunicari non debet, sed alio condigno supplicio plecti. nunc restat videre, quando homo peccatum inobedientiæ incurrat, pro quo excomunicari debeat. pro quo aduerte, quòd nullum censetur inobediẽtiæ peccatum, ob quod sit sententia excomunicationis ferenda, nisi admonitio sub excomunicationis comminatione præcesserit, vel à iure, vel ab homine, inobediẽtia enim idem est, quod rebellio, rebellis autem nullus censetur, nisi monitionibus parere contempserit, vnde nisi monitiones præcesserint, nullus censebitur rebellis, & inobediens, & cõsequenter talis excomunicari non poterit; si autem è conuerso præmissis admonitionibus obedire contempserit, rebellis, inobediens, & cõtumax reputatur, & talis excomunicari poterit. Vt ergo adsit peccatum inobedientię in homine, admonitio præcedere debet: quia autem diximus, quòd admonitio potest esse à iure, vel ab homine, ideò si sit à iure, non opus est, si sit bina, vel trina, quia admonitio iuris est solemnis, ideò ipsa valet pro trina, vnde qui contra admonitionem iuris labitur in crimen, ipso facto excomunicationem incurrit; si autem sit à Iudice, necesse est, vt sit trina admonitio propter maturitatẽ iuditij, quæ requiritur in ferenda excomunicatione; vt per trinam admonitionem explorare possit iudex, an tanta sit hominis rebellio, siue contumacia, vt digna sit, quæ mucrore excomunicationis confodiatur. hæc trina admonitio, quæ sententiam excõmunicationis pręcedere debet, habetur ex Euangelio Mathei 18. vbi dicitur, si peccauerit inte frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solũ, en prima admonitio; si autem te non audierit, adhibe adhuc vnum, vel duos, en secunda admonitio; quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, en tertia admonitio. subiungitur postea, si autem Ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, quasi dicat, iam rebellis, & inobediens Ecclesiæ est, ideò ab ea debet separari per excomunicationem. hac trina monitione vsus est Concilium Rhotomagense 16. q. 7. can. omnes decimæ. sub his verbis, statuimus, vt decimas dare nolentes secundùm Domini præceptum admoneantur semel, secundò, tertiò, qui si non emendauerint, anathematis vinculo feriantur. idem habetur ex decreto Nicolai can. de Præsbyterorum 17. q. 4. vnde ita necessariæ sunt huiusmodi tres admonitiones, vt Iudex, qui eas prætermitteret, peccaret mortaliter, insuper ingressu Ecclesię per mensem interdicitur ex decreto Innocentij tertij in Concilio Lateranensi c. sacro. de sent. excom. & ex decreto Innocentij quarti in Concilio Lugdunensi c. cum medicinalis. eodem tit. lib. 6. alijs etiam pænis, si visum fuerit, puniendus. hic tamẽ aduerte, quòd ex causa vrgenti sufficeret vna admonitio pro tribus, debent tamen tria interualla in ea designari, vt reus tempus resipiscendi habeat, vt cap. constitutionem. de sent. excom. in 6. cautum est. hoc tamen regulariter, & pro quacunq; causa seruari non debet, quia hoc est contra iuris decorem, nec est sine populi detrimento. regulariter ergo tres præcedere debent admonitiones excomunicationem; quando autem vna pro tribus ponitur, interualla competentia assignari debent, nomine autem competentium interuallorum intelligit glosa spatium duorum dierum pro singulis interuallis, vnde quando vna tantũ præcedit admonitio, debent assignari sex dies exprimendo, quòd duo primi sint pro prima, secundi pro secunda, tertij pro tertia admonitione, sed, vt dixi, hoc regulariter seruari nõ debet, sed tãtùm rarò, & in necessitate, &, vt diximus, ex vrgenti causa; immò sunt aliqui casus, in quibus potest omitti admonitio, quorum primus ponitur à Toleto lib. 1. cap. 10. nu. 3. vt quando partes essent ad rixam, & ad arma paratæ, nec Episcopi curarent admonitionem. secundus ponitur à Dominico Soto 4. senten. d. 22. q. 1. art. 2. quando Clericus in sacris repente in supplitium arriperetur, fas esset celeri illo remedio vti. tertius ponitur à Felino in cap. cum sit Romana. nu. 21. vers. 14. & in cap. sacro. num. 5. vers. tertiò limita. de sent. excom. quando fertur excomunicatio generalis pro futuris culpis, quod locum habet, quando fertur per modum statuti, vel iuris, tunc enim non requiritur monitio, ratio hui⁹ est, quia satis vnusquisque admonitus censetur ab ipso iure, lex enim semper loquitur, & semper admonet, ne quis contra faciat. quartus casus ponitur à Tabiena verb. excom. 2. non longè ab initio, quando is, qui excomunicat, aut aliam censuram fert, merus, & simplex executor est, vt si Papa, vel Episcopus committat alicui Clerico, vt aliquem excomunicet, & in hoc facit Clericũ merum executorem, talis Clericus nulla præuia monitionę excommunicare potest, quamuis qui mandatum dedit, prius admonitionem præmittere debuerit. sunt alij casus positi à Sairo lib. 1. thesauri cap. 13. à num. 17. vsque ad 26. quos tu legas in fonte, sufficiat nobis aliquos adduxisse, vt ex his scias, quomodo te gerere debeas in similibus casibus.

Restat nunc quęrere, an trina monitio, an vna pro tribus cum debitis interuallis sit de essentia excomunicationis, itaut si prætermittantur, excomunicatio sit nulla. cui quæsito respondeo cũ Dominico Soto 4. sent. d. 22. q. 1. art. 1. has monitiones non esse de essentia excomunicationis, qđ intellige regulariter, in aliquò tamen casu erit nulla excomunicatio, si admonitiones trinæ, vel vna pro tribus non præmittãtur, quia in cap. statuimus. de sent. excom. lib. 6. cauetur, ne participantes cum excomunicatis innodentur excomunicatione maiori, antequam canonica moni-

tio non præcedat, quòd si aliter fiat, excomunicatio non teneat, vnde in hoc casu non tenet; regulariter tamen loquendo tenet, quia in cap. cū medicinalis. & in cap. constitutionem. Summi Pontifices non censent excomunicationem talē, quæ scilicet fertur sine monitionibus debitis, esse ipso iure irritam, sed iubent recurrendum esse ad superiorem, qui illam, si æquum iudicauerit, irritet. nec huic decisioni obstat ordo correptionis fraternæ descriptus Mathei 18. qui debet seruari ante excomunicationis sententiam, quia licet talis ordo sit in præcepto, vt obseruetur, non tamen eo ipso quo prætermittitur, irritatur excomunicatio, vnde talis ordo erit de necessitate præcepti, non tamen de necessitate excomunicationis, itaquod si non obseruetur, excomunicatio nihilominus tenebit, peccabit tamen mortaliter ille, qui hunc ordinem non seruat, & interdicto ingressus Ecclesiæ per mensem, & alijs pœnis, si visum fuerit, punitur, vt supra diximus. aduerte tamen, ea, quæ diximus, vera esse de trina admonitione, vel de vna cum tribus debitis interuallis, itaquod istæ admonitiones non sunt de essentia excomunicationis, de eius tamen essentia est aliqua monitio præcedens, itaut illa excomunicatio, quæ ab homine fulminatur sine vlla omninò monitione, nulla sit, vt ait Dominicus Sotus ibidem, & nos infra in quæst. 10. explicabimus.

Quæritur, an excommunicatio feratur contra contumaces lite non contestata.

Respondeo dicendum, sicut verbo contumax. q. 2.

Quæritur, an excomunicandus debeat esse conuictus.

6 Respondeo dicendum, quòd excommunicatio infligitur pro inobedientia, debet tamen esse conuictus. lect. 2. cap. 3. secundæ ad Thessalonicenses.

Quod excomunicatio infligitur pro inobediētia, & quòd tamen debeat esse conuictus, docet D. Thomas hoc in loco.

Ex hoc loco habemus non sufficere peccatum inobedientiæ alicuius, vt feratur excomunicatio contra illum, sed vltra hoc requiritur etiam, quòd de tali inobedientia sit conuictus per cōtestes, vnde D. Paulus secundæ ad Thessalonicēses 3. aiebat, si quis non obedierit verbo nostro, per epistolam vestram hunc notate, idest significate nobis, vt puniatur, vt exponit D. Thomas.

Quæritur, quę damna incurrantur per excommunicationem.

7 Respondeo dicendum, quòd ex hoc ipso, quòd aliquis suffragijs Ecclesiæ priuatur, triplex incommodum incurrit per tria, quæ quis ex suffragijs Ecclesiæ consequitur, valent enim ad augmētum Gratiæ eis, qui habent, vel ad merendum eis, qui non habent, & quantùm adhoc Magister dicit, quòd Gratia Dei per excōmunicationem subtrahitur; valēt etiam ad custodiam Virtutis, & quantùm adhoc dicit, quòd protectio subtrahitur, non quòd omnino à Dei prouidentia excludatur, sed quòd ab illa protectione, qua filios Ecclesiæ specialiori modo custodit; valent ad defendendum ab hoste, & quantùm adhoc dicit, quòd Diabolo maior potestas sæuiendi in ipsum datur, & spiritualiter, & corporaliter, vndè in primitiua Ecclesia, quando oportebat per signa ad fidem omnes inuitare, sicut spiritus sancti Donum visibili signo manifestabatur, ita excommunicatio corporali vexatione à Diabolo innotescebat, nec est inconueniens, si ille, qui non est desperatus, hosti datur, quia non datur ei quasi damnandus. sed quasi corrigendus, cum in potestate Ecclesiæ sit ex eius manu ipsum eripere, cum voluerit. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 1. quæstiunc. 2. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ex hoc ipso quòd aliquis suffragijs Ecclesiæ priuatur, triplex incommodum incurrit per tria, quæ quis ex suffragijs Ecclesiæ cōsequitur. probatur, quia suffragia Ecclesiæ valēt primò ad augmentum Gratiæ eis, qui habent, vel ad merendum eis, qui non habent. secundò valent ad custodiam Virtutis. tertiò valent ad defendendum ab hoste. per excomunicationem autē primò Gratia Dei subtrahitur. secundò subtrahitur protectio, non quòd omninò à Dei prouidentia excludatur, sed quòd ab illa protectione, qua filios Ecclesiæ specialiori modo custodit. tertiò per excomunicationē Diabolo maior potestas sæuiendi in ipsum datur, & spiritualiter, & corporaliter, quod probat ex eo, quod in primitiua Ecclesia, quando oportebat per signa ad fidem omnes inuitare, contingebat, quia excomunicatio corporali vexatione à Diabolo innotescebat, sicut Spiritus sancti Donū visibili signo manifestabatur. hinc elicitur corrolarium tale, non est inconueniens, si ille, qui non est desperatus, hosti datur. probatur, quia nō datur ei quasi damnandus, sed quasi corrigendus, cum in potestate Ecclesiæ sit ex eius manu ipsum eripere, cum voluerit.

Quomodo per excomunicationem subtrahatur Gratia Dei, explicatur à D. Thoma 4. senten. d. 18. qu. 2. artic. 1. quæstiuncula 4. ad 1. nempe quòd ideò excomunicatio Gratiam Dei subtrahere dicitur, quia per excomunicationē amittit homo illa, quæ ex parte nostra sunt, quæ ad Gratiam Dei disponunt, priuatur enim homo per eā suffragijs Ecclesiæ, quæ valent ad augmentum

Gra-

Gratiæ eis, qui habent, vel ad merendum eis, qui non habent, vt in littera dicitur. ad explicationem tertij damni, quod per excomunicationem incurritur, nempe quòd per eam Diabolo maior potestas sæuiendi in excommunicatum datur, & spiritualiter, & corporaliter, & ad declaratione eius, quod in primitiua contingebat Ecclesia, facit, quod notat D. Thomas lect. 1. super ca. 5. primæ ad Corinthios, vbi Apostolus iudicauit tradere hominem fornicarium Sathanæ, quod dupliciter posse intelligi ait D. Thomas, primò quòd sicut dicitur Mathei 10. Dominus dedit Apostolis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & per eandem potestatem poterant imperare spiritibus immundis, vt vexarēt corporaliter, quos hac pœna iudicabant dignos, mandauit ergo Apostolus Corinthijs in eius auctoritate tradere fornicarium Sathanæ corporaliter vexandum, dicit enim, in interitum carnis, idest ad vexationem carnis, & afflictionem, in qua peccauit secundum illud sap. 11. per quę peccat quis, per hæc torquetur, & sic fiebat in primitiua Ecclesia. alio modo potest intelligi, quòd dicitur tradere huiusmodi Sathanæ, scilicet per excomunicationis sententiam, per quam aliquis separatur à communione fidelium, & participatione Sacramentorum, & priuatur Ecclesiæ suffragijs, quibus homo munitur contra impugnationem Sathanæ, propter quod de Ecclesia dicitur Cant. 6. terribilis vt castrorum acies ordinata, scilicet Dæmonibus, exponit D. Thomas, & hoc in littera apertè traditur.

Quæritur, quibus suffragijs priuetur excommunicatus.

8 Respondeo dicendum, quòd suffragia alicuius valent alicui secundùm quòd ei continuantur, potest autem actio vnius alteri cōtinuari dupliciter, vno modo ex vi Charitatis, quæ omnes fideles connectit, vt sint vnum in Deo, sicut dicitur Psalm. 118. particeps ego sum omnium &c. & hanc continuationem excommunicatio nō intercipit, quia iustè excommunicari quis non potest, nisi pro culpa mortali, per quā iam à Charitate diuisus est, etiam si non excommunicetur, iniusta autem excommunicatio Charitatem alicui auferre non potest, cum sit de maximis bonis, quæ non possunt alicui inuito auferri; alio modo per intentionem suffragia facientis, quæ in aliquem fertur, pro quo fiunt, & hanc continuationem excommunicatio intercipit, quia Ecclesia per excommunicationis sententiam separat excommunicatos ab vniuersitate fidelium, pro quibus suffragia facit, vndè suffragia Ecclesiæ ei non prosunt, quæ pro tota Ecclesia fiunt, nec ex persona Ecclesiæ oratio pro eis inter membra Ecclesiæ fieri potest, quamuis aliqua persona priuata possit ad eius conuersionem, aliquod suffragium per intentionem dirigere. 4. sentent. d. 18. quæst. 2. artic. 1. quæstiuncula 1. ad 2.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quęsito iuxta duplex membrum distinctionis, quę est, quòd cum suffragia alicuius valeant alicui, secundùm quòd ei continuātur, potest actio vnius alteri cōtinuari dupliciter, vno modo ex vi Charitatis, quæ omnes fideles connectit, vt sint vnum in Deo, sicut dicitur psalm. 118. particeps ego sum omnium &c. alio modo per intentionem suffragia facientis, quæ in aliquem fertur, pro quo fiunt. prima conclusio. excomunicatio non intercipit primam continuationem. probatur, quia iustè excomunicari quis non potest, nisi pro culpa mortali, per quam iam à Charitate diuisus est, etiam si non excomunicetur, iniusta autem excomunicatio Charitatem alicui auferre non potest, cum sit de maximis bonis, quæ non possunt alicui inuito auferri. secunda conclusio. excomunicatio intercipit secundam cōtinuationem. probatur, quia Ecclesia per excommunicationis sententiam separat excomunicatos ab vniuersitate fidelium, pro quibus suffragia facit. hinc elicit corrolarium tale, suffragia Ecclesiæ ei non prosunt, quæ pro tota Ecclesia fiunt, nec ex persona Ecclesiæ oratio pro eis inter membra Ecclesiæ fieri potest, quamuis aliqua persona possit ad eius conuersionem aliquod suffragium per intentionem dirigere.

Quia in hac littera fit mentio de suffragijs cōmunibus, & priuatis, videndum est, quid vtraq; sint. suffragia ergo communia sunt quædam auxilia spiritualia, quæ à Clericis, vt ministris Ecclesiæ fiunt pro fidelibus, vt sacrificium Missæ, horæ canonicæ, publicæ preces, seu processiones &c. in his omnibus Clericus orat nomine, & in persona Ecclesiæ. priuata suffragia sūt orationes particulares, quæ à Christi fidelibus, non vt ministris Ecclesiæ, sed tanquam à personis particularibus fiunt, vt preces priuatæ, ieiunia, eleemosinæ, & huiusmodi. inter suffragia autem generalia, & particularia hoc reperitur discrimen, quòd priuata suffragia perdunt valorem ob peccatum mortale orantis, generalia autē non amittunt valorem ob culpam mortalem orantis, quia valor eorum non solum procedit ab ipso orante, sed etiam ab Ecclesia, cuius nomine fiunt, quæ semper est in Gratia. excomunicatus ergo priuatur communibus Ecclesiæ suffragijs, vt indubitatè omnes tradunt Doctores, & habetur in cap. à nobis. de sent. excom. & qui auderet communia Ecclesiæ suffragia, vt horas canonicas, Missæ sacrificium &c. pro excomunicato facere, peccaret mortaliter, quia faceret contra inhibitionem Ecclesiæ in re graui, quæ intendit excomunicatos priuare communibus Ecclesiæ suffragijs. excipitur tamen vnus casus, in quo licebit pro hæreticis excomunicatis orare publicè, nempe in

feria sexta Parasceue, hac enim die specialiter solent ab Ecclesia fundi publicæ preces pro hæreticis excomunicatis, & hoc facit Ecclesia ad immitationem Christi, qui tempore suæ mortis pro suis exorauit inimicis; vel quia, vt ait Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. art. 1. illa die fuit vniuersalis Redemptor, vndè & ipsa debet orare pro excomunicatis hæreticis, & eo tempore eos non priuare communibus suffragijs. si quis autē obijciat auctoritatem D. Bernardi inquientis, vide, quàm mala excomunicatio, quòd in Parasceue Ecclesia pro Iudæis, & Paganis orat, & nō pro excommunicatis, ergo &c. respondebitur, quòd Ecclesia illo die non orat pro excomunicatis sub illo nomine excomunicatorum, orat tamē pro hæreticis, & schismaticis, qui sunt excomunicati, & quos ad hunc effectum illa hora ab excomunicatione absoluere, seu suspendere censetur; præter hoc tempus excomunicatus priuatus existit communibus Ecclesiæ suffragijs, licet sit toleratus, & non vitandus, ille autem dicitur toleratus, & non vitandus, qui nundum est denunciatus nominatim excomunicatus, sicut e conuerso ille est non toleratus, & vitandus, qui est nominatim denunciatus excomunicatus. si quis autem arguat, quòd sicut Christi fidelis tenetur tātùm euitare excomunicatum non toleratum, & vitandum, non autem toleratum, & non vitandum, poterit etiam orare pro excomunicato tolerato, & non vitando. huic argumento aliqui recentiores responderent posse Christi fidelem non peccare, si oret pro excomunicato tolerato, & non vitando, quia in Concilio Constantiensi permissum sit fidelibus participare cum excomunicatis toleratis, immò alij docent posse orare publicè pro excomunicato nundum notorio, nec denunciato. sed nos dicimus non licere fidelibus orare pro excomunicatis toleratis, quia est implicantia, quòd aliquis sit excomunicatus, & nō sit priuatus communibus Ecclesiæ suffragijs, in hoc enim etiam consistit essentia excomunicationis, vndè si est excomunicatus, priuatus est communibus Ecclesiæ suffragijs, si autem priuatus non est huiusmodi suffragijs, excomunicatus non est. vlterius Concilium Constantiense non intendit aliquid concedere in fauorem excomunicatorum, maximus autem fauor illis concederetur, si participarent de suffragijs Ecclesiæ. vnde ad argumentum in contrarium dicitur, quòd Concilium Constantiense fidelibus permittit ad euitanda scandala communicationem externā, non autem internam, qualis est communicatio suffragiorum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Vasquez to. 4. in 3. p. tract. de excom dub. 2. Suarez disp. 9. sect. 1. n. 2. Valentia to. 4. disp. 7. q. 17. p. 2. Filiuciustract. 13. c. 2. quæsito 2. num. 35. Vgolinus tab. 2. c. 29. §. 1. Toletus lib. 1. cap. 12. num. 1. & alij.

Quæritur, quomodo excommunicatio gratiam subtrahere dicatur.

9 Respondeo dicendum, quòd quamuis homo Gratiam Dei iniustè amittere non possit, potest tamen iniustè amittere illa, quæ ex parte nostra sunt, quæ ad Gratiam Dei disponunt, & hoc modo excommunicatio Gratiā Dei subtrahere dicitur. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 1. quæstiunc. 4. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. excommunicatio Gratiam Dei subtrahere dicitur, inquantùm homo licet Gratiam Dei iniustè amittere non possit, potest tamē iniustè amittere illa, quę ex parte nostra sunt, quę ad Gratiam Dei disponunt.

Ex hoc loco habemus hominem non posse iniustè amittere Gratiam Diuinam directè, quia Deus nunquam iniustè illam subtrahit, potest tamen homo iniustè amittere illam indirectè, inquantū scilicet potest amittere illa, quæ ad Gratiam Dei disponunt, vt homo per excomunicationem iniustam priuatur suffragijs Ecclesiæ, quæ valent ad merendum Gratiam ijs, qui eam non habent. quomodo autem excomunicatio iniusta effectum habeat, in sequenti dicetur quæsito.

Quæritur, an excommunicatio iniustè illata effectum habeat.

10 Respondeo dicendum, quòd excommunicatio potest dici iniusta dupliciter, vno modo ex parte excommunicantis, sicut cum ex odio, vel ira excommunicat, & tunc excommunicatio nihilominus habet effectum suum, quamuis ille, qui excōmunicat, peccet, quia iste iustè patitur, quamuis ille iniustè faciat, alio modo ex parte ipsius excommunicationis, vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia infertur sententia iuris ordine prætermisso; & tunc si sit talis error ex parte sententiæ, qui sententiam nullam faciat esse, non habet effectum, quia non est excōmunicatio, si autem sententiā non anullet, habet effectum suum, & debet excommunicatus humiliter obedire, & erit ei ad meritum, vel absolutionem petere ab excommunicante, vel ad superiorem Iudicem recurrere, si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret, contingit autem quādoque, quòd est debita causa ex parte excommunicationis, quæ non est debita ex parte excommunicati, sicut cum aliquis pro falso crimine in iudicio probato excōmunicatur, & tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompēsat excommunicationis damnum. 4. sent. d. 18. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 4. in corp.

Quadruplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito data prius distinctione, quæ est, q

exco-

excommunicatio potest dici iniusta dupliciter, vno modo ex parte excomunicantis, sicut cum ex odio, vel ira excomunicat, alio modo ex parte ipsius excommunicationis, vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia infertur sententia iuris ordine prætermisso. prima conclusio. excomunicatio iniusta ex parte excomunicantis habet effectum suum, quamuis ille, qui excommunicat, peccet. probatur vtraque pars, quia iste iustè patitur, quamuis ille iniustè faciat. secunda conclusio. excomunicatio iniusta ex parte sui, si sit talis error ex parte sententiæ, qui sententiam nullam faciat esse, non habet effectum. probatur, quia non est excomunicatio. tertia cōclusio. si autem error sententiam non anullet, habet effectum suum, & debet excomunicatus humiliter obedire, & erit ei ad meritum, vel absolutionem petere ab excomunicante, vel ad superiorem Iudicem recurrere. hæc relinquitur vt nota. quarta conclusio. si contemneret, eo ipso mortaliter peccaret. hæc relinquitur vt nota, cōtemptus enim talis est peccatum mortale. hinc elicit corrolarium tale, quando contingit, quòd est debita causa ex parte excomunicationis, quæ non est debita ex parte excomunicati, tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recumpenfat excomunicationis damnum.

Ad explicationem huius litteræ obserua excomunicationem posse dici iniustā tripliciter, primò ex parte ipsius excomunicantis, secundò ex parte excommunicationis, tertiò ex parte excomunicati. rursus omnibus tribus his modis adhuc dicitur iniusta dupliciter, vel ex defectu alicuius essentialiter requisiti, aut ex defectu alicuius requisiti, sed non essentialiter. ex parte excomunicantis dicitur iniusta excomunicatio, si quis excomunicet mala intentione, ex odio, ira, vt in littera dicitur, ista tamen excomunicatio est valida iuxta glos. in ca. sacro. de sent. excom. & habet omnes effectus iustæ excomunicationis, vt ait Caietanus in opusc. qu. 13. & licet excomunicans peccet, est tamen potius peccatum contra Charitatem, non autem contra iustitiam, & talis excomunicatio dicitur potius male, quam iniustè acta. dicitur etiam excommunicatio iniusta ex parte excomunicantis, quando excomunicans est publicè suspensus, vel excommunicatus, & tunc excomunicatio nulla est. can. audiuimus. 24 q. 1. si verò non sit publicus, valida est. rursus est iniusta ex hoc cap. excomunicatio, si excomunicās nullam habuit iurisdictionem, puta si excommunicat eos, qui suæ non subsunt iurisdictioni, vel ex priuilegio sunt exempti vt in ca. quinto. de priuileg. & talis etiam excomunicatio nulla est per c. nullus. de paroch. vel si excomunicans sit delegatus, & contra intentionem delegantis excomunicet. cap. fin. de præb. tunc autem est iniusta excomunicatio ex parte sui ipsius primò quando errorem continet intolerabilem iuxta cap. solet. & cap. venerabilibus. de sent. excom. in 6. tunc autem dicitur sententia errorem continere intolerabilem, quando talis error nullam facit sententiam, vt in littera dicitur, vt si error sit contra ius Diuinum, vel Pontificium, vt quando quis excomunicatur, quia facit, quod in se bonum est, vel non facit, quod ex suo actu illicitum est, vt habemus ex prædicto cap. & tunc dicitur excomunicatio causam continere indebitam, vt in littera dicitur; similiter quando fertur pro re leui, vt ait glos. in cap. sacro. eodem tit. item quando Prælatus interdicit subditis, ne exponant suis superioribus statum Ecclesiarum suarum. cap. qui pleraque. de offi. ord. lib. 6. vel quia infertur sententia iuris ordine prætermisso, qui sic est de essentia sententiæ, & prætermissus illam anullet iuxta cap. statuimus. & Constitutionem. de sent. excom. lib. 6. vbi præcipitur, quòd participantes cum excommunicatis non excomunicentur excomunicatione maiori ante monitionem canonicā, aliter excomunicatio non teneat, loquitur autem de qualicunque monitione, quia hæc est de essentia, non autem loquitur de trina monitione, nec de vna cum tribus debitis interuallis, quia hæc non est de essentia, nec excomunicationem facit nullam. his, & similibus causis lata excomunicatio dicitur errorem continere intolerabilem, & iniusta est, & nulla. obserua tamen, quòd error intolerabilis in duplici est differentia, primus est iuris, secundus autem facti, tunc est error intolerabilis iuris, quando in sententia reperitur expressus talis error, seu causa, propter quam excomunicatio dicitur continere errorem intolerabilem, vt dicit Host. in ca. per tuas. nu. 3. de sent. excom. & patet ex exemplis adductis. tunc autē est error intolerabilis facti, quando notoriè constat de iniustitia excomunicationis, vt si feratur excomunicatio contra puerum, quia adulterium facit, quod improbabile est, vel si superior aliquē excomunicet referendo se ad acta, quia furtum fecit, ex actis autem constat de falsitate. si autem in sententia non exprimitur iuris error, & notoriè non constat de falsitate facti, non dicitur cōtinere errorem intolerabilem, & tūc erit valida, sed iniqua. S. Antoninus in tract. de excom. cap. 73. num. 9. iniusta etiam est excomunicatio, si in scriptis non feratur, & cū causæ expressione iuxta c. cum medicinalis. de sent. excom. in 6 & tunc est iniusta, licet sit valida, vt habetur ex c. probatur. in iniusta est etiam excomunicatio, & inualida, quam non præcedit aliqua monitio, monitio enim aliqua ita est de essentia excomunicationis, vt absque illa excomunicatio non teneat, vt ait egregiè Dominicus Sotus 4. sentent. d. 22. q. 1. a. 2. vers. contra hoc autem. & apertè habetur ex Euangelio, nam Mathei 18. non apparet alia facultas Ecclesiæ concessa, vt aliquem habeat tanquam ethnicum, quàm si eam non audierit, sed nullus dicitur Ecclesiam non audire, nisi fuerit ab illa præmonitus. immò nec dicitur non audire, vt dignus sit excomunicatione, nisi sub eadem censura fuerit iussus, tūc enim Ecclesia suam aperit mentem illud præcipere sub reatu peccati mortalis. quando ergo nulla præcessit admonitio excomunicationem, tunc iniusta, & nulla est, exceptis tamen casibus suprapositis, & similibus; si autē trina non præcedat admonitio,

vel

feria sexta Parasceue, hac enim die specialiter solent ab Ecclesia fundi publicæ preces pro hæreticis excomunicatis, & hoc facit Ecclesia ad immitationem Christi, qui tempore suæ mortis pro suis exorauit inimicis; vel quia, vt ait Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. art. 1. illa die fuit vniuersalis Redemptor, vndè & ipsa debet orare pro excomunicatis hæreticis, & eo tempore eos non priuare communibus suffragijs. si quis autē obijciat auctoritatem D. Bernardi inquientis, vide, quàm mala excomunicatio, quòd in Parasceue Ecclesia pro Iudæis, & Paganis orat, & nō pro excommunicatis, ergo &c. respondebitur, quòd Ecclesia illo die non orat pro excomunicatis sub illo nomine excomunicatorum, orat tamē pro hæreticis, & schismaticis, qui sunt excomunicati, & quos ad hunc effectum illa hora ab excomunicatione absoluere, seu suspendere censetur; præter hoc tempus excomunicatus priuatus existit communibus Ecclesiæ suffragijs, licet sit toleratus, & non vitandus, ille autem dicitur toleratus, & non vitandus, qui nundum est denunciatus nominatim excomunicatus, sicut e conuerso ille est non toleratus, & vitandus, qui est nominatim denunciatus excomunicatus. si quis autem arguat, quòd sicut Christi fidelis tenetur tātùm euitare excomunicatum non toleratum, & vitandum, non autem toleratum, & non vitandum, poterit etiam orare pro excomunicato tolerato, & non vitando. huic argumento aliqui recentiores responderent posse Christi fidelem non peccare, si oret pro excomunicato tolerato, & non vitando, quia in Concilio Constantiensi permissum sit fidelibus participare cum excomunicatis toleratis, immò alij docent posse orare publicè pro excomunicato nundum notorio, nec denunciato. sed nos dicimus non licere fidelibus orare pro excomunicatis toleratis, quia est implicantia, quòd aliquis sit excomunicatus, & nō sit priuatus communibus Ecclesiæ suffragijs, in hoc enim etiam consistit essentia excomunicationis, vndè si est excomunicatus, priuatus est communibus Ecclesiæ suffragijs, si autem priuatus non est huiusmodi suffragijs, excomunicatus non est. vlterius Concilium Constantiense non intendit aliquid concedere in fauorem excomunicatorum, maximus autem fauor illis concederetur, si participarent de suffragijs Ecclesiæ. vnde ad argumentum in contrarium dicitur, quòd Concilium Constantiense fidelibus permittit ad euitanda scandala communicationem externā, non autem internam, qualis est communicatio suffragiorum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Vasquez to. 4. in 3. p. tract. de excom dub. 2. Suarez disp. 9. sect. 1. n. 2. Valentia to. 4. disp. 7. q. 17. p. 2. Filiucius tract. 13. c. 2. quæsito 2. num. 35. Vgolinus tab. 2. c. 29. §. 1. Toletus lib. 1. cap. 12. num. 1. & alij.

Quæritur, quomodo excommunicatio gratiam subtrahere dicatur.

9 Respondeo dicendum, quòd quamuis homo Gratiam Dei iniustè amittere non possit, potest tamen iniustè amittere illa, quæ ex parte nostra sunt, quæ ad Gratiam Dei disponunt, & hoc modo excommunicatio Gratiā Dei subtrahere dicitur. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 1. quæstiunc. 4. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. excommunicatio Gratiam Dei subtrahere dicitur, inquantùm homo licet Gratiam Dei iniustè amittere non possit, potest tamē iniustè amittere illa, quę ex parte nostra sunt, quę ad Gratiam Dei disponunt.

Ex hoc loco habemus hominem non posse iniustè amittere Gratiam Diuinam directè, quia Deus nunquam iniustè illam subtrahit, potest tamen homo iniustè amittere illam indirectè, inquantū scilicet potest amittere illa, quæ ad Gratiam Dei disponunt, vt homo per excomunicationem iniustam priuatur suffragijs Ecclesiæ, quæ valent ad merendum Gratiam ijs, qui eam non habent. quomodo autem excomunicatio iniusta effectum habeat, in sequenti dicetur quæsito.

Quæritur, an excommunicatio iniustè illata effectum habeat.

10 Respondeo dicendum, quòd excommunicatio potest dici iniusta dupliciter, vno modo ex parte excommunicantis, sicut cum ex odio, vel ira excommunicat, & tunc excommunicatio nihilominus habet effectum suum, quamuis ille, qui excōmunicat, peccet, quia iste iustè patitur, quamuis ille iniustè faciat, alio modo ex parte ipsius excommunicationis, vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia infertur sententia iuris ordine prætermisso, & tunc si sit talis error ex parte sententiæ, qui sententiam nullam faciat esse, non habet effectum, quia non est excōmunicatio, si autem sententiā non anullet, habet effectum suum, & debet excommunicatus humiliter obedire, & erit ei ad meritum, vel absolutionem petere ab excommunicante, vel ad superiorem Iudicem recurrere, si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret, contingit autem quādoque, quòd est debita causa ex parte excommunicationis, quæ non est debita ex parte excommunicati, sicut cum aliquis pro falso crimine in iudicio probato excōmunicatur, & tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompēsat excommunicationis damnum. 4. sent. d. 18. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 4. in corp.

Quadruplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito data prius distinctione, quæ est, q̄ exco-

excommunicatio potest dici iniusta dupliciter, vno modo ex parte excomunicantis, sicut cum ex odio, vel ira excomunicat, alio modo ex parte ipsius excommunicationis, vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia infertur sententia iuris ordine prætermisso. prima conclusio. excomunicatio iniusta ex parte excomunicantis habet effectum suum, quamuis ille, qui excommunicat, peccet. probatur vtraque pars, quia iste iustè patitur, quamuis ille iniustè faciat. secunda conclusio. excomunicatio iniusta ex parte sui, si sit talis error ex parte sententiæ, qui sententiam nullam faciat esse, non habet effectum. probatur, quia non est excomunicatio. tertia cõclusio. si autem error sententiam non anullet, habet effectum suum, & debet excomunicatus humiliter obedire, & erit ei ad meritum, vel absolutionem petere ab excomunicante, vel ad superiorem Iudicem recurrere. hæc relinquitur vt nota. quarta conclusio. si contemneret, eo ipso mortaliter peccaret. hæc relinquitur vt nota, cõtemptus enim talis est peccatum mortale. hinc elicit corrolarium tale, quando contingit, quòd est debita causa ex parte excomunicationis, quæ non est debita ex parte excomunicati, tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recumpensat excomunicationis damnum.

Ad explicationem huius litteræ obserua excomunicationem posse dici iniustã tripliciter, primò ex parte ipsius excomunicantis, secundò ex parte excommunicationis, tertiò ex parte excomunicati. rursus omnibus tribus his modis adhuc dicitur iniusta dupliciter, vel ex defectu alicuius essentialiter requisiti, aut ex defectu alicuius requisiti, sed non essentialiter. ex parte excommunicantis dicitur iniusta excomunicatio, si quis excomunicet mala intentione, ex odio, ira, vt in littera dicitur, ista tamen excomunicatio est valida iuxta glos. in ca. sacro. de sent. excom. & habet omnes effectus iustæ excomunicationis, vt ait Caietanus in opus. qu. 13. & licet excomunicans peccet, est tamen potius peccatum contra Charitatem, non autem contra iustitiam, & talis excomunicatio dicitur potius male, quam iniustè facta. dicitur etiam excommunicatio iniusta ex parte excomunicantis, quando excomunicans est publicè suspensus, vel excommunicatus, & tunc excomunicatio nulla est. can. audiuimus. 24 q. 1. si verò non sit publicus, valida est. rursus est iniusta ex hoc cap. excomunicatio, si excomunicãs nullam habuit iurisdictionem, puta si excommunicat eos, qui suæ non subsunt iurisdictioni, vel ex priuilegio sunt exempti vt in ca. quinto. de priuileg. & talis etiam excomunicatio nulla est per c. nullus. de paroch. vel si excomunicans sit delegatus, & contra intentionem delegantis excommunicet. cap. fin. de præb. tunc autem est iniusta excomunicatio ex parte sui ipsius primò quando errorem continet intolerabilem iuxta cap. solet. & cap. venerabilibus. de sent. excom. in 6. tunc autem dicitur sententia errorem continere intolerabilem, quando talis error nullam facit sentẽtiam, vt in littera dicitur, vt si error sit contra ius Diuinum, vel Pontificium, vt quando quis excomunicatur, quia facit, quod in se bonum est, vel non facit, quod ex suo actu illicitum est, vt habemus ex prædicto cap. & tunc dicitur excomunicatio causam continere indebitam, vt in littera dicitur; similiter quando fertur pro re leui, vt ait glos. in cap. sacro. eodem tit. item quando Prælatus interdicit subditis, ne exponant suis superioribus statum Ecclesiarum suarum. cap. qui pleraque. de offi. ord. lib. 6. vel quia infertur sententia iuris ordine prætermisso. qui sic est de essentia sententiæ, & prætermissus illam anullet iuxta cap. statuimus. & Constitutionem. de sent. excom. lib. 6. vbi præcipitur, quòd participantes cum excommunicatis non excomunicentur excomunicatione maiori ante monitionem canonicã, aliter excomunicatio non teneat, loquitur autem de qualicunque monitione, quia hæc est de essentia, non autem loquitur de trina monitione, nec de vna cum tribus debitis interuallis, quia hæc non est de essentia, nec excomunicationem facit nullam. his, & similibus causis lata excomunicatio dicitur errorem continere intolerabilem, & iniusta est, & nulla. obserua tamen, quòd error intolerabilis in duplici est differentia, primus est iuris, secundus autem facti, tunc est error intolerabilis iuris, quando in sententia reperitur expressus talis error, seu causa, propter quam excomunicatio dicitur continere errorem intolerabilem, vt dicit Host. in ca. per tuas. nu. 3. de sent. excom. & patet ex exemplis adductis. tunc autẽ est error intolerabilis facti, quando notoriè constat de iniustitia excomunicationis, vt si feratur excomunicatio contra puerum, quia adulterium facit, quod improbabile est; vel si superior aliquẽ excomunicet referendo se ad acta, quia furtum fecit, ex actis autem constat de falsitate. si autem in sententia non exprimitur iuris error, & notoriè non constat de falsitate facti, non dicitur cõtinere errorem intolerabilem, & tũc erit valida, sed iniqua. S. Antoninus in tract. de excom. cap. 73. num. 9. iniusta etiam est excomunicatio, si in scriptis non feratur, & cũ causæ expressione iuxta c. cum medicinalis. de sent. excom. in 6 & tunc est iniusta, licet sit valida, vt habetur ex c. probatur. ininiusta est etiam excomunicatio, & inualida, quam non præcedit aliqua monitio, monitio enim aliqua ita est de essentia excomunicationis, vt absque illa excomunicatio non teneat, vt ait egregiè Dominicus Sotus 4. sentent. d. 22. q. 1. a. 2. vers. contra hoc autem. & apertè habetur ex Euangelio, nam Mathei 18. non apparet alia facultas Ecclesiæ concessa, vt aliquem habeat tanquam ethnicum, quàm si eam non audierit, sed nullus dicitur Ecclesiam non audire, nisi fuerit ab illa præmonitus. immò nec dicitur non audire, vt dignus sit excomunicatione, nisi sub eadem censura fuerit iussus, tũc enim Ecclesia suam aperit mentem illud præcipere sub reatu peccati mortalis. quando ergo nulla præcessit admonitio excomunicationem, tunc iniusta, & nulla est, exceptis tamen casibus suprapositis, & similibus; si autẽ trina non præcedat admonitio,

vel

vel saltē vna cum tribus debitis interuallis excomunicationem ab homine, tunc erit iniusta, sed tamen valida, vt habet glos. c. sacro de sent. excom. dicitur etiam excomunicatio iniusta ex partē excomunicati primò quando excomunicatus appellauit in tempore à iure requisito, & tamen adhuc excomunicatio contra eum fertur, & in hoc casu nedum est iniusta, sed etiā nulla iuxta cap. ad præsentiam. de appel. secundò cum quis vere, & realiter non peccauit mortaliter, & tamē conuincitur per testes de contumacia, & peccato mortali, tunc nulla est in foro interiori, licet sit valida in foro exteriori, & in hoc casu dicitur esse debita causa ex parte excomunicationis, quæ tamen non est debita ex parte excomunicati, vt in littera dicitur, quia verè excomunicatus non peccauit, licet in processu conuincatur peccasse, & talis excommunicatio est obseruanda, donec veritas patefiat iuxta glos. cap. per tuas. de sent. excom. & ratio id suadet, quia ex iniusta fieret iusta ratione contemptus etiam quo ad Deum. nota tamen ex Caietano 22. q. 70. a. 4. quòd si sic excomunicatus celebrat absque scandalo, præsertim in occulto, nō peccat in animæ iudicio, nec pænis canonicis afficitur, quia in foro interiori nulla est, & vt ait Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. quæst. 1. artic. 3. verè non est excomunicatus; in foro tamen exteriori obseruanda est, donec veritas elucescat, & tunc si humiliter sustinet excommunicatus, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum, vt in calce litteræ ait D. Thomas, Gratianus etiam dicebat can. qui iustus. 11. q. 3. qui iniustè excommunicatur, & si non sit ligatus quo ad Deum, sentētiæ parere debet, ne superbia ligetur. legatur Paludan. 4. sent. d. 18. q. 1. artic. 4. qui quinque enumerat modos, quibus sententia est nulla. legatur & Siluester verb. excom. 2. §. 1. qui quindecim enumerat modos, quibus excomunicatio nulla est, quorum aliqui sunt ex parte excomunicantis, aliqui ex parte excomunicationis, & alij ex parte excommunicati. & sententia, quæ aliquo istorum modorū nulla est, non habet causam, vt timeatur.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 1. cap. 11. nu. 3. 4.

Quæritur, quo fine feratur excommunicatio contra aliquem.

11 Respondeo dicendum, quòd excommunicatur adhoc aliquis, vt ait Apostolus, vt spiritus eius saluus fiat in die Domini. 2. 2. q. 11. a. 3. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. excomunicatur adhoc aliquis, vt spiritus eius saluus fiat in die Domini. probatus ex Apostolo.

Hoc in loco notatur causa finalis excommunicationis, ideò ergo excomunicatur quis, vt spiritus eius saluus fiat in die Domini, quod tripliciter exponitur à D. Thoma lect. 1. cap. 5. primæ ad Corinth. primò vt scilicet salutem consequatur in die mortis, vel in die iudicij. secundò vt scilicet peccatorum turpitudinem cognoscens confundatur, & pæniteat, & sic sanetur. tertiò vt scilicet spiritus Ecclesiæ, idest Spiritus Sanctus Ecclesiæ saluus sit fidelibus in diem iudicij, ne scilicet perdant eum per contagium peccatoris, quia vt dicitur sap. 1. Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum. finis ergo excomunicationis est vtilitas excomunicati, vt resipiscat, pæniteat, cōuertatur, desistat à malo, retrahatur à peccato.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 1. cap. 11. num. 7.

Qui possint excommunicare. Cap. II.

1 *Excommunicatio pertinet ad forum exterius.*
Illi soli possunt excommunicare, qui habent iurisdictionem in foro iudiciali.
Soli Episcopi, & maiores Prælati possunt excommunicare propria auctoritate.
Sacerdotes Parochiales possunt excommunicare ex commissione, vel in certis casibus.
§ *Qui potest excommunicare, debet esse persona Ecclesiastica habens iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, & non impeditam.*
Fæmina, & laicus non possunt excomunicare, nisi ex commissione Papæ.
Quid nomine persona Ecclesiastica intelligatur.
Multiplex differētia in proposito ponitur inter Papam, & Concilium ex vna parte, & cæteros inferiores Prælatos.
Clericus, & simplex Sacerdos non possunt excommunicare.
Sacerdotes, & Clerici habentes iurisdictionem sæcularem non possunt excommunicare.
Curatus non potest excomunicare, & quare.
Abijt in dissuetudinem, inquit Sotus, quòd curatus possit excomunicare in certis casibus.
In quo sensu possint dici valere excomunicationes latæ à Parochis in certis diebus.
Excomunicatus non potest excomunicare, sicut nec suspensus ab vsu iurisdictionis.
Qui excomunicat, cum non possit, grauiter peccat.
2 *Sacerdotes Parochiales habent iurisdictionem in subditos quo ad forum conscientiæ, non quo ad forum iudiciale, ideò nō possunt excomunicare.*
In foro iudiciali maior solemnitas requiritur, quàm in foro pænitentiæ.
§ *Sacerdotes Parochiales non possunt excommunicare ex officio.*
3 *Non Sacerdotes, habentes tamen iurisdictionem in foro contentioso possunt excomunicare.*
§ *Archidiaconi, Legati, Clerici, excommunicant, licet non sint Sacerdotes.*
4 *Excommunicatus non potest excommunicare.*
Suspensus à iurisdictione non potest excōmunicare.
Suspensus ab ordine, & non à iurisdictione potest excommunicare.
§ *Multiplex redditur ratio, quare excommunicatus non possit excomunicare.*
Excomunicatus debet esse publicus, & notorius.
Quamdiu quis ignoratur esse excomunicatus, sententia

tentia eius, & acta tenent, & quare.
5 *Excommunicatus licet non amittat iurisdictionem, amittit tamen vsum iurisdictionis.*
6 *Excommunicatus non potest facere aliquid, quod requirit iurisdictionem, si tamen sit publica excommunicatio.*
Excomunicati notorij gesta nulla sunt.
Si excommunicatus sit occultus, actus in aliorum fauorem factus erit validus.

Quaritur, an quilibet Sacerdos possit excommunicare.

1 RESpondeo dicendum, quòd in foro conscientiæ causa agitur inter hominem, & Deum, in foro autē exterioris iudicij causa agitur hominis ad hominem, & ideò absolutio, vel ligatio, quæ vnum hominem obligat quo ad Deū tantùm, pertinet ad forum pœnitentiæ; sed illa, quæ hominem obligat in comparationem ad alios homines, ad forum publicum exterioris iudicij pertinet, & quia per excommunicationem homo à communione fidelium separatur, ideò excommunicatio ad forum exterius pertinet, & illi soli possunt excommunicare, qui habent iurisdictionem in foro iudiciali; & propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, & maiores Prælati secundùm communiorem opinionem possunt excommunicare, sed Presbyteri Parochiales nonnisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus, sicut in furto, & rapina, & huiusmodi, in quibus est eis à iure concessum, quòd excommunicare possint: alij verò dixerunt, quòd etiā Sacerdotes Parochiales possunt excommunicare, sed prædicta opinio est rationabilior. 4. sent. dist. 18. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. in corp. (d. 19. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. soli Episcopi propria auctoritate, & maiores Prælati possunt excommunicare, sed Præsbyteri Parochiales non nisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus. probatur quo ad primam partem, quia illi soli possunt excommunicare, qui habent iurisdictionem in foro iudiciali, sed soli Episcopi, & maiores Prælati habent huiusmodi iurisdictionem, ergo &c: maior probatur, quia illa ligatio, quæ hominem obligat in comparationem ad alios homines, ad forum publicum exterioris iudicij pertinet, sed per excomunicationem homo à communione fidelium separatur, ergo excommunicatio ad forum exterius pertinet. ergo illi soli possunt excomunicare, qui habent iurisdictionem in foro iudiciali. probatur secunda pars, quia in furto, & rapina, & huiusmodi est à iure concessum Præsbyteris Parochialibus, quòd excomunicare possint.

In isto cap te agitur de causa efficiente excomunicationis, & primò agitur de ijs, qui possunt excomunicare, secundò de illis, qui nequaquam possunt. vt autem sciatur, qui nam possint excomunicare, nota, quòd ille, qui excomunicat, debet esse persona Ecclesiastica, habens iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, & non impeditam. excomunicans ergo debet esse persona Ecclesiastica, vndè fæmina, vel alius laicus non potest excomunicare, nisi ex commissione Papæ. quòd fæmina non possit excomunicare, habetur cap. dilecta. de maior. & obed. quòd possit hoc præstare ex commissione Papæ, docet Panormitanus c. decernimus. de Iud. docet etiam D. Antoninus 3. p. tit. 25. ca. 75. quòd etiam laicus non possit excomunicare, nisi ex commissione Papæ, habetur can. benè quidem. d. 96. obseruat autē Paludanus 4. sent. d. 18 quæst. 2. ar. 3 quòd solus Papa potest dispensare cum vtroque, scilicet fæmina, & laico. excommunicans ergo debet esse persona Ecclesiastica, scilicet Papa, Concilium Generale, Prouinciale, Episcopi, Generales Religionum, Abbates, Prouinciales, Priores, & denique omnes habentes iurisdictionem in exteriori foro; cum hoc tamē discrimine, quòd Papa, & Concilium generale possunt excommunicare excomunicatione ab homine per sententiam, & à iure condendo leges, & canones generales obligantes omnes Christi fideles. Concilia prouincialia per sententiam possunt excomunicare, non autem per leges generales, sed per statuta particularia. cæteri inferiores possunt excomunicare per sententiam, & per ordinationes etiam particulares, ratio horum est, quia iurisdictio in diuersis diuersimodè reperitur. vlterius Papa, & Concilium generale nunquam impediuntur, ne ferant excomunicationem, & sic semper possunt excomunicare, cæteri autem inferiores aliquando impediuntur per censuras, & sic non semper possunt excomunicare: iterum Papa, & Conciliū generale possunt excommunicare, in quacunque Diocæsi existant, Episcopus autem existens in aliena Diocæsi non potest nec suos subditos excommunicare, quia ibi iurisdictionem exercere non potest, vt habetur Clement. vn. de for. comp. aduerte tamen, quòd si Episcopus fuerit expulsus à sua Diocæsi, conceditur ei, vt possit commorari in locis alterius Diocæsis vicinioribus propriæ, in quibus tutò possit esse, & ibi petita licentia proprij Diocæsani poterit iurisdictionem in suos exercere, & poterit excomunicare: Præterea Papa, & Concilium generale possunt quoscūque cuiuscunque Diocæsis excommunicare, quia habent iurisdictionem in toto orbe, Episcopus autem, & cæteri Prælati inferiores non nisi suos subditos; obserua tamen, quòd huiusmodi Prælati poterunt in aliquibus casibus excomunicare non subditos, quando scilicet ad eorum iurisdictionem aliquo modo pertinent, puta ratione delicti commissi in eius territorio, vel ratione contractus ibidem initi, vel ratione rei ibi sitæ,

vt

vt habetur cap. 1. de priuileg. in 6. circa quod obseruant Doctores, quòd licet caput sit de priuilegiatis, eadem tamen est ratio de non subditis. valens ergo excommunicare debet esse persona Ecclesiastica, quia etiam excommunicatio est censura Ecclesiastica; non sufficit tamē, quòd sit persona Ecclesiastica, sed debet habere iurisdictionem, vndè Clericus, vel etiam simplex Sacerdos, licet sint personæ Ecclesiasticæ, non possunt tamē excommunicare, quia iurisdictione carent. nec sufficit quælibet iurisdictio, sed debet esse Ecclesiastica, vnde si Clerici, & Sacerdotes simplices haberent iurisdictionem sæcularem, adhuc non possunt excomunicare. rursus non quælibet iurisdictio Ecclesiastica sufficit ad excomunicādum, sed debet esse iurisdictio Ecclesiastica in foro exteriori, vnde Sacerdos Parochialis, siue Curatus nō poterit excomunicare suos Parochianos, quia super eos non habet iurisdictionem in foro exteriori, licet in eos habeat iurisdictionem in foro interiori, & pænitentiæ. summa tamen Confessorum lib. 3. tit. 33. q. 56. affirmat, quòd Sacerdos curatus potest habere iurisdictionem exteriorem iu suos Parochianos ex cōsuetudine præscripta, & S. Thomas hoc in loco asserit, quòd non possunt excomunicare, nisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus, in quibus à iure est eis concessum posse excomunicare, nam cap. ab Ecclesiarum. de offitio ordina. pro solido, & rato habetur, quòd Plebanus S. Pancratij subditos suos excomunicaret, sed Dominic⁹ Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. ar. 2. arbitratur hoc iam in dissuetudinem abijsse. Toletus lib. 1. cap. 7. nu. 3. ait, quòd sententiæ excomunicationum, quas Sacerdotes proferunt alicubi diebus Dominicis, & festiuis in vsurarios, turbantes aratra, pro damnis, quorum ignorantur auctores, & cæteræ similes valent, si scientibus Episcopis, & non contradicentibus proferantur. verùm de hoc iterum redibit sermo in sequenti quæsito. nec sufficit habere iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, vt possit quis excomunicare, sed requiritur etiam, vt talis iurisdictio sit non impedita, vnde excomunicatus maiori excomunicatione non poterit excommunicare, vt habetur 24. q. 1. can. audiuimus. quia iurisdictionis vsu nudatus est. verùm de hoc in quæsito 4. dicemus. idem dic de suspēso à iurisdictione, vt colligitur ex can. infamis. 3. q. 7. & interdicto, vt docet Paludanus 4. sent. d. 18. qu. 2. art. 3. hinc concludamus, quòd qui excomunicat, cū tamen non possit, grauiter peccat, quia vsurpat sibi iudicium, cum non habeat potestatem, vt docet D. Thomas 22. q 60. a. 5.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 1. cap. 7. per totum.

Quæritur, an Parochi possint excommunicare.

2 Respondeo dicendum, quòd Sacerdotes parochiales habēt quidem iurisdictionem in subditos suos quantùm ad forum conscientiæ, sed non quantùm ad forum iudiciale, quia non possunt coram eis conueniri in causis contentiosis, & ideò excōmunicare non possunt, sed absoluere possunt in foro pœnitentiali, & quamuis forū pœnitentiale sit dignius, tamen in foro iudiciali maior solemnitas requiritur, quia in eo oportet, quòd non solum Deo, sed etiam homini satisfiat. 4. sentent. d. 18. q. 3. art. 2. quæstiunc. 1. ad 2.

Duo facit D. Thomas in hoc quæsito, primò respondet quæsito vnica conclusione, secundò respondet tacitæ obiectioni. quoad primum cōclusio est. Parochi excomunicare non possunt, sed absoluere possunt in foro pœnitentiali. probatur, quia licet Sacerdotes parochiales habeāt iurisdictionem in subditos suos quantùm ad forū conscientiæ, non tamen quantùm ad forum iudiciale, quia non possunt corā eis conueniri in causis contentiosis, excommunicare autem pertinet ad forum exterius. quoad secundum potest fieri talis obiectio, forum pænitentiale est dignius foro exteriori, ergo si Sacerdotes parochiales habent iurisdictionem in foro conscientiæ, multò magis in foro exteriori, ergo poterunt excommunicare. respondet, quòd quamuis forum pænitentiale sit dignius, tamē in foro iudiciali maior solemnitas requiritur, quia in eo oportet, q non solum Deo, sed etiam homini satisfiat.

Quòd Sacerdotes parochiales non possint excommunicare, intelligitur ex officio, sicut faciūt Prælati, & cæteri habentes iurisdictionem, quia isti non habent iurisdictionem in foro exteriori; ex commissione tamen possunt excommunicare, vt in superiori quæsito dicebat D. Thomas, & in certis casibus à iure hoc est eis concessum, vt in furto, vel rapina, vt patet in cap. cum ab Ecclesiarum. de officio ord. vbi pro solido, & rato habetur, quòd Plebanus S. Pancratij subditos suos excomunicaret; Dominicus tamen Sotus 4. sentent. d. 22. q. 1. art. 1. arbitratur hoc in dissuetudinem abijsse, vnde Toletus lib. 1. cap. 7. num. 3. ait, sententias excommunicationum, quas Sacerdotes Parochiales ferunt contra vsurarios, & similes, valere, si scientibus Episcopis, & non contradicentibus proferantur, quasi quòd ex commissione Episcoporum illas ferant; attamen cū D. Thomas in superiori quæsito dixerit, eis à iure esse concessum, vt in certis casibus excommunicare possint, hocque executioni mandatum fuerit à Plebano S. Pancratij, vt patet in prædicto cap. cum ab Ecclesiarum &c. non video, cur id præstare non possint.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 1. cap. 7. n. 3.

Quæritur, an non Sacerdotes, habentes tamen iurisdictionem possint excommunicare.

3 Respondeo dicendum, quòd Sacramenta, in quibus Gratia confertur, dispensare

ad

ad solos Sacerdotes pertinet, & ideò illi soli possunt absoluere, & ligare in foro pœnitentiali, sed excommunicatio non directè respicit Gratiam, sed ex consequenti, inquantùm homo suffragijs Ecclesiæ priuatur, quæ ad gratiam disponunt, vel in Gratia conseruant, & ideò etiam non Sacerdotes, dummodo iurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excommunicare. 4. sentent. dist. 18. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. etiam non Sacerdotes, dummodo iurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excomunicare. probatur ex differentia, quæ reperitur inter dispensationem Sacramentorum, & fulminationem excommunicationis, quòd sacramenta, in quibus Gratia confertur, dispensare ad solos Sacerdotes pertinet, & ideò ipsi soli possunt absoluere, & ligare in foro pænitentiali, sed excomunicatio non directè respicit Gratiam, sed ex consequenti, inquantū homo suffragijs Ecclesiæ priuatur, quæ ad Gratiam disponunt, vel in Gratia conseruant, ideò etiam non Sacerdotes, dummodo iurisdictionem habeant in foro cōtentioso, possunt excomunicare.

Quod etiam non Sacerdotes, dummodo iurisdictionem habeant in foro contentioso, possint excomunicare, patet ex hoc quòd Archidiaconi, Legati, & Clerici excomunicant, qui quandoq; non sunt Sacerdotes; & sicut simplices Sacerdotes habentes solum potestatem ordinis, non autē iurisdictionis, ad quam pertinet excomunicare, non possunt excomunicare, ita è conuerso illi Ecclesiastici, qui non sunt Sacerdotes, habentes tamen iurisdictionem externam poterunt excomicare.

Quæritur, an excommunicatus possit excommunicare.

4 Respondeo dicendum, quòd vsus iurisdictionis est in comparatione ad alium hominem, & ideò cum omnis excommunicatus à communione fideliū separetur, quilibet excommunicatus vsu iurisdictionis priuatur, & quia excommunicatio est iurisdictionis priuatio, ideò excommunicatus excommunicare non potest; & eadem ratio est de suspenso à iurisdictione, si enim sit suspensus ab Ordine tantùm, tunc non potest ea, quę sunt Ordinis, sed potest ea, quæ sunt iurisdictionis, & è conuerso, si sit suspensus à iurisdictione, & nō ab Ordine, si autem ab vtroque, tunc neutrum potest. 4. sent. d. 18. a. 2. quæstiunc. 3. in corp.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. excommunicatus excomunicare non potest. probatur, excomunicare requirit vsum iurisdictionis, sed excommunicatus non habet vsum iurisdictionis, ergo excomunicatus non potest excomunicare. probatur minor, quia vsus iurisdictionis est in comparatione ad alium hominem, sed omnis excomunicatus à communione fidelium separatur, ergo excommunicatus vsu iurisdictionis priuatur. secundò probatur minor, quia excomunicatio est iurisdictionis priuatio. secunda conclusio. eadē ratio est de suspenso à iurisdictione. probatur, quia sicut suspensus ab Ordine tantùm nō potest ea, quæ sunt Ordinis, potest tamen ea, quæ sunt iurisdictionis, ita è conuersò si sit suspensus à iurisdictione, & non ab Ordine, poterit ea, quæ sūt Ordinis, non autem ea, quæ sunt iurisdictionis, sicut est excommunicare; si autem ab vtroque est suspensus, neutrum potest.

Conclusio prima D. Thomæ habetur expressè in cap. ad probandum. de sent. & re iud. ibi enim dicitur, quòd excomunicatus excomunicare nō potest. habetur etiam can. audiuimus. 24. qu. 1. colligitur etiam ex can. infamis. 3. q. 7. vbi habetur, quòd quia à Senatu amotus est, ideò iudicare non potest, ergo & excomunicatus, qui à cætu fidelium segregatus est, & iurisdictione priuatus est, excomunicare non potest. ratio eam suadet, nam excommunicare iurisdictionis actus est, sed excomunicatus est denudatus vsu iurisdictionis, ergo &c. vlterius sicut Episcopus excommunicatus non potest iudicem aliquem instituere, quia ille est actus iurisdictionis, ita nec poterit excomunicare, quia similiter est actus iurisdictionis. hic tamen obiter obserua, quòd si Episcopus excomunicetur, postquam instituit Iudicem, non cessat institutio. hæc tamen, quæ diximus, vera sunt de excomunicato publico, & notorio, vnde quamdiu quis ignoratur esse excommunicatus, sententia eius, & acta tenent, vt docet Paludanus 4. sent. d. 18. q. 2. a. 3. Silnester verb. excom. 3. Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. art. 1. quos sequitur Toletus lib. 1. cap. 7. num. 4. ratio etiam id suadet, quia cum hæc sint de iure positiuo Ecclesiastico, Ecclesia non censetur Iudices vsu iurisdictionis priuare, donec constet esse excomunicatos. ratio etiam boni communis hoc postulat, nam si actus excommunicatorum occultorum irriti essent, detecta excommunicatione nihil i de suo dubitarent statu. circa secundā cōclusionem legatur Paludanus 4. sentent. dist. 18. quæst. 2. artic. 3.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 1. cap. 7. nu. 4.

Quæritur, quare excommunicatus excommunicare non possit, cum habeat iurisdictionem.

5 Respondeo dicendum, quòd excommunicatus, quamuis non amittat iurisdictionem, amittit tamen iurisdictionis vsum. 4. sentent. dist. 18. q. 2. artic. 2. quæstiunc. 3. ad primum.

Quod excommunicatus, quamuis non amittat iuris-

iurisdictionem, amittit tamen iurisdictionis vsũ, docet D. Thomas hoc in loco.

Quòd excomunicatus non amittat iurisdictionem, patet ex hoc quòd Curatus excomunicatus cum absoluitur, ei iterum cura non committitur. quòd autem vsu iurisdictionis nudetur, suadetur ex hoc, quia hoc est ꝓprius effect⁹ maioris excomunicationis, si tamen publica sit excomunicatio, hinc est quòd excomunicatus non potest excomunicare, nec conferre beneficia, nec eligere, nec præsentare, nec alia posse, quę iurisdictionẽ requirunt, & si facit, gesta, & sententiæ nullæ sunt. c. ad probandum de sent, & re iud. & cap, cum inter. in fin. de elect. & ca, cum dilectus. de consuet. si autem excommunicatus sit occultus, actus in aliorum fauorem factus erit validus ratione publici offitij. legatur Siluester verb. excom. 3. a. n. 8. vsque ad 16.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 1. cap. 14. num. 4.

Qui possint excommunicari, Cap. III.

1 *Nullus potest excommunicare seipsum, vel superiorem, vel æqualem.*

§ *Solus homo singularis cuiuscunque sexus, status, condicionis potest excommunicari, non creaturæ irrationales, nec Angelus bonus, nec malus.*

Infantes, pueri, furiosi, amentes non possunt excommunicari.

Amens potest excomunicari, si ante amentiam cõmisit crimen, & contumax fuit.

Non solet tamen Ecclesia hoc præstare.

Non debet Iudex illum excommunicare, quem cognoscit non acturum pœnitentiam.

Si Iudex postquam tulit excomunicationem contra aliquem, si videt nõ proficere, sed potius obesse, auferat excomunicationem, & excomunicatum absoluat, durante etiam contumacia.

Inpubes non possunt excomunicari à Iudice, licet possint contrahere excomunicationem à iure latam, & quare.

Inpubes non possunt de iure citari ad defendendum se, aut ad agendum.

Inpubes masculus, & fœmina cuius ætatis.

Mortuus non potest excomunicari.

Excõmunicatio contracta in vita durat etiam post mortem.

Mortuus potest declarari excomunicatus.

Mortuus potest absolui ab excomunicatione.

Quomodo intelligatur, quod legitur, quòd aliqui mortui sint excomunicati.

Si Episcopus ferat excomunicationem contra ludentes, si ipse ludat, non excomunicatur.

Si Episcopus denunciet excomunicationem, vt latam à superiore, si contraueniat, incurrit eam, & quare.

Quomodo dicatur Paulus excomunicasse Angelũ.

Papa non potest excomunicari.

Episcopus non potest excomunicare laicos sibi non subditos, nisi in tribus casibus, & quare.

Religiosi regulares, Imperator, Rex, Regina, eorum filij excomunicari nõ possunt ab ordinarijs.

2 *Singuli de Communitate possunt excommunicari.*

Communitas non potest excommunicari.

§ *Nomine Communitatis quid intelligatur.*

Quòd Vniuersitas non possit excomunicari, est de iure positiuo.

Quomodo intelligatur, quòd Capitulum fuerit excommunicatum.

Omnes de Communitate poßunt excommunicari, si particulariter singuli nominentur.

Quos liget excommunicatio lata vniuersaliter in iure.

Quare Ciuitas interdicto supponatur, non excommunicationi.

Excommunicatio lata contra Communitatem nulla est, & peccat grauiter eam ferens.

3 *Potest aliquis suspendi, & interdici sine peccato proprio, non tamen excommunicari.*

§ *Quare quis possit interdici, & suspendi sine peccato proprio, non autem excommunicari.*

4 *Semel excommunicatus potest pluriesq; excommunicari.*

Tunc tot erunt excommunicationes, quot sunt causę principales, pro quibus excommunicatur.

§ *Semel excomunicatus, & absolutus potest iterum excomunicari.*

Excomunicatus potest iterum excomunicari nedum propter nouum crimen, sed etiam propter idem.

Priuatio quomodo suscipiat magis, & minus.

De quibus loquatur D. Paulus, quando ait, quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare.

Excomunicatus quomodo sit extra Ecclesiam.

Excomunicatus non omninò extra Ecclesiam est.

Quare idem non possit pluries damnari ad mortem corporalem, & possit pluries excomunicari.

Pluribus sententijs potest idem ad mortem damnari, nec inutilis est multiplicata damnatio, & quare.

5 *Potius aliquis debet permittere excommunicari, quàm se communicare in peccato mortali.*

Quæritur, an aliquis possit seipsum, vel superiorem, vel æqualem excommunicare.

1 Respondeo dicendum, quòd cum per iurisdictionem aliquis constituatur in gradu superioritatis respectu eius, in quem habet iurisdictionem, quia est Iudex eius, ideò nullus habet in seipsum, vel superiorem, vel æqualem iurisdictionem, & per consequens nullus potest seipsum excommunicare, vel superiorem, vel æqualem. 4. sent. d. 18. q. 2. art. 3. quæstiunc. 1. in corp. (d. 20. a. 5. quæstiunc. 4. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. nullus potest seipsum excomunicare, vel superiorem, vel æqualem. probatur, per iurisdictionem aliquis constituitur in gradu superioritatis respectu eius, in quem habet iurisdictio-

dictionem, sed nullus habet in seipsum, vel superiorem, vel æqualem iurisdictionem, ergo nullus potest seipsum excomunicare, vel superiorem, vel æqualem, cum hoc requirat iurisdictionem. maior probatur, quia est Iudex eius.

In hoc capite agitur de causa materiali excommunicationis remota, id est de subiecto, quod potest excomunicari, duplex siquidem est causa materialis excommunicationis, nempe proxima, & remota; proxima est causa in subiecto existens, per quam excomunicatur, nempe peccatum, remota vero est subiectum ipsum, quod excomunicatur, quæ causa remota sic potest describi, quod est homo determinatus, baptizatus, viuus, inferior, subditus, quæ omnia in hoc, & sequentibus capitibus explicantur à D Thoma. qui ergo potest excommunicari est homo siue masculus, siue fæmina, quia excomunicatio ad hoc fertur, vt excomunicatus resipiscat, emendetur, & contumaciam deponat, solus autem homo potest conuerti, resipiscere, & contumaciam deponere, ergo solus homo potest excomunicari, sic vltra D. Thomam in addit. ad 3. p. q. 22. a. 5. Alensis 4. p. qu. 22. memb. 1. D. Bonauentura 4. sent. d. 18. qu. 1. & 3. D. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 75 §. excomunicationis sententia ferenda. Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 2. art. 4. Nauarrus in manuali cap. 27. num. 13. vnde creaturæ irrationales, vt Aues, locustæ, & cætera huiusmodi animalia non possunt excommunicari, immò neque Angelus siue bonus, siue malus, neque anima rationalis à corpore separata, vt expresse habet S. Thomas in addit. ad 3. p. q. 21. artic. 2. ad 3 quem sequitur Nauarrus in manuali cap. 27. num. 13 & tom. 2. consil. consil. 5. de sent. excom. num. 1. & seq. lib 5. Toletus lib. 1. cap. 8 num 2. solus ergo homo singularis, cuiuscunque status, condicionis, siue Clericus, siue laicus, siue masculus, siue fæmina, siue liber, siue seruus censura excommunicationis tam ab homine, quam à iure potest feriri. hic tamen obserua, quòd talis homo, qui potest excommunicari, debet esse doli, & contumaciæ capax, excomunicatio enim contra solos contumaces fertur, vnde homo puer, seu infans, furiosus, amens, cum vsu rationis careat, & doli, & contumaciæ incapax sit, consequenter excomunicari non poterit: dum autem loquimur de amente, sermo est de amente, qui continua amẽtia laborat, quia si amens vsum rationis aliquando habeat, & tunc aliquod crimen commitat, & contumax fuerit, excommunicationis capax erit, licet in amentiam inciderit, & si de facto excomunicetur, valida erit, licet excomunicari non debeat, postquam in amentiam inciderit, ea enim est Ecclesiæ pietas, & mansuetudo, vt tales communiter excomunicare non soleat, cum illa excommunicatio amenti nihil, & alijs parum prodesse possit, immò magis irritabuntur, cum videant excomunicari amentem, & tamen excommunicatio ex eo solum dicatur medicinalis cap. cum medicinalis. de sent. excom. quod aut ipsi contumaci, aut saltem reliquis Ecclesiæ membris medeatur; hinc Doctores sequentes D. Thomam vnanimi consensu asserunt, non debere Iudicem excomunicationis gladio illum ferire, quem scit, aut probabiliter suspicatur minime propter eum pænitentiam acturum, aut à contumacia cessaturum, immò docent, quòd postquam Iudex tulit excommunicationis sententiam iustè contra aliquem, & viderit hanc excommunicationem non solum non proficere, sed potius obesse, quia excomunicatus magis induratur, & peior euadit, illam tollere debet, & excommunicatum debet absoluere, durante etiam contumacia, & debet in hoc immitari peritum Medicum, qui, cum videt medicinam non prodesse infirmo, illam omninò subtrahit. Impubes etiam licet possit incidere in excomunicationem à iure latam, à Iudice tamen excommunicari non potest, quia nec vim verborum præcepti Iudicis, nec iudiciarium ordinem intelligere præsumitur, hinc est, quòd nec de iure citari ad defendendum se, aut ad agendum potest. dicitur autem impubes masculus, dum est in ætate annorum 14. fæmina autem 12. nec sufficit, quòd sit homo, sed debet esse determinatus, quia Communitas, siue Ciuitas excomunicari non potest, vt in sequenti videbimus quæsito. debet vlterius esse baptizatus, qui excomunicari debet, quia, vt ait Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 2. Ecclesia in neminem iudicium exercet, qui nõ prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus secũdum illud Apostoli primæ ad Corinth. 5. quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare, & habetur 2 quæst. 1. ca. multi. vnde nec Iudeus, nec Turcha. nec cæteri infideles excomunicari possunt, vt communiter docent Doctores post D. Thomam in addit. ad 3. p. q. 2. a. 6. ad 1. D. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 75. §. 1. Tabiena verb excom. 4. Dominicus Sotus 4. sent. d, 22. q. 2. a 2. Nauarrus in manuali cap. 27. nu. 13. & in c. ita quorumdam. de Iudę. nor. 8. num 7. Toletus lib. 1. cap. 8. num. 4. addo, quòd nec cathecumenus excommunicari potest, quia nundum pertinet ad iurisdictionem Ecclesiæ arg. ca. veniens, de præsb. non baptizato. vt etiam docent Nauarrus in manuali cap 27. num. 13. & tract. de iubileo not. 31. num. 48. Toletus lib. 1. cap. 8. nu. 4. qui ergo excomunicari possit, debet esse baptizatus, sed nec hoc sufficit, sed requiritur, quòd sit homo singularis, baptizatus, insuper & viuus, mortuus enim propter nullum peccatum, quod in vita comisit, potest excommunicari, licet contrarium sentiat Ricardus 4. sent. d. 18. a. 5. q. 4. docens hæreticos, schismaticos, & eos, qui hæredes constituunt hæreticos, & eos, qui voluntariè se occidũt, posse post mortem excomunicari, vt 24. q. 2. cap. sanè profertur. & c. placuit. 23. q. 5. non vt illis sit pæna, vel medicina, sed ad aliorum terrorem, & in criminis detestationem. sed oppositum docent S. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 75. §. 1. Siluester verb. excom. 1. num. 7. vers. sciendum est tertiò. Tabiena eodem verb. 4. in principio. Armilla eodem verb. nu. 28 Turrecremata. 24. q. 1. à principio. Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 2. a. 2. Martinus Ledesma, 24. q. 26. ar. 1. hi omnes docent,

non posse mortuum excomunicari nec à iure, nec ab homine, quia solus homo est capax excomunicationis, vt iam diximus, homo mortuus non est homo. vlterius excomunicationem ab homine debet præcedere monitio, mortuo autem non potest fieri monitio ad emendationem in futurum, vt de se patet. præterea mortuus extra forũ Ecclesiæ est, vt Siluester ait verb. excom. 1. §. 7. ergo Dei potius, quàm hominis iuditio mortuus reseruatur. deinde Mathei 18. dicitur, quodcũque solueris super terram, erit solutum, & in cælis, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cælo, ergo potestas excomunicandi Ecclesiæ relicta à Christo ad solos viuos, & super terram existentes terminari debet. hic tamen obserua, quòd licet mortuus excomunicari non possit, excomunicatio tamen facta in vita durat post mortem. cap. à nobis. 2. de sent. excom. vnde viui non possunt cum illo in suffragijs, vel eleemosinis communicare; non possunt, inquam, eleemosinæ pro illo recipi saltem à ministris Ecclesiæ, quia nec possunt in sacrificijs communibus orare, nec fiunt suffragiorum participes, quibus erant in vita priuati, vt obseruat Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 2. a. 2. vers. vltimum tandem dubium. excomunicatus etiam à iure in vita declarari potest excomunicatus post mortẽ, vt solet fieri in hæreticis defunctis, vt habetur ca. si quis. de hæret. vnde etiam excomunicatus absolui potest ab excomunicatione post mortẽ, excomunicari tamẽ mortuus nullo modo potest. nec obstat, quod legimus aliquos mortuos excomunicatos fuisse, quia nõ est sensus, quòd de nouo in eos sit lata sententia excomunicationis, sed quòd post mortem aliqui mortui sunt declarati excomunicati, vt aliqui, qui post mortem conperiuntur hæretici, pronunciantur excomunicati, eorumque corpora exhumantur, & igni traduntur. nec sufficit, vt quis possit excomunicari, ꝙ sit homo singularis, baptizatus, & viuus, sed etiã requiritur, quòd sit inferior, quia nullus se ipsum, aut æqualem, aut superiorem excomunicare potest, vt dicit conclusio D. Thomæ. quòd nullus possit se ipsum excomunicare, suadetur ex hoc, quia nullus in se ipsum habet iurisdictionem, vnde si Episcopus excomunicat omnes ludentes, si ipse ludat, non incurrit excomunicationem. obserua tamen, quòd si Episcopus denunciet aliquã excomunicationem, vt latam à superiore, tunc si ipse contraueniat, incurret eam, & tunc non esset excomunicatus à se, sed à superiore. quòd autem non possit quis excomunicare æqualem, suadetur ex hoc, quod par in parẽ nullum habet imperium. quòd autem nec superiorem excomunicare possit, patet, quia in eum non habet iurisdictionem. nec mihi aliquis obijciat factum D. Pauli, qui excomunicauit Angelũ sui superiorem iuxta illud, qui minor est in regno cælorum, maior est illo, quo nemo inter natos mulierũ maior. legatur ad Galat. 1. quia respondebimus cum D. Thoma 4. sent. d. 18. qu. 2. a. 3. ad 1. quòd Apostolus loquitur sub hipotesi, si poneretur Angelus peccare, sic enim nõ esset Apostolo superior, sed inferior. nec est inconueniens, quòd in conditionalibus, quarum antecedentia impossibilia sunt, & consequentia impossibilia sint. hinc patet Papam à nullo posse excomunicari, quia non habet superiorem, vt habetur can. cuncta per mundum. q. 3. nec sufficit, vt quis excomunicari possit, vt sit homo inferior, sed vltra hoc requiritur etiã, quòd sit subditus, idest subiectus iurisdictioni excomunicantis, vnde ab Episcopo non possũt excomunicari illi laici, qui in sua non immorantur diocæsi, nisi in tribus casibus, scilicet ratione delicti commissi in eius territorio, vel ratione contractus ibidem initi, vel ratione rei ibi sitæ, & tunc sunt aliquo modo subditi; item nec exẽpti ex priuilegio Apostolico, vt Religiosi omnes Regulares, qui à iurisdictone Episcoporum ex priuilegio Apostolico eximuntur, & immediatè subduntur Papæ; item Imperator, Rex, Regina, & eorum filij, vt patet c. cũ capella. de priuileg. & c. porrò. eodem titulo. & ex glos. in ca. ne aliqui. de priuileg. in 6.

Quæritur, an Communitas possit excõmunicari.

2 Respondeo dicendum, quòd excommunicari non debet aliquis, nisi pro peccato mortali, peccatum autem in actu consistit, actus autem non est Communitatis, sed singularum personarum, vt frequenter, & ideò singuli de Communitate excommunicari possunt, non autem ipsa Communitas, & si etiam quandoq; actus sit totius alicuius multitudinis, vt quãdo multi nauim trahunt, quàm nullus trahere posset, non tamen est probabile, quòd aliqua Cõmunitas ita tota ad malũ consentiat, quin aliqui sint dissentientes, & quia nõ est Dei, qui iudicat omnem terram, vt condemnet iustum cum impio, vt dicitur Genesis 18. ideò Ecclesia, quæ iudicium Dei immitari debet, satis prouidè statuit, vt tota Communitas non excommunicetur, ne collectis zizanijs simul eradicetur, & triticum. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 3. quæst. 2. in corp.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. singuli de Communitate excomunicari possunt. probatur, excomunicari nõ debet aliquis nisi pro peccato mortali, sed peccatum mortale est singularum personarũ, vt frequẽter, ergo singuli de Communitate possunt excomunicari. probatur minor, quia peccatũ in actu cõsistit, sed actus est singularũ personarum, ergo &c. secunda conclusio. Ecclesia satis prouidè statuit, vt tota Communitas non excomunicetur. probatur, quia Ecclesia iudiciũ Dei immitari debet, sed non est Dei, qui iudicat omnẽ terram, vt condemnet iustum cum impio, ergo Ecclesia non excomunicat totam Communitatẽ, ne collectis zizanijs simul eradicetur, & triticũ; non enim est probabile, quòd aliqua Communitas

tas

tas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes.

Ad explicationem conclusionis secundæ nota, quòd nomine Communitatis intelligitur Ciuitas, Oppidum, Respublica, Collegiũ, Capitulũ, Conuentus, ista ergo collectiuè sumpta, idest vt Ciuitas, Oppidum, Respublica, Collegiũ, Capitulum, Conuentus non possunt excomunicari, vt habetur in c. Romana. §. in vniuersitatem. de sent. excom. in 6. vbi dicitur, in Vniuersitatem, vel Collegium proferri excomunicationis sentẽtiam pænitus prohibemus, volentes periculum animarum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret innoxios huiusmodi sententia irretiri, sed in illos dumtaxat de Collegio, vel Vniuersitate, quos culpabiles esse cõstiterit, promulgetur. quibus in verbis nedum habetur conclusio D. Thomæ, sed etiam eius ratio, qua probat conclusionem, quam sequuntur Paludanus 4. sent. d. 18. q. 2. quæstiuncula 2. ar. 3. S. Antoninus 3. p. tit. 24. c. 75. Siluester verb. excom. 1. num. 9. Dominicus Sotus 4. sent. d. 18. q. 2. art. 2. concl. 2. Martinus Ledesma. 2. 4. quæst. 24. art. 4. Nauarrus in manuali cap. 27. num. 13. & tom. 2. consil. consil. 20. n. 5. de sent. excom. & alij tam ex antiquis, quàm ex recentioribus, tam extraneis, quàm domesticis. Martinus tamen Ledesma loco citato art. 5. asserit esse nedum de iure positiuo, sed etiam de iure Diuino, quòd Vniuersitas excomunicari nõ possit. sed hoc profectò falsum est, & contra D. Thomam inquientem hoc in loco, Ecclesiã satis prouidè statuisse, ne Communitas excomunicetur, & hoc conuincitur ex c. Romana. vbi Innocentius quartus id prohibuit, Communitas ergo simul, & collectiuè sumpta non potest excommunicari, & licet in c. significauit. de excep. dicatur, Capitulũ quoddam excommunicatum fuisse, & c. Capitulum S. Crucis. de rescrip. habet, Capitulum excomunicari posse, attamẽ respondemus, singulos culpabiles de Capitulo, & forsan singulos omnes de Capitulo, qui erant culpabiles, specialiter tamẽ nominatos, qui faciebant Capitulum, fuisse excommunicatos, vt habemus ex Siluestro verb. excom. 1. vers. sciendum tertiò. vndè licet Communitas collectiuè non possit excommunicari, si tamen in particulari designentur, & in particulari nominentur, poterunt omnes excomunicari. si autem aliquis objiciat, per ius potest vniuersalis excomunicatio ferri, ergo Vniuersitas poterit excommunicari. respondebitur negando consequentiam, quia tunc non ligat nisi eos, qui postea ipsum ius transgrediuntur. si quis iterũ objiciat, Ciuitas potest interdicto supponi, ergo & excomunicationi. respondebitur negando consequentiam, nam interdictum nõ est tanta pæna, quanta est excomunicatio, quia excomunicatus eijcitur extra Ecclesiam, non sic interdictus; excomunicatus Ecclesiæ suffragijs priuatur, non sic interdictus, sed solum ab audiendis sacris prohibetur; excomunicatio fertur tantùm pro peccato proprio, interdictum verò pro alterius culpa poni potest, vt pro peccato Principis tota Respublica aliquando supponitur interdicto, vt ait D. Thomas hoc in loco ad 2. Dominicus Sotus 4. sentent. d. 22. q. 2. art. 2. concl. 2. concludamus ergo Communitatem ità non posse excommunicari, vt si feratur de facto contra eam excomunicatio, nulla sit, & inualida, & peccet grauiter, qui illam fert, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ. quòd autem nulla sit talis excommunicatio, docent Paludanus 4. sent. d. 18. quæst. 1. art. 2. D. Antoninus 3. p. tit. 24. c. 75. Dominicus Sotus 4. sent. d. 2. q. 2. art. 3. concl. 2. Nauarrus tom. 2. consil. consil. 20. num 3. & consil. 22. nu. 1. & consil. 24. nu. 1. de sent. excom. lib. 5. hi omnes asserunt excomunicationem latam contra Vniuersitatem nullam esse, tum quia prohibetur in cap. Romana. §. in Vniuersitatẽ. de sent. excom. in 6. tum quia errorem contineret intolerabilẽ, qui nullam facit excommunicationem, esset enim periculum, vt aliquis citra culpam excomunicaretur, quod est error intolerabilis, quem errorẽ vt euitaret Papa, prohibuit, ne excommunicatio in Vniuersitatem feratur. Siluester tamen oppositum tenet verb. excom. 1. vers. sciendum tertiò. in medio motus hac ratione, quòd propter contumaciam Capituli excommunicantur singuli de Capitulo, qui fuerunt culpabiles. de sent. excom. c. Romana. lib. 6. sed ad hoc iam responsum est, quòd singuli culpabiles de Capitulo fuerunt excomunicati, quia singuli fuerunt nominati sigillatim. Sairus etiam lib. 1. thesauri cap. 8. nu. 18. anceps hac in re est.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 1. cap. 8. num 3. Henriquez lib. 13. de excom. cap. 25. § 4. & alij.

Quæritur, an aliquis possit excommunicari absq; peccato proprio, sicut suspenditur absque peccato proprio.

3 Respondeo dicendum, quòd suspensio non tanta pœna est, quanta excommunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragijs, sicut excommunicati, vnde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut & totum regnum supponitur interdicto pro peccatis Regis, & ideò non est simile de excommunicatione, & suspensione. 4. sent. d. 18. quæst. 2. ar. 3. quæstiunc. 2. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut & totum Regnum supponitur interdicto pro peccato Regis, non tamen excommunicatur nisi pro peccato proprio. probatur, quia suspensio non tanta pæna est, quanta excomunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesię suffragijs, sicut excomunicati.

Hoc in loco D. Thomas comparat excomunicationem alijs duabus censuris, nempe suspensioni, & interdicto dicens, quòd excommunicatio fertur tantùm pro peccato proprio, interdictum autem

autem pro peccato alterius poni potest, sicut interdicitur Ciuitas pro peccato Principis, similiter suspensio, & hoc est, quia suspensio, & interdictum non sunt tantæ pœnæ, quanta est excommunicatio, non enim feriendus est gladio excommunicationis, quæ maxima pœnarum est, cum priuet Ecclesiæ suffragijs, extra Ecclesiam eijciat excommunicatum, participatione actiua, & passiua sacramentorum illum nudet, quæ non præstant interdictum, & suspensio, nisi propria sit maculatus culpa.

Ex hoc loco tāquam ex fonte hausit, quę docet Sairus lib. 1. thesauri cap. 8. nu. 20. & alij.

Quæritur, an aliquis possit pluribus excommunicationibus excommunicari.

4 Respondeo dicendum, quòd ille, qui excommunicatus est vna excōmunicatione, potest iterum excommunicari per eiusdem excommunicationis reiteratiō, ad maiorem sui confusionem, vt vel sic à peccato resiliat, vel propter alias causas, & tunc tot sunt principales excōmunicationes, quot causæ, pro quibus aliquis excommunicatur. 4. sentent. d. 18. q. 2. art. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ille, qui excommunicatus est vna excomunicatione, potest iterum excommunicari per eiusdem excommunicationis reiterationem ad maiorem sui confusionem. probatur, vt vel sic à peccato resiliat, vel ꝓpter alias causas. hinc elicit corrolarium; tunc tot sunt principales excomunicationes, quot causæ, pro quibus aliquis excommunicatur.

Sensus huius litteræ non est, vt qui excommunicatus fuit, & absolutus, possit iterum excomunicari ab nouam contumaciam, hoc enim patet ex cap. eos. de sent. excom. lib. 6. & alibi. sed illius sensus est, quòd qui excomunicatus est, nec absolutus est, potest iterum excomunicari, nedū propter nouum crimen, sed etiam propter idem, quia, vt benè notat Dominicus Sotus 4. sentent. d. 22. q. 2. art. 2. licet non sit aliud crimen in alia spetie, obstinatio tamen ipsa, qua indurescit, & recrudescit, acriora animaduersione fit digna. conclusionem D. Thomæ docent etiam Alensis 4. p. q. 22. memb. 1. art. 5. D. Bonauentura 4. sent. d. 18. q. 4. Ricardus 4. sent. d. 18. art. 5. quæst. 2. Gabriel 4. sent. d. 18. q. 2. art. 2. concl. 5. Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. quæst. 2. artic. 2. concl. 3. confirmat Clement. vnica. de Schismat. in vers. plurium. vbi refert Pontifex nonnullos varijs excomunicationibus constringi. & c. capitulum S. Crucis. de rescrip. vbi excomunicati, & suspensi ijsdem pœnis iterum puniuntur. hanc eandem conclusionem corroborat vsus, & praxis Ecclesię, quæ errare non potest. ratio etiam eandem veritatem suadet, quia sicut culpa reiteratur, ità pœna debet reiterari; item cum causæ multiplicari possint excomunicationis, potest enim quis esse incendiarius, fractor Ecclesiarum &c. ita excomunicationes iterari possunt; vlterius cum iteratur morbus, iteratur etiam medicina; præterea sicut iterātur apud forum sæculare pęnæ eiusdem speciei pro iteratis delictis, vt bannitus iterum bannitur citatione solum facta, vbi habitare consueuerat, ita in foro Ecclesiastico poterunt iterari excommunicationes, sicut iterantur aliæ pœnæ. huic tamen veritati obstare videtur tale argumentum, semel excomunicatus iam est priuatus Ecclesiæ suffragijs, & Sacramentis, & participatione fidelium, & iam eiectus est ab Ecclesia, sed priuatio nō suscipit magis, & minus, ergo nullus est magis excomunicatus, quàm alius, vel nunc, quàm antea. huic argumento respondet Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 2. ar. 2. concl. 3. quòd licet priuatio secundùm se non suscipiat magis, & minus, attamen ex parte causæ potest vna excommunicatio ex vrgentiori, & acriori causa proficisci, quàm alia, vnde vnus excomunicatus est indignior suffragijs Ecclesiæ, atque adeò elongatior ab illis, quàm alius, ac subindè maiori satisfactione indigens, vt reconcilietur. idem dic de vno, & eodem, quòd quantò pluribꝰ est irretitus excomunicationibus ob obstinationem, vel ob varia crimina, tantò magis est elongatus à suffragijs Ecclesiæ, & illis indignior, ac maiori satisfactione indigens, vt reconcilietur. si quis iterum arguat, quod excomunicatus est traditus Sathanæ, vt ait Paulus primæ ad Corinth. 5. & consequenter est extra Ecclesiam, sed vt subiungit ibidem Apostolus, quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? ergo excommunicatus excomunicari non potest. respondebitur, quòd nomine eorum, qui foris sunt, intelligit D. Paulꝰ, infideles, qui cum Baptismum non susceperint, intra Ecclesiam non sunt, nec Ecclesiæ membra sunt, nec Ecclesiæ subditi pœnæ, nec vnquam Ecclesiam intrauerunt, vt possit illos per censuram aliquam cogere, atque suffragijs Ecclesiæ priuare, cum nō sint eorum participes, licet possit Ecclesia Christi fideles prohibere, ne cum illis conuersentur in illis actibus, qui visi fuerint expedire, vbi ratio id exposcerit. dicitur tamen excomunicatus extrā Ecclesiam esse quoad suum commodum. arg. c. pen. & c. à nobis. 2. de sent. excom. non tamen omninò foris est, quia excomunicati omnes, immò & hæretici, & apostatæ subsunt iudicio Ecclesiæ ratione characteris indelebilis in Baptismo suscepti, ideoque illos punit, & corrigit, & seuerius, quàm paganos, & infideles, qui sub Ecclesiæ potestate nunquam fuerunt. si quis iterum arguat, quòd excomunicatio est quædam mors spiritualis, ergo sicut vnus non potest pluries damnari ad mortem corporalem, ita idem non poterit pluries excomunicari. respondebimus negando paritatem rationis inter mortem corporalem, & spiritualem, qualis est excomunicatio, quia mors corporalis reddit impossibilitatem ad vitam, non sic autem contingit in excomunicatione, quia in excommunicato adhuc remanet aptitudo ad redeundum. vlterius dico vale-

valere similitudinē in hoc, quòd sicut vnus pluribus sententijs damnari potest ad mortem. arg. extrau. 2. de schismat. quæ multiplicata damnatio ad mortem non erit inutilis, quia talis damnatus non censebitur absolutus nisi deletis omnibus sententijs, ita quis plurib' de causis ab eodem Iudice, vel diuersis, vel à iure, vel ab homine, eadem de causa, vel diuersis excommunicari poterit validè, ita vt nisi ab omnibus absolutus sit, liber Ecclesiæ restitui non dicatur.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Nauarrus in c. ista quorumdam in gl. vlt. num. 1. notab. 11. Hugolinus de censuris Eccles. tab. 1. cap. 16. §. 3. Sairus lib. 1. thesauri cap. 10. num. 1. & 2. & alij.

Quæritur, an aliquis magis debeat permittere excommunicari, quàm communicare in peccato mortali.

5 Respondeo dicendum, quòd potius se debet permittere excommunicari, quàm cum proposito peccati corpus Christi sumat. 4. sent. d. 9. a. 3. quæstiunc. 1. ad 3.

Hoc in loco D. Thomas docet, quòd homo potius se debet permittere excomunicari, quàm cū proposito peccati corpus Christi sumat.

Ista doctrina allata est propter hunc casum, sit aliquis habens conscientiam peccati mortalis, quod dimittere non proponit, adueniat tempus Paschatis, in quo ex præcepto tenetur sacra se reficere Eucharestia, si accedat tunc ad Diuinam mensam, accedit indignè, & peccat mortaliter, si non accedat, transgreditur præceptum Ecclesiæ de Communione facienda in Paschate. huic casui respondet D. Thomas, quòd manente tali proposito minus peccat non sumendo, quàm sumendo, quia illud, quòd est malum secundùm se, est maius malum, quàm illud, quod est malū, quia prohibitum. subiungit deinde S. Doctor, quòd potius se debet permittere excomunicari, si scilicet ex hoc quòd non se communicat in Paschate, ei comminatur excomunicatio, quàm cū proposito peccati corpus Christi sumat, quia hoc est maius malum, quàm sit transgressio præcepti Ecclesiastici de Communione facienda, propter quam ei excomunicatio minatur.

De participantibus cum excommunicatis. Cap. IV.

1 Licet communicare cum excommunicatis minori excommunicatione.
Excommunicatio non transit in tertiam personam.
§ Participans cum excomunicato maiori excommunicatione est excomunicatus minori excommunicatione regulariter.
Sunt tres casus, in quibus participans talis erit excomunicatus maiori excomunicatione, & qui.
Quomodo intelligendi canones, excomunicatos. & proximus, cum excomunicato. qui volunt participantes simili inodari excomunicatione.
Participans cum excomunicato minori excomunicatione nullam incurrit excomunicationem.
2 In quibus non debemus communicare cum excommunicatis.
§ Per os intelligitur osculum, oris locutio, locutio per scripturam, per nuncium, per signa.
Per orare prohibetur omnis oratio, & participatio in Sacramentis, & officijs Diuinis.
Per vale inhibetur omnis salutatio quocunque modo facta, vbi varij resoluuntur casus.
Per communionem intelligitur participatio in Sacramentis, & omnis contractus.
Per mensam prohibetur comestio, & potus in eadē mensa eodem tempore, etiam in diuersis mensis pertinentibus ad eandem festiuitatem.
Non tenetur quis exire de domo, quando aduenit amicus excomunicatus, & quomodo.
Licet comedere, & dormire cum excomunicato in eodē cubiculo, sed non in eadem mensa, & lecto.
Non potest quis dare amico excomunicato claues domus, vt ibi comedat, & quomodo.
3 Scienter non debet quis communicare cum excommunicatis in Diuinis.
§ Simoniaci, schismatici, excomunicati ex statuto Ecclesiæ à dispensatione Eucharestiæ sunt suspensi, sicut & cōcubinarij Sacerdotes, & quare.
Qui recipit Eucharestiā ab aliquo istorum, peccat mortaliter, & quare.
In secunda conclusione loquitur D. Thomas secundum ius antiquum.
Excomunicatos non tenetur Christi fidelis vitare, nisi sint denunciati, vel notorij Clericorum percussores.
Antequam sint denunciati, nisi sint Clericorum percussores, potest cum eis communicare tam in Diuinis, quàm in humanis.
4 Communicare cum excōmunicatis contingit dupliciter, scilicet directè, & indirectè.
Participans directè cum excōmunicato peccat mortaliter.
Tripliciter contingit peccare mortaliter participando cum excomunicatis.
Participans indirectè cum excommunicato peccat venialiter.
Nisi tamen ex contemptu hoc faciat.
§ Duplex communio, scilicet fidelium, & hominum.
Quę communio cum excomnnicatis sit peccatū mortale, & qua veniale.
5 Non sunt vitandi illi tanquam excommunicati, de quibus dubitatur, an sint, ante sententiam declaratoriam.
Post sententiam declaratoriam sunt vitandi illi, de quibus dubitatur, an sint excomunicati.
6 Participans cum excomunicato tunc solum peccat mortaliter, quādo participat sibi in crimine, vel in Diuinis, vel in contemptum Ecclesiæ.
§ Quattuor sunt casus, in quibus participās cum excomunicato peccat mortaliter, & qui sint.
Tres alij casus positi à Nauarro confutantur.
Casus positus ab Henriquez reijcitur.
Casus positi à D. Thoma explicantur.
Quid sit participare in crimine criminoso.

Quid

patione cum eo, & varij resoluuntur casus.
Isti casus intelliguntur non solum de extrema, sed etiam de necessitate magna, & notabilis incommoditatis, & communi, & quomodo.
Quid facere debet homo, quando violenter detinetur cum excomunicatis, etiam in Diuinis.
Sairus in hoc reijcitur.
Sairus vnum falsum imponit Caietano in hoc.
Alia sunt prohibita, quia mala, alia mala, quia prohibita, & quæ sint vtraque.
Lex Ecclesiastica potest obligare ad aliquid faciendum, vel vitandum sub peccato mortali, & cũ periculo mortali, & cum periculo mortis.
Lex Ecclesiastica non prohibet communicare cum excomunicato in humanis, & Diuinis sub peccato mortali, quando adest metus cadens in virum constantem.
Potest homo communicare excomunicato in humanis, & Diuinis, quando compellitur metu in virum constantem cadente.
Papa potest dispensare, vt [illegible] cum excomunicato communicet.
Si Papa alloquitur, vel communicet cum eo, dispensat cum eo, nec ipse peccat.
Cæteri Prælati inferiores non possunt in hoc dispẽsare, & peccant, si cũ excomunicato cõmunicẽt.
10 *Non est communicandum cum Hæreticis.*
5 *Cum quibus hæreticis non sit communicandum, & cum quibus possimus communicare.*

Quæritur, an liceat communicare cum excõmunicato minori excommunicatione.

1 RESpondeo dicendum, quòd excõmunicato minori excommunicatione licet communicare, & sic excommunicatio non transit in tertiam personam. 4. sent. d. 18. quæst. 2. artic. 4. quæstiunc. 2. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. excomunicato minori excomunicatione licet communicare absque hoc, quòd incurratur alia excomunicatio. probatur, quia excomunicatio non transit in tertiam personam.

Ex hoc loco habemus, quòd participans cum excomunicato maiori excomunicatione est excomunicatus minori excomunicatione regulariter loquendo, quod dico, quia in tribus casibus participans cum excommunicato incurrit maiorem excomunicationem, quorum primus est, quando pronunciatur excomunicatio in omnes participantes. secundus est, quando quis communicat cum excomunicato in crimine, pro quo lata est excomunicatio, vt habetur in ca. nuper. de sent. excom. & dicitur participare in crimine criminoso. tertius est, si quis communicet cum excomunicato nominatim à Sũmo Pontifice in officijs Ecclesiæ, vt patet c. significauit. eo. tit. nã tunc Papa intelligit contrahi excomunicationem maiorem, cum dicat pro beneficio absolutionis ad Apostolicam Sedem esse recurrendum. item colligitur ex c. Sacris. de his, quæ vi. ex nulla verò alia participatione prohibita cum excomunicatis contrahitur nisi minor excomunicatio, quia etiam talis participatio nõ est nisi peccatum veniale. si autẽ quis objiciat can. excomunicatos. & can. proximus, cum excomunicato. vbi dicitur, participantem cum excommunicatis simili excomunicationi subiacere, ergo participans cũ excommunicato incurrit maiorem excomunicationem, non minorem: respondebitur, quòd vtique participans cum excomunicato subiacet simili, sed non æquali excomunicationi, quia subiacet minori, non maiori, participans autem cũ excomunicato minori excomunicatione nullam contrahit excomunicationem, quia excomunicatio in tertiam non transit personam.

Quæritur, in quibus non debeamus participare cum excommunicatis.

2 Respondeo dicendũ, quòd qui per sententiam Ecclesiæ à communione pelluntur, sunt vitandi quantùm ad mensam, & quantùm ad salutationem, & quantùm ad sacram communionem, vndè in versu dicitur.

Os, orare, vale, Communio, mensa negatur.

scilicet excommunicatis. lect. 3. cap. 5. primæ ad Corinthios.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, Qui per sententiam Ecclesiæ à Communione pelluntur, sunt vitandi quantùm ad mensam, & quantùm ad salutationem, & quãtùm ad sacram Communionem. probatur ex illo verficulo.

Os, orare, vale, Communio, mensa negatur.

scilicet excomunicatis.

Licet hæc doctrina sit à nobis supra in cap. 1. q. 2. explicata, non pigeat tamen eadem doctrinam distinctius examinare, qui ergo per sententiam Ecclesiæ sunt excomunicati, & denunciati, priuãtur communione fidelium quoad illa quinque, quæ in hoc versiculo ponuntur, os, orare, vale, communio, mensa negatur. Per os intelligitur primò osculum, vt habetur ex cap. excomunicatos. 11. q. 3. secundò prohibetur oris locutio ex eodem cap. excomunicatos. ex Siluestro verb. excom. 5. num. 2. Armilla eodem verb. num. 39. Caietano in summa. tertiò inhibetur locutio per scripturam, vt communiter docent omnes. quartò vetita est locutio per signa, & nutus ex Hugolino in cap. quoniam multos. quintò prohibetur locutio per nuncium ex eodem Hugolino vbi supra. sextò inhibetur munerum missio, vel munerum receptio. Angelus verb. excom. 8. num. 4. Per orare prohibetur omnis oratio, & participatio in Sacramentis, & officijs Diuinis. S. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 3. vers. tertiò. Tabiena verb. excom. 8. vers. tertiò. Nauarrus in manuali cap. 27. num. 33. per Vale inhibetur omnis salutatio, siue oretenus, siue per litteras; & nota ex S. Antonino 3. p. tit. 25. c. 2. quòd in casu, quo licet

licet excomunicato scribere, non debet salutari, sed loco huius termini, salutem, possumus ponere, spiritum consilij sanioris; possumus etiam ei nos salutanti dicere, Dominus te emendet, Dominus te conuertat, Deus te illuminet, ex Siluestro verb. excom. 5. num. 27. Dominico Soto 4. sent. d. 22. q. 1. art. 4. prohibetur etiam assurgere excommunicato prius salutanti nos, aut dare ei locum in sedili, aut aperire illi caput, mouere labia in signum salutationis, vt docet Siluester verb. excom. 5. num. 3. negat hoc D. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 2. quem sequitur Sairus lib. 2. thesauri cap. 13. num. 7. vtrumq; potest sustineri nomine communionis intelligitur ex D. Thoma in addit. ad 3. p. q. 21. art. 1. quem sequitur Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. a. 4. participatio Sacramentorum. D. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 2. Siluester verb. excom 5. num. 3. Tabiena eodẽ verb. 8. vers. quinto. intelligunt communionem humanam per comparationem in eodem exercitio; per cohabitationem in eadem parte domus, non autem in diuersis partibus domus; per contractus quoscunque, emptionis, venditionis, locationis, mutui, donationis &c. ex Siluestro vbi supra, D. Antonino 3. p. tit. 23. cap. 2. nomine mensæ intelligitur participatio cibi, & potus. ex cap. excomunicatos. & cap. cum excomunicato. ex cap. ad mensam. 11. q. 3. ex cap. nuper. de sent. excom. idest non licet cum excomunicato edere, & bibere simul, & eodem tempore in eadem mẽsa, neque in diuersis mensis, quando illæ mensæ pertinent ad idem conuiuium, seu ad eandem festiuitatem, etiam si singulis sua tribuatur portio separatim. S. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 2. Siluester verb. excom. 5. num. 3. notandum tamen q; si quis hospitatus est in domo aliqua, & superuenit excomunicatus denunciatus, non tenetur ille exire, si tamen habeat locum aliquem separatum, ita vt non oporteat eum excomunicato in aliquo communicare. Sairus lib. 2. thesauri cap. 13. num. 14. sicut etiam si quis sciat aliquem excomunicatum denunciatum esse in aliqua domo, ibi potest hospitari, si locus est tantæ capacitatis, vt possit eius communionem vitare, aliter non; licet etiam edere in eadem aula, non tamen in eadem mensa, sicut dormire in eodem cubiculo, sed non in eodem lecto cum excomunicato, quia in primo vtitur iure suo, in secundo autem adest voluntaria communio. Paludanus 4. sent. d. 18. q. 6. art. 1. D. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 2. Siluester verb. excom. 5. nu. 3. Tabiena eodem verb. 8. vers. octauo. Sotus 4. sent. d. 22. qu. 1. artic. 4. nota etiam, quòd non possunt dari claues domus amico venienti, vt in ea comedat, etiam separatim, si sit excomunicatus. D. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 2. Tabiena verb. excom. 8. vers. quarto. Siluester eodem verbo. 5. num. 3. quod tamen intellige, nisi id fiat, quia probabiliter timet dans claues, ne excomunicatus vim illi inferat, aut rebus suis, si eum non recipiat in domum suam, aut eum repellit à domo sua, aut nisi hoc faciat causa Vrbanitatis, quia scilicet putat eum indigere hospitio, vel alimento, quia in his casibus potest eum reficere ad mensam separatam facta protestatione, quòd eum recipit causa necessitatis. in his ergo participare cum excomunicato est peccatum veniale, præter participationem in Diuinis, quia nõ est participatio in re graui. D. Thomas in addit. ad 3. p. quæst. 23. artic. 3. quodlibet. 11. artic. 9.

Ex hoc loco tanquã ex fonte hauserũt, q̃ docẽt Suarez disp. 5. sect. 1. Filiucius tract. 13. c. 5. n. 84. Reginaldus lib. 32. n. 81. Henriquez lib. 13. de excom. cap. 7. & cap. 10. Toletus lib. 1. cap. 12. num. 3. & plures alij.

Quæritur, an liceat participare cum excommunicatis in Diuinis.

3 Respondeo dicendum, quòd si aliquis ab aliquo simoniaco, vel scismatico, vel excommunicato, & à concubinario Sacerdote Sacramentum Ecclesiæ suscipiat, peccat, & sic Gratiam nõ consequitur, tamen differt de fornicarijs, & alijs prædictis, quia alijs non debet homo communicare in Diuinis scienter, quantùmcunque sint occulti; sed concubinarij Sacerdotes non sunt vitandi, nisi sint notorij, & dicuntur notorij tribus modis, vel propter sententiam, quia conuincti sunt, vel per confessionem in iure factam, vel per rei euidentiam, sicut quando est ita manifestum, quòd nulla potest tergiuersatione cælari. 4. sentent. d. 13. quæst 1. art. 3. quæst. 3. in corp.

Triplici conclusione respõdet D. Dhomas huic quæsito, quarum prima est. si aliquis ab aliquo simoniaco, vel schismatico, vel excomunicato, & à concubinario Sacerdote Sacramentum Ecclesiæ susceperit, peccat, & sic Gratiam nõ consequitur. secunda conclusio. simoniaco, schismatico, vel excomunicato non debet homo communicare in Diuinis scienter, quantùmcunq; sint occulti. tertia conclusio. concubinarij Sacerdotes nõ sunt vitandi, nisi sint notorij; hinc elicitur corrolarium tale, dicuntur notorij tribus modis, vel propter sententiam, quia conuicti sunt, vel per confessionem in iure factam, vel per rei euidentiam.

Pro explicatione primæ conclusionis obserua, quòd simoniaci schimatici, & excomunicati ex statuto Ecclesiæ à dispensatione Eucharestiæ sunt suspensi, quia sunt extra vnitatem Ecclesiæ, in qua Sacramenta conferuntur. insuper hoc interdictum est concubinarijs Sacerdotibus propter spiritualitatem maximam, quæ in hoc Sacramẽto requiritur, ex quo benè sequitur, quòd si quis ab aliquo supradictorum Sacramentum suscipiat, peccat, quia participat in peccato eorum; insuper participat in Diuinis cum excomunicato, & consequenter peccat mortaliter. circa secundam conclusionem, qua dicitur, cum excomunicatis

non esse in Diuinis cōmunicandum scienter, quātumcunque sint occulti, nota, quòd D. Thomas loquitur secundùm ius antiqum, quo prohibebatur communicatio cum excomunicatis, etiam occultis, sed nunc post extrauagantem Martini quinti, quæ in fauorem fidelium facta est ad euitanda multa pericula, quæ ex participatione cum excomunicatis emergebant, non tenetur Christi fidelis euitare quoscumq; excomunicatos quantùm ad communicationem illo versiculo contentam, os, orare, vale, communio, mensa negatur, sed duos tantùm, percussores scilicet Clericorum notorios, & nominatim excomunicatos, postquā denunciati, & declarati fuerint, reliquos vero siue à iure, siue ab homine etiam nominatim excomunicatos, non tamen denunciatos, non tenetur vitare, sed licebit fidelibus cum ipsis cōmunicare tam in Diuinis, quàm in humanis, de quo priuilegio infra dicetur.

Quæritur, an aliquis loquendo, comedendo, stando cum excommunicatis peccet mortaliter.

4 Respondeo dicendum, quòd aliquis per excommunicationem separatur à communione fidelium, non autem hominum, nisi per accidens, quia intantùm separatur à communione hominum, inquantùm cōuenit separari à communione fidelium, dico ergo, quòd aliquis potest communicare, seu participare cum excommunicato directè, & indirectè, directè quidem in his, quæ sunt fidelium, & sic ille, qui hoc modo communicat sibi, peccat mortaliter, & hoc contingit tripliciter, quia si communico secum in Diuinis, sicut si orem pro eo, vel audiam Missam cum eo, & in alijs spiritualibus, item si ex contemptu, & hoc in quocunq; communicat quis cum eo, quasi contemnens mandatum Ecclesiæ, peccat mortaliter, item quicumque participat secum in crimine, & in causa; indirectè verò communicat quis cum eo in his, quæ sunt hominis, sicut in verbo, in cibo, & in his, quæ sunt simpliciter humanę conuersationis, & secundùm hoc non peccat mortaliter, sed venialiter, nisi faciat ex cōtemptu, vt dictum est. quodlibeto 11. a. 9. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas quæsito duplici conclusione. distinctio est. aliquis potest communicare cum excomunicato dupliciter, scilicet directè, & indirectè. directè in his, quę sunt fidelium, indirectè autem in his, quæ sunt hominis. prima conclusio. ille, qui directè communicat excomunicato, peccat mortaliter, & hoc contingit tripliciter. probatur, primò si communicat secum in Diuinis, sicut si oret pro eo &c. secundò si ex contemptu quasi contemnens mandatum Ecclesiæ communicat cum excommunicato nedū in Diuinis, sed & in quocunque. tertiò quicúq; participat cū excōmunicato in crimine, & in causa. secunda conclusio. ille, qui indirectè communicat excomunicato, non peccat mortaliter, sed venialiter, nisi tñ faciat ex cōtēptu &c.

Summa huius doctrinæ pendet ex illa subtili distinctione, quam insinuat S. Doctor in principio quæsiti. quòd scilicet datur duplex communio, nempe fidelium, & hominum, communio fidelium est participatio in his, quæ spectant ad fideles, vt fideles quatenus scilicet conuenientes in vnitate fidei, vt orare, Missam audire, & cætera spiritualia; communio autem hominum est participatio in his, quæ sunt simpliciter humanæ conuersationis. communicare ergo excomunicato communione fidelium est peccatum mortale, communicare verò cum excomunicato cōmunione humana est peccatum veniale. verum hæc emunctius examinabuntur infra.

Quæritur, an debeant vitari illi excommunicati, de quorum excommunicatione est apud peritos diuersa sententia.

5 Respondeo dicendum, quòd dubitatio de excommunicatione aliquorum, aut pręcedit sententiam Iudicum, aut sequitur, si præcedit, puta cum nundum est declaratum per Iudicum consensum aliquos esse excommunicatos, non sunt vitandi, quousque certò terminetur, in hoc enim casu certum est, quòd in mitiorē partem interpretari debemus, vndè & Deut. 27. dicitur, si difficilè, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, venies ad Sacerdotes, & ad Iudicem, quæresq; ab eis, & facies, quodcunque dixerint, sed si ambiguum oriatur post concordem Iudicum determinationem, magis standum est sententię Iudicum duplici ratione, primò quidem, quia Iudices sollicitius discutientes negotium plenius possunt percipere veritatē, etiam si sunt minus periti, quàm alij, qui perfunctoriè constituuntur, & extraordinariè; secundò quia hoc esset in magnū nocumentum vtilitatis communis status hominum, si sentētiæ non staretur, sed quilibet pro suo libito vellet sentētiæ calumniam ingerere, quia sic litigia essent interminabilia, & ideò in tali casu magis est stādum sententiæ Iudicū, nisi fortè sit per appellationē suspensa. quodlibeto 4. a. 14.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito iuxta duplex membrum distinctionis, q̄ est, quòd dubitatio de excomunicatione aliquorum aut præcedit sentētiam Iudicum, aut sequi-

tur. prima coonclusio. si dubitatio de excomunicatione præcedit, non sunt vitandi, quousque certò terminetur. probatur, quia in hoc casu certum est, quòd in mitiorem partem interpretari debemus, quod probatur ex Deut. 27. vt in littera. secunda conclusio. si ambiguum oriatur post concordem Iudicum determinationem, magis standum est sententiæ Iudicum. probatur duplici ratione, primò quia Iudices sollicitius discutientes negotium plenius possunt percipere veritatem, etiam si sint minus periti, quàm alij, qui perfunctoriè constituuntur, & extraordinariè. secundò quia hoc esset in magnum nocumentum vtilitatis communis status hominum, si sententiæ non staretur, sed quilibet pro suo libito vellet sententiæ calumniam ingerere, quia sic litigià essent interminabilia, & ideò in tali casu magis est standum sententiæ Iudicum, nisi fortè sit per appellationem suspensa.

Hæc doctrina plana, & clara de se est, ideò nostro non eget labore.

Quæritur, quando participans cum excommunicato peccet mortaliter.

6 Respondeo dicendum, quòd quidam dicunt, quòd quandocunque aliquis participat excommunicato, vel verbo, vel quocunq; dictorum modorum, secundùm quos ei communicare, non licet, peccat mortaliter, nisi in casibus exceptis à iure, sed quia hoc videtur valdè grauè, quòd homo pro verbo leui, quo excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet, & multis excommunicātes laqueum damnationis iniicerent, quod in eos retorqueretur, ideò alijs probabilius videtur, quòd non semper peccat mortaliter, sed solum quādo in crimine sibi participat, vel in Diuinis, vel in contemptum Ecclesiæ. 4. senten. d. 18. q. 2. a. 4. quæstiunc. 3. in corp.

Adducta, & confutata vna opinione respondet S. Doctor huic quæsito vnica cōclusione, qua sequitur alteram opinionē. erat opinio aliquorum asserentium, quòd quandocunque aliquis participat excomunicato vel verbo, vel quocunque dictorum modorum, secundum quos ei cōmunicare non licet, peccat mortaliter, nisi in casibus exceptis à iure. confutatur, quia hoc videtur valdè graue, quòd homo pro verbo leui, quo excomunicatum alloquitur, mortaliter peccet, & multis excomunicantes laqueum damnationis iniicerent, quod in eos retorquetur. conclusio. non semper participantes excommunicato peccant mortaliter, sed solum quando in crimine sibi participant, vel in Diuinis, vel in contemptum Ecclesiæ.

Iam supradictum est, quòd communicare excomunicato in Diuinis est peccatum læthale, cōmunicare autem in humanis excommunicato est peccatum veniale, vt etiam docet D. Thomas 4. sent. d. 18. q. 2. art. 4. quæstiuncula 3. ad 2. Caietanus in summula verb. excom. vers. circa tertium præmissorum. vndè non semper excomunicato communicare est peccatum mortale, vt opinio prima dicebat, ideò meritò confutatur à S. Doctore, exilitas enim materię excusat à mortali in quolibet genere, non est ergo putādum, quòd pro verbo leui, aut pro salutatione facta excomunicato quis peccet mortaliter. sunt tamen casus, in quibus peccabit quis mortaliter, si communicet excomunicato. D. Thomas tres enumerat, quorum primus est, si in crimine participet; secūdus est, si in Diuinis participat; tertius est, si cōmunicet in contemptum Ecclesiæ, quibus addit Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. art. 3. concl. 3. quartum, quando scilicet est lata sententia excomunicationis maioris in participantes; præter quos in nullo alio, inquit ipse, est nisi veniale. Nauarrus in manuali cap. 27. n. 30. sex enumerat casus, in quibus peccat mortaliter participans cum excomunicato, quorum primus est participatio in sacramentis, vel Diuinis offitijs. secundus est nimis frequens, quando nimis frequenter participat. tertius in contemptum Clauium. quartus contra speciale pręceptum Iudicis. quintus cum excomunicato à Papa cùm participibus. sextus in peccato mortali, quando scilicet participat in aliquo mortali peccato cum excomunicato. quarum participationum est ratio, quòd quælibet illarum est principaliter prohibita, vel coniuncta cum alia malitia mortali. prima, inquam, est mortalis, quia communio Sacramentorum, & Diuinorum officiorum est illi principaliter vetita. secunda verò est mortalis, quia intelligitur de frequentia, quæ habet adiunctam malitiam mortalem animandi ad delinquēdum. tertia, quia habet coniunctam malitiam mortalem inobedientiæ. quarta, quia est duplex inobedientia, Iuris, & Iudicis. quinta, ratione, qua quarta; qualem tamen excomunicationem solus Papa potest facere. sexta, quia miscetur ei malitia mortalis ipsius peccati. sed iste vir aliquos posuit casus, in quibus vtique non committitur peccatum mortale, vt imprimis patet in secūdo, qui etiam ponitur à Durando, & Paludano, frequens enim participatio cum excomunicato non est peccatum mortale, quia si vna vice communicare cum excomunicato est tantum veniale, etiā & sæpius communicare erit tantum veniale, frequentia enim venialiū licet sit dispositio ad mortale, attamen secundùm se non est circonstantia mutans de veniali in mortale, vt docet D. Thomas p. 2. q. 83. a. 4. Suarez etiam disp. 15. nu. 11. Filliucius tract. 13. ca. 3. quæsito. 3. num. 43. & cap. 5. quæsito 9. nu. 92. Coninchus disp. 14. dub. 14. num. 149. docent, frequenter communicantem cum excomunicato vitando peccare mortaliter his moti rationibus, quarum prima est, quia præceptum non communicandi cum excomunicatis obligat sub mortali, nisi excuset paruitas materiæ, vel indeliberatio. secunda est, quia quamuis singuli actus excomunicationis sint materia leuis,

uis, nihilominus multitudo actuum, si sumantur per modum vnius, potest constituere materiam grauem sufficientem ad mortale peccatum. sed etiam isti allucinantur, ad quorum primam rationem respondetur negando, quòd præceptum non communicandi cum excomunicatis obliget sub mortali, loquendo de communione in humanis. ad secundum dicitur negando, quòd singuli actus sumpti per modum vnius faciant materiā sufficientem ad peccatum mortale, quia si singuli præcisè sumpti hoc non præstant, ergo nec simul sumpti, quia infinita peccata venialia nunquam facient vnum mortale. quartus etiam casus ex suo genere non est peccatum mortale, vt si quis non ex contemptu, sed ex concupiscentia, vel ira aliquid facit contra statutum legis, aut superioris; vt docet D. Thomas 2.2. q. 103. art. 1. ad 1. & q. 136. ar. 9. & Caietanus ibidem, ergo etiam in hoc casu inobedientia mandati specialis non erit peccatum mortale, nisi fortè tale mandatū esset formale, & fieret in virtute Sanctæ obediētiæ, vel Spiritus sancti. sextus etiam casus nihil facit ad rem, quia in illo casu quis non peccat mortaliter, quia participat cum excommunicato, sed quia participat cum alio in peccato mortali, consensus enim, & cooperatio in peccato mortali est peccatū mortale, vt inquit Apostolus Rom. 1. digni sunt morte non solum, qui peccant mortaliter, sed etiam qui consentiunt facientibus. Henriquez addit alium casum lib. 13. de excom. cap. 9. §. 3. nempe quando quis à ministro iustitiæ denunciato petat actum iudicialem, aut sententiam in re graui, tunc peccat mortaliter inducens ad actum de se nullum in præiudicium tertij, quia sententia Iudicis denunciati ab defectum iurisdictionis nulla omninò est, & irrita. sed nec iste casus facit ad rem, sicut nec sextus Nauarri, quia iste inducens ministrum iustitiæ ad actum de se nullum in præiudicium tertij non peccat mortaliter ex eo quòd participet cum excomunicato, sed quia participat cum eo in peccato mortali eodem, cooperatio enim ad peccatum mortale est peccatum mortale iuxta dictum Apostoli iam adductum. relinquitur ergo, quòd in solis quatuor casibus positis à D. Thoma participans cum excomunicato peccet mortaliter, in alijs autem omnibus peccabit tantùm venialiter. nūc ad eorum explicationem accedamus. primus ergo est, si in crimine participet, scilicet criminoso, idest in eo crimine, pro quo lata est excomunicatio. hic casus habetur in c. nuper. de sent. excom. vt si quis excomunicatus sit propter adulterium, quia scilicet detinet adulteram, quicunque fauore, aut auxilio, aut consilio eum adiuuerit, ne eam expellat, in eodem crimine peccat, & maiorem incurrit excomunicationem, vndè si quis adiuuet adulterū in alio crimine, puta in furto, hanc non incurret excomunicationem maiorem, quia nō dicitur participare in crimine criminoso. hic tamen aduerte, quòd vt dicatur quis participare in crimine criminoso, debet participare, postquam criminosus excomunicationē incurrit, vndè qui participat in primo actu, non dicitur participare in crimine criminoso, quia principalis criminosus nundum est excomunicatus. adultera autem dicitur eam incurrere, vt habetur cap. si concubinæ. de sent. excom. secundus casus est si in Diuinis participat. hic etiam casus habetur in cap. nuper. vbi nota, quòd nomine Diuinorum intelliguntur primò Sacramenta, secundò officia quælibet Diuina, tertiò sepultura Ecclesiastica, ratio huius casus adducitur à D. Thoma 4. sent. d. 18. q. 2. a. 4. quæstiuncula 3. ad 2. quem secutus est Dionysius Cartusianus 4. sent. d. 18. q. 4. quia præceptum Ecclesiæ de vitandis excomunicatis directè respicit spiritualia, vnde qui cum excomunicatis in Diuinis participat, contra præceptū Ecclesiæ directè facit in re graui, & consequenter peccat mortaliter. excomunicato ergo prohibetur participatio tam actiua, quam passiua Sacramentorum, Diuinorum officiorum communio, vt non solum non celebremus illa cum excomunicato, sed neq; vllo modo admittamus eum ad ea audienda, vndè si dum celebrantur Diuina, excomunicatus vitādus intret Ecclesiam, si ingrediatur illam, vt transeat, immò vt dicit Caietanus in summula verb. excom. vers. illicita. licet transeundo genuflectat, & oret priuata oratione, potest dissimulari, quia per hoc non communicant celebrantes Diuina cum eo; nec ipse communicat cum illis, & ideò nullus in hoc peccat. si autem sistat in Ecclesia, monendus est, vt exeat; si exire noluerit, expellendus est; si expelli non possit, statim cessandum est à Diuinis, etiam à Missa inchoata, si tamē Sacerdos nūdum incæperit canonem, Qui pridie, quàm pateretur; si Sacerdos iam inchoauerat canonem, solus Sacerdos cum vno ministro remanere potest, & Missam inchoatam prosequi, cæteri autē omnes tenentur exire. caueat ergo Christi fidelis, ne communicet cum excomunicato maiori excomunicatione vitando in Sacramentis suscipiendis, vel administrandis, in officijs Diuinis solemniter celebratis, & sepultura, ne peccato mortali fædetur. tertius casus est, si communicet in contemptū Ecclesiæ. ratio huius casus est, quia qui non obedit superiori, morte dignus est. cap. 2. de maior. & obedient. & qui Ecclesiam contemnit, Christum contemnit ex Lucæ 10. & tunc dicitur communicare in contemptum Ecclesiæ; quando quis pro nihilo prorsus excomunicationem duceret, & Ecclesiæ auctoritatē in hac parte, vt ait Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. art. 4. concl. 3. vt si quis diceret non esse curandam excomunicationem, nec capitale de ea faciendum esse, vt à temerarijs solet fieri aliquando, hoc nedum temeritas est, sed etiam sapit hæresim, & isti negare videntur Clauium potestatem. obseruat tamen Gabriel 4. sent. d. 18. quæsito 3. a. 2. concl. 5. quem sequitur Sairus lib. 2. thesauri cap. 11. nu. 12. quòd in hoc casu debet præmitti monitio canonica, itaquòd communicans post huiusmodi monitionem cum excomunicato ab homine peccat mortaliter, quando peccat in contemptum Clauium. quartus casus licet non ponatur hac in littera à D. Thoma, recensetur tamen ab ipso 4. sent.

sent. d. 18. q. 2. art. 4. quæstiuncula 2. in corp. & est, quando lata est sententia excomunicationis maioris in participantes, tunc enim participans peccat mortaliter, quia quotiescũque præcipitur aliquid sub comminatione maioris excomunicationis, insinuatur obligatio sub reatu peccati mortalis. obseruat Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. art. 4 concl. 3. quòd talis excomunicatio in participantes ferri non potest, nisi explicentur illi excomunicati sub certis nominibus, cum quibus participium prohibetur, quia si Iudex diceret, præcipimus sub censura excomunicationis maioris, vt nemo communicet cum excomunicatis huius Ciuitatis, sententia esset nulla, licet etiam exprimeret, cum illis, qui sunt nominatim excomunicati, vel manifesti percussores Clericorum, quos aliàs tenemur vitare, quia hoc esset confusionem parere, & laqueos timoratis conscientijs obtendere; sed debet esse forma censuræ, vt nemo participet cum Petro, & Paulo excomunicato, aut saltem nominare eos ex officio, aut alia qualitate manifesta sub hac forma, vt nemo participet cum Prætore. si quis autẽ quærat, an sufficiat dicere, vt nemo participet cum omnibus ministris iustitiæ. elicio non sufficere, & sub illa forma sententia esset illicita, quia vix ministri iustitiæ noti esse possunt; secus autem, si diceretur, cum Senatoribus, aut scribis, si numerus eorum est certus, & notissimus. notat vlterius idem Sotus ibidem, quòd vt talis sententia sit legitima, debet præcedere canonica monitio, aliter nulla est, vt in cap. statuimus. de sent. excom. in 6. sancitur.

Quare participans in Diuinis cum excommunicato peccet mortaliter, in alijs autem, venialiter tantùm.

7 Respondeo dicendum, quòd præceptũ Ecclesiæ directè respicit spiritualia, & ex consequenti legitimos actus, & ideò qui communicat ei in Diuinis, facit contra pręceptum, & peccat mortaliter, qui autem participat ei in alijs, facit præter præceptũ, & peccat venialiter. 4. sentent. d. 18. q. 2. art. 2. quæstiunc. 3. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ratio, quare communicans excomunicato in Diuinis faciat contra præceptum, & peccet mortaliter, qui autem participat ei in alijs, faciat præter præceptum, & peccet venialiter, est, quia præceptum Ecclesiæ directè respicit spiritualia, & ex consequenti legitimos actus.

Hoc in loco habemus rationem formalẽ, quare participans cum excommunicato in Diuinis peccet mortaliter participans autem in humanis peccet tantum venialiter, & est, quia præceptum Ecclesiæ, quo prohibet, ne communicemus cum excomunicato neque in Diuinis, neque in humanis, directè respicit spiritualia, & Diuina, ex cõsequenti autem legitimos actus, ideò participãs cum excomunicato in Diuinis facit directè contra præceptum Ecclesiæ, & consequenter peccat mortaliter, participans autem cum excomunicato in humanis, siue in legitimis actibus facit præter præceptum, quia tale præceptum ex consequenti tantùm respicit huiusmodi actus, & cõsequenter peccabit tantùm venialiter.

Quæritur, an participans cum excommunicato sit excommunicatus.

8 Respondeo dicendum, quòd excommunicatio potest inferri in aliquem dupliciter, aut ita quòd ipse sit excommunicatus cum omnibus ei participantibus, & sic nõ est dubium, quòd quicunque participat ei, est excommunicatus maiori excommunicatione, aut est excommunicatus simpliciter, & tunc aut participat aliquis ei in crimine præbendo ei auxilium & consilium, & fauorem, & sic iterum est excommunicatus maiori excommunicatione; aut participat in alijs, sicut in verbo, vel osculo, vel mensa, & sic est excommunicatus minori excommunicatione. 4. sentent. d. 18. q. 2. a. 4. quæstiunc. 2. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. participans cum excomunicato est excomunicatus. probatur, excomunicatio aut fertur in aliquem, itaquòd ipse sit excomunicatus cum omnibus ei participantibus, aut est excomunicatus simpliciter, & tunc aut participat aliquis ei in crimine præbendo ei auxilium, & consilium, & fauorem, aut participat in alijs, sicut in verbo, vel osculo, vel mensa. si primum, sic est excomunicatus participans maiori excomunicatione, si secundum, sic etiam participans est excomunicatus maiori excomunicatione. si tertium, sic participans est excomunicatus minori excomunicatione, ergo participans cum excommunicato est excomunicatus.

Hæc doctrina ex superioribus remanet declarata, quòd enim, si excomunicatio feratur in aliquem, & in omnes participantes cum eo, participantes sint excomunicati maiori excomunicatione, patet ex his, quæ diximus in quæst. 9. huius cap. ex Dominico Soto. quòd etiam participans in crimine cum excomunicato præbendo auxilium, & fauorem, quod est participare in crimine criminoso, sit excomunicatus maiori excommunicatione, patet ex his, quæ diximus in eodẽ quæsito, dum primum casum positum à D. Thoma explicabamus. quòd postea participans in alijs cum excomunicato, puta in osculo, verbo, vel mensa sit excomunicatus minori excomunicatione, habetur ex cap. nuper. de sent. excom. cui addimus, quòd à primordijs nascentis Ecclesiæ vsque ad tempora Martini quinti vetitum erat cum excomunicatis tàm publicis, quàm occultis participare, si de eorum constaret excomunicatione,

tione, cum occultis quidem in occultò solum, cũ publicis autem in occultò, & manifesto: ca. cum ab homine. de sent. excom. anno verò 1420. Martinus quintus in Concilio Constantiẽn extrauag. indulsit, ne quis teneretur euitare excomunicatos, etiam in Diuinis, nisi per iuridicam sententiam denunciatos, vel notorios Clericorum percussores, cæteros verò siue à iure, siue ab homine, etiam nominatim excommunicatos, non tamen denunciatos non tenetur euitare, sed in Diuinis, & humanis cum ipsis potest communicare absq; hoc quòd contrahat minorem excomunicationem. quod priuilegium non cædit in fauorem ipsorum excomunicatorum, ipsi enim excomunicati ex hoc nullam reportant vtilitatem, cũ semper teneantur abstinere à communione fideliũ, vt benè notauit Nauarrus de pænit. d. 6. ca. 1. §. laboret; sed factum est in fauorem aliorum ad eorum sedandas conscientias timoratas, vt notat ex priuilegio ipso Dominicus Sotus 4 sent. d. 22. quæst. 1. art. 1. concl. 1. & ad adimendos scrupulos, nam cum aliter excomunicati non sint manifesti, multi insurgerent scrupuli inter homines; vtrum illi, cum quibus conuersati sunt, sint excomunicati. liceat autem nunc Priuilegium inserere, quod refert D. Antoninus 3. p. tit. 25. c. 2. Caietanus in summula verb. excom. minor. Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. art. 1. Toletus lib. 1. cap. 13. num. 1. tenor priuilegij est, qui sequitur. Ad euitandum scandala, & multa pericula, quæ conscientijs timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscunque Diuinis, intus, & extrà prætextu cuiuscunq; sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, vel censura huiusmodi fuerit illata contra personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum, à Iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expresse; constitutionibus Apostolicis, & alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. saluo si quẽ pro sacrilega manus iniectione in Clericũ in sententiam latam à canone adeò notoriè constiterit incidisse, quòd factum non possit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio excusari, nam à communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstinere iuxta canonicas sanctiones. ex quo priuilegio duo eliciuntur, quorum primum est, quòd ante Concilium Constantiense excomunicatio minor frequenter poterat incurri, sed post Concilium illud in duobus tantum casibus participando cum excomunicato incurritur, primus est, si participatio interuenit cum nominatim excomunicatis publicè, & denũciatis. secundus est, si cum excomunicatis propter manum violentam in Clericum notoriam communicatio intercedit. in his duobus casibus incurritur minor excomunicatio, quando participatio interuenit extra casus à iure permissos; quia in casibus à iure permissis etiam cum istis participatio non inducit minorem excomunicationem. secundum, quod elicitur, est, quòd si sciam aliquem esse excomunicatum occultum, nõ nominatum, non teneor illum euitare; neque si sciuerim esse hæreticum, donec sit condemnatus de hæresi, eo enim quòd quis de hæresi condemnatur, censetur nominatim excomunicatus, vnde quando in priuilegio dicitur, nisi sententia, vel censura huiusmodi fuerit illata contra personam, intellige, nominatam, vt obseruat Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. art. 4. vers. tenor. qui etiam notat circa verba sequentia, Collegiũ, Vniuersitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum, quantùm scilicet ad interdictum, nam Vniuersitas non potest excomunicari. hic tamen aduerte ex Toleto lib. cap. 13. nu. 2. quòd potest aliquis esse nominatim excommunicatus, sed non denunciatus, vt si Iudex præcipiat alicui, vt sub pæna excomunicationis latæ sententiæ compareat in iuditio, & hic contumax est, nec comparet, iste nominatim est excomunicatus, non tamen est denunciatus; tunc autem censetur denunciatus, quando à Iudice declaratur excomunicatus. Christi fidelis ergo non tenetur euitare excomunicatum, nisi sit denunciatus excomunicatus, nec sufficit, quòd sit nominatim excomunicatus; tunc autẽ dicitur quis nominatim excomunicatus, quãdo sub nõe pprio, puta Petri, vel sub nõe officij, puta Prætoris excomunicatur. si quis autẽ quærat, à quo possit fieri denũciatio; respõdebitur, denunciationẽ posse fieri ab Ordinario excomunicati, licet ipse nõ excomunicauerit, vt ait Innocẽtius in ca. personalis. §. verũ. hoc tamen limitat Decius, nempe hoc verum esse, quando in excomunicationem incidisset ex dispositione iuris, vnde subdit, quòd excomunicatus ab homine non potest denunciari ab illo, qui non excomunicauit, quia causa per vnũ incæpta, per alium absque causa nõ potest perfici. aduerte etiam, quòd postquam quis est nominatim excomunicatus, si appellationem interponat, non potest denunciari, quia appellatio impedit denunciationem: hoc tamen verum est, si appellans ignorabat se esse excomunicatum, vt docet Hostiensis, quia si sciebat se esse excommunicatum, appellatio sequens non impedit denunciationẽ, vnde appellatio post latam excomunicationem impedit denunciationem in ignorante, non autem in sciente se esse excomunicatum. nota vlterius ex Abbate in c. peruenit. 1. n. 5. de appellat. quòd si sententia excomunicationis lata est à iure, & est notorius excessus, absque citatione, & declaratione potest Iudex denunciare excomunicatum; si verò excessus non est notorius reo nõ vocato, & declarato in canonem incidisse, denunciatio fieri non debet.

Quæritur, an liceat excommunicato participare in pure corporalibus.

9 Respondeo dicendum, quòd sicut prædictum

dictum est, duplex est excommunicatio, vna est minor, quæ separat tantùm à participatione Sacramentorum, sed non à Communione fidelium, & ideò tali excõmunicato licet communicare, sed non licet ei Sacramenta conferre; alia est maior excommunicatio, & hæc separat hominem à Sacramentis Ecclesiæ, & à communione fidelium, & ideò excommunicato tali excommunicatione communicare non licet, sed quia Ecclesia excommunicationem ad medelam, & non ad interitum inducit, excipiuntur ab hac generalitate quædam, in quibus communicare licet, scilicet in his, quæ pertinent ad salutem, quia de talibus homo licitè cum excommunicato loqui potest, & etiam alia verba interserere, vt facilius salutis verba ex familiaritate recipiantur, excipiuntur etiam quædam personæ, ad quas specialiter pertinet prouisio excommunicati, scilicet vxor, seruus, filius, rusticus, & seruiens; sed hoc intelligendũ est de filijs non emancipatis, aliàs teneretur vitare Patrem. De alijs autem intelligitur, quòd licet excommunicato communicare, si ante excommunicationẽ se ei subdiderunt, non autem si post; quidam autem intelligunt è conuerso, scilicet quòd superiores possunt licitè communicare inferioribus, alij contra dicunt, sed ad minus in his eis communicare debent, in quibus eis sunt obligati, quia sicut inferiores obligantur ad obsequium superiorum, ita superiores ad prouidentiam inferiorum; sunt etiam quidam casus excepti, sicut quando ignoratur excommunicatio, & quando aliqui sunt peregrini, & viatores in terra excommunicatorum, qui licitè possunt ab eis emere, vel etiam recipere eleemosinam, & similiter si aliquis videat excommunicatũ in necessitate, quia tũc ex præcepto Charitatis tenetur ei prouidere, & hæc versu continentur.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Vt vtile referatur ad verba salutis, lex ad matrimonium, humile ad subiectionẽ, cætera patent. 4. sent. d. 18. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 1. in corp.

Octuplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito præmissa distinctione tali, quòd duplex est excommunicatio, vna est minor, quæ separat tantùm à participatione Sacramentorum, sed non à communione fidelium, alia est maior excommunicatio, & hæc separat hominem à Sacramentis Ecclesiæ, & à communione fidelium. prima conclusio. excommunicato minori excõmunicatione licet communicare, sed non licet ei Sacramenta conferre. probatur, quia excomunicatio minor separat tantùm à participatione Sacramentorum, sed non a communione fidelium. secunda conclusio. excomunicato maiori excomunicatione communicare non licet. probatur, quia excomunicatio maior separat hominem à Sacramentis Ecclesiæ, & à communione fideliũ. tertia conclusio. excipiuntur ab hac generalitate quædam, in quibus cõmunicare licet, scilicet in his, quæ pertinent ad salutem. probatur primò, quia Ecclesia excomunicationem ad medelam, & non ad interitum inducit. secundò, quia de talibus, quæ pertinent ad salutẽ, homo licitè cum excomunicato loqui potest, & etiã alia verba inserere, vt facilius salutis verba ex familiaritate recipiantur. quarta conclusio. excipiuntur et quædam personæ, vt vxor, seruus, filius, rusticus, & seruiens. probatur, quia ad eas personas specialiter pertinet prouisio excomunicati. quinta conclusio. excipitur filius non emancipatus. probatur, quia aliàs teneretur vitare Patrem. sexta conclusio. De alijs intelligitur, quòd licet excomunicato communicare, si ante excomunicationem se subdiderunt ei, non autem si post. quidam intelligũt è conuerso, scilicet quòd superiores possunt licitè communicare inferioribus, alij contradicunt. septima conclusio. superiores communicare debent inferioribus adminus in his, in quibus eis sunt obligati. probatur, quia sicut inferiores obligantur ad obsequium superiorum, ita superiores ad prouidentiam inferiorum. octaua conclusio. sunt etiã quidam casus excepti positi in hoc vers.

Vtile, lex, humile, res ignorata necesse.

hæc explicantur in littera, & quo ad necessitatem probatur, quia tunc ex præcepto Charitatis tenetur ei prouidere.

Pro explicatione huius litteræ aliqua sunt obseruanda, & primò circa distinctionem, qua dicitur, quòd excomunicatio minor separat à participatione Sacramentorum, nota, quòd loquitur de participatione tantùm passiua, non autẽ actiua, excomunicatio enim minor priuat tantũ participatione passiua Sacramentorum, non autem actiua, vnde excomunicatus minori excomunicatione non poterit recipere Sacramenta, poterit tamen illa alijs conferre; non priuat itẽ minor excommunicatio communione fidelium, vnde talis excomunicatus poterit conuersari cũ fidelibus, vt dicit prima conclusio, absque hoc quòd ipse peccet, & illi cum quibus conuersatur, incurrant excommunicationem minorem, quia excomunicatio non transit in tertiam personam, vt supra diximus cum S. Thoma. secundò nota circa secundam conclusionem, quòd debet intelligi iuxta supradicta in quæsito præcedenti, si scilicet sit nominatim excomunicatus, & denunciatus, aliter non tenetur homo taliter excomunicatum euitare iuxta priuilegium Martini quinti; in casibus tamẽ concessis in hoc versiculo, Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse, licet etiam

com-

communicare cum excomunicato nominatim,& denunciato. Vtile refertur ad verba salutis, inquit S. Thomas in littera, idest per Vtile intelliguntur verba ad salutem spiritualem excomunicati pertinentia, quia licet excomunicatum hortari, vt resipiscat, sibi consulat, & pæniteat, se à censura explicet, vt ca. cum excomunicato. 11. q. 3. habetur; & licet immisceantur aliqua verba vrbana ad captandam eius beneuolentiam, nullum est periculum, vt notat Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. art. 4. conclus. 5. & Caietanus in summula verb. participatio cum excomunicato licita vers. casus autem liciti. post D. Thomam hoc in loco. sed nedum per vtile intelligitur vtilitas excomunicati, sed etiam vtilitas propria, vt Caietanus, & Sotus ibidem obseruant, vndè licet vnicuique ab excomunicato petere, & exigere, & recipere, quod sibi debetur, immò & in iuditio ipsum conuenire, vt in c. intelleximus, de iudicijs habetur. Lex ad matrimonium refertur, inquit S. Thomas in littera, ideò intelligitur lex matrimonij inter virum, & mulierē, quæ idcircò per legem significatur, quia de vxore agitur, quę sub viri lege est. arg. ca. 1. & 2. de secund. nupt. potest ergo vxor participare cum viro excomunicato. Caietanus in summula loco citato, Tabiena verb. excom. 8. vers. octauò. Paludanus 4. sent. d. 18. q. 6. a. 2. Dominicus Sotus loco citato, qui vnum obseruat, & benè, nempè quòd licet petere ab excomunicato debitum, & illud ei reddere, nisi forsan excomunicatio lata esset in causa matrimonij, an sit legitimè contractum. hinc elicimus non licere sponsæ communicare cum sponso excomunicato, quia nundum est vxor, & sponsus nundum sit maritus, quibus solis concessum est communicare ex ca. quoniam multos. 11. q. 3. Humile refertur ad subiectionem, inquit D. Thomas in littera. ista autem subiectio attenditur in filijs respectu Parentum, in seruis respectu Dominorum, in rusticis, & seruientibus respectu etiam Dominorum, in Vxore respectu mariti, vnde filij, serui, vxor, rustici, seruientes possunt cōmunicare cum Parentibus, Dominis, marito excomunicatis, vt habemus ex can quoniam multos. 11. quæst. 3 & docent Caietanus, Sotus locis citatis, Paludanus 4. sentent. dist. 18. q 6. art. 2. Ricardus 4. sent. d. 18. a. 11. q. 3. ad 1. D. Antoninus 3. p. tit. 25. c. 1. Siluester verb. excom. 5. n. 4. Tabiena eodem verb. 8. vers. octauò. Martinus Ledesma. 2. 4. q. 25. arti. 1. Nauarrus in manuali cap. 25. nu. 27. ratio id suadet, quia filius est portio Patris, & possessio ex Arist. 5. eth. cap 9. hæc tamen emunctius sunt examinanda. nomine filiorum non intelliguntur filij emancipati, vt in littera ait D. Thomas, isti enim non possunt participare cū Patre excomunicato, sicut nec Pater potest communicare cum filijs emancipatis excommunicatis, vt loco citato tradit Dominicus Sotus, & ratio id suadet, quia ex hoc ipso, quòd emancipati sunt, sub patria potestate non sunt amplius, & consequenter tenebuntur seruare, quod quicunque alius obseruat circa excomunicatos. hoc tamen verum non est, si filius emancipatus sit commensalis Patri, & à Patre adhuc sustentetur, quidquid contra hoc dicat Hugolinus, quia ex hoc quòd sustentatur à Patre, & eius commensalis est, potest cum ipso communicare, aliter nō benè cum eo ageretur, & aliquo modo adhuc sub eius potestate est, vel etiam necessitate præmeretur, vnde etiam ex hoc capite posset cum Patre excomunicato participare. Nomine vero filiorum intelliguntur filij domi cum Patre habitantes, siue sint legitimi, siue illegitimi, nepotes, pronepotes &c. immò etiam intelliguntur, qui affinitatis ratione filiorum loco sunt, vt nurus, præuignus, præuigna. nomine Patris intelliguntur etiam Mater, Auus, Auia, Abauus, Abauia, Proauus, Proauia. hi ergo omnes possunt cum Parentibus excomunicatis esse, immò & debent, vt colligitur ex cap. inter alia. de sent. excom. & sic filij cum Parentibus excomunicatis esse possunt propter obsequia eis debita, ità è conuerso cum filijs excommunicatis Parentes esse possunt, saltem in his, in quibus eis obligati sunt, quia sicut filij obligati sunt ad obsequium Parentum, ità Parentes ad prouidentiam filiorum, vt habemus ex D. Thoma in littera, quem sequitur Paludanus 4. sent. d. 18. q. 6. a. 2. S. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 3. Adrianus 4. sent. tract. de Clauibus. q. 3. Martinus Ledesma. 2. 4. quæst. 25 art. 1. Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. ar. 4. concl. 5. Armilla verb. excom. n. 46. Nauarrus in manuali cap. 27. num. 27. obseruanda tamen sunt aliqua, & primò quòd filius potest cōmunicare cum Patre excomunicato, & è conuerso, dummodo filius non participet cum Patre excomunicato in crimine criminoso. cap. inter alia. & è conuerso de filio excommunicato respectu Patris dicendum est. secundò notandum est, non posse filium cum Patre excomunicato communicare, & è conuerso, si excomunicatio lata est ob crimen hæresis, quia cum peccatum hæresis sit maximè infectiuū, propter infectionis periculum nec pater cum filio excomunicato, nec è conuerso filius cum patre excomunicato poterit esse. cap. fina. aduertendum, tertiò ex Durando 4. sentent. d. 18. q. 5. num. 8. quòd non licet eis participare in Diuinis, vndè si filius Patris excomunicati sit Parochus, non licebit ei Sacramenta ministrare, nec coram eo Diuina facere. ratio id suadet; quia hæc communio non competit eis, vt pater, & filius sunt.

Serui etiam, & Ancillæ, qui propriè serui, & mancipia sunt, possunt participare cum excomunicatis Dominis, vt habemus ex cap. quoniam multos. 11. q. 3. & supradicti affirmāt Doctores, & ratio id suadet, quia ex Arist. 5. eth. cap. 9 habemus, quòd seruus est posessio Domini sui; è conuerso etiam Domini possunt communicare cum seruis, & ancillis excomunicatis, saltem in his, in quibus eis sunt obligati, vt ait D. Thomas in littera, quia sicut inferiores obligantur ad obsequium superiorum, ita superiores ad prouidentiam inferiorum, vt etiam docet Dominicus Sotus 4. sentent. d. 22. q. 1. a. 4. concl. 5. quem sequitur Nauarrus in manuali cap. 27. num. 27. Hugolinus tab. 2. cap. 23. §. 8. vbi etiam docet, fratres communi-

municare posse cum fratribus excommunicatis, dummodo tamen simul habitent, & seruos communicare posse cum conseruis excomunicatis vel ratione necessitatis, quia scilicet discedere non possunt, ex quo alterius dominio subiecti sunt; vel ratione vtilitatis, si Domino non subijciuntur, ex quo conditionem commodiorem non inueniant, vbi operas suas locent, quòd tamen est dictum de seruis, verum est, si se Dominis subdiderunt ante excommunicationem, vt dicitur in littera. omnes etiam seruientes alicui, siue sint famuli domestici cōductitij, siue rustici, siue quicunque alij seruientes possunt participare cum Dominis excommunicatis, vt colligitur ex cap. quoniam multos. 11. q. 3. ratio etiam id suadet, quia isti non sunt adeò curiales, vt à Domino eorum consilio huiusmodi facinora perpetrentur. hic etiam obseruandum est, quod docet D. Thomas in littera, nempe hos seruos posse communicare cum Dominis excommunicatis, si se illis subdiderunt ante excommunicationem, & possunt perseuerare in famulatu, non autem si post excommunicationem se illis obligauerunt, immò non possunt se illis obligare, & si se obligauerunt, tenentur illos deserere. D. Antoninus 3. p. tit. 25. c. 1. Siluester verb. excom. 5. num. 4. Armilla eodem verb. num. 46. hoc tamen limitandum est, nisi necessitas eos cōpulisset ad seruiendum eis.

Nomine etiam humilis, & subiectionis intelligitur etiam tota familia excomuuicati. c. si verè. de sent. excom. & maximè si ante excomunicationem facti sunt de familia, si dominus eorum opera indigeat, vt si eis indiget ad colendum agros, ad molendum triticum, coquendum panem, & ita eis indiget, vt ex eorum priuatione maximum incurret damnum, vel ipsimet famuli indigerent sustentatione Domini, itaquòd aliis non possent operas suas ita commodè locare, aut honestam sustentationem sibi comparare. idem dic de cōsanguineis, qui si recederent à Domino, non haberent, vnde viuerent. nomine humilis intelliguntur etiam Clerici seruicio Episcopi conductiuo deputati, isti, inquam, possunt communicare cum suo Episcopo excomunicato, nō autem alij Clerici, qui scilicet extra Episcopi familiam sunt, vt docet D. Antoninus 3. p. tit. 26. cap. 1. Paludanus 4. sentent. d. 18. q. 6. art. 1. Siluester loco citato, Tabiena verb. excom. 8. vers. octauo. Nomine humilis comprehendūtur etiam Monachi, & Religiosi omnes Regulares, isti etiam possunt participare cum suo Abbate, seu Prælato excommuuicato, vt citati Auctores docent excepto Paludano, cuius tamen sententia vera est tantùm in hoc sensu, quòd in Diuinis nō possunt communicare cum suo Prælato, sicut nec Clerici seruientes cum suo Episcopo in Diuinis. similiter nomine humilis intelliguntur milites, qui vtique possunt participare cum suo Principe, & Duce, eumque in bello iusto sequi, tueri, vt docet D. Antoninus 3. p. tit. 25. c. 1. vers. octauo. Siluester vbi supra. & habetur ex ca. Iulianus, 11. q. 3. vbi milites Christiani Iuliano Imperatori apostatæ obediebant. obseruandum tamen est ex eodem D. Antonino, & Paludano vbi supra, quòd licet milites possint communicare cum suo Domino, vel Principe excomunicato, non tamen poterunt communicare cum cæteris excommunicatis, cum quibus potest communicare Dux, vel Princeps, sicut vxor, & filij licet possint communicare cum marito, & Patre excomunicatis, non tamen cum excomunicatis, cum quibus communicat Pater, & maritus, vt docet Paludanus 4. sent. d. 18. q. 6. art. 2. quia illi non sunt eorum Domini, nec illi sunt familia eorum. Item nomine humilis possunt intelligi Vasalli, isti etiam possunt communicare cum suo Domino excommunicato, ei soluere tributa, quādiu tamen tenentur iuramento fidelitatis, quia ex hoc quòd Dominus eorum est excomunicatus, non est solutum eorum iuramentum, donec per Ecclesiam ab hoc iuramento fidelitatis absoluātur, vt supra diximus cum S. Thoma, & docet etiam Paludanus 4. sentent. d. 18. quæst. 6. art. 2. S. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 1. postquam tamē essent ab hoc iuramento fidelitatis absoluti, cū eo nullo modo participare possunt, nisi in casibus à iure concessis.

Quarto loco ponitur res ignorata, vt si quis ignoraret alium esse excomunicatum, potest cum illo communicare, vt habetur cap. quoniam multos. & sermo est de ignorantia tam Iuris, quàm facti, quæ etiam excusat à participatione in Diuinis, vt notat Caietanus in summula verb. participatio cum excommunicatis licita. vers. casus autem liciti. quòd ignorantia facti excuset, habetur in cap. Apostolicæ. & docet Paludanus 4. sent. d. 18. q. nona. art. 2. D. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 1. Siluester verb. excom. 4 nu. 4. Tabiena eodem verb. 8. vers. nono. Dominicus Sotus 4. sentent. d. 22. q. 1. art. 4. concl. 5. aduerte tamen, quòd hęc ignorantia, vt excuset, debet esse inuincibilis, quæ tunc est, quando ignoro aliquem fecisse id, per quod sit excomunicatus, seu ob quod fertur excomunicatio, vt licet sciam percussorem Clerici esse excomunicatum, ignoro tamen Petrū percussisse Clericum, quia ipsum percutere non vidi, vel quia non est publica fama de eo, vel quia non audiui à fide dignis; quando autē audiuisset hoc à fide dignis, puta à suo Episcopo, vel fama esset publica de huiusmodi percussione, teneretur inquirere, & interim abstinere, & si inueniat verum, abstinere tenetur à communione cum excomunicato, si autem repererit falsum, potest cōmunicare. S. Antoninus vbi supra. obseruādum tamen ex Nauarro in manuali cap. 27. num. 27. satis esse post Concilium Constantiense ignorantiam probabilem, qua quis ignorat aliquem esse denunciatum excomunicatum, aut ignoret publicè Clericum percussisse. ex his elicimus primò, quòd quando quis scit aliquem esse excomunicatum, & denunciatum, sed inaduertenter, & ignoranter alloquitur eum, & statim quòd aduertit, se cohibet à locutione, iste non peccat, neque excomunicationem minorem incurrit, vt ait Paludanus 4. sent. d. 18. q. 6 ar. 2. D. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 1. & ratio id suadet, quia in hoc casu ignorans inuincibiliter cum excomunicato partici-

ticipat. elicimus secundò, quòd si confessarius aliquis ex præcisa confessione Sacramentali cognosceret aliquem esse excommunicatum, & denunciatum, non tenetur euitare illum, quia ita se habet, ac si inuincibiliter hoc ignoraret. sic etiã docet Paludanus 4. sentent. d. 18. quæst. 6. art. 2. Dominicus Sotus in relect. de teg. secreto memb. 3. q. 4. dub. 3. quòd si euitaret illum, reuelator esset Confessionis, cuius tamen sigillum tenetur seruare nedum apud alios, sed etiam apud ipsum pænitentem. elicimus tertiò, quòd quando constat aliquem fuisse denũciatum excomunicatum, vel esse publicũ Clerici percussorem, & post sententiam per annum ego non vidi illum, si aliàs hic homo sit bonæ famæ, & boni nominis, præcipuè si initio seruabat excomunicationem, & post annum video illum non seruantem eandem, possum, & debeo credere illum esse absolutũ, & consequenter possum communicare cum illo. ex Paludano 4. sent. d. 18. q. 6. art. 2. S. Antonino 3. p. tit. 25. cap. 1. Siluestro verb. excom. 5. dub. 17. si autem è contra homo malæ famæ sit, & præcipuè si a principio sententiam non seruabat, tunc possum, & debeo credere illum adhuc excomunicatum, donec mihi constiterit de absolutione eius; & consequenter teneor eum vitare. quòd autem ignorãtia iuris etiam excuset, docent Paludanus 4. sent. d. 18. q. 6. a. 2. S. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 1. Siluester verb. excom. 5. a. 4. dummodo tamẽ sit ignorantia inuincibilis iuris, quia si esset crassa, & affectata iuris, sicut & facti, non excusaret. non est autem iuris ignorantia inuincibilis, nisi in illis, quibus ius ignorare licet, isti autem sunt nedum pueri, sed etiam adulti, immò etiam viri doctissimi sæpè inuincibiliter ignorãt iura, saltem noua, vt experientia quotidiana cõprobamus.

Vltimò, quod excusat à participatione cum excomunicato, est necessitas, scilicet ipsius excomunicati, & aliorum, vndè in necessitate excomunicati debemus ei succurrere, & in nostra possumus ad excommunicatum recurrere tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, in spiritualibus, inquam, petendo ab eo consilium pro salute animæ nostræ, si tamen alium idoneum commodè inuenire non possimus, vt docet Caietan⁹ in summula verb. participatio cum excomunicatis licita. vers. sed quia. vnde in tempore necessitatis possumus accipere Baptismum ab excommunicato, immò etiam, vt ait Caietanus ibidem, pro salute alterius consilium ab eo petere, & puerum baptizandum illi offerre, quando tamẽ alius non excomunicatus non adsit, à quo hæc petere valeamus, si enim alius non excomunicatus adsit, qui hæc præstare possit, necessitatis casus nõ est. in temporalibus etiam possumus communicare cum excommunicato in necessitate, vnde in ca. quoniam multos. prouidetur, vt peregrinus, qui non potest aliunde, possit ab excomunicato necessaria emere. & in cap. Voluntate. de sent. excom. conceditur Prædicatoribus, vt possint ab excomunicatis eleemosinas postulare. item quãdo quis morbo aggrauatur, nec adest medicus ita peritus, sicut excommunicatus, ad ipsum recurrere possumus tunc. quando etiam adest necessitas damni vitandi ex contractu inito, licebit continuare cum excomunicato executionem cõtractus, quem excomunicatus non vult rescindere, ne damnum ego innocens incurram. vt patet c. si verè. de sent. excom. quæ omnia intelligenda sunt non solum de extrema necessitate, sed ẽt de necessitate magnæ, & notabilis incommoditatis, vt habemus ex D. Antonino 3. p. tit. 25. ca. 1. Tabiena verb. excom. 8. vers. nono. Siluestro eodem verb. 5. num. 5. quos sequitur Nauarrus in manuali cap. 27. num. 27. vbi ait sufficere, quòd homo verè indigeat, & aliunde commodè habere non possit. quando etiam adest necessitas excommunicati tam spiritualis, quàm corporalis, possumus cum ipso communicare, & participare, vnde possumus consilium ei spirituale dare, corã eo concionem habere, vt habetur cap. responso. & cap. cum voluntate. de sent. excom. licebit ẽt dare excommunicato eleemosinam, qua sustentetur, vt habetur in cap. quoniam multos. 11. q. 3. non solum si sit in necessitate extrema, sed etiam in necessitate communi, hoc enim Ius naturale, & Diuinum exigit, ac præcipit, vt rectè ait Gabriel 4. sent. d. 18. q. 3. art. 1 quod humana non tollitur constitutione, puta excomunicatus petit hospitium, recipi poterit, etiam non expectando, vt prius ab alijs omnibus excludatur, vt habemus ex D. Antonino 3. p. tit. 25. cap. 1. Tabiena verb. excom. 8. vers. nonò. Paludano 4. sent. d. 18. q. 6. art. 2. vbi ait posse dari eleemosinam ei, non solum quando eleemosina est in præcepto, sed etiam quando est in consilio, & Nauarrus in manuali cap. 27. nu. 27. ait satis esse, quòd homo verè indigeat, & aliundè commodè habere non possit: ad maiorem huius necessitatis declarationem aliqua sunt proponenda, & soluenda dubia, quorum primum est, quid facere debeat homo, quando violenter detinetur cum excomunicatis, etiam in Diuinis. cui respondeo ex Caietano in summula loco citato, quòd talis deberet animo intendere non interesse Diuinis, vt sic nullo modo agat ad communionem, sed patiatur quo ad corporalem præsentiam, cui, & non consensui potest inferri violentia. nec in hoc audiẽdus est Sairus, qui lib. 2. thesauri cap. 14. nu. 44. putat debere huiusmodi violenter detẽtum deuotè, & reuerenter Misteria Diuina adorare, si exire, aut fugere commodè non possit, quia hoc verè esset consentire participationi cum excomunicato; non oportet tamen, vt oculos claudat, ne videat Diuina, & aures obturet, ne audiat Diuina, vt ibidem ait Sairus, qui oppositum attribuit Caietano, qui tamen de hoc nec verbum facit, vnde ipsum in fonte non vidit. secundum est, an ratione metus possit quis participare cum excomunicato. quo in dubio cerno Doctores dissidentes, nam Panormitanus in c. Sacris. de his, quæ vi, met. causa fiunt. Adrianus quodlib. 1. a. 3. ad 4. & 4. sent. tract. de Clauib. q. 5. absolutè docent metum nec à pœnis Iuris excusare. quibus fauere videtur Paludanus 4. sent. d. 18. q. 7. ar. 3.

concl. 1. in quorum fauorem adest textus cap. sacris, de his, quæ vi, met. causa fiunt. vbi dicitur, quòd metus non excludit prorsus culpam, sed attenuat, quia pro nullo metu debet quis peccatum mortale incurrere, vndè hæc decretalis præsuponit, quòd communicans excomunicato peccet mortaliter. Ioannes à Friburgo mei Ordinis, Comentatoris summæ D. Raimundi summistarũ primi in summa Confess. tit. de senten. excom. q. 165. Martinus Ledesma. 2.4. q.25. art. 3. Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. a. 4. post concl. 5. & lib. 1. de iustitia, & iure. qu. 6. art. 4. Nauarrus in cap. inter verb. 11. qu. 3. prælud. 3. num. 4. & in manuali cap. 27. num. 36. & 139. & alibi, Bartolomeus Medina p. 2. q. 96. art. 4. docent licitum esse metu mortis cum excomunicato participare. Caietanus in summula loco citato asserit nõ posse quempiam metu mortis participare in Diuinis cum excomunicato, quia participatio in Diuinis est peccatum mortale, pro nullo autẽ metu, etiam cadente in virum constantem debet quis peccare mortaliter, in alijs autem licitum erit participare cum excommunicato ob metum cadentem in virum constantem. vt resoluamus hoc quæsitum, explicandus erit primò sensus quæsiti, secundò iacienda erunt aliqua fundamenta. tertiò respondendum erit quæsito per conclusiones aliquas. sensus ergo quæsiti est, an Ecclesia eo rigore inhibeat communicationem cum excomunicato, vt obligare etiam intendat Christi fidelem in casu metus cadentis in virum cõstantem, de quo solo metu quæsitum loquitur, an potius in casu talis metus non intendat Christi fidelem obligare. quo ad secundum sciendum est aliqua esse prohibita, quia mala, quia scilicet intrinsecè habent malitiam, vt adulterium, periurium, & huiusmodi, alia verò sunt mala, quia prohibita, quia scilicet non sunt intrinsecus mala; in illis primi generis potius debet homo mortem opetere, quàm legem transgredi, etiam si non sit nisi peccatum veniale, potius enim mors obeunda est, quàm adulterandum, vel peierandum, vel mentiendum, etiam si non sit nisi mendatium iocosum leuissimum, vt clarè colligitur ex cap. primum. ex cap. ne quis. 22. q. 2. vndè si communicare cum excomunicatis tàm in Diuinis, quàm in humanis esset intrinsecè malum, nũquam liceret cum eis participare non obstante metu, etiam mortis, vt expresè docet D. Thomas in addit. ad 3. p. q. 23. ar. 3. ad 1. & quodlib. 11. a. 6. ad 3. quem sequitur Durandus 4. sent. d. 18. q. 5. ad 3. Ioannes de Friburgo in summa Cõfes. tit. de sent. excom. qu. 165. ratio etiam id suadet, quia peccatum nunquam est eligibile, si enim eligibile esset, non esset peccatum. in alijs autem explorãda est intentio legislatoris, & legis ex quãtitate rei, quæ præcipitur, vel prohibetur, vt videlicet considerentur, quanti obseruatio eius Reipublicæ referatur, vt ait Dominicus Sotus 4. sent. dist. 22. q. 1. art. 4. rursus aduertendum est, quòd lex humana Ecclesiastica potest obligare ex vi suæ potestatis ad aliquid agendum, aut vitãdum sub pæna peccati mortalis, & cum periculo mortis, vt habemus ex Caietano p. 2. q. 96. a. 4. Bartolomeo Medina ibidem, Martino Ledesma. 2. 4. quæst. 25. a. 3. Dominico Soto 4. sentent. d. 22. q. 1. a. 4. qui affert hanc rationem, tanta est potestas in Ecclesia ad suas ferendas leges, quanta in Principe sæculari ad ferendas suas, sed Princeps ex legitima causa potest talem legem condere, vt potius debeat ciuis morti succumbere, quàm illam frangere, ergo & Ecclesia &c. immò Caietanus loco citato subiungit, quòd si lex aliqua humana ad sui obseruantiam non obligat cum mortis periculo, id non ex defectu potestatis legislatoriæ est, sed ex eius bonitate, & intẽtione, vnde si lex vitandi excomunicatos cum tanto obliget periculo, mors potius subeunda erit, quàm illis ad vitandum metum mortis communicare; de facto tamen lex Ecclesiastica non prohibet communicare cum excomunicato in temporalibus, & humanis instante metu mortis, aut metu cadente in virum constantem, vt docet Caietanus loco citato, & cæteri Doctores supra citati, quod etiã tali probari potest ratione, quia lex Ecclesiastica permittit cõmunicationem cum excomunicatis ex leuioribus causis, scilicet iure Patriæ potestatis, & cohabitationis coniugatis, & familiaritatis, & causa vtilitatis, & necessitatis, vt habetur cap. quoniam multos. 11. qu. 3. ergo pari ratione, immò à fortiori excusantur, qui metu mortis cum excomunicatis participant, ex quo elicimus, quòd si tirannus aliquis iubeat alicui sub pæna mortis, vt comedat carnes feria sextã, non in contemptum Ecclesiæ, sed quia, cum ipse carnes comedat, placet ei, vt alius comedat, ille poterit comedere, vt euitet mortis periculum, quia Ecclesia pia Mater non intendit filios suos cum tanto periculo obligare. subiungo vlterius, quòd Ecclesia non prohibet communicationem cum excomunicato, etiam in Diuinis, quando adest periculũ mortis, vt Dominicus Sotus, Martinus Ledesma locis citatis, Nauarrus in præludio 3. n. 4. aiunt, quia piè creditur nolle Ecclesiam quempiam ad vitandum excommunicatum cum periculo mortis obligare, dummodo tamen non adsit contemptus Ecclesiæ, odium fidei, aut aut censuræ Ecclesiasticæ. ex quo elicimus, quòd si tirannus cogat Sacerdotem aliquẽ metu mortis, vt coram ipso excommunicato Missam celebret, non in contemptum Religionis, nec in odiũ fidei, sed quia tantùm vult audire Missam, & iniuriam sibi fieri putat, si iste non celebrat in sua præsentia, talis celebrando non peccat, nec excomunicationem minorem incurrit, vt ait Siluester verb. excom 5. dub. 14. & Dominicus Sotus 4. sentent. d. 22. q. 1. art. 4. vers. sed quia de hoc. post quintam conclusionem, qui etiam subiungit, quòd fortè non esset consilium illa de causa vitã exponere. deinde notandum est, duplicem esse metum, scilicet cadentem in virum constantem, qualis est metus mortis, verberum &c. & metũ non cadentem in virum constantem; metus, qui excusat, est cadens in virum constantem; fallit tamen in duobus, vt ait Siluester verb. excom. 5. dub. 14. primò quando participatio esset in crimine,

mine, ſecundò quando eſſet in cõtemptum fidei, & odium cenſuræ Eccleſiaſticæ. his ſtantibus reſpondeo quæſito duplici concluſione, quarum prima eſt. poteſt quis participare cum excomunicato in humanis, quãdo compellitur metu cadente in virum conſtantem. probatur ratione Caietani in ſummula, quia ſi ſecundùm iura licitum eſt communicare extra Diuina ratione neceſſitatis damni vitandi ex contractu inito, multò magis ratione damni vitandi ex metu cadente in virum conſtantem, cum longè maius ſit hoc damnum, quàm illud ex contractu inito. ſecunda concluſio. licitum etiam eſt communicare excomunicato in Diuinis, quando adeſt metus cadens in virum conſtantem, dummodo tamen talis communicatio non ſit in contemptũ Eccleſię, vel odium fidei, vel vituperium cenſurarum, quia tunc potius ſubeunda eſt mors. hæc concluſio eſt contra Caietanum in ſummula loco citato, eam tamen docet Silueſter verb. excom. 5. dub. 16. Dominicus Sotus 4. ſent. d. 22. q. 1. a. 4. concl. 5. verſ. ſed quia. probatur, quia neceſſitas famis offert periculum mortis, ſed in tali periculo poſſumus coram excomunicatis celebrare, vt nobis in tali neceſſitate ſubueniant, ergo etiam hoc licebit, quando incutitur metus mortis. nunc ſupereſt reſpondere argumento Caietani petito ex cap. Sacris. de his, quæ vi, metuſue cauſa fiunt, vbi dicitur, quòd metus non excludit prorſus culpam, ſed attenuat, participare autem in Diuinis eſt peccatum mortale, pro nullo autẽ metu debet quis peccatum mortale incurrere. reſpondetur, inquam, quòd illa Decretalis intelligitur in caſu, in quo communicatio in Diuinis eſt in odium fidei, vel in contemptum cenſurarum; vel loquitur in caſu, in quo ſit participatio in crimine. Tertiũ eſt, an Papa poſsit diſpenſare cum aliquo, vt communicet cum excomunicato. cui dubio faciliter reſpondetur, poſſe Papam in hoc diſpenſare, quia ſolo iure poſitiuo vetitum eſt communicare cum excomunicato, ſed Papa poteſt diſpenſare in tali iure, ergo &c. immò eo ipſo quo ipſe loquitur, vel communicat cum excomunicato, cenſetur diſpenſare cum illo in lege, ex quo ſequitur, quòd ipſe nunquam in huiuſmodi conuerſatione peccat. cæteri tamen Prælati inferiores non poſſunt in hoc diſpenſare, cum eorum auctoritas ſit limitata, vt ait Dominicus Sotus 4. ſent. d. 22. q. 1. artic. 4. concl. 5. verſ. & ſimiliter neceſſitas. vnde ipſi peccant communicando cũ excommunicatis.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Henriquez lib. 13. de excom. cap. 22. Toletus lib. 1. cap. 12. num. 4. Vaſquez tract. de excommunicatione dub. 9. Suarez diſp. 15. ſect. 2. Filiucius tract. 13. cap. 6. quæſito 3. Coninchus diſp. 14. dub. 12. Reginaldus lib. 32. num. 98. 99. & alij.

Quæritur, an cum hæreticis ſit communicandum.

10 Reſpondeo dicendum, quòd hæreticis communicandum non eſt ratione excommunicationis, nam cum ſint excommunicati, non eſt eis communicandum, ſicut nec cum alijs excommunicatis. quodlibet ſi 10. art. 15.

Vnica concluſione reſpõdet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. hæreticis communicandum nõ eſt ratione excomunicationis. probatur, nam cũ ſint excomunicati, non eſt eis communicandum, ſicut nec cum alijs excomunicatis.

Ad explicationem huius doctrinæ recolendũ eſt, quod ſupra diximus, nempe excomunicatum non eſſe euitandum, niſi ſit nominatim excomunicatus, & denunciatus, vnde ſi ego ſcio aliquẽ eſſe occultum excomunicatum, non nominatum, non denunciatum, non teneor illum euitare; ſimiliter ſi ſcio aliquem eſſe hæreticum, nõ teneor illum euitare, donec ſit condemnatus de hæreſi, tunc autem ex hoc quòd de hæreſi condemnatus eſt, cenſetur nominatim excomunicatus, & denunciatus excomunicatus, & tunc teneor illum vitare.

De Abſolutione ab excommunicatione. Cap. V.

1 *Ab excommunicatione minori quilibet poteſt abſoluere, qui poteſt abſoluere à peccato participationis.*

Ab excommunicatione maiori lata à Iudice poteſt abſoluere ille, qui tulit eam, vel eius ſuperior.

Ab excõmunicatione à iure poteſt abſoluere Epiſcopus, vel etiam Sacerdos exceptis ſex caſibus, qui reſeruantur conditori iuris.

Primus horum caſuum eſt iniectio violenta manuum in Clericum, vel Religioſum.

Ab hoc caſu excipiuntur octo.

Septem ſunt caſus, in quibus iniiciens manum in Clericum non eſt excommunicatus.

§ *Quilibet Sacerdos habens iuriſdictionem poteſt abſoluere ab excomunicatione minori.*

Quilibet Sacerdos poteſt abſoluere à cæteris venialibus, non tamen à participatione cum excomunicatis.

Abſolutio ab excomunicatione minori non ſequitur poteſtatem ordinis, ſed iuriſdictionis.

Parochus proprius poteſt delegare facultatem abſoluendi ab excomunicatione minori alijs.

Diaconus, & ſimplex Clericus habens iuriſdictionẽ poteſt abſoluere ab excomunicatione minori.

Quid ſit excomunicatio lata à iure, & ab homine.

Iudex ordinarius, vel eius ſucceſſor à ſe excomunicatum ſemper abſoluere poteſt, licet in aliam diœceſim tranſtulerit domiciliũ, vel ſit mortuus.

Licet ſit ingreſſus Religionem, hoc tamen verum eſt de iure communi, ex priuilegio tamen Prælati Religionum poſſunt eum abſoluere, etiam ante ingreſſum in Religionem.

Qui tulit excomunicationis ſententiam, poteſt ab ea abſoluere regulariter, in aliquibus tamen caſibus non poteſt, & qui ſint, & explicantur.

Mortuo eo, qui tulit excommunicationem, vel quocunque

cunque alio modo vacante Ecclesia, ille, qui succedit ad tempus, vel perpetuò, potest absoluere.

Duplex excommunicatio à iure alia reseruata, alia non reseruata, & quid vtraque sit.

A reseruata nullus potest absoluere prater eum, cui reseruatur, nisi adsit priuilegium.

A non reseruata absoluit ordinarius, & proprius Sacerdos.

Quid nomine ordinarij, & proprij Sacerdotis intelligatur.

Olim sex casus tantùm erant Papa reseruati, nunc autem sunt alij ferè innumeri, & qui.

Recensentur Auctores, qui de his tractant.

Pralatus Religiosus non potest absoluere sibi subditum lapsum in excommunicationem ob iniectionem manuum in Clericum sacularem.

Quomodo intelligitur, quòd Pralatus Religiosus habeat auctoritatem quasi Episcopalem.

Sex casus Papa reseruati positi à D. Thoma exponuntur.

2 *Vinculum peccati maius est simpliciter vinculo excommunicationis.*

Quoad aliquid est maius vinculum excommunicationis, quàm peccati.

§ *Quare vinculum peccati sit maius simpliciter vinculo excōmunicationis.*

Qua seruanda in absolutione solemni ab excommunicatione.

Absolutio ab excomunicatione non habet determinata verba, sufficit, vt vtamur verbis significantibus absolutionem, vel relaxationem à vinculo.

3 *Absolutio ab excommunicatione debet pracedere absolutionem à peccatis.*

4 *Potest aliquis absolui ab excomunicatione inuitus.*

§ *Non potest quis inuitus absolui ab excommunicatione à iure.*

Debet quis inuitus ab excommunicatione à Iudice lata iniustè absolui.

A iusta excomūnicatione non debet quis regulariter absolui, immò alijs pœnis debet contumax grauari.

Excommunicatus debet regulariter petere absolutionem.

In aliquibus casibus potest quis inuitus absolui.

In quo sensu intelligendus D. Thomas, dum ait, Iudicem debere tollere excomunicationem, quando videt illā non proficere, & vti alio remedio.

Absoluens sine causa peccat, tenet tamen absolutio.

5 *Stante contumatia potest aliquis absolui ab excommunicatione, si eius saluti expediat.*

6 *Potest quis absolui ab vna excommunicatione, & non ab alia.*

Quando quis est excommunicatus pluribus excommunicationibus ab vno Iudice, si ab eo absoluitur ab vna, absolui intelligitur ab omnibus, nisi contrarium exprimat, vel nisi absolutionem excommunicationis impetrauerit in vno casu tantum incursa.

Quando quis est excommunicatus a pluribus iudicibus, si absoluatur ab vna, non est absolutus ab altera.

Nisi tamen omnes alij ad petitionem eius excommunicationem suam confirmauerint.

Vel nisi omnes demandent absolutionem vni.

§ *Potest quis absolui ab vna excommunicatione, non autem ab alia in foro exteriori, & seclusa absolutione à peccatis, non autem in foro pœnitentiali, & cum absolutione peccatorum.*

Quando quis absoluitur ab vna excommunicatione, & non ab alia, non censetur restitutus ad Sacramenta, nec ad communionem, quousque sit absolutus ab omnibus.

In quo distinguatur absolutio ab excommunicatione ab absolutione à peccatis.

Excommunicatus pluribus excomunicationibus ab vno Iudice vnica generali absolutione potest absolui, immò de facto absoluitur, si excommunicatus talis postulat absolui ab omnibus, & intendit absoluens eum absoluere ab omnibus.

Excommunicatus pluribus excomunicationibus ab eodem Iudice vnica tantùm absolutione absoluitur ab omnibus, si ille, qui absoluit, potuit, & voluit ab omnibus absoluere.

Excommunicatus pluribus excomunicationibus ab eodem Iudice non solum ab excommunicatione sibi expressa, sed etiam ab alijs omnibus absolui censetur, quando scientiam habens omnium excomunicationum Iudex indefinitè, & generaliter excomunicatum absoluit.

Quando Iudex non cogitauit de aliqua excomunicatione, & si cogitasset, non absoluisset, tunc ab illa excomunicatione non censetur absolutus.

Quandò absolutus credit probabiliter, quòd si Iudex sciuisset excomunicationem, quam de facto nesciuit, nihilominus absoluisset eum, ab omni se absolutum reputare debet.

Excomunicatus à pluribus Iudicibus debet vitari quousque ab omnibus sit absolutus.

Superior illis Iudicibus, qui tulerunt excomunicationes, potest absoluere ab omnibus.

Quaritur, an quilibet Sacerdos possit subditum suum ab excommunicatione absoluere.

1 RESpondeo dicendum, quòd à minori excommunicatione quilibet potest absoluere, qui potest absoluere à peccato participationis; si autem est maior, aut est lata à Iudice, & sic ille, qui tulit, vel eius superior potest absoluere; vel lata à iure, & tunc Episcopus, vel etiam Sacerdos potest absoluere exceptis sex casibus, quos sibi iuris conditor, scilicet Papa reseruauit, primus est cum aliquis inijcit manus in Clericū, vel Religiosum; secundus est de illo, qui incendit Ecclesiā, & est denuntiatus; tertius est de illo, qui frāgit Ecclesiam, & denuntiatus est; quartus est de illo, qui in Diuinis scienter communicat cum excōmunicatis nominaliter à Papa; quintus de illo, qui falsat litteras Apostolicæ Sedis; sextus de illo, qui excōmuni-

municatis in crimine communicat; non enim debet absolui nisi ab eo, qui excommunicauit, etiam si non sit eius subditus, nisi propter difficultatem accedendi ad ipsum absolueretur ab Episcopo, vel à proprio Sacerdote præstita iuratoria cautione, quòd pareret mandato illius Iudicis, qui sententiam tulit. à primo autem casu octo excipiũtur, primus est in articulo mortis, in quo à qualibet excommunicatione potest quis à quolibet Sacerdote absolui; secundus si sit ostiarius alicuius potentis, & non ex odio, vel proposito percussit; tertius si percutiens sit mulier; quartus si sit seruus, & Dominus læderetur de eius absentia, qui non est in culpa; quintus si regularis regularẽ, nisi sit enormis excessus; sextus si sit pauper; septimus si sit impubes, vel senex, vel valetudinarius; octauus si habent inimicitias capitales. sunt autem alij casus septem, in quibus percutiens Clericum excommunicationem non incurrit, primus si causa disciplinæ, vt magister, vel Prælatus percusserit; secundus si iocosa leuitate; tertius si inuenerit eũ turpiter agentem cum vxore, vel Matre, vel sorore, vel filia; quartus si statim vim repellat; quintus si ignoret eum esse Clericum; sextus si inueniat eum in apostasiá post trinam admonitionem; septimus si transfert se Clericus ad actum pœnitus contrarium, vt fiat miles, vel ad bigamiam transeat. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 5. quæstiunc. 1. in corp.

Præsupposita distinctione cum subdiuisione respondet D. Thomas quæsito quintuplici conclusione. distinctio est, quòd datur duplex excommunicatio, scilicet maior, & minor. rursus maior est duplex, quædam lata est à Iudice, quædam à iure. prima conclusio. à minori excomunicatione quilibet potest absoluere, qui potest absoluere à peccato participationis. secunda conclusio. ab excommunicatione ab homine lata ille, qui tulit, vel eius superior, potest absoluere. tertia conclusio. ab excomunicatione lata à iure potest absoluere Episcopus, vel etiam Sacerdos exceptis sex casibus, quos sibi iuris conditor, scilicet Papa reseruauit, & patent in littera. quarta conclusio. à primò casu, qui est, cum aliquis iniicit manus in Clericum, octo excipiuntur, vt in littera. quinta conclusio. sunt alij septem casus, in quibus percutiens Clericum excomunicationem non incurrit. omnes patent in littera.

D. Thomas non probat has suas conclusiones, sed relinquit eas vt notas, possent tamen sic probari, & primò quòd ab excomunicatione minori quilibet possit absoluere, qui potest absoluere à peccato participationis, probatur, excomunicatio minor solum priuat participatione Sacramentorum passiua, ergo quicunque Sacerdos habet iurisdictionem administrandi Sacramenta, poterit ab ea absoluere, sed habet ex officio quicunque Parochialis Sacerdos, & ex priuilegio Regulares expositi, ergo illi poterunt absoluere ab excommunicatione minori. ex quo elicimus simplicem Sacerdotem habentem solam potestatem Ordinis, non autem iurisdictionis non posse absoluere ab excomunicatione minori, quia ille simplex Sacerdos iurisdictione caret, absolutio autem ab excomunicatione siue maiori, siue minori non spectat ad potestatem Ordinis, sed iurisdictionis, vnde solus Sacerdos, qui potest absoluere à peccato mortali, poterit absoluere ab excomunicatione minori, non quia minor excomunicatio habeat annexum peccatum mortale, sed quia, vt benè ait Caietanus in summula verb. excommunicatio minor. vers. peccat igitur. est vinculum ecclesiasticum, ac per hoc soluendum à ministro iurisdictionis Ecclesiasticæ, quam non habet quilibet Sacerdos, qui potest solum absoluere à venialibus ea ratione, quia pænitens se illi submittit in materia non necessaria in Sacramẽto Pænitentiæ; imò licet simplex Sacerdos possit absoluere à venialibus, non tamen a participatione cum excomunicatis, quia hæc participatio subiecta est excomunicationi, quæ priuat participatione passiua Sacramentorũ, & hoc insinuat D. Thomas in prima conclusione, dum ait, quòd ab excommunicatione minori absoluere potest quilibet, qui potest absoluere à peccato participationis, significans ab illa non posse absoluere nisi eum, qui iurisdictionem habet in subditum: hanc doctrinã docet Caietan' in summula verb. excom. minor. Dominicus Sotus 4. sentent. d. 22. quæst. 2. art. 3. concl. 1. Petrus à Soto lect. 4. de excom. Tabiena verb. absolutio 2. n. 5. Siluester verb. excom. 4. num. 2. quos sequitur Rodriquez p. p. c. 86. Gutierez in can. 9. pro quorum maiori explicatione nota, quòd sicut ad excomunicationem ferendam non est necessarius ordo Sacerdotalis, ita neque ad eam tollendam Sacerdotis ordo requiritur, vnde Caietanus in sũmula verb. excom. minor. vers. peccat igitur. in fine ait, qđ posset Diaconus, immò simplex Clericus habens iurisdictionem absoluere à minori excomunicatione, quia huius absolutio non spectat ad potestatem Ordinis, sed iurisdictionis. Obserua vlterius Parochum posse delegare facultatem absoluẽdi ab excomunicatione minori ob offitium, quod habet, quia scilicet proprius Parochus est, & potestatem ordinariam iurisdictionis habet, vt habetur in ca. nuper. quibus autem ob offitiũ, & potestatem ordinariam permissum est, vt in certis casibus absoluere possint ab excomunicatione, & ipsi potestatem hanc alijs delegare possunt, vt colligitur ex cap. fin. quia in hoc casu Parochis non nudum absolutionis ministerium, sed iurisdictio committitur in cap. nuper. quando autem non nudum ministerium committitur, sed causæ cognitio, & consequenter iurisdictio committitur, delegatus delegare potest. arg. cap. nuper. §. is autem. vers. qui vero. ex quibus habemus,

mus, quòd Parochus vocans Capellanum, vt in sua Parochia Sacramentum Pænitentiæ administret, illi facultatem absoluendi ab excommunicatione minori concedere tacitè censetur, quia excomunicatis minori excomunicatione Sacramenta administrari non possunt, nisi prius ab excomunicatione absoluantur. arg. cap. si celebrat. de Clerico excom. concesso autem vno, & alterum etiam, sine quo illud vnũ exerceri nequeat, conceditur. arg. præterea. de offic. deleg. habemus vlterius, quòd ex delegatione habentis iurisdictionem ordinariam nõ solum quilibet simplex Sacerdos, sed etiam Diaconus, aut alius Clericus à minori excommunicatione absoluere potest, vt diximus supra cum Caietano, quem sequitur Martinus Ledesma 2.4. q.25.a. 2. & ratio id suadet, quia excommunicatio minor, sicut & maior pœna est, & censura, non culpa, vt Franciscus Victoria tract. de excom. n. 17. obseruauit, & sequitur potestatem non Ordinis Sacerdotalis, sed iurisdictionis.

Ad explicationem secundæ, & tertiæ conclusionis explicandum est, quid sit excommunicatio lata à iure, & ab homine; excomunicatio ergo iuris est illa, quæ lata est per aliquod statutum perpetuum per modum legis, siue hoc fiat à Papa, siue ab Episcopo in suis constitutionibus Sinodalibus. omnis autem alia excomunicatio dicitur excomunicatio ab homine, vt si quis pro furto; vel alia de causa excomunicetur. inquit ergo secunda conclusio, quòd ab excomunicatione maiori lata ab homine potest absoluere ille, qui tulit eam, vel etiam eius superior, vbi duo recensentur, qui possunt absoluere ab excomunicatione maiori lata ab homine, quorum prim' est ille, qui tulit eam, siue sit homo singularis, qui sententiam tulit, vel eius successor, si mortuus sit, siue Concilium generale, siue Prouinciale, siue Sinodus Diocæsana, siue Collegium, aut Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vt habetur 11. q. 3. can. 3. & post D. Thomam docuerunt D. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 77. Siluester verb. absolutio. Tabiena eodẽ verb. secundò. Nauarrus in manuali cap. 27. num. 40. vers. quintò. ex quo sequitur primò. quòd Iudex ordinarius à se excomunicatum semper absoluere possit, cum semper habeat iurisdictionem ex Innocentio in c. quærenti. de offic. deleg. quod verum est, etiam si excomunicatus in aliam Diocæsim dominium transtulerit. arg. Capituli. proposuisti. iterum verum est, ẽt si excomunicatus mortuus sit, à solo enim Iudice ordinario absoluitur. cap. à nobis. 2. in fine. §. vt autem. de sent. excom. Nauarrus in manuali cap. 27. num. 272. item verum est, etiam si excomunicatus ingrediatur Religionem, ante cuius professionem à solo ordinario poterit absolui, non autem à Prælato Religionis, quia sicut mors naturalis excomunicatum nõ liberat, quominus ab excommunicatore absoluatur, ita multò minus mors ciuilis eum liberabit; quod verum est de iure communi, quia ante professionem verè adhuc non est Religiosus; attamen ex priuilegio poterit talis absolui à Prælato Religionis nedum infra annum probationis, sed etiam ante ingressum, vt docet D. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 76. vers. septimò. Tabiena verb. excom. 1. num. 10. vers. nonò. qui referunt Fratres Ordinis Prædicatorum ex speciali priuilegio posse tales excomunicatos absoluere ante ingressum eorum in Religionem, & quia priuilegium concessum vni Religioni per cõmunicationem censetur concessum cuilibet alij, ideò omnes Prælati Regulares poterunt excomunicatos à Iudice ordinario absoluere. Circa etiam hanc conclusionem D. Thomę obserua, eam verá esse regulariter, nempè quòd qui tulit sententiam excomunicationis ab ea regulariter poterit absoluere excomunicatum, quia eiusdem potestatis est ligare, & soluere; in aliquibus tamen casibus nõ poterit absoluere, quorum primus habetur in ca. quærenti. de offic. deleg. & est de delegato Papæ, qui potest excomunicare inobedientem suæ sententiæ, attamen post annum non potest absoluere eum permanentem adhuc in illa excomunicatione. immò Panormitanus in dicto ca. asserit esse eandem rationem de quouis alio delegato alterius, & tunc absolutio pertinet ad eũ, cuius est delegatus. Siluester verb. absolutio. 1. n. 3. §. primus. Tabiena eodem verb. 2. nu. 2. vers. quæritur octauò. Nauarrus in manuali ca. 27. num. 40. secundus habetur c. tua. de sent. excom. & est de incendiario, quem Ordinarius excomunicare potest, sed post denunciationem absoluere non potest, sed solus Papa. tertius casus deducitur ex c. fin. §. si. de offic. deleg. & est de eo, cui Papa mandat, vt aliquem excomunicet sine aliqua cognitione causæ, quia cum talis sit merus executor, absoluere non poterit, secus autem esset, si cognitionem causæ mandasset, quia tunc posset absoluere. Tabiena verb. absolutio. 2. nu. 12. Siluester eodem verb. 1. num. 3. Nauarrus in manuali cap. 27. num. 44. Paludanus 4. sent. d. 18. quæst. 5. art. 2. quartus habetur ca. conquæsti. de sent. excom. & est, quando Episcopus denunciat excomunicatum spoliatorem Ecclesiæ cum effractione, tunc enim à Papa est absoluendus. quintus est, si ille, qui excomunicauit, postquam excomunicauit, incidit in excomunicationem maiorem, quia tunc sicut non potest excomunicare. 24. qu. 1. can. audiuimus. ita nec potest absoluere, quia absoluere est iurisdictionis, qua excomunicatus priuatur, secus si solum excomunicatione minori irretitus fuerit. cap. si celebrat. de Cler. excom. ministr. & cap. duobus. Siluester loco citato §. secundus. Tabiena verb. absolutio. n. 12. sextus casus est in sententia lata ab inferiori, sed confirmata à Papa ex certa sciẽtia, secus autem, si confirmat sine certa scientia, aut causæ cognitione, vel sententia esset per statutum quantumcunque confirmatum, quia tunc absoluere posset inferior, nisi Papa sibi, vel alteri reseruasset, sicut de his, quæ sunt à iure. Secundus, qui potest absoluere, est Superior illius, qui tulit excomunicationem, habens plenam iurisdictionem in excomunicatorem, vt post D. Thomã docent D. Antoninus 3. p. tit. 24 cap. 77. Siluester verb. absolutio. 2. §. in principio. Durãdus 4. sent.

d. 18.

d.18.q.4. Paludanus 4.sent.d.18.qu.5.a.2. Dominicus Sotus 4.sent.d.22.q.2.ar.3.concl.2. Nauarrus in manuali cap. 27 num. 40. vnde Papa, qui omni alio est superior, absoluere potest à sententia omnis hominis, vel cui ipse comiserit, nec in hoc alicui irrogat iniuriam, quia vtitur iure suo, propter quod Pœnitentiarij eius sæpè absoluunt à sententijs diuersorum Iudicum, vt Paludanus vbi supra, & Martinus Ledesma. 2.4.qu.26.ar.1. concl.2. testantur,& experientia constat. si etiam Parochus, vel Archidiaconus, aut alius subditus Episcopo ex consuetudine, vel alio iure suũ subditum excomunicaret, talis ab Episcopo potest absolui, vt docet Innocentius c. cum ab Ecclesiarum. de offic. ord. quia Episcopus est ordinarius totius diocæsis. 11.q.1. per totum. & c. cũ Episcopus. de offic. ord. lib. 6. non tamen debet irrequisito excomunicatore, si ex officio processit, absoluere, vt docet Abbas in c. per tuas. nu. 13. de sent. excom. nec etiam parte non citata, si ad instantiam partis lata fuit excomunicatio, vt ibi dicit Abbas, nisi periculum esset in mora, vt ait Abbas in ca. per tuas num. 13. si tamen faceret, teneret absolutio, vt notat Abbas in c. qua fronte. num. 67. etiam non præmissa satisfactione, attamẽ malè faceret, quia suis subditis iurisdictionem non seruat, vt notat Innocentius in ca. cum ab Ecclesiarum num. 6. Siluester verb. absolutio. 2. in principio. Tabiena eodem verb. 2. num. 14. nisi tamen consuetudo habeat ab Episcopo non posse absolui excomunicatos per inferiorem, sed alterum primò cognoscere debere, tũc enim absoluere non posset, quia non est superior eorum in his casibus, neq; teneret, quod ab Episcopo fieret, vt docet Innocentius vbi supra in 6. per cap. dilecto. de offic. Archid. Paludanus 4. sent. d. 18. q.5.a.2. Tabiena vbi supra. si autem superior non haberet plenam potestatem, absoluere non posset, vnde Archiepiscopus non potest absoluere excomunicatum à suo suffraganeo indifferenter, nisi ab eo fuerit ad illum appellatum, & hoc vocatis partibus,& cognito de appellatione, vt habetur ca. Romana. de appellat. in 6. vel in quibusdam casibus, in quibus iudicare potest de suffraganeorum subditis, extra quos casus si absoluat, nulla est absolutio, quia est à non suo, iuxta ca. Pastoralis. de offic. ord. quinam autem sint isti casus, legatur Siluester verb. Archiepiscopus. In his ergo casibus non poterit ille, qui tulit sententiam excomunicationis, ab ea absoluere, sicut nec eius successor, in alijs autem potest vterque. quòd autem successor illius, qui tulit huiusmodi sententiam excomunicationis, possit absoluere, colligitur ex cap. si Episcopus. 11.q.3. & hoc docet Paludanus 4. sent. d. 18. q. 5 ar. 2 Durandus 4. sent. d. 18. qu. 4. D. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 77. Siluester verb. absolutio. secundò in principio. Nauarrus in manuali cap. 27. num. 40. ille autem dicitur successor, qui iure communi exercet iurisdictionem, donec successor perpetuus constituatur, vnde mortuo Episcopo, Archiepiscopo, Patriarcha vel alio modo vacante Ecclesia, scilicet per renunciationem, translationem, depositionem, aut si Episcopus detineretur ab hostibus captiuus, successor eorum ad tempus, nẽpe Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, absolueret, ca. 3. de supplet. negligent. Prælat. lib 6. & cap. vnico. de maior. & obed. lib. 6. à quo debet eligi Vicarius, qui ea, quæ iurisdictionis sunt, exercere debet iux a decretũ Concilij Tridentini sess. 24. cap. 16. de reform. Pari ratione Papa mortuo, & sede vacante Collegium Cardinalium absoluit, quos Papa absoluere potuisset. cap. vnic. de schismat. lib. 6. idem dicendum est de successore Ecclesiarum inferiorum, successor enim absoluet. hic tamen obseruandum, quòd si à Papa destinetur Visitator in Ecclesia Cathedrali, aut ab Archiepiscopo detur administrator ob Capituli negligentiam, talis visitator,& administrator absoluet, non autem Capitulum. ca. fin. de suppl. neglig. Prælat. lib. 6 & ca. is cui. si autem excomunicatio est à iure, videndum est, an sit reseruata, vel non; si est reseruata, videndum est, cui sit reseruata, Papæ, an Episcopo, reseruata quippe excomunicatio tunc dicitur, quando cõditor canonis absolutionem sibi, vel alteri reseruauit, non reseruata autem dicitur, quæ à conditore absolutè fulminatur, non exprimendo, ad quem eius absolutio pertineat; quãdo ergo excomunicatio est reseruata, tunc ille solus poterit ab ea absoluere, cui reseruatur, vnde quando in iure excomunicatio est reseruata Papæ, ille solus, & non Episcopus, vel alius poterit ab ea absoluere, nisi ex commissione aliqua, vel concessione, vel priuilegio à Papa factis alicui, & tũc in illis casibus non inferior, sed Papa ipse diceretur absoluere per eos. si sit reseruata Episcopo, ille, vel eius superior, non autem inferior poterit ab ea absoluere: si autem non sit reseruata, potest ab ea absoluere ordinarius, vel proprius sacerdos, vt habetur ca. nuper. de sent. excom. nomine ordinarij Siluester verb. absolutio. 1. § 4. intelligit Episcopum, Capitulum sede vacante, vel alium Prælatum habentem iurisdictionem in excomunicatum: nomine autem proprij Sacerdotis intelligitur Sacerdos expositus, & habens iurisdictionem in excomunicatum, & potens absoluere à mortalibus culpis, vt post D. Thomam docuit idem Siluester verb. absolutio. 1. nu. 4. quando ergo in littera inquit D. Thomas, quòd ab excomunicatione lata à iure potest absoluere Episcopus, vel etiam Sacerdos, sensus est, quòd ab excomunicatione lata à iure, & nõ reseruata Papæ, potest absoluere Episcopus, quia tunc censebitur reseruata Episcopo, vel si non est alicui reseruata, Episcopus, vel proprius Sacerdos ab ea poterit absoluere. ponit autem sex casus, quos iuris cõditor, idest Papa sibi reseruauit, quia olim non erant nisi sex casus positi in littera Papæ reseruati, nunc autem præter sex casus à D. Thoma enumeratos sunt alij ferè innumeri Summo Pontifici reseruati. Siluester verb. excom. 7. enumerat alios quinquaginta septẽ. D. Antoninus in tract. de censuris Ecclesiasticis enumerat præter casus Bullæ Cenæ Domini septuaginta tres. Caietanus in summula verb excom. per octuaginta, & v num

Nnn capi-

capitula explicat breuiter, dilucidè, doctè, resolutè, disertè excomunicationes, quæ reseruantur Papæ, vel Episcopis, vel nulli sunt reseruatæ. Armilla verb. excom. numerat nonaginta quinque, quas, & dilucidè explicat. sunt aliæ excomunicationes latæ à diuersis Summis Pontificibus, & Concilio Tridentino Papæ reseruatæ, quæ legátur in Toleto lib. 10. à cap. 19. vsque ad cap. 42. inclusiué, in Sairo lib. 3. thesauri à cap. 4. vsque ad finem. ad hos Doctores lectorem remitto, sufficiat mihi explicuisse casus sex positos à D. Thoma, quorum primus est de eo, qui manus inijcit in Clericum, vel Religiosum. verum, & hic casus à nobis diffusè explicatus est verb. Clericus. qu. 10. & 11. & verb. casus q. 3. quibus tantum addo, quòd nouissimè ad manus meas peruenit libellus Laurentij de Peirinis, qui tom. 1. constit. 2. Iulij secundi §. 29. num. 119. docet ex Sorbo in comp. priuileg. verb. absolutio ordinaria quoad fratres. pag. 19. Rodriquez tom. 1. q. reg. 20. a. 12. quòd Prælatus regularis potest absoluere suũ subditum, qui percusserit non solum alium regularem, sed etiam si fuerit Clericus sæcularis non obstante cap. cum illorum. de sent. excom. & cap. Religioso. eodem tit. in 5. quia minora intelliguntur concessa, vbi sunt concessa maiora. cap. ex parte. de decimis. el. 3. sed vellem, quòd Peirinus respondisset ad cap. cum illorum. & cap. Religioso. quæ volunt, quòd Regularis percutiens Clericum sæcularem sit absoluẽdus à Papa, quod intelligo ab enormẽ, vel saltẽ mediocrẽ pcussionem, non autẽ ob leuẽ, q̃ ob leuẽ à solo Episcopo, & non á Prælato Religiosi, qui percussit, poterit absolui iuxta c. Religioso. de sent. excom. in 6. vt etiam notat Toletus lib. 1. cap. 33. num. 8. nec video aliud in contrarium. nec obstat ratio adducta, regula enim illa, minora intelliguntur concessa, vbi sunt concessa maiora, fallit in moralibus, & in his, quæ dependent à voluntate superioris, quia qui elargitur maius, potest non elargiri minus, vt quando Episcopus reseruat sibi aliquos casus, inter quos est ordo, itaut vnus sit grauior altero, si facultatem tribuit Confessario absoluendi à peccato reseruato grauiori, nõ præsumitur tamẽ concessa facultas absoluendi à minus graui, quia hæc facultas limitatur ex intentione concedentis facultatem, sicut patet, quãdo Summus Pontifex in Bullis concedit facultatem cuilibet confessario exposito ab Ordinario loci, vt possit absoluere pænitẽtes à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla Cænæ Domini contentis, nullam mentionem faciens de casibus reseruatis Episcopis, & Ordinarijs, tunc possunt Confessarij absoluere à casibus Papæ reseruatis, qui sunt grauissimi, non tamen poterunt absoluere à casibus Episcopis reseruatis, qui sunt minus graues, vt declarat Clemens Octauus in Bulla, quæ incipit, Sacra Congregatio. & tamen tunc non valet regula illa, minora intelliguntur concessa, vbi sunt concessa maiora. si autem arguat, Prælati Religionum habent auctoritatem quasi Episcopalem, ergo sicut Episcopus potest absoluere Religiosum, qui percussit Clericum sæcularẽ, etiam Prælatus Religiosus poterit illum absoluere. respondebitur, quod Prælatus Religiosus ex hoc quòd habet auctoritatem quasi Episcopalem, potest ea, quæ sunt iurisdictionis, quæ potest Episcopus, nisi sibi limitetur auctoritas à Superiori, sicut in proposito auctoritas absoluendi excommunicatum Religiosum ob iniectionem manuum in Clericum secularem ita cõceditur Episcopo, quòd non Prælato Religioso, vt patet ex cap. Religioso. de senten. excom. vnde Prælatus Religiosus dicitur habere auctoritatẽ quasi Episcopalem. secundus casus est de illo, qui incẽdit Ecclesiam, & est denunciatus. ad cuius explicationem nota, quòd S. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 11. Tabiena verb. excom. 5. casu 7. docent incendiarium Ecclesiæ, aut loci Religiosi ipso iure excomunicatum esse. Caietanus in summula verb. excom. cap. 22. asserit excomunicationem contra incendiarios Ecclesiarum latam nullibi in iure inueniri, sed cap. tua. de sent. excom. asserit loqui de incendiarijs quibuscunque, qui tamen nõ sunt excommunicati ipso iure, nam cap. tua. non excomunicat istos, nec iubet denunciari, sed solum ait, quòd semel excomunicati, & denunciati non nisi à Papa absolui possint. sed si illud cap. tua. loquitur de quibuscunq; incendiarijs, multò magis loquetur de incendiarijs Ecclesiarum, incendiarij ergo Ecclesiarum non sunt ipso iure excomunicati, sed si p Prælatos excomunicentur, & denuncientur, tũc nonnisi à Papa absolui possunt. vt rectè Caietanus loco citato ait, Dominicus Sotus 4. sent. d. 22. q. 1. a. 3. concl. 4. Nauarrus in manuali cap. 27. nu. 74. Tertius casus est de illo, qui frangit Ecclesiam, & denunciatus est. circa quem casum obserua, quòd iste casus habetur ca. conquesti. de sent. excom. vbi non habetur, quòd qui frangunt Ecclesiam, & spoliant eam, sint ipso facto excomunicati, sed quòd excomunicentur, & si ante denunciationem voluerint satisfacere Ecclesiæ, absolui possunt ab Episcopo, sed si se denunciari permiserint, tunc absolutio deuoluatur ad Papam omninò, sicut de incendiarijs dictum est. vt autem aliquis dicatur incurrere in hunc casum, duo efficere debet, nempe vt frangat Ecclesiam, & eam spoliet; frangat, inquam, parietem, siue ianuam, siue seram, siue tectum &c. spoliet autem rebus ad ipsum pertinentibus, vnde si quis aperiret Ecclesiam, & spoliaret; aut frangeret, sed non spoliaret, non incidet in casũ propositum, vt rectè obseruauit Caietanus in summula verb. excom. cap. 21. quartus casus est de illo, qui in Diuinis scienter communicat cum excomunicatis nominaliter à Papa. iste casus habetur c. significauit. de sent. excomunicationis. ille ergo Sacerdos, qui in Diuinis scienter communicat cum excomunicato nominatim à Papa, non potest absolui nisi à Papa. quintus casus est de illo, qui falsat litteras Apostolicæ Sedis. iste casus extat. can. ad falsariorum. de crimine falsi. vbi excommunicantur litterarum Apostolicarum falsarij, eorumque fautores, & defensores. qui ergo falsificant litteras Apostolicas, à solo Papa possunt absolui. sextus casus est de illo, qui excomu-

comunicatis in crimine communicat. iste casus habetur cap.nuper. & cap.si concubinæ. de sent. excom qui ergo excomunicatis in crimine participat, pro quo lata est excommunicatio, quod est participare in crimine criminoso, non debet absolui nisi ab eo, qui excommunicauit, etiam si non sit eius subditus, nisi propter difficultatem accedendi ad ipsum absolueretur ab Episcopo, vel à proprio Sacerdote præstita iuratoria cautione, quòd pareret mandato illius Iudicis, qui sententiam tulit. circa quem casum recole, quod superius diximus, quòd intelligitur de communicantibus cum illis, postquam excommunicati sunt, vt si quis consulat concubinario excomunicato pro cõcubinatu, vt iterum accedat ad cõcubinam, aut si quis dissuadeat restitutionẽ furi excomunicato pro furto; & de communicantibus in eodem crimine, quia si communicent in alio crimine, non dicentur communicare in crimine criminoso, nec erunt excommunicati, vt si excomunicetur Clericus propter adulterium, si adultera communicet cum eo in furto, non dicetur communicare in crimine criminoso, nec erit excomunicata, quia Clericus non fuit excomunicatus propter furtum, sicut erit excomunicata, si communicet ei in adulterio, pro quo excomunicatus fuit Clericus. vt autem in littera dicitur, absolutio hæc non reseruatur Papæ, sed Iudici excomunicanti. quartam, & quintam conclusionem satis explicauimus in verb. Clericus. qu. 10. & 11. & verb. casus. q.3.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Henriquez lib. 13. de excom. cap.28.§.6. Toletus lib. 1.cap. 17.num.8. Suarez disp. 7 sect. 2. & disp. 38. sect. 2. Reginaldus lib.9. num. 12. Coninchus disp. 14. dub. 16.nu.233. & 257. Vasquez dub.20 Filiucius c.9.quæst.5. Valentia tom. 4.d.7.q. 17.p. 7. & alij.

Quæritur, quare omnis confessarius non possit absoluere ab excommunicatione, cum possit absoluere à peccato, quod est maius vinculum.

2 Respondeo dicendum, quòd quamuis vinculum peccati sit maius simpliciter, quàm excommunicationis, tamen quo ad aliquid vinculum excommunicationis est maius, inquantùm non solùm obligat quo ad Deum, sed etiam in foro Ecclesiæ, & ideò in absoluendo ab excommunicatione requiritur iurisdictio in exteriori foro, non autem in absolutione à peccato: nec exigitur cautio iuramenti, sicut exigitur in absolutione ab excommunicatione, per iuramenta enim controuersiæ, quæ sunt inter homines terminantur secũdùm Apostolum. 4. sentent. dist. 18.quæst.2.artic.5. quæstiunc. 1. ad 1.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. quamuis vinculum peccati sit maius simpliciter, quàm excomunicationis, tamen quoad aliquid vinculum e communicationis est maius. probatur secunda pars, quia vinculum excomunicationis nõ solum obligat quo ad Deum, sed etiam in foro Ecclesiæ, & ideò in absoluendo ab excomunicatione requiritur iurisdictio in exteriori foro, non autem in absolutione à peccato. secunda conclusio. in absolutione à peccato non exigitur cautio iuramẽti, sicut exigitur in absolutione ab excomunicatione. probatur, quia per iuramenta cõtrouersiæ, quæ sunt inter homines, terminantur secundùm Apostolum.

Quòd vinculum peccati sit maius simpliciter, quàm vinculum excommunicationis, probatur, quia illud est vinculum culpæ, illud autẽ est vinculum pænæ, vnde etiam supra dicebamus, quòd peccatum veniale secũdùm se est quid maius excomunicatione maiori, quia illud est culpa, hæc autem est pæna, malum autem culpæ, licet venialis semper est maius secundùm se, quàm malum pęnæ secundùm se. secundùm quid tamen vinculum excomunicationis est maius vinculo peccati, idest quo ad aliqua, quia vinculum excomunicationis non solum obligat quo ad Deum, sed etiam in foro Ecclesiæ, quia excomunicatus tenetur ei parere, & satisfacere, ex quo sequitur, quòd in absolutione ab excomunicatione requiritur iurisdictio in exteriori foro, excomunicatio enim pertinet ad potestatem iurisdictionis, non autẽ talis iurisdictio in foro exteriori requiritur in absolutione à peccatis, quia peccatorum absolutio spectat ad potestatem Ordinis, & iurisdictionis in foro pænitentiali. Circa secundam conclusionem obserua, quòd licet D. Thomas vnum tantum enumeret ex his, quæ spectant ad solemnitatem absolutionis, nempe cautionem iuratoriam, scilicet de obediendo mandatis Ecclesiæ, siue ipsius absoluentis iuxta ca. ex tenore. de sent. excom. quod tamen verum est in horrendis criminibus, vt incendiarijs, falsarijs, & huiusmodi, non autem hoc requiritur in leuioribus, attamen aliqua alia requiruntur ad hanc absolutionem ab excommunicatione solemnizandam in foro exteriori, requiritur enim, vt antequam absoluatur excomunicatus, satisfaciat sufficienter læsis pro facultate sua. cap. porrò. & cap. Parochianos. de sentent. excom. deinde recitatur Psalmus, Miserere mei Deus &c. & oratio Dominica, & verberatur absoluendus, & alia cõsueta seruantur, vt notat Siluester verb. absolutio 3. nu.4. præterea absoluto adiungitur præceptum, ne vnquam faciat contra canonem illum, contra quem faciens excomunicationem incurrit. vltimò absoluitur excomunicatus vtendo terminis exprimentibus actum absolutionis, seu relaxationis à vinculo excomunicationis, non enim expressa habentur verba absolutionis ab excomunicatione, sed vnus quisque poterit vti quibuslibet verbis, dummodo exprimãt actum absolutionis, seu relaxationis à vinculo excomunicationis. verum hæc explicauimus abundè supra verb. absolutio. cap. 4.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 1. cap. 15. num. 10.

Quæritur, an absolutio ab excommunicatione debeat præcedere absolutionem à peccatis.

3 Respondeo dicendum, quòd cum excommunicatus non sit particeps Sacramẽmentorum Ecclesiæ, Sacerdos non potest absoluere excommunicatum à culpa, nisi sit prius absolutus ab excomunicatione. 4. sentent. dist. 18. quæst. 2. artic. 5. quęst iunc. 1. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, Sacerdos non potest absoluere excomunicatum à culpa, nisi sit prius absolutus ab excomunicatione. probatur, quia excomunicatus non est particeps Sacramentorũ Ecclesię.

Hæc doctrina diffusè à nobis est explicata supra verb. absolutio. cap. 3. quæst. 1, ideò remitto lectorem ad eum locum.

Quæritur, an aliquis possit absolui ab excommunicatione inuitus.

4 Respondeo dicendum, quòd malum culpæ, & pænœ differunt in hoc, quòd culpæ in nobis principium est, quia omne peccatum voluntarium est, pœnæ autem principium quandoq; est extra nos; non autem requiritur ad pœnam, quòd sit voluntaria, immò magis de ratione pœnæ est contra voluntatem esse, & ideò sicut peccata non committuntur nisi voluntate, ita non remittuntur alicui inuito: sed excommunicatio sicut in aliquem inuitum ferri potest, ita & inuitus ab ea absolui poterit. 4. sent. d. 18. q. 2. a. 5. quæst iunc. 2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, inuitus potest quis ab excomunicatione absolui. probatur ex differentia reperta inter malum culpæ, & pænæ, quæ in hoc consistit, quòd culpæ in nobis principium est, quia omne peccatum voluntarium est, pænæ autem principium est extra nos, non enim requiritur ad pænam, quòd sit voluntaria, immò de ratione pænæ est contra voluntatem esse, ergo sicut peccata non committuntur nisi voluntate, ita non remittuntur alicui inuito, sed excommunicatio sicut in aliquem inuitum ferri potest, ita & inuitus ab ea absolui poterit.

Ad explicationem huius doctrinæ vtendum est duabus distinctionibus, quarum prima est. excomunicatio vel est lata à iure, vel à Iudice, rursus excomunicatio lata à Iudice vel est iusta, vel iniusta, si excomunicatio est à iure, excomunicatus tali excomunicatione non est absoluendus inuitus, vt docent Alensis, D. Bonauentura, Ricardus locis infra citandis, quia qui vult perseuerare in crimine, cui annexa est excomunicatio, ab ea absolui nequit. ad hoc facit cap. damnationis sententiam. 24. q. 2. vbi dicitur, damnationis sententiam quicunque meretur accipere, si in suo sensu voluerit permanere, nullus relaxare poterit. de absolutiõne huius excomunicationis non loquitur D. Thomas, sed loquitur de absolutione ab excommunicatione lata a Iudice, quæ si est iniusta, remouenda est per absolutioné, etiam inuito excomunicato; si autem est iusta, vt loquitur D. Thomas, vt patet ex hoc loco ad 2. regulariter ab ea inuitus non debet absolui, sed potius coercendus est aliarum pænarum adiunctione, vt sic pænis aggrauatus resipiscat, & à cõtumacia discedat. ca. Clericorũ. de cohab. Cler. & mul. & c. veritatis. de dolo, & contumacia. & cap. præsenti. 5. q. 2. hocque cõsuetudo approbat Ecclesiæ, vt habetur. c. 2. de sent. & re iudicata lib. 6. vbi Innocentius tertius Federicũ Imperatorem in contumacia perseuerantem post inflictam excommunicationem regno priuauit. regulariter ergo loquendo excomunicatus absolutionem petere debet, quia cum excomunicatio feratur ob contumaciam, nisi ipse petat absolutionem, contumax adhuc censendus est, & cõsequenter absoluendus non est, aliter excomunicatio suo frustabitur fine, qui est correctio excommunicati. in aliquibus tamen casibus potest inuitus quis absolui, puta quãdo Iudex cerneret, quod absolutio ab excommunicatione proderit magis excomunicato, quàm excomunicatio, & quòd talis absolutio non est præiudicialis saluti communitatis. iterum quando videt, quòd absolutio ab excommunicatione multùm prodesset Ecclesiæ, & obesset excomunicatio propter participationem multorum, vt post D. Thomam hoc in loco in resp. ad 2. docet Siluester, Tabiena locis infra citandis, immò S. Thomas in addit. ad 3. p. q. 24 a. 2, ad 2. ait, quòd si per excomunicationem quis efficiatur deterior, Iudex eam tollere debet, quia ex quo videt illam non proficere, vti debet alio remedio, quæ doctrina vera est, quando adest spes correctionis ex alio remedio, sublata ecomunicatione, dummodo enim vita hominis corrigatur, quocunque remedio vtendum erit. cap. prodest. 25. q. 5. si autem non adsit spes emendationis ex alio remedio, vel alij ex absolutione inuiti fierent proni ad contemnẽdum excommunicationem, nullo modo esset absoluendus, sed habendus tanquam ethnicus, & publicanus, commune enim bonum præferendũ est singulari, vt potè Diuinius, & rigor Ecclesiasticæ disciplinæ obseruandus erit, vt cæteri exẽplo illius peccare desistant, excomunicatio enim in terrorem aliorum, & ipsiusmet excommunicati pænam iustam infligitur. nota tamen, quòd si Iudex sine causa absoluat, peccat, maximè si talis absolutio sit in præiudicium tertij, absolutio tamen tenet, quia sicut in potestate Iudicis fuit excomunicare etiam inuitum, ita etiam & excommunicationem remouere, cum par ius ligandi, & soluendi sit. cap. verbum. de pænit. d. 7. Conclusionem D. Thomæ sequuntur D. Antoninus 3. p. tit.

p. tit. 24. cap. 77. Siluester verb. absolutio. 3. dub. 6. Tabiena eodem verb. 2. nu. 19. Dominicus Sotus 4. sentent. d 22. q. 2. art. 3. concl. 6. Martinus Ledesma. 2. 4. q. 26 a. 2. Paludanus 4. sent. d. 18. q. 5. a. 3. hanc docent etiam Alensis 4. p. q. 22. memb. 1. a. 7. D. Bonauentura 4. sent. d. 18 q. 6. Ricardus 4. sent. d. 18. artic. 10. qu. 1. Gabriel 4. sent. d. 18. q. 3. artic. 3 dub. 7. Hugolinus de censf. Eccles. tab. 1. cap. 10. §. 2.

Quaeritur, an stante contumatia possit quis remittere excommunicationem.

5 Respondeo dicendum, quòd etiam manente contumatia potest aliquis discretè excommunicationem iustè latam remittere, si iudicat saluti illius expedire, in cuius medicinam excommunicatio lata est. 4. sentent. d. 18. quaest. 2. artic. 5. quaestiunc. 2. ad 2.

Hoc in loco D. Thomas docet, quòd etiam manente contumacia potest aliquis discretè excomunicationem iustè latam remittere, si iudicat saluti illius expedire, in cuius medicinam excomunicatio lata est.

Hac doctrina corroborantur ea, quae in superiori quaesito dicebamus, nempe quòd quando D. Thomas ait posse aliquem inuitum absolui ab excomunicatione, loquitur de absolutione excomunicationis latae ab homine, & iustè, non à iure, si tamen videat Iudex, quòd absolutio talis magis proficiat animae excomunicati, quàm excomunicatio, aliter si emendatio non speretur, nedum non est absoluendus, sed alijs potius paenis est aggrauandus, vt sic aggrauatus ad cor redeat, & alijs timor incutiatur.

Quaeritur, an irretitus pluribus excommunicationibus possit absolui ab vna, & non ab alia.

6 Respondeo dicendum, quòd excommunicationes non habent connexionem in aliquo, & ideò possibile est, quòd aliquis ab vna absoluatur, & in altera remaneat: sed circa hoc sciendum est, quòd aliquis quandoque est excommunicatus pluribus excommunicationibus ab vno Iudice, & tunc quando absoluitur ab vna intelligitur ab omnibus absolui, nisi contrarium exprimatur, vel nisi in causa, qua quis absolutionem impetrat de vno tantùm casu excommunicationis, cum pro pluribus excommunicatus sit: quandoque est excommunicatus à diuersis Iudicibus, & tunc absolutus ab vna excommunicatione, non propter hoc est absolutus ab altera, nisi omnes alij ad petitionem eius excommunicationem suam confirmauerint, vel nisi omnes vni demandent absolutionem. 4. sentent. d. 18. q. 2. artic. 5. quaestiunc. 3. in corp.

Insinuata distinctione respondet D. Thomas quaesito triplici conclusione. distinctio est, aliquis quandoque est excomunicatus pluribus excomunicationibus ab vno Iudice, quandoque à diuersis Iudicibus. prima conclusio. possibile est, quòd aliquis ab vna excomunicatione absoluatur, & in altera remaneat. probatur, quia excomunicationes non habent connexionem in aliquo. secunda conclusio. quando aliquis est excomunicatus pluribus excomunicationibus ab vno Iudice, tunc quando absoluitur ab vna, intelligitur ab omnibus absolui, nisi contrarium exprimatur, vel nisi in causa, qua quis absolutionem impetrat de vno tantùm casu excomunicationis, cum pro pluribus excommunicatus sit. tertia conclusio. quando aliquis est excomunicatus à diuersis Iudicibus, absolutus ab vna excommunicatione, non propter hoc est absolutus ab altera, nisi omnes alij ad petitionem eius absolutionem suam confirmauerint, vel nisi omnes vni demandent absolutionem.

Pro explicatione huius litterae obserua, quòd D. Thomas hoc in loco loquitur de absolutione ab excomunicatione, quae in foro exteriori concedi solet, & seclusa peccatorum absolutione, quia si sermo esset de absolutione ab excomunicatione in foro paenitentiali, & cum peccatorum absolutione, clarum est, quòd non potest absolui ab vna, & in alia remanere, aliter absolutio à peccatis suum non sortiretur effectum, cum excommunicatio maior priuet participatione passiua Sacramentorum, & sic cõclusio prima D. Thomę erit falsa. quando ergo absoluitur quis ab vna excomunicatione, & non ab altera, non censetur iste restitutus ad Sacramenta, nec ad communionem, quousque ab omnibus sit absolutus, quia, vt rectè ait D. Thomas in littera excommunicationes non habent connexionem in aliquo, quasi velit dicere, quòd in hoc absolutio ab excomunicatione distinguitur ab absolutione à peccatis, quòd quia peccata habent connexionem in auersione voluntatis à Deo, & absolutio ab eis non fit absque contritione, & Gratia, quae nullam secum compatitur culpam mortalem, ideò vna culpa mortalis non potest remitti absque alia, nec aliquis poterit absolui ab vno peccato, & non ab altero, quia autem excomunicationes talem inter se connexionem non habent, ideò poterit quis ab vna absolui, & non ab altera, vt prima dicit conclusio. secundam conclusionẽ, quae praegnans est, septem explico propositionibus, quarum prima est. excommunicatus pluribus excomunicationibus ab vno Iudice, si ab vna absoluitur, intelligitur absolutus ab omni, nisi contrarium exprimatur à Iudice absoluente, vt apertè asserit D. Thomas hoc in loco, quem sequitur Siluester verb. absolutio. 3. dub. 7. quia si Iudex absoluens exprimeret se non absoluere nisi ab vna tali, vel duabus, ab illis profectò tantum esset absolutus; si au-

fi autem hæc expressio non fiat, ab omnibus censetur absolutus. secunda propositio. quādo quis est pluribus irretitus excomunicationibus, & petit tantùm absolui ab vna, vel duabus, ab illis profectò esset tātùm absolutus, de quibus petijt, vt apertè habet etiam D. Thomas hoc in loco. tertia propositio. excomunicatus pluribus excomunicationibus ab vno Iudice vnica tantum absolutione generali potest absolui, immò de facto absoluitur, si excommunicatus talis postulat absolui ab omnibus, & absoluens intendit eum absoluere ab omnibus, vt communiter omnes docent. quarta propositio. excomunicatus plurib⁹ excomunicationibus ab eodem Iudice vnica tātum absolutio e absoluitur ab omnibus, si ille, qui absoluit, potuit, & voluit ab omnibus absoluere, quia sicut excommunicatio, ita & eiusdem absolutio à potestate, & voluntate Iudicis vires suas sumit. quinta propositio. excommunicatus pluribus excomunicationibus ab eodem Iudice non solum ab excomunicatione sibi expressa, sed etiam ab alijs omnibus absolui censetur, quando scientiam habens omnium excomunicationum Iudex indeffinitè, & generaliter excomunicatū absoluit, vt post D. Thomam docuit Nauarrus in cap. ita quorumdam. sexta propositio. quando Iudex non cogitauit de aliqua excomunicatione, & si cogitasset, non absoluisset, tunc ab illa excommunicatione non censetur absolutus, quia Intentio absoluentis nō erat de illa. septima propositio. quando absolutus credit probabiliter, q̄ si Iudex sciuisset excommunicationem, quam de facto nesciuit, nihilominus absoluisset eum, ab omni se absolutum reputare debet. sic Paludan⁹ 4. sent. d. 18. q. 5. a. 3. concl. 2. 3. 4. 5. Ad explicationem tertiæ conclusionis obserua, quòd quādo quis excomunicatus est à diuersis iudicibus, non sufficit, quòd ab vno absoluatur, sed requiritur, quòd à quolibet absoluatur, quia iam dictum est excomunicatum debere absolui ab illo, à quo lata est, excomunicatio, & cum plures excomunicationes sint latæ à diuersis Iudicibus, ab illis etiam debet absolui, nec vnius sufficit absolutio; & vitari semper debet, quousque sit ab omnibus absolutus, vt notat Siluester verb. absolutio. 3. dub. 8. excipit tamen D. Thomas duos casus, quibus nos addemus tertium, in quibus absolutio vnius sufficiet, quorum primus est, quādo omnes alij ad petitionem eius, qui scilicet absoluit, absolutionem eius confirmant. secundus est, quando omnes vni demandant absolutionē, vt etiam notat Siluester verb. absolutio. 3. dub. 8. tertius est, quando ille, qui absoluit, superior est omnibus alijs, vt Papa potest à quacunque excomunicatione lata à quocunque Iudice; immò in Bullis solet alijs concedere hanc facultatem. & sic remanent explicatæ conclusiones tres D. Thomæ.

Quæritur, an absolutio ab excommunicatione habeat determinata verba.

Respondeo dicendum sicut verbo Abolutio. cap. 4.

EXCVSATIO.

1 *Quid sit excusatio peccati.*
Excusatio est maximum peccatum.
§ *Excusatio est maximum peccatum, tanquam circonstantia aggrauans, non autem tanquam vitium secundum genus suum maius alijs.*
2 *Dupliciter excusatur aliquis actus scilicet ex parte facientis, & ex parte sui.*
3 *Non excusatur aliquis a peccato, si erret sequens opinionem erroneum alicuius magistri in his, quæ pertinent ad fidem, & ad bonos mores.*
In rebus dubijs nō est de facili prestandus assensus.
§ *Quare ignorantia eorum, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, non excuset.*
4 *Sequens in alijs opiniones magistrorum varias nō peccat.*
§ *Quid sit abundare in sensu suo.*

Quæritur, quid sit excusatio peccati.

1 Respondeo dicendum, quòd excusatio peccati est quædam circunstantia aggrauās omne peccatum; & pro tanto dicitur esse maximum peccatum, quia quodlibet facit maius. 2. 2. q. 13. . 3. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. excusatio peccati est quædam circonstantia aggrauans omne peccatum. hinc elicit corrolarium, quòd pro tanto dicitur esse maximum peccatum, quia quodlibet facit maius.

Ex hoc loco habemus excusationem peccati esse maximum peccatum, tanquam circonstantiam aggrauantem omne peccatum, non autem tanquam aliquod vitium secundùm genus suum maius alijs, sicut hoc modo blasphemia est maximum peccatum, scilicet secundum genus suum, quia habet in se grauitatem infidelitatis, quæ est maximum peccatū, vt optimè docet D. Thomas hoc in loco in corpore.

Quæritur, quot modis dicatur aliquis actus excusari.

2 Respondeo dicendū, quòd aliquis actus dicitur excusari dupliciter, vno modo ex parte facientis, ita quòd non imputetur facienti in culpam, quamuis sit malus, vel saltem in tantam culpam, sicut ignorantia dicitur excusare peccatum in toto, vel in parte: alio modo dicitur excusari actus ex parte sui, ita scilicet quòd non sit malus. 4. sent. d. 31. q. 2. art. 1. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. aliquis actus dicitur excusari dupliciter, vno modo ex parte facientis, ita quòd non imputetur facieti in culpam, quamuis sit malus, vel saltem in tantam culpam; alio modo dicitur excusari actus ex parte sui, ità scilicet quòd non sit malus. probatur prima pars, sicut ignorantia

rantia dicitur excusare peccatum in toto, vel in parte.

Non immoror circa hoc quæsitum, cum nil occurrat scribendum.

Quæritur, an sequens opinionem erroneam alicuius magistri in his, quæ sunt de fide, & pertinent ad bonos mores, excusetur a peccato.

3 Respondeo dicendum, quòd in his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius magistri, in talibus enim ignorantia non excusat, alioquin immunes à peccato fuissent, qui sequuti sunt opinionem Arij, Nestorij, & aliorum Hæresiarcharum, nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequatur, in rebus enim dubijs non est de facili præstandus assensus, quinimmò vt Augustinus dicit in lib. 3. de doctrina Christiana consulere debet quis regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percipit: qui ergo assentit opinioni alicuius magistri contra manifestum scripturæ testimonium, siue contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari. quodlibeto 3. artic. 10. in corp.

Duplici conclusione respódet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. In his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius Magistri. probatur, quia in talibus ignorantia non excusat, alioquin immunes a peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arij, Nestorij, & aliorum hæresiarcharum. secunda conclusio. nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequatur. probatur, quia in rebus dubijs non est de facili præstandus assensus, quinimmò consulere debet quis Regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percipit ex D. Augustino in lib. 3. de doctrina Christiana. hinc elicit corrolarium. qui assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestum scripturæ testimonium, siue contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.

Ratio quare ignorantia eorum, quæ pertinét ad fidem, & bonos mores, non excuset à peccato, est, quia est ignorantia vincibilis, & crassa, cú sit de his, quæ quis tenetur scire vel explicitè, vt sunt articulo fidei, vel implicitè, credendo scilicet, quod sancta tenet Ecclesia, ad quam debet recurrere in dubijs, & eius determinationi stare; & multò magis non excusabitur à peccato, si contra manifestum scripturæ testimonium, vel contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, assentit opinioni alicuius Magistri.

Quæritur, an sequens opiniones diuersas Doctorum in alys à supradictis peccet.

4 Respondeo dicendum, quòd diuersæ opiniones Doctorum sacræ scripturæ si quidem non pertineãt ad fidem, & bonos mores, absque periculo auditores vtramque opinionem sequi possunt, tunc enim habet locũ, quòd Apostolus dicit ad Rom. 14. vnusquisq; in suo sensu abundet. quodlibeto 3. a. 10. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas hoc in loco, quæ est. si diuersæ opiniones Doctorum sacræ scripturæ non pertineant ad fidem, & bonos mores, absque periculo auditores vtramque opinionem sequi possunt. probatur, quia tunc habet locum, quod Apostolus dicit ad Rom. 14. vnusquisque in suo sensu abundet.

Circa hanc doctrinam nil aliud occurrit scribendum, quàm quòd abundare in suo sensu, vt exponit D. Thomas super illum locum D. Pauli, est sensum suum sequi, & sententiam, quam voluerit. Eccles. 15. Deus ab initio constituit hominẽ, & reliquit illum in manu consilij sui. in his ergo, quæ non pertinent ad fidem, & bonos mores, vnusquisque poterit sequi quã voluerit opinionẽ.

EXEQVIAE.

Quæ fiunt ad ornatum sepulturæ sunt viuorum solatia.

§ Prosunt defunctis per accidens.

Sepultura quomodo prosit viuis, & quot modis.

Sepultura duplici de causa prodest mortuis, & quomodo.

Ornatus sepulturæ duplex vtilitas.

Quæritur, an cultus exequiarum defuncto prosit.

Respondeo dicendum, quòd illa, quæ ad ornatum sepulturę exhibentur, prosunt quidem viuis, inquantùm sunt viuorum solatia; sed possunt, & defunctis prodesse, non quidem per se, sed per accidens, inquantùm scilicet per huiusmodi homines excitantur ad compatiendum, & per consequens ad orandum, vel inquantùm ex sumptibus sepulturę vel pauperes fructum capiunt, vel Ecclesia decoratur. 4. sentent. d. 45. quæst. 2. artic. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. illa, quæ ad ornatum

natum sepulturæ exhibentur, prosunt viuis. probatur, quia sunt viuorum solotia. secunda conclusio. possunt & defunctis prodesse, non quidem per se, sed accidens. probatur dupliciter, & primò, quia per huiusmodi homines excitantur ad compatiendum, & per consequens ad orandum. secundò quia ex sumptibus sepulturæ vel pauperes fructum capiunt, vel Ecclesia decoratur.

Ad explicationem huius litteræ obserua, quòd nomine cultus exequiarum duo intelliguntur, scilicet sepultura, & ea quæ ad ornatum sepulturæ exhibentur. quo ad sepulturam dico cum D. Thoma eam fuisse adinuentam propter viuos, & propter mortuos; propter viuos, inquam, triplici de causa, primò ne eorum oculi ex turpitudine cadauerum offendantur; secundò ne eorum corpora cadauerum fætore inficiantur; tertiò quia per hoc astruitur resurrectionis fides: propter mortuos etiam duplici de causa, primò quia inspicientes sepulcra memoriã retinent defunctorum, vt pro defunctis orent, dicitur enim monumentum, quia monet mentem, vt Augustinus dicit in 1. de ciuit. Dei, & in lib. de cura pro mortuis agenda. secũdò quia dũ cadauer sepelitur in loco sacro, mortuo prodest nõ ex opere operato, sed potius ex ipso opere operantis, dum scilicet vel ipse mortuus, vel alius cadauer eius sepeliri in loco sacro disponens patrocinio alicuius Sancti cum committit, cuius precibus per hoc credẽdus est adiuuari; & etiam patrocinio eorum, qui loco sacro deseruiunt, qui frequentius, & specialius orant pro tumulatis apud se, vt patet ex consuetudine laudabili Religionis meæ Prædicatoriæ, quæ speciales solet fundare preces, peculiaria consueuit offerre sacrificia pro sepultis in cimiterijs suis. illa autem, quæ ad ornatum sepulturæ exhibentur, prosunt viuis, quia sunt viuorũ solatia. vnde D. Gregorius 4. dialog. aiebat, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum; possunt tamen, & defunctis prodesse non per se, sed per accidens, & notatur duplex vtilitas, quarum prima est, quòd per huiusmodi ornatum sepulturæ homines excitantur ad compatiendum, & ad orandum pro eis. secunda est, quia ex sumptibus sepulturæ vel pauperes fructum capiunt, vel Ecclesia decoratur. Sap. enim 4. sepultura inter cæteras eleemosinas computatur.

EXORCISTA.

§ *Catechizare, & exorcizare principaliter pertinet ad Sacerdotem, ministerialiter autem ad lectorem, & exorcistam.*

Quæritur, quod nam sit officium exorcistæ.

RESpondeo dicendùm, quòd lectores, & exorcistæ habẽt officium catechizandi, & exorcizandi, non quidem principaliter, sed sicut in his Sacerdoti ministrantes. 3. p. q. 71. a. 4. ad 2.

Hoc in loco D. Thomas docet, quòd lectores, & exorcistæ habent officiũ catechizandi, & exorcizandi nõ quidem principaliter, sed sicut in his Sacerdoti ministrantes.

Pro explicatione huius litteræ obserua, quòd catechizare, & exorcizare principaliter pertinet ad Sacerdotem, vnde Nicolaus Papa, & refertur de consecrat. d. 4. c. catechismi, dicit, Catechismi baptizandorum à Sacerdotibus vniuscuisque Ecclesiæ fieri possunt. D. etiam Gregorius hom. 29 super Ezechiel. ait, Sacerdotes cũ per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, quid aliud faciunt, nisi quòd Demonia ejciunt. Ad lectores autem, & exorcistas pertinet ministerialiter, cooperando scilicet principali agenti, & dum lectores in catechizando, & exorcistæ in exorcizando cooperantur, dicuntur cooperari in his, quæ sunt præparatoria ad Sacramentum.

FALLI.

§ *In his, quæ pertinent ad se, homo se submittat Regulæ superiorum.*

Quæritur, in quibus facilè fallatur homo.



RESpondeo dicendum, quòd in his, quæ ad se ipsum pertinent, de facili fallitur homo. 2. 2. q. 88. artic. 2. ad 3.

Quòd de his, quæ ad se ipsum pertinent, de facili fallatur homo, docet D. Thomas in hoc q̃sito.

Ex hoc quòd homo de facili fallitur in his, quæ pertinent ad se ipsum, debet se regulæ superiorum submittere in huiusmodi.

FALSITAS.

1 *Quis dicatur homo falsus.*
§ *Homo non dicitur falsus ex hoc quod possit confingere falsas opiniones, & locutiones.*
2 *Quis sit homo falsus.*
3 *Ipocritæ sunt homines falsi.*
3 *Peccata sunt falsitates quædam.*
§ *Peccata dicuntur falsitates triplici de causa.*
4 *Falsitas contraria veritati Diuinæ impietas est.*
§ *Quid sit veritas Diuina.*
Quare falsitas contraria veritati Diuinæ dicatur impietas.
In quo sensu Religio dicitur pietas.
Pietas propriè quid sit.
Eodem virtus est latria, pietas, Religio.
Ad latriam spectat reuerentiam exhibere sacræ scripturæ, & rebus Diuinis.
Pertinet ad Dei irreuerentiam Diuinam impugnare veritatem, & falsitatem docere oppositam; quod Religioni aduersatur.
Religio cultum, & reuerentiam Deo exhibet.

Quæritur, quis dicatur homo falsus.

1 RESpondeo dicendum, quòd dicitur homo falsus, inquantùm est ama-

amatiuus falsarum opinionum, vel locutionum. 1.p.q.17.a.1. in corp.

D.Thomas hoc in loco describit hominem falsum dicens, quòd homo falsus dicitur aliquis, inquantùm est amatiuus falsarum opinionem, vel locutionum.

Obserua ad claritatem huius doctrinæ, quòd homo dicitur falsus, inquantùm est amatiuus falsarum opinionum, & locutionum, non autem ex hoc, quòd potest eas confingere, quia sic etiam sapientes, & scientes falsi dicerentur, vt dicitur 5. metaph. vndè vt scolasticè loquamur, homines dicuntur falsi obiectiuè, non effectiuè.

Quæritur, quis sit homo falsus.

2 Respondeo dicendum, quòd homo dicitur falsus, qui dictis, vel factis ostendit de se aliud, quàm sit. 1. sent. dist. 19.qu.5. artic. 5. in corp.

Quis sit homo falsus, ostendit D. Thomas hoc in loco dicens, quòd homo dicitur falsus, qui dictis, vel factis ostendit de se aliud, quàm sit.

Ex hoc loco habemus Ipocritas esse homines falsos, dum ostendunt verbis, & factis exterioribus, quod verè nō sunt, dum simulant se iustos, & tamen iniqui sunt.

Quæritur, an peccata sint falsitates.

3 Respondeo dicendum, quòd ipsa peccata falsitates, & mendacia dicuntur. 1. p.q. 17. art. 1. in corp.

Quòd peccata dicantur falsitates, & mendacia, docet D. Thomas hoc in loco.

Quòd peccata dicantur falsitates, & mendacia, patet ex illo psalm. 4. vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. ratio autem, quare dicantur falsitates, & mendacia, est triplex, quia primò dum homo peccat, subducit se ab ordinatione Diuini intellectus, vt hoc in loco ait D. Thomas, sicut per oppositum operatio virtuosa veritas vitæ nominatur, inquantùm subditur ordini Diuini intellectus, sicut dicitur Ioannis 3. qui facit veritatem, venit ad lucem. secundò quia peccata dissonant secundum se, & formaliter ab intellectu Dei recto per conformitatē ad appetitum, siue voluntatem, qua suam, & rerū omnium vult bonitatē. tertiò quia peccans agit contra voluntatem Dei antecedentem, & agit id, quod non est volitum à Deo voluntate consequente, & contra præcepta eius, ac prohibitiones, & digna odio voluntatis Diuinæ perpetrat, vt notat Caietanus p.1.q.19.a.6. sed hęc transcēdunt Theologiæ moralis limites.

Quæritur, quomodo vocetur falsitas contraria veritati Diuinæ.

4 Respondeo dicendum, quòd falsitas cōtraria veritati Diuinæ impietatis sibi nomen assumit. In prologo contra Gentes.

Hoc in loco docet D. Thomas, quòd falsitas contraria veritati Diuinæ assumit sibi nomē impietatis.

Ad explicationem huius doctrinæ nota, quòd veritas Diuina est veritas sacræ scripturæ, & quia falsitas contra Diuinam veritatem contraria est Religioni, quæ pietas nominatur, consequenter falsitas Religioni contraria dicetur impietas, vt optimè discurrit S.Thomas hoc in loco. ad cuius maiorem dilucidationem notandum est ex Francisco Ferrariensi hoc in loco, quòd Religio dicitur pietas non secundùm primum, & proprium huius nominis significatum, quia sic importat Pietas virtutem, quæ honorem, & cultum Parētibus exhibet, ac Patriæ, vt docet D. Thomas 2.2 q.101.a.1. sed Religio dicitur pietas secundùm quamdam nominis translationem, quia per quamdam excellentiam dicitur Deus Pater noster, ideò, vt ibidem dicitur a. 3. Pietas etiam ad Diuinum cultum transfertur, propter quod eadē virtus est pietas, latria, Religio, vt docet D. Thomas 3.sent.d.9.a.1. & cum ad latriam pertineat reuerentiam sacræ scripturæ, alijsque Diuinis rebus exhibere, vt idem docet D. Thomas 3. sent.d.34.a. 2. & Religio sit eadem virtus, quę latria, meritò S. Doctor falsitatem contra Diuinam veritatem Religioni cōtrariam esse asserit, pertinet enim ad Dei irreuerētiam Diuinam impugnare veritatem, & falsitatem docere oppositam, quod manifestè Religioni aduersatur, quę Deo cultum, reuerentiamque exhibet.

FAMILIARITAS.

1 *Nimia familiaritas cum hominibus reuerentiam minuit, & contemptum facit.*

Familiaritas cum Deo per amorem, & contemplationem quantò maior est, tantò magis facit Deū revereri.

§ *Multiplex differētia inter familiaritatem cum hominibus, & familiaritatem cum Deo notatur.*

2 *Familiaritas cum peccatoribus est vitanda ab infirmis.*

Laudabile est perfectos conuersari cum peccatoribus.

Ab omnibus vitandus est conuictus peccatorum, quo ad consortium peccati.

§ *Aduertentia Caietani circa familiaritatem cum peccatoribus notatur.*

Aduertentia ad parentes in educatione filiorum datur.

Quæritur, quid faciat familiaritas cum hominibus, & cum Deo.

1 Respondeo dicendum, quòd consueta conuersatio cū hominibus, & nimia familiaritas reuerentiā minuit, & contemptum parit, & ideò quos familiares magis habemus, minus reuereri consueuimus, & quos familiares habere non possumus, magis reputamus,

cuius contrarium contingit de Deo, nam quantò aliquis Deo per amorem, & contemplationem familiarior efficitur, tantò eum excellentiorem reputans magis reueretur, & se ipsum minorem reputat, & huius ratio est, quia in homine, cum sit infirmæ, & fragilis naturæ, quando cum alio diu conuersatur, cognoscit in eo aliqua infirma, & ex hoc diminuitur reuerentia eius ad eum; sed cum Deus sit immensè perfectus, quantò plus homo in cognitione eius proficit, tantò magis perfectionis eius excellentiam admiratur, & ex hoc eũ magis reueretur. lect. 6. cap. 4. in Ioannẽ.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. consueta conuersatio cum hominibus, & nimia familiaritas reuerentiam minuit, & contemptum parit, & ideò quos familiares magis habemus, minus reuereri cõsueuimus, & quos familiares habere non possumus, magis reputamus, cuius contrarium contingit de Deo, nam quantò aliquis Deo per amorem, & contẽplationem familiarior efficitur, tantò eum excellentiorem reputans magis reueretur, & se ipsum minorem reputat, quia homo, cum sit infirmæ, & fragilis naturæ, quãdo cum alio diu conuersatur, cognoscit in eo aliqua infirma, & ex hoc diminuitur reuerentia eius ad illum, sed cũ Deus sit immensè perfectus, quantò plus homo in cognitione eius proficit, tantò magis perfectionis eius excellentiam admiratur, & ex hoc eũ magis reueretur.

Hanc doctrinam vellem, vt caperent, & penetrarent Christi fideles, vt ex illa discerent familiaritatem hominum vitandam esse, & familiaritatem cum Deo sectandam, & amplectendam, quãtò enim homo magis elongatur ab hominum conuersatione, tantò magis approximatur conuersationi Diuinæ, & quantò magis conuersatur familiariter cum homine, tantò magis à Diuina elongatur familiaritate. familiaritas cum homine parit contemptum, quia in eo quod cõtemnamus, reperimus. familiaritas cum Deo reuerentiam auget, quia in eo quod admiremur, inuenimus. familiaritas cum homine defectus illius scrutatur, familiaritas cum Deo excellentiam eius admiratur. familiaritas cum homine reuerentiam minuit, familiaritas cum Deo reuerentiam acuit. familiaritas cum hominibus in conuersatione exteriori consistit, familiaritas cũ Deo in cognitione, & dilectione perficitur iuxta illud ad Filip. 3. nostra conuersatio in cælis est. quantò magis homo cum homine conuersatur exterius, tantò minus eum diligit interius, sicut quantò magis homo conuersatur cum Deo per contemplationẽ, tantò magis in amore eius proficit, quia vnde proficiat, inuenit. quantò familiarius homo cum homine conuersatur, tantò magis in amore eius tepescit, sicut quantò magis homo cum Deo per dilectionem conuersatur, tãtò magis in eius dilectione feruescit. conuersatio ergo humana parit contemptum, sicut Diuina reuerentiam, quia illa est cum homine imperfecto, ista autem cum Deo summè bono, summè perfecto. illa multoties culpam, hæc semper sanctitatem parit, quia illa est cum peccatore, ista cum sanctitatis Auctore. illa multoties rixas, & discordias, hæc semper vnionem per amorem, & dilectionem causat, quia illa parit contemptum, & minuit reuerentiam, hæc autem reuerentiam acuit, & amorem inpinguat. illa contemnit, hæc reueretur, quia illa fragilitatem, & imperfectionem inuenit, hæc excellentiam, & perfectionem contemplatur, admiratur.

Quæritur, an familiaritas cum peccatoribus sit habenda.

2 Respondeo dicendum, quòd conuiuere peccatoribus infirmis quidem est vitandum propter periculũ, quod eis imminet, ne ab eis subuertantur; perfectis autem, de quorum corruptione non timetur, laudabile est, quòd cum peccatoribus conuersentur, vt eos conuertant, sic enim Dominus cum peccatoribus manducabat, & bibebat, vt dicitur Matthæi 9. conuictus tamen peccatorum quantùm ad consortiũ peccati vitandus est omnibus, & sic dicitur secundæ ad Corinth. 6. exite de medio eorum, & immundum ne tetigeritis, scilicet secundùm peccati consensum. 2. 2. q. 25. artic. 6. ad 5.

Triplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. conuiuere peccatoribus est vitandum infirmis. probatur ꝓpter periculum, quod eis imminet, ne ab eis subuertantur. secunda conclusio. perfectis, de quorum corruptione non timetur, laudabile est, quòd cum peccatoribus conuersentur, vt eos conuertant. probatur, quia sic Dominus cum peccatoribus manducabat, & bibebat, vt dicitur Mathei 9. tertia conclusio. cõuictus peccatorum quantùm ad consortium peccati vitandus est omnibus. probatur ex D. Paulo 2. Corinth. 6. vt in littera.

Circa hanc doctrinam nil aliud occurrit obseruandum, quàm quod aduertit Caietanus hoc in loco contra quosdam, qui temerariè cum peccatoribus habitant, aut conuersantur præsumentes se esse perfectos, & si hoc de se ipsis non sentiant, fugiant peccatorum consortia in communi conuersatione comedendo, colloquendo, connegotiando, quia perfectorum est, aut perfecti personam induentis tutè conuersari cum peccatoribus. consortium peccatorum ruina est adolescentium, societas peccatorum corruptio est morum iuuenum, conuersatio peccatorum à benè incepto retrocessio est, familiaritas peccatorum familiaritatem cum Deo auffert. vtinam hæc caperent Parentes, vtinam inuigilarent super filios suos, ne in primordijs adolescentiæ suæ cum sceleratis, malè morigeratis conuersentur; meminerint

nerint illius, quod legitur prouerb. 22. adolescẽs iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea.

F E S T A.

Quæritur, quid præcipiatur in tertio præcepto Decalogi.

1 RESpondeo dicendum, quòd in tertio præcepto Decalogi præcipitur exterior Dei cultus sub signo cõmunis beneficij, quod pertinet ad homines, scilicet ad repræsentandum opus creationis mundi, à quo requieuisse dicitur Deus septima die, in cuius signum dies septima mandatur sanctificanda, idest deputanda ad vacandum Deo. 2. 2. qu. 122 artic. 4. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. in tertio pcepto decalog i præ-

cipitur exterior Dei cultus sub signo communis beneficij, quod pertinet ad homines, scilicet ad repræsentandum opus Creationis mundi, à quo requieuisse dicitur Deus septima die, in cuius signum dies septima mandatur sanctificáda, idest deputanda ad vacandum Deo.

Ad explicationem huius doctrinæ nota ex D. Thoma hoc in loco, quòd remotis impedimentis veræ Religionis per primum, & secundum præceptum Decalogi cõsequens fuit, vt tertium præceptum poneretur, per quod homines in vera Religione fundarentur, ad Religionem autem pertinet cultum Dei exhibere, sicut autem in scriptura Diuina traditur nobis cultus interior sub aliquibus corporalium rerum similitudinibus, ita cultus exterior Deo debetur per aliquod sensibile signum, & quia ad interiorem cultum, qui consistit in oratione, & deuotione, magis inducitur homo ex interiori Spiritus sancti instinctu, præceptum legis dandum fuit de exteriori cultu secundum aliquod sensibile signum, & hoc præceptum de exteriori cultu est tertium in ordine decalogi. ex quo elicio cũ Caietano hoc in loco, quòd præceptũ de sanctificatione Sabbati ad litteram non est de interiori, sed de exteriori cultu datum, colebatur olim Deus Sabbato in ipsa exteriori cessatione ab operibus seruilibus, & hæc quies repræsentabat Diuinam quietem a creatione mundi, nunc autem exterior cultus est dicere, vel audire Missam, quies autem à seruilibus operibus est ad remouenda exteriora impedimenta quietis mentis in Deo. hinc patet malè dixisse Scotum qui lib. 3. d. 37. docet hoc tertio præcepto præcipi nedum externum cultum, sed etiam internum, itaquòd nos diebus festis iubemur bonum habere mentis actum circa Deum, nempe eius dilectionem præter cessationem ab operib' seruilibus; quod etiam docuit eodem lib. d. 27. dicens singulare tempus implendi præceptum dilectionis Dei contineri isto præcepto, vt scilicet tali tempore manere vnusquisq; debeat apud se, colligendo se, & ascendendo ad Deum suum. hinc fit consequens, vt teneatur homo conteri de peccatis, si quæ habet, vt modum etiam Charitatis seruet; & vlterius sequitur secundùm suá opinionem, vt nomine seruilis operis, à quo requiescendum est, non solum intelligantur mechanica opera, idque genus alia, quibus homo homini seruit, sed potissimè peccata, quibus mancipium fit Dæmonis, qui enim facit peccatum, seruus est peccati Ioannis 8. vnde secundum ipsum qui die festo peccat, præter culpam, quam alio die contraheret, peccat rursus festum contaminando, quare duplici macula inficitur, ac proinde vtramq; confiteri tenetur, sicut & ille, qui in Ecclesia homicidium committit. hæc opinio fuit prius Alexandri Alensis, qui 3. p. qu. 32. memb. 5. a. 2. ad 4. ait, fornicationem in die festo duplicem habere malitiam, sed isti toto aberrãt cælo, quia hoc præceptum tertium decalogi est tantùm de actu exteriori, non autem interiori, actus autem contritionis est actus interior, ergo illo non iubetur præcepto. confirmatur, quia cõtritio est actus internus, Ecclesia autem non potest præcipere actus merè internos. vlterius contritio est actus Pænitentiæ Virtutis, præceptum autem tertium decalogi est de actu Religionis. prçterea actus interior Religionis, puta deuotio, oratio non continetur sub hoc præcepto, multò minus continentur sub hoc præcepto interiores actus aliarum Virtutum, de quorum numero est contritio. dicamus ergo, quòd qui die festo labitur in peccatum, duplici non fœdetur culpa, & cõsequenter duplicem ille actus non habeat malitiam, & per consequens hanc diei festi non tenetur confiteri circonstantiam. Quod autem maius hac in re facessit negotium, est auctoritas D. Thomæ hoc in loco ad 3. vbi distinguit triplex opus seruile, scilicet quo homo seruit peccato, & quo secundùm corpus seruit homini, & quo seruit Deo, & subdit, quòd opera seruilia primo, & secundo modo contrariantur obseruantiæ Sabbati, inquantùm impediunt applicationem hominis ad Diuina, & quia magis homo impeditur à rebus Diuinis per opus peccati, quàm per opus licitum, quamuis sit corporale, ideò magis cõtra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quã qui aliud corporale opus facit, ergo ad mentem D. Thomæ qui peccat in die festo, duplex transgreditur præceptum, duplici maculatur peccato, & consequenter vtrumq; tenebitur confiteri. sed respondetur cum Dominico Soto lib. 2. de iustitia, & iure. q. 4. a. 4. quòd quando D. Thomas ait, peccata aduersari obseruantiæ Sabbati, non intelligit quantùm ad substantiam præcepti, sed quantùm ad eius finem, qui tamen nõ est in præcepto, quia præceptum decalogi tertium datur ad vacandum Deo, & Diuinis, cui fini pugnantius obsistit peccatum, quàm opus seruile, puta peius est fornicari in die festo, quàm cauare, non quòd per fornicationem violetur festum, sed quòd peius per se peccatum sit, & intentioni Dei repugnantius, vult dicere, quòd quando D. Thomas ait, quòd magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quàm qui aliud opus corporale facit; verum est non quo ad substantiam præcepti, sed quo ad finem eius, qui non est in præcepto, in præcepto quippe duo possunt considerari, nempe substantia, & finis illius, peccans ergo in die festo magis agit cõtra finem huius præcepti, non contra substantiam illius, non agit, inquam, contra substantiam præcepti, quia dum peccat in die festo, transgressionis præcepti Sabbati non est reus, sed magis facit contra finem præcepti, qui finis tamen non est in præcepto, & est, vt vacet homo Deo, & Diuinis, cui fini magis repugnat peccatum, quàm opus seruile, vt patet ex ratione D. Thomæ, quia scilicet peccata magis impediunt applicationem hominis ad Diuina, quàm corporalia opera licita. sic etiam respondet Caietanus hoc in loco, qui etiam subiungit, quòd quando dicitur, cultum interiorem deuotionis, & orationis non iuberi hoc præcepto, intelligitur de cultu interiori secundùm se, talis enim non iubetur, sed est finis præcepti, cultus tamen interior vt ratio, seu conditio cultus exte-

terioris est in præcepto, tenetur enim audiens Missam in Dominica interiorem, & exteriorem hominem cultui Missæ exhibere. ad explicationem adhuc maiorem verborum illorum, magis agit contra hoc præceptum, qui peccat, quã qui opus corporale aliàs licitum facit, quia peccatũ magis impedit, quàm corporale opus, mouet dubium Caietanus tale, quia exercens in die festo opus aliàs licitum, puta fodiens terram, vel ędificans domum magis impedit finem huius præcepti, quia impedit & ex genere operis, quia facit opus seruile, & ex deformitate peccati, quia peccat mortaliter, qui autem committit aliquod peccatum mortale absque exercitio mæcanico, solum pręstat impedimentum fini præcepti huius ex parte peccati, ergo non est verum, quòd magis faciat contra hoc præceptum, qui peccat, quã qui laborat. respondet, & eius responsio in forma est, quòd D. Thomas comparat opus seruile præcisè cum peccato, non autem comparat opus seruile ex vna parte cum peccato, & opere mæcanico ex alia, vt supponit argumentum, quia autem actus peccati mortalis ex suo genere plus contrariatur quieti mentis in Deo, quàm actus operis seruilis, ideò magis agit contra hoc præceptum quo ad finem eius, qui peccat mortaliter, quàm qui corporale opus exercet, licet vtrũque sit contra finem præcepti huius, quia vtrumque impedit quietem mentis in Deo.

Quæritur, quæ requirantur ad obseruantiam diei Sabbati.

2 Respondeo dicendum, quòd in obseruantia Sabbati duo sunt considerãda, quorum vnum est sicut finis, & hoc est, vt homo vacet rebus Diuinis, quod significatur in hoc, quòd dicit, memento vt diem Sabbati sanctifices, illa enim dicuntur sanctificari in lege, quę Diuino cultui applicantur: aliud autem est cessatio operum, quæ significatur, cum subditur, septima die Domini Dei tui non facies omne opus: sed de quo opere intelligatur apparet per id, quod exponitur leuit. 23. omne opus seruile non facietis in eo, opus autem seruile dicitur à seruitute, est autem triplex seruitus, vna quidem, qua homo seruit peccato secundũ illud, qui facit peccatum seruus est peccati, & secundùm hoc omne opus peccati dicitur seruile: alia vero seruitus est, qua homo seruit homini, est autem homo alterius seruus non secundùm mentem, sed secundùm Corpus, & ideò opera seruilia secundùm hoc dicũtur opera corporalia, in quibus vnus homo alteri seruit: tertia autem est seruitus Dei, & secundùm hoc opus seruile posset dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei seruitium: si autem sic intelligatur opus seruile, non prohibetur in die Sabbati, quia hoc esset contrarium fini obseruationis Sabbati, homo enim adhoc ab alijs operibus abstinet in die Sabbati, vt vacet operibus ad Dei seruitutem pertinentibus, & inde est, quòd dicitur Ioannis 7. circoncisionem homo accipit in Sabbato, vt non soluatur lex Moysi, inde etiam, quod sicut dicitur Matthæi 17. Sabbatis Sacerdotes Sabbatum violant, idest corporaliter in Sabbato operantur, & sine crimine sunt, & sic etiam Sacerdotes in Sabbato circunferentes arcam non transgrediebantur præceptum de Sabbati obseruatione: similiter etiam nullius spiritualis actus exercitium est contra obseruantiam Sabbati, puta si quis doceat verbo, vel scripto, vnde numeri 28. dicit glos. quòd fabri, & huiusmodi artifices otiantur in die Sabbati, lector autem Diuinæ legis, vel doctor ab opere suo non desinit, nec tamen contaminatur Sabbatum, sicut Sacerdotes in tẽplo Sabbatum violant, & sine crimine sunt: sed alia opera seruilia, quæ dicuntur seruilia primo, vel secundo modo, contrariantur obseruantiæ Sabbati inquantùm impediũt applicationem hominis ad Diuina: & quia magis homo impeditur à rebus Diuinis per opus peccati, quàm per opus licitum, quamuis sit corporale, ideò magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quàm qui aliud corporalę opus licitum facit, vnde Augustinus dicit in libro de decẽ Chordis, melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quàm si in theatro seditiosus existeret; & melius fæminæ eorum die Sabbati lanam facerent, quàm tota die in Neomenijs suis impudicè saltarent, non .n. qui peccat venialiter in Sabbato, cõtra hoc præceptum facit, quia peccatum veniale non excludit sanctitatem, opera enim corporalia ad spiritualem Dei cultum nõ pertinentia in tantùm seruilia dicuntur, inquantùm propriè pertinent ad seruientes, inquantùm vero sunt communia seruis, & liberis, seruilia non dicuntur: quilibet autem tàm seruus, quàm liber tenetur in necessarijs prouidere non tantùm sibi, sed etiam proximo, præcipuè quidem in his, quæ ad salutem corporis pertinent secundùm illud Prouerb. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem; secundario autem etiã in damno rerum vitando secundùm illud Deut. 22. non videbis bouem fratris tui,

aut-

aut ouem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo, & ideò opus corporale pertinens ad conseruandam salutem proprij corporis non violat Sabbatum, non enim est contra obseruantiam Sabbati, quod aliquis commedat, & alia huiusmodi faciat, quibus salus corporis conseruatur, & propter hoc Machabei non polluerūt Sabbatum pugnantes ad sui defensionem die Sabbati, vt legitur primo Machabeorum 2. similiter nec etiam Helias fugiens à facie Iezabel in die Sabbati, & propter hoc etiā Dominus Matthæi 12. excusat discipulos suos, qui colligebant spicas in die Sabbati propter necessitatem, quàm patiebantur: similiter opus corporale, quod ordinatur ad salutem corporalem alterius, non est contra obseruantiam Sabbati, vnde dicitur Ioannis 7. mihi indignamini, quia totū hominem saluum feci in Sabbato: similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatū, vnde dicit Dominus Matthæi 12. quis erit ex vobis homo, qui habet vnam ouem, & si cæciderit Sabbato in foueam, non ne tenebit, & leuabit eam. 2.2.q.122.a.4.ad 3.

Facta duplici diuisione respondet D. Thomas huic quæsito octuplici conclusione. prima diuisio est, quòd in obseruantia Sabbati duo sunt consideranda, quorum vnum est sicut finis, & hoc est, vt homo vacet rebus Diuinis, aliud est cessatio operum. secunda diuisio est, triplex est seruitus, vna, qua homo seruit peccato secundùm illud, qui facit peccatum, seruus est peccati; alia est seruitus, qua homo seruit homini secūdùm opera corporalia; tertiò est seruitus Dei, & secundùm hoc opus seruile potest dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei seruitium. prima conclusio. non prohibetur in die Sabbati opus seruile in tertio sensu, probatur, quia hoc esset contrarium fini obseruationis Sabbati; homo enim ad hoc ab alijs operibus abstinet in die Sabbati, vt vacet operibus ad Dei seruitutem pertinentibus. probatur etiam duplici auctoritate Ioannis. 7. & Mathei 12. hinc elicit corrolarium, quòd Sacerdotes in Sabbato circonferentes Arcam non transgrediebantur præceptum de Sabbati obseruatione. secunda conclusio: nullius spiritualis actus exercitium est contra obseruantiam Sabbati, vt si quis doceat verbo, vel scripto. probatur ex glosa in Numer. 28. similiter lector Diuinæ legis, vel Doctor ab opere suo non desinit, nec tamen contaminatur Sabbatum, sicut Sacerdotes in templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt. tertia cōclusio. alia opera seruilia, quæ dicuntur seruilia primo, vel secundo modo, contrariantur obseruantiæ Sabbati. probatur, quia impediunt applicationem hominis ad Diuina. quarta conclusio. magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quàm qui aliud corporale opus licitum facit. probatur primò, quia magis homo impeditur à rebus Diuinis per opus peccati, quàm per opus licitum, quamuis sit corporale. secundò probatur auctoritate D. Augustini, vt in littera. quinta conclusio. qui peccat venialiter in Sabbato, contra hoc peccatum non facit. probatur, quia peccatum veniale nō excludit sanctitatem. sexta conclusio. opus corporale pertinens ad conseruandam salutem proprij corporis nō violat Sabbatum, vt non est contra obseruantiam Sabbati, quòd aliquis comedat, & alia huiusmodi faciat, quibus salus corporis conseruatur. probatur exēplo Machabeorum, Eliæ, & Discipulorū Christi, vt in littera. septima conclusio. opus corporale, quod ordinatur ad salutem corporalem alteri', non est contra obseruantiam Sabbati. probatur ex Ioannis. 7. octaua conclusio. opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum. probatur ex Mathei. 12. probatur etiam hæc conclusio, sicut & duæ præcedentes ratione tali, quia quilibet tam seruus, quā liber tenetur in necessarijs prouidere non tantùm sibi, sed etiam proximo, præcipuè quidem in his, quæ ad salutem corporis pertinent, quod probatur ex prouerb. 24. vt in littera, secundariò etiam in damno rerum vitando, quod probatur ex Deut. 22. vt in littera.

Ista doctrina ita articulatim, & distinctè, & ordinatè explicata est à S. Doctore, vt nostro nō egeat labore, attamen quia recentiores video varios in aliquibus casibus, ideò aliquantulum immorari in harum explicatione conclusionum opere precium esse duxi. circa ergo primam cōclusionem, qua dicitur, quòd opus seruile ad seruitium Dei pertinens non prohibetur in die Sabbati, nota, quòd inter opera ad seruitium Dei pertinentia dantur gradus, primum gradum tenent spiritualia, vt administratio sacramentorū, quibus gratia confertur, in qua vita spiritualis consistit; his proximè accedunt, quæ ad Altaris ministerium attinent, insuper prædicare, orare, & legere, & hæc opera non prohibentur in die festo, sicut nec olim prohibebatur Circoncisio in die Sabbati, si octaua tunc incidisset dies, vnde Ioannis 7. dicitur, circoncisionem homo accipit in Sabbato, vt non soluatur lex Moysi. secundum gradum obtinent illa corporalia, in quibus cultus etiam per se consistit, vt baiulare Sanctorum statuas, Crucem, & huiusmodi in processionibus; his accedunt pulsare organa, in organis canere, & alijs instrumentis sonare, & hæc etiam opera non prohibentur in festis, sicut nec antiquis prohibebatur Arcam testamēti deferre in Sabbatis, insuper Mathei 12. dicitur, Sacerdotes in templo Sabbatum violant, idest corpore labores exercēt, & sine crimine sunt. in tertio gradu collocantur illa, quæ Sacrorum sunt præparatoria, quæ in triplici sunt differentia, nam aliqua sunt adeò cultui propinqua, vt sine illis fieri nequeat, vt pulsare campanas, & ista sunt in festo licita, sicut antiquitus licebat mactare animalia sacrificanda; alia

alia verò sunt, quæ possunt præcedenti die fieri, & hæc non sunt sine causa in festo facienda, sed sunt antea præparanda, vt hostias coquere, & monumentorum apparatus extruere, nisi forsan continuatio festorum exigat, vt in festo fiant; alia verò sunt non per se, sed per accidens ad Diuinũ cultum spectantia, vt colere agros pauperculæ Ecclesiæ, vel hospitalis, vel ad eius constructionem deferre lapides, & hæc non possunt fieri in festo sine necessitate, neque sine Episcopi licẽtia, vel saltem Parochi, quia ista sunt opera verè seruilia; quia tamen hæc ad misericordiam pertinent, in eis dispensari facilè posset. Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure. q. 4. artic. 4. Caietanus hoc in loco.

Circa secundam conclusionem, qua dicitur, quod nullius spiritualis actus exercitium, idest operũ, quæ à spiritu nostro proficiscuntur, vt docere, consulere, & huiusmodi est contra obseruantiam Sabbati, obserua, quòd ista non dicuntur propriè opera seruilia, nam seruile opus idem est, quod corporale, corpus enim est, quod animæ seruit, vnde opera spectantia ad animam inter seruilia computari non debent, & hæc sunt in festo licita. Caietanus in summula verb. in festo licita, vers. sextò. Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure. q. 4. aduerte tamen duo, quorum primum est, quòd mæcanichæ artes in festo sunt prohibitæ, quia licet sint spirituales respectu sui principij, quòd est intellectus, vnde & intellectuales dicuntur, ratione scilicet principij, attamen simpliciter seruiles sunt, quia finis earum non consistit in illuminando intellectum præcisè, sicut faciunt speculatiuæ scientiæ, sed etiam in fabricato opere positus est, quod manibus conficitur, obidque dicuntur mæcanicæ. secundum est, quòd Ecclesia aliqua interdixit opera spiritualia iusta de causa, vt Ius dicere, agere causas, iuramentũ solemniter in iudicio, nisi causa pacis præstare, vt patet extra. de ferijs. cap. omnes dies. & cap. conquestus. ista tamen ex causa vrgentissima ẽt possent præstari, vt si grassator viarum, aut Maiestatis læsor caperetur in festo, liceret eum statim rapere in supplicium, sicut & hæretici solẽt comburi in solemni festo causa Religionis. sic Caietanus hoc in loco, & in summula verb. in festo prohibita. Dominicus Sotus de iustitia, & iure lib. 2. q. 4. art. 4. Siluester verb. Dominica. qu. 4. vers. prima. Tabiena verb. feriæ. n. 34. & 39. Nauarrus in manuali cap. 13. nu. 3. & 12.

Pro explicatione tertiæ conclusionis aduerte, quòd operum quædam sunt, quæ quãuis sint corporalia, non sunt propriè tamen seruilia, quia inter opera corporalia quædam extant ex genere suo seruilia, vt opera artium mæcanicarum, vt arare, fodere, & ista diximus esse prohibita in festo; quædam autem sunt genere suo libera, vt opera artium liberalium, vt musica, & hæc sunt licita in festis; alia vero sunt communia liberis, & seruis, tam nobilibus, quàm ignobilibus, vt scribere, itenerari, venari, & huiusmodi, & de his dubitari solet, an sint licita, ideò circa hæc aliquantulum immorandum est. circa scribendi opus distinguit Dominicus Sotus loco citato, nempe aut quis scribit, vt loquatur absenti per litteras, aut scribit orationes ad populum habendas, aut scribit lectiones discipulis tradẽdas in scholis, & sic liquet hæc opera esse in festo licita, quia ista non sunt propriè opera seruilia; aut scribit, siue transcribit propter mercedem, & hoc minimè licet, quia opus seruile interuenit. itinerari autem audita Missa, maximè illis, qui iã in itinere sunt, & causam itinerandi habent, est licitum, & hoc consuetudo approbat, vt Dominicus Sotus loco citato docet. venationem esse licitam, quæ fit animi gratia, & recreationis, docent Siluester verb. Dominica. q. 5. Tabiena verb. feriæ. n. 35. Dominic' Sot' loco citato, quos secuti sunt postea Nauarrus in manuali c. 13. n. 11. Ludouicus Lopez p. 1. instruct. conscient. cap. 52. Toletus lib. 4. cap. 24. nu. 20. ratio etiam id suadet, quia non est opus seruile. an autem ista sint licita, si fiant ob mercedem, in sequentibus videbimus. nec huic veritati obstant cap. qui venatoribus. & cap. vident homines. & cap. Esau. & cap. an pietatis. d. 86. quibus damnatur venatio omni tempore, quia illa capita intelliguntur de venatione oppressiua, & arenaria, quia scilicet quis oppressor est hominum, aut eorũ est extinctor, aut pugnat in arena cum bestijs, & operas suas locat ad ista, tales siquidem semper peccant mortaliter ratione damni, vel periculi, non autem loquũtur de venatione, quæ in siluis fit, quia istam omnes concedunt tanquam licitam, cum non sit ex genere suo opus seruile. simili modo licita erit in die festo ars gladiatoria, saltatoria, piscatio, quæ fit homo, aucupari recreationis gratia, & audito prius sacro. an autem ista sint licita in festo, si fiant causa lucri, in sequentibus dicetur. circa piscationem obserua, quòd ex indulto Alexãdri tertij in cap. licet. de ferijs. possunt piscatores in festis piscari haleces; & idem dicendum est de Tinnis, & alijs piscibus, qui vno solo anni tempore, eodemque breui capiuntur. & ratio id suadet, quia talis erit frustatoria, si tali non fiat tempore, quod in damnum maximum cædit. monentur tamẽ huiusmodi piscatores partem aliquam rationabilem illius lucri circompositis Ecclesijs, & Christi pauperibus dare in eleemosinam. Siluester verb. Dominica. q. 4. Tabiena verb. feriæ nu. 45. 46. Caietanus in summula verb. in festo licita. vers. quartò. Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure. q. 4. art. 4. vers. quinta causa. Nauarrus in manuali cap. 13. nu. 9.

Quarta conclusio iam remanet explicata ex his, quę diximus in superiori quæsito. quinta cõclusio etiam patet, quia si peccatum mortale in die festo commissum non violat substantiam pręcepti de Sabbati sanctificatione, cum tamen auferat sanctitatem, multò minus peccatum veniale, quod non excludit sanctitatem, erit contra hoc præceptum. ad explicationem autem sextæ conclusionis, qua dicitur, quòd opus corporale pertinens ad conseruãdam salutem proprij corporis non violat Sabbatum, obserua, quòd hæc conclusio, sicut & duæ sequentes explicant, qu

excu-

excusentur à peccato, si opus aliquod seruile faciant. excusantur ergo primò illi, qui operantur ad salutem proprij corporis conseruandam, vnde potest quis sibi, & familiæ suæ necessarium victum comparare in festis, necessarium, inquam, nedum pro illo die, sed etiam pro die sequenti, excusat enim nedum necessitas extrema, sed et grauis. hinc sequitur, quòd qui ita paupertate præmuntur, vt nisi laborent in diebus festis, non possint se, suamq; familiam sustentare, excusentur, si in festis laborent, audito tamē sacro, & secluso scandalo, vnde tenebuntur secretò laborare, vt ait Caietanus in summula verb. in festo licita. §. tertiò. Ludouicus Lopez p.p. instruct. conscienti cap. 52. necessitas enim non habet legem, sed ipsa sibi facit legem in cap. Remissionem. & præcepta Ecclesiæ obligant secundum id, quod vt in pluribus inuenitur. his addo, quòd quando esset magna, & vrgens notoriè necessitas, posset quis auctoritate propria laborare, maximè vbi non datur recursus ad Superiorem. quando autem dubitatur, an sit tanta necessitas, standum est iudicio boni viri, vel potius petenda est facultas ab Episcopo, vel saltem Parocho, vt notat Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure. q. 4. artic. 4. Tabiena verb. feriæ. num. 44. Siluester verb. Dominica. q. 5. vers. 3. Ludouicus Lopez p.p. instruct. conscient. c. 52. Nauarrus in manuali. c. 13. n. 16.

Circa septimam conclusionem, qua dicitur, quòd opus corporale, quod ordinatur ad salutē corporalem alterius, non est contra obseruantiam Sabbati, obserua, quòd ex hoc capite excusantur coqui, quorum opus est condire cibos, eos igne coquere; item illi, qui pastillos faciunt, Macellarij, Pistores autem non excusantur, neque furnarij, nam panis pridie festi potest confici, vt ait Dominicus Sotus loco citato, quod tamē moderatur, nisi, inquit, tantus festorum concursus id exigeret, vt solet accidere tempore Natiuitatis Domini. Molendinarij similiter quicunque non excusantur, nisi ob necessitatem, quando scilicet superemineret magna multitudo hominū, pro quibus sustentandis non sufficeret farina, vel panis, præparatus, & propter festorum plurimorum concursum; excusantur tamen venditores panis, fructuum, herbarum, & huiusmodi propter necessitatem venientium, & ementium die festo, quia scilicet alijs diebus non ita commodè veniunt emptores occupati agriculturæ, vel alijs negotijs detenti. similiter excusantur ex hoc capite Tabernarij præparantes cibos necessarios, edulia hospitibus aduenientibus, & illis, qui quotidiè solent emere, vt docet D. Antoninus 2. p. tit. 9. cap. 7. §. quantū ad tertium. Tabiena verb. feriæ. num. 20. 21. 22. & 27. Siluester verb. Dominica. q. 5. Caietanus in summula verb. in festo licita. vers. tertiò. Ludouicus Lopez p. p. instruct. conscient. cap. 52. Nauarrus in manuali cap. 13. n. 6. ex hoc capite excusantur etiam Medici, Chirurci, minutores, siue sanguinis emissores, Aromatarij, tonsores, qui fugiunt propria pericula exemplo Eliæ, qui fugit in Sabbato à facie Iezabel, quia omnes præstant opera ad salutem hominis necessaria, vt post D. Thomam docuerunt S. Antoninus p. 2. tit. 9. cap. 7 § quantum ad tertium. Tabiena verb. feriæ. num. 23. Siluester verb. Dominica. q. 5. Caietanus in summula verb. in festo licita. §. tertio. Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure. q. 4. artic. 4. obseruat tamen ibidem Sotus, quòd Aromatarij non excusantur nisi secundùm necessitatem diei præsentis, quia sua ars est seruilis, quam sola necessitas facit in festo licitam.

Ex octaua conclusione, qua dicitur, quòd opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnū rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum, habemus plura genera personarum excusari ab obseruatione Sabbati. excusantur ergo primò, qui in die festo occurrunt inundationibus, conflagrationibus, qui fossas, & aggeres faciunt tēpore inundationis, metentes segetes, fœnum in pratis secantes, & ad locum securum deferentes in die festo in casu necessitatis, puta si immineret tēpestas, vel pluuia, quæ hæc deuastarent, & corrumperent, si in agro remanerent, ista enim opera ad damnum vitandum rei exterioris imminens ordinantur. ex eodem capite excusantur illi artifices, qui continuatam exigunt operam, vt decoctio laterum, saponum, calcis, & huiusmodi, illi suas possunt continuare operas in die festo; & vlterius in die festo potest quis prosequi inceptū opus, quando notabile damnum timeretur ex dilatione, vel omissione operis, vt habetur in cap. fin. de ferijs. sic docent vltra D. Thomam S. Antoninus p. 2. tit. 9. cap. 7. §. quantum ad tertium. Tabiena verb. feriæ nu. 26. 32. 34. Siluester verb. Dominica. qu. 5. vers. 4. Caietanus in summula verb. in festo licita. vers. tertiò. Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure. qu. 4. ar. 4. Nauarrus in manuali cap. 13. num. 7. Aduerte, quòd si necessitas propria excusat a peccato, si in festis laboramus, vt diximus, multò magis excusabit necessitas communis salutis, vnde milites ex hoc capite excusantur, si in die festo prælientur, primo enim Macab. cap. 2. habemus, quòd Macabei hostile prælium Sabbato propulsarunt ad sui, & Reipublicę defensionem, consequenter etiam excusabuntur, qui militibus auxilium quocumque modo præstant. excusantur etiam ex hoc capite cursores, quorū opera vtilis est Reipublicæ. Tabiena verb. feriæ. num. 24. Caietanus in summula verb. in festo licita. vers. necessitas demum publica. qui nō solum excusat hos cursores à labore, sed etiam ab omissione Missæ, quam frequenter incurrere hos oportet; excusat istos necessitas publica, accedente consuetudine scita, & non reprehensa à Prælatis. eadem de causa Tabiena verb. feriæ. num. 25. excusat ferratores equorum, tum huiusmodi cursorum, tum aliorum itinerantium, quia sicut illis licitum est itinerari, ita licitum etiā erit istis ea peragere, quibus itinerantes commodè iter suum agere, & conficere possint, quamuis hæc faciant gratia lucri. hinc et excusari possunt Nautæ, Muliones, & huiusmodi, qui onera de loco ad locum deferre solent ad cōmunem Reipublicæ vtilitatem, quorum etiam

opera

opera maximè Reipublicæ necessaria est. Caietenus in summula verb. in festo licita. Angelus verb. feriæ. nu. 15. Tabiena eodem verb. num. 23. audito tamen sacro, cum in itinere etiam intendere Deo possint. & sic remanent explicatæ cõclusiones D. Thomæ, quibus addimus alias causas excusantes à peccato, qui laborant in festis, & tres inuenio, quarum prima est exilitas operis, quia modicum pro nihilo reputatur. l. quod minimum. & ratio, id suadet, quia modicitas, siue paruitas rei non impedit, quin homo Deo vacare possit. hoc tamen verum est, si non omittatur sacrum. hinc excusantur mulieres domum in die festo scopãtes, pannos suentes pro breui tempore. Siluester verb. Dominica. quæst. 5. vers. prima. Tabiena verb. feriæ. num. 19. Caietanus in summula verb. in festo licita. vers. secundum quoque. & hoc in loco. Ludouicus Lopez p. pri. instruct. conscient. cap. 52. S. Antoninus. 2. p. tit. 9. cap. 7. §. quantùm ad tertium. hinc excusamus etiam barbitonsores vnum, vel duos radentes, sutores calceum consuentes, & huiusmodi, vt notat Sairus lib. 7. clauis Regiæ cap. 2. num. 9. secunda est necessitas obedientiæ, seu coactionis, & violentiæ. hinc excusantur subditi, serui, agricolæ, filij, vxores, iussi à suis superioribus, Dominis, hæris, Patribus, & maritis ad opus aliquod aggrediendum in die festo, aliàs passuri damnum ab illis vel in persona, vel in rebus, nisi obediant, & maximè si laborent audito sacro. hoc tamen verum est, nisi tale opus in die festo eis præcipiatur in contemptum festi, quia tunc potius subeunda est mors, quàm in tali casu obediendum, quia, vt rectè docet Caietanus in summula verb. in festo licita. vers. de violentia. sicut tenetur quis mori potius, quàm loco sacro iniuriam facere, ita tenetur quoque mori potius, quàm tempori sacro iniuriam inferre, quia vtrumque sacrilegium est, vnde Machabæi mori potius elegerunt, quàm carnes porcinas comedere, quia ad hoc cogebãtur, vt contra legem facerent, tunc enim vrget Christi comminatio, qui meos sermones erubuerit &c. vnde si Dominus hæreticus, qui malè sentit de festorum obseruãtia, præciperet seruis suis, vt in die festo laborarent, potius illi serui subire debent mortem, quàm in Christi contumeliam, & festorum contemptum laborare: si verò inferatur violentia à supradictis nõ propter festi iniuriam, sed propter exactionem operis, possunt audito sacro parere, & laborare subditi, filij, serui, & huiusmodi cõpulsi. Caietanus loco citato. Tabiena verb. feriæ. num. 28. Ludouicus Lopez p. p. instruct. conscient. ca. 52. Nauarrus in manuali cap. 13. num 7. Tertia causa est consuetudo generalis, aut specialis præscripta in aliqua Patria scita, & non reprehensa ab Episcopis, seu Prælatis non obseruandi aliquod festum. hæc excusat à peccato, quia sicut consuetudo potest facere de licito opere illicitum quantùm ad tempus, ita è conuerso potest de aliàs illicito efficere licitum, & festa moderari. cap. fin. de consuet. sicut licet nundinæ, & mercatus prohibeantur in festis diebus. cap. omnes. de ferijs. nunc tamen est consuetudo creberrima, vt in illis celebrentur Prælatis scientibus, & non contradicentibus, consuetudines autem tunc à culpa liberant, quando sunt rationi congruentes, & Prælatorum consensu introductæ, & antiquitate receptæ. Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure. q. 4. art. 4. vers. sextũ. Caietanus in summula verb. in festo licita. vers. sextò. Ludouicus Lopez p. p. instruct. conscient. cap. 52 Nauarrus in manuali cap. 13. num. 8. vers. tertio.

Ad maiorem supradictorum explicationem aliqua sunt proponenda, & soluenda dubia, quorum primum est, an sicut necessitas excusat à peccato laborãtes in die festo, ita etiam excuset pietas. quo in dubio dico tria, quorum primum est, quòd ex pietate licita sũt in festo iudicialia, quia pro miserabilibus personis noluit pia Ecclesia hæc prohibere, vt notat Caietanus in summula verb. in festo licita. vers. secundò ex pietate. vnde tolerantur Iudices dicẽtes ius Rusticis causa pietatis, quia alijs diebus non possunt sine dãno cõueniri, & similia. secundũ est, opera pietatis, q̃ sũt p̃ se opera pietatis, sẽper sunt in festo licita, vt sepelire mortuos, seruire infirmis, & huiusmodi. tertiũ est, seruilia opera, quæ per accidens pertinent ad pietatẽ, vt reficere põtes, & vias propter pietatẽ nõ sunt licita in festo ratione pietatis præcisè, sed debet etiam adesse necessitas, vt rectè obseruat Caietanus in summula verb. in festa licita. vers. de pietatis verò. vnde non licebit ex sola pietatis ratione in die festo reficere pontes, & vias, nisi simul etiam adsit necessitas, & licentia Episcopi. ratio est, quia hæc in iure non conceduntur, sicut conceduntur opera iudicialia. vlterius opus Religionis, sicut est obseruantia festi, non est prætermittendum occupando se in seruilibus propter pietatem cessante necessitate. deinde quia hæc non sunt licita propter consanguineos, ad quos vna, eademque pietas est, ergo &c. vnde sicut non est licitum agros serere, metere, arare pauperum, aut Ecclesiæ pauperculæ, aut alia huiusmodi facere in festo sine necessitate, pari ratione neque alia pietatis opera, quæ talia sunt per accidens, licebit in festo absque necessitate peragere. sic Caietanus hoc in loco, & in summula loco citato. Ludouicus Lopez p. p. instruct. conscientiæ cap. 52. Nauarrus in manuali cap. 13. num. 4. vnde quando Doctores asserunt licita esse in festo opera pietatis, vt reficere põtes, & vias, intelligendi sunt in casu, quo etiam adsit necessitas. subiungit tamen Caietanus in summula loco citato, non esse damnandos hæc facientes simplici ex corde, arbitrantes obsequiũ se præstare Deo, quia aliunde illis subueniri potest, scilicet ex consuetudine, vel auctoritate Maiorum, vel ex necessitate. siquis autem obijciat, quòd nos iam diximus in primo asserto, iudicialia esse licita in die festo ex pietate, ergo etiam licebit in eodem die festo opera alia ad pietatẽ pertinentia peragere. respondebitur negando consequentiam, nam opera iudicialia non sunt opera ex se seruilia, vnde essent licita in festo, nisi Ecclesia ea prohibuisset, quæ tamen concedit ea ratio-

ratione pietatis, cætera autem opera, quæ per accidens pertinent ad pietatem, sunt per se seruilia, ideò per se prohibita in festo.

Secundum est, quod pluries promisimus, nempe an quæ in die festo licitè fieri possunt sine lucro, & quæstu, fieri etiam licitè possint ob mercedem, & pecuniam. quo in dubio cerno nedum extraneos diffidentes inter se, sed etiam Thomistas, nam Ricardus 4. sent. d. 37. a. 2. q. 4. Angelus verb. feriæ. num. 9. 17. 29. 30. 31. Tabiena eodem verb. num. 36. 38. 39. 40. 41. 42. Siluester verb. Dominica. q. 4. 5. docent hæc opera, quæ gratia mercedis principaliter fiunt, nō esse licita in die festo, etiam si fiant post sacrum auditum, licita tamen esse ex necessitate, aut alia iusta de causa. ratio horum est, quia ex lucro fiunt opera seruilia, qui enim hæc facit lucri gratia, seruit illi, in cuius gratiam facit. è cōtra Caietanus hoc in loco, & in summula verb. in festo licita vers. quartum est. Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure. q. 4. a. 4. Ludouicus Lopez p. 2. instruct. conscient. Bartolomeus Medina lib. 1. instruct. cōfess. cap. 14 §. 8. Nauarrus in manuali cap. 13. nu. 5. asserūt quoduis opus, quod vel ob necessitatem, vel ob consuetudinem, vel ob aliam causam est licitum in festis, licitè etiam fieri posse in festo, et si principaliter fiat intuitu lucri, & mercedis, ratio est, quia intentio, & spes lucri non facit, vt opus, quod aliàs ex suo genere non est seruile, ob hoc fiat seruile, quia liberorum opera, vt negotiatio, musica, venatio, militatio, & huiusmodi propositam sibi habent mercedem, & viceuersa seruile opus gratis etiam impendi consueuit, vt opus mechanicum. huic opinioni adhæreo ego, tùm propter auctoritatem tot Doctorum celebrium, cùm propter rationes, quæ profectò sunt efficaces, quarum prima est, famuli stipendia recipiunt pro famulatu etiam in festo impenso, similiter musici præcipuè seruiunt in festis, atque in Ecclesijs pro mercede; & tamen non peccant, ergo huiusmodi opera erunt licita in festo, licet pro mercede fiant. secunda est, licet opera in die festo sint necessaria, non tamen artifices tenentur illa gratis præstare, quia non sunt necessaria propter inopiam personarum, sed ex natura rei, ergo illa licitè possunt solum propter mercedem exequi, aliter non facturi, possuntq; perinde de pretio pacisci, ergo licebit in die festo ea ob mercedem peragere. tertia est, hoc cōsuetudo approbata approbat, ergo licitum erit. vnde ad argumentum Auctorum cōtrariæ partis respondetur, quòd intentio, & spes lucri non facit opus seruile, quia & liberorum opera, qualis est negociatio, & musica, venatio, militatio, & huiusmodi propositam sibi habent mercedem, & viceuersa seruile opus gratis etiam impendi consueuit, vt iam diximus, vnde ruit fundamentum contrariȩ partis; nec ratio fundamenti valet, nā hoc quòd est alteri inseruire, & obsequi, non cōstituit opus seruile, quia & liberorum opera fieri solent in obsequium alterius, & è conuerso seruilia in obsequium ipsius artificis. ex his remanēt decisa, quȩ intacta reliquimus supra de venatione, piscatione, quæ fiunt ob mercedem, & pecuniam, & de itineratione, quæ fit ex officio, & ob lucrum, liquet siquidem ex supradictis, quòd si hæc licent in festo, si recreationis gratia, vel ex necessitate fiant, quòd etiam licebunt in festo, quamuis fiant ob mercedem.

Tertiū dubium est, an scriptores licitè possint in festis scribere propter lucrum. in hoc etiam quæsito cerno Doctores diffidentes inter se, nam Caietanus hoc in loco, quem sequitur Nauarrus in manuali cap. 13. num. 14. docet scribere de se, & per se, vel alium docēdo, licitum esse in die festo, quia non est opus seruile, sed commune liberis, & seruis. subiungunt tamen illicitū esse transcribere, quia transcribere est opus seruile, & mecanicum, quod etiam docuit D. Antoninus p. 2. tit. 9. §. quantùm ad tertium, quem sequitur Tabiena verb. feriæ. num. 40. sed iste alio fundamento vtitur, nempe si fiat ob lucrum. Bartolomeus Medina lib. 1. instruct. Confess. cap. 14. §. 8. Ludouicus Lopez p. pri. instruct. conscient. cap. 52. licet putent sententiam Caietani esse probabilem, attamen docent contrariam esse tutam in praxi. cui opinioni subscribo ego, salua reuerentia, quæ tantis Doctoribus debetur, quod probo ex fundamento, seu ratione, qua vtebatur Caietanus in superiori quæsito ad probandum, quòd ea, quæ in festo sunt licita ex quacunque causa, sint etiam licita in festis, si fiant principaliter ob lucrum, quia intentio lucri non facit opus, quod aliàs non erat seruile, fit seruile, at scribere, siue etiam trāscribere possunt fieri in festo sine lucro, ergo etiam poterunt fieri cum lucro in eodem festo, vlterius transcribere nil aliud est, quā scribere, vnde si scribere licet in festo, ergo licebit & transcribere. transcribere etiam cōmune est opus seruis, & liberis, experientia enim comprobamus etiam liberos intendere in transcribendis libris.

Quartum dubium specialiter est de Notarijs, & officialibus Curiæ, an illis sit licitum in festis transcribere, ratio dubitandi de istis est, quia transcribere est illorum proprium opus, & exercitium, quod nisi ratione lucri faciunt; & vlterius ipsorum scripturæ ad strepitum iudicialem pertinere videntur, quæ omnia prohibentur in festo. Cui dubio respondeo, quòd secluso scandalo, quod tunc erit, si priuatim domi, & non publicè scripturæ huiusmodi fiant, licebit facere in festis huiusmodi scripturas, quia transcribere nil aliud est, quàm scribere, vnde si in festo licet scribere, licebit etiam transcribere. nec spes, & intētio lucri facit, vt quod aliàs erat licitum in festis, fiat illicitum, vt diximus; & licet transcribere sit proprium exercitium horum officialium, attamē est opus tale, quod etiam in festo licitum est facere. vlterius tales scripturȩ priuatim factæ non dicuntur ad strepitum iudicialem pertinere proximè, sed tunc solum dicuntur ad strepitum iudicialem pertinere proximè, quando in ipso strepitu fiunt. Sairus lib. 7. clauis regiæ cap. 2. num. 15. hæc etiam vera sunt, si non omittantur ea, quæ sunt in præcepto, vt Missa.

Quin-

Quintum dubium est de Mercatu, an liceat facere mercatum in festo. Cui dubio respondeo distinguendo de mercatu, nam quidam sunt, qui semel, vel bis in anno fiunt, & continuantur per hebdomadam, vel etiam plures hebdomadas, & dicuntur Nundinæ; alij sunt, qui semel, vel bis, vel ter in hebdomada fiunt, & incipiunt, & terminantur in vno die; alij sunt mercatus, qui vno die hebdomadæ exercentur, & sunt velut generales mercatus, ad quos cōueniunt nedum diocæsani, sed etiam plurimi extranei; alij sunt, qui tantùm festis diebus fiūt, dum rustici oua, pullos, caseum ad Vrbem defferunt. rursus aut est consuetudo exercendi huiusmodi contractus die statuto, aut est mos transferendi in alium diem, vel ipsum anticipandi, aut est consuetudo illum non exercendi in festo. prima conclusio. si sermo sit de mercatu, siue nundinis, quæ semel, vel bis in anno fiunt, & cōtinuantur per hebdomadas, sic sunt licitæ in die festo, quia ad huiusmodi nūdinas solent confluere plures ex diuersis prouincijs ob negotiationem peragendam, quibus maximum damnum immineret in expensis, si negotia sua in festis peragere non possent; & hoc præcipuè licitum est accedente consuetudine introducta, & approbata per Prælatos, quia vt benè ait Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure. q 4. art. 4. vers. sextum. consuetudines tunc à culpa liberant, quando sunt rationi congruentes, & Prælatorum consensu introductæ, & antiquitate receptæ, tales autem nundinæ introductæ sunt ob bonum publicum, & commune, ideò & rationabiliter introductæ, & receptæ, vt continuentur etiam in festis. secunda conclusio. si sit sermo de mercatu, qui fit bis, vel ter in hebdomada, non licet in festis, quia isti mercatus non sunt introducti nisi ob vtilitatem hominum cōfinium illius loci, in quo fit mercatus, vnde parum, vel nullū detrimentum erit illos non exercere in festis, cū parū temporis intercedat inter vnū, & aliū mercatū, vnde quod non potuerunt expedire in vno, expedient in alio mercatu, & hoc obseruari in praxi vidi pluribus in locis, quorum aliqua vel nullum exercent mercatum, alia differunt in aliū diem, alia anticipant illius celebrationem. tertia conclusio. si loquamur de mercatu, qui solet fieri semel in hebdomada statuto die, & est velut generalis mercatus, talis in festo est licitus, maximè accedente consuetudine, quia isti mercatus sunt rationi congruentes, cum in vtilitatem cædant maximam communem, & quod consuetudo rationi congrua approbauit, licitum existit. vndè ego vidi mercatum huiusmodi ita inuiolabiliter exerceri in die Iouis, vt etiam celebretur in die Ascensionis Domini, & feria quinta Corporis Christi. quarta cōclusio. mercatus, qui fiunt quolibet die Dominico, vel etiam quolibet die festo, ex hoc quod Rustici defferunt ad Ciuitatem oua, animalia, caseum, fructus, & huiusmodi ad minutum, hoc est pro vsu illius diei, liciti sunt in die festo, nisi Episcop⁹ aliquid horum prohibeat, aut reprehendat vel per totum diem festum, vel vsq; ad certam horam, quod laudabile est fieri, vbi obedientia speratur. in hoc etiam seruetur consuetudo loci. legatur Caietanus in summula verb. in festo prohibita. vers. vt autem singula.

Sextum dubium est de Pictura, an in die festo liceat pingere. Cui dubio respondeo cum Ludouico Lopez p.p. instruct. conscient. cap. 52. quòd in diè festo non licet pingere, quia licet non sit opus mæcanicum, est tamen aliquid seruile, cum communiter, & vt plurimum non soleat fieri nisi ab ijs, qui alijs inseruiunt. Siluester tamen verb. Dominica q. 5. vers. sexta. Tabiena verb. feriæ. nu. 40. quos sequitur Bartolomeus Medina lib. 1. instruct. Confess. cap. 14. §. 8. asserunt excusari pictores, qui diebus festis retrahunt in ecclesijs pulcras figuras, vel designant eas, quia ad peritiam artis id faciunt, licet sequatur lucrum consequentur, quibus addo, licet talem designationem, vel talem picturam ob lucrum facerent.

Septimum dubium est, an præter opera seruilia iure Diuino in festo prohibita sint alia opera ab Ecclesia vetita, & quænā sint. Cui dubio respōdeo, quòd præter seruilia opera sunt quatuor alia prohibita ab Ecclesia in cap. 1. de ferijs. quorum primum est mercatus. secundum est Placitum. tertium est iudicium criminale. quartum est Sacramentum publicum. & in ca. fin. de ferijs prohibetur in die festo omnis strepitus iudicialis, itaut nihil ad iudicium pertinens fieri possit, quæ omnia licet mæcanica omninò non sint, fieri tamē meritò prohibentur, cum impediant homines à cultu Diuino. pro quorum explicatione nota, quòd nomine mercatus intelliguntur illi, qui singulis diebus fiunt emendo, vendendo, quod tamen intelligendum est, vt iuxta vsum, & consuetudinem loci vendi possint panis, vinū, herbæ, fructus, carnes, & cætera huiusmodi ad minutū, quæ scilicet seruiunt pro vsu illius diei, dummodo tamen aliqua istorum non prohibeantur fieri in festis ab Episcopis, & locorum ordinarijs, præcipuè dummodo non fiant per totum diem, sed ad certam horam, prout Episcopo necessarium videbitur, vt notat Caietanus in summula verb. in festo prohibita. vers. & si quidem. verū de mercatu satis egimus in dub. 5. Nomine Placiti in intelligitur iuditium ciuile, siue strepitus ciuilis, & iudicialis Iudicum, vel iudiciales lites, vt inquit Caietanus in summula verb. in festo prohibita. vers. Placiti. quæ prohibentur in festis fieri, exceptis tamen duobus casibus, scilicet vrgente necessitate, & suadente pietate. vnde ex hoc capite excusantur Iudices rurales, qui in festis dicunt Ius pro ciuilibus causis iuxta consuetudinē, pietatis enim ergo hoc fit, ne pauperes Rustici perdant diurnum laborem eis necessarium ad victum. eadem ratione licebit in festis causis miserabilium personarum intendere, immò adhoc vrget necessitas, quia postea haberi non potest testis, aut Iudex, vt optimè Caietanus ait in summula verb. in festo prohibita. vers. placiti. & hoc in loco. quem sequitur Nauarrus in manuali cap. 13. num. 13. Ludouicus Lopez p.p. instruct. conscient. cap. 52. Toletus lib. 4. cap. 24 nu. 14. Nomine Iudicij ad mortem intelligitur etiam quæ-

cunque alia pæna corporalis, vt elicimus ex Caietano in summula verb. in festo prohibita. vers. iudicium. hæc ergo in festo non possunt fieri, nisi necessitas hoc exigat. triplex autem necessitas à Caietano notatur loco citato, primò quando in fragrāti crimine aliquis est repertus, & statim absque processu, & sententia est puniendus, & suspendendus, vt sæpè contingit in grassatoribus viarum, qui licitè statim in filuis, vbi capiuntur, suspendi solent, quin si detineatur, timetur, ne impediatur iustitia, & tunc necessitas talis excusat, si in die festo iudicium ad mortē exerceatur. secundò quando hoc exigit augmentum latronum, idest tunc licebit omni die, etiam in festis iudicium ad mortē exercere ad extirpādum hoc genus hominum, qui quotidiè deuastant vineas, destruunt segetes, spoliant viatores, & huiusmodi. tertiò quando tēporis conditio hoc requirit, puta tempore belli licebit milites inobedientes punire etiam ad mortem in die festo, vt post Caietanum loco citato, & hoc in loco, etiam docet Toletus lib. 4. cap. 24. num. 5. & ratio affertur à Caietano, quia quod pro reuerentia festi institutum est, non debet contra rectæ rationis iudicium dilationem vetantis militare. Nomine Sacramenti intelligitur iuramētum iudiciale, quod ita est prohibitum in festo, vt si in eo sumatur, nullum sit in foro exteriori, nisi pro pace, aut necessitate fiat, quæ rectæ rationi relinquitur iudicāda, vt Caietanus in summula verb. in festo prohibita vers. iuramentum. & hoc in loco ait, & ratio id suadet, quia sicut placita in istis casib⁹ fieri possunt, ita & iuramenta pro rebus temporalibus, quæ alioquin pro eisdem temporalibus sunt prohibita, vt docet D. Thomas. 2.2. q. 89. ar. 10. in corp.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Toletus lib. 4. cap. 24. nu. 8. 9. 10. 11. Emanuel Sà verb. festum. num. 5. Reginaldus lib. 19. nu. 35. 45. Azorius p. p. lib. 1. cap. 28. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 32. nu. 3. 4. & alij.

Quæritur, vndè originem habuerint multa festa.

3 Respondeo dicendum, quòd Sabbatū, quod significabat primam creationē, mutatur in diem Dominicum, in quo commemoratur noua creatura inchoata in resurrectione Christi, & similiter alijs solemnitatibus veteris legis nouæ solemnitates succedunt, quia beneficia illi populo exhibita significant beneficia nobis concessa per Christum, vndè festo Phasè succedit festum Passionis Christi, & resurrectionis; Festo Pentecostes, in quo fuit data lex vetus, succedit festum Pentecostes, in quo fuit data lex spiritus vitæ; Festo Neomeniæ succedit festum Beatæ Virginis, in quo primò apparuit illuminatio solis, scilicet Christi per copiam gratiæ; Festo Tubarū succedunt festa Martirum, & Cōfessorum; Festo tabernaculorum succedit festum Consecrationis Ecclesiæ; festo cętus, atque collectæ succedit festum Angelorum, vel etiam festum omnium Sanctorum. p. 2. qu. 103. artic. 3. ad 4.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Sabbatum, quod significabat primam creationem, mutatur in diem Dominicū, in quo commemoratur noua creatura inchoata in resurrectione Christi; & similiter alijs solemnitatibus veteris legis nouæ solemnitates succedunt. probatur, quia beneficia illi populo exhibita significant beneficia nobis cōcessa per Christum. hinc elicit corrolarium, quòd festo Phasè succedit festum Passionis Christi, & Resurrectionis; festo Pentecostes, in quo data fuit lex vetus, succedit festum Pentecostes, in quo data fuit lex spiritus vitæ; festo Neomeniæ succedit festum B. Virginis, in quo primò apparuit illuminatio solis, scilicet Christi per copiam Gratiæ; festo Tubarum succedunt festa Martirum, & Confessorū; festo tabernaculorum succedit festum consecrationis Ecclesiæ; festo cætus, atq; collectæ succedit festum Angelorum, vel etiam festum omnium Sanctorum.

Circa illam propositionem, quòd Sabbatum mutatur in diem Dominicum, in vestiganda est ratio huius mutationis. dicimus ergo primò, qđ ratio huius mutationis fuit, quia præceptum de sanctificatione Sabbati fuit partim morale, partim cæremoniale, quatenus morale obligabat ad sanctificandum Deo aliquem diem, idest vt aliquod tempus deputaretur ad vacandum rebus Diuinis, quatenus vero cæremoniale obligabat Iudęos solum ad certum tempus, & determinatum, scilicet ad diem Sabbati sanctificandum, vnde sicut cæremonialia alia omnia erant antiquāda morte Christi, ita, & Sabbatum, qua parte cæremoniale fuit, cessare debuit, quia illæ cæremoniæ erant vmbræ, & figuræ futurorum, adueniente autem luce, & figurato cessant vmbræ, & figuræ, Sabbatum autem præceptum fuit in vmbra, & figura futuræ quietis Christi in sepulcro, sicut enim Deus requieuit die septimo ab omni opere, quod patrarat, vt habetur Genesis. 2. ita die septimo requieuit Christus in sepulcro completa mundi Redemptione, vnde adueniente figurato cessare debuit figura, & in diem Dominicum transmutari, in quo animarum, & corporis requies significatur, & sic dies septimus in diē octauum Christianum Sabbatum commutatum est, quod disertis verbis docuit D. Augustinus in serm. 251. de tempore inquiens, ideò S. Doctores Ecclesiæ decreuerūt omnem gloriam Iudaici Sabbatismi in illum transferre, vt quod ipsi in figura, nos celebraremus in virtute. & hoc etiam exprimitur in littera. dico secundò hanc Sabbati in diem Dominicum commutationem meritò institutam esse, ne ritus, & cæremonias Iudeorū obseruare videremur. cap. peruenit. & c. Sabbato. de consecrat. d. 3. dico tertiò Sabbatum in

in diem Dominicum transmutatũ fuisse ob multa insignia, quæ in tali Dominico dicuntur patrata fuisse: primò quia secundùm aliquorum sententiã eo die Angeli fuerunt creati, boni glorificati, & mali damnati. secundò quia dies Dominica est prima omnium dierum iuxta illud, primo dierũ omnium, quo mundus extat cõditus. tertiò quia eo die Deus creauit cęlum,& terram. quartò quia nulla nox illum præcessit. quintò quia eo die mare rubrum recessit. sextò quia eo die data est lex filijs Israel in monte Oreb, vt dicit Orosius. septimò quia eo die pluit manna Iudeis, vt dicit Origenes in exodi.9. octauò quia eo die Verbum Dei incarnatum est. nonò quia eo die Magi Deũ adorauerunt. decimò quia eo die Christus baptizatus fuit. vndecimò quia eo die Christ⁹ aquas in vinum conuertit in nuptitijs Cana Galileæ. duodecimò quia eo die Christus animas Sanctorum Patrum è limbo liberauit à mortuis resurgens. tertiodecimò quia eo die Christus post resurrectionẽ apparuit Mariæ Magdalenæ, & Apostolis. quartodecimò quia eo die datus est spiritus sanctus. quintodecimò quia eo die erit resurrectio generalis. legatur hac de re D. Augustin⁹ serm. 7. de resur. & serm.251. de tempore. legatur & Leo Papa, qui refertur d.75. cap. quod die dominico. Patres item in Synodo sexta. cap. 8. tom. 3. Concil. de hoc die loquuntur. hanc mutationem Sabbati in diem Dominicum factam fuisse ab Apostolis testatur S. Augustinus in serm. 251. de tempore dicens, Dominicum ergo diem Apostoli, & Apostolici viri ideò Religiosa solẽnitate habendum esse sanxerunt, quia in eo Redemptor noster à mortuis resurrexit, quiq; ideò Dominica appellatur, vt eo terrenis operibus, vel mundi illecebris abstinentes tantùm Diuinis cultibus seruiamus.

Circa ꝙ dicitur, quòd alijs solemnitatibus veteris legis nouę solẽnitates succedunt, puta festo Phasè succedit festũ Passionis Christi,& Resurrectionis &c. nota, quòd sicut Circũcisio mutata est in Baptismum, & Sabbatum, quod significat primam creationem, in diem Dominicum mutatum est, in quo cõmemoratur noua creatura inchoata in resurrectione Christi, sic festo Phasè succedit festum Passionis, & Resurrectionis Christi. & festo Pentecostes, in quo data fuit lex vetus, succedit festum Pentecostes, in quo data fuit lex spiritus vitæ, vt dicitur in littera. festo Neomeniæ, quod celebratur in nouitate lunæ quolibet mense ad commemorandum opus gubernationis rerum, succedunt festa B. Virginis, in qua primò apparuit illuminatio solis, idest Christi per copiã Gratiæ, quæ B. Virgo suis precibus sustentat mũdum, vnde Regina mundi acclamatur, & pulcra vt luna prædicatur. festo Tubarum, quod prima die Septembris celebrabatur in memoriaã liberationis Isaac, cuius loco successit Aries, quem repręsentabant per cornua, quibus buccinabant, quod festum Tubarum quasi quædam inuitatio erat, vt præpararent se ad festum sequens, succedunt festa Apostolorum, qui tubis prædicationũ inuitauerunt mundum ad festum supernum. festo expiationis, quod celebrabatur quintadecima Septembris in memoriam beneficij, quo De⁹ ad preces Moysis propitiatus est populo Israel, qui adorauit vitulum, succedunt festa Martirum, & Confessorum, ad quorum preces propitiatur Deus peccatoribus iuxta illud, voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudit, psalm. 144. festo tabernaculorum, quod in eodem mense Septembris per septem dies celebrabatur in signum deductionis, & profectionis populi Israel de deserto, vbi in tabernaculis habitabant, succedit festum consecrationis Ecclesiæ in memoriam, quòd nos Deus deducit, & custodit per desertum mundi. festo Cætus atque collectæ, in quo colligebantur à populo ea, quæ ad cultus Diuini expensas erant necessaria, significans congregationem fidelium in regno cælorũ, succedit festum Angelorum, vel etiã festum omnium Sanctorum, qui regnant cum Deo in beata Patria. legatur de huiusmodi festis D. Thomas p. 3. q.102. artic. 4. ad 10. S. Antoninus p. p. tit. 14. cap. 4. §. 4. Dominicus Sotus de iustitia, & iure. lib.2. q. 5. art. 2.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Sairus lib. 7. clauis regiæ. cap. 1. num. 8.

Quæritur, quare octo diebus celebratur festum Dedicationis.

4 Respondeo dicendum, quòd octo diebus solemnitas dedicationis agitur ad significãdam Beatam resurrectionem Christi, & membrorum Ecclesiæ, vndè de consecra. d. 1. dicitur, solemnitates dedicationum Ecclesiarum per singulos annos solemniter sunt celebrandæ. 3. p. q. 83. ar. 3. ad 4.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Octo diebus solemnitas Dedicationis agitur ad significandam beatam resurrectionem Christi,& membrorum Ecclesiæ, probatur de consecrat. d. 1.

Non immor circa hoc quæsitum, cum nil occurrat scribendum.

Quæritur. quare in præcipuis solemnitatibus ministri Ecclesiæ cantant induti albis, vel sericis ornamentis.

5 Respondeo dicendum, quòd in præcipuis solemnitatibus ministri Ecclesiæ induti albis, vel sericis ornamentis cantant, & legunt, vt nouum canticum nemo nisi innouatus cantare pręsumat. super Psal.39.

Affert D. Thomas hoc in loco rationem, quare in præcipuis solemnitatibus Ministri Ecclesię induti albis, vel sericis ornamentis cantant, & legunt, & est, vt nouum canticum nemo nisi innouatus cantare præsumat.

Ex loco præsenti perspice, quàm rationabiliter procedat Ecclesia in suis actionibus, quòd si ratione

tione ducitur in vsu diuersarum vestium, dũ cantant, & legunt ministri, multò magis in alijs; tanquam ergo rationi consona, & in ratione fundata hæc obseruentur, & non negligantur à plerisq;

FICTIO.

1 *Quid sit fictio.*
Quando fictio sit peccatum.
§ *Fictio quando est peccatum mortale, & quando veniale.*
2 *Fictio consequitur ad superbiam.*
§ *Quomodo intelligitur, quòd superbus sit fictor fortitudinis.*

Quæritur, an fictio sit speciale peccatum.

1 RESpondeo dicendum, quòd fictio propriè est, cum aliquis aliquid ostendit dicto, vel facto, quod nõ est in rei veritate, hoc autem contingit dupliciter, vno modo quando ex hac intentione aliquid dicitur, vel fit, vt aliud ostẽdatur, quàm rei veritas habet, & tunc fictio est speciale peccatum: alio modo quando aliquid ostenditur, quod rei veritas non habet dicto, vel facto, etiam si non propter hoc dicatur, vel fiat. 4. sent. d. 4. q. 3. art. 2. quæstiunc. 2. ad 1. (lect. 2. cap. 2. primæ ad Timotheum.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. fictio propriè est, cum aliquis aliquid ostendit dicto, vel facto, qđ non est in rei veritate. secunda conclusio. quando ex hac intentione aliquid dicitur, vel fit, vt aliud ostendatur, quàm rei veritas habet, tunc fictio est speciale peccatum. tertia cõclusio. fictio est, quando aliquid ostenditur, quàm rei veritas non habet, dicto, vel facto, etiam si non propter hoc dicatur, vel fiat.

Ad explicationem harum conclusionum scito, quòd tunc dicitur aliquis fictus verbo, quando verbo ostendit aliud, quàm habeat in corde, puta fingit se amicum alterius verbis, & ore, cum tamen corde prosequatur eum odio. tunc dicitur fictor opere, quando facto ostendit se aliud, quã in veritate sit, vt quando fingit exterius orare, cum tamẽ intendat furari, & hoc est mentiri verbo, vel facto. si ergo ex hac intentione aliquid dicitur, vel fit, vt aliud ostendatur, quàm rei veritas habet, sic fictio est peccatum speciale Virtuti Veritatis oppositum, vt dicit Arist. 4. eth. & potest esse peccatum mortale secundùm intẽtionem fingentis, & nocumentum sibi, vel proximo illatum, vt ait Armilla verb. fictio. num. 1. si enim ex tali fictione aliquis intenderet aliquod mortale, vel sibi nomen, ac famam acquireret, vt mẽdax reputaretur, & suis verbis, vel factis fides non adhiberetur, vel etiam ex fictione sua nocumentũ notabile proximo eueniret, profectò peccaret mortaliter. fictio etiam in sacramẽtis peccatum mortale est sacrilegij, quia fit iniuria notabilis sacramento, vt cum quis fingit confiteri, vel consecrare. potest etiam esse peccatum mortale ex intentione, & ratione nocumenti sibi, vel alteri illati, si enim ex tali fictione non intenderet nisi aliquid leue, & nocumentum, quod sibi, vel alijs euenit, paruum est, tunc erit veniale peccatum, sicut & mendacium iocosum, vel officiosum. aliquando fictio nullũ est peccatum, vt quãdo ordinatur ad aliquid significandum maximè vtile animæ, sicut quando Christus finxit se longius ire, quia tunc non est contra veritatem, sed est ad aliquid significandum. est etiam fictio, quando aliquid ostenditur, quod rei veritas non habet, dicto, vel facto, etiam si non propter hoc dicatur, vel fiat, & sic accipitur fictio in Baptismo, vel Confessione, quando non habent illa, quę requirunt, quicunque enim ad Baptismum accedit, ostendit se veteri vitæ abrenunciare, & nouam inchoare, vnde si voluntas adhuc in vetustate vitæ remaneat, aliud ostendit, quàm sit in rei veritate, & ideò est fictio, quæ tamen non est speciale peccatum, est tamen peccatum.

Quæritur, ad quod vitium consequitur fictio.

2 Respondeo dicendum, quòd fictio se habet ad superbiam consequenter, ex hoc enim quòd aliquis appetit excellentiam, consequitur, quòd talem exterius se exhibeat, vt apud alios aliquo modo excellat. q. 8. de malo. a. 3. ad 10.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. fictio se habet ad superbiam cõsequenter. probatur, quia ex hoc quòd aliquis appetit excellentiam, consequitur, quòd talem exterius se exhibeat, vt apud alios aliquo modo excellat.

Ista doctrina est explicatiua propositionis, quam Arist. tradit in 3. eth. nempe quòd superbus est fictor fortitudinis, idest fictio consequitur ad superbiam, quia ex hoc quòd aliquis per superbiam appetit excellentiam, consequitur, quòd talem exterius se fingat, vt apud alios excellat.

FIDES.

1 *Fidei non potest subesse falsum.*
§ *Quare D. Thomas non distinxit numerum articulorum fidei secundùm numerum Apostolorum.*
2 *Secundùm aliquos duodecim sunt articuli fidei, quorum sex pertinent ad Diuinitatem, & sex ad humanitatem Christi.*
In vniuerso articuli fidei sunt quattuordecim.
3 *Articuli fidei non creuerunt per temporum successionem quantùm ad substantiam.*
Numerus articulorum creuit quantùm ad explicationem.
§ *Error est in fide asserere, quòd post Apostolorum tempora Doctores Ecclesiæ, vel etiam ipsa Ecclesia plura credat de pertinentibus ad fidem,*

aut

aut explicatius, quàm Apostoli, & sacri scriptores Euangelicæ doctrinæ crediderint.

4 *Si ille, qui natus, & nutritus est in siluis, vel inter infideles, fecerit, quantùm in se est, de quærenda salute sua, Deus illi prouidebit, vel mittendo ei Diuinitus Prædicatorem, vel reuelando ei ea, quæ sunt necessaria ad salutem.*

Quæritur, an fidei possit subesse falsum.

1 Respondeo dicendum, quòd ratio formalis obiecti fidei est veritas prima, vnde nihil potest cadere sub fide, nisi inquantùm stat sub veritate prima, sub qua nullum falsum stare potest, vnde relinquitur, quòd fidei non potest subesse aliquod falsum. 2. 2. quæst. 1. art. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. fidei non potest subesse aliquod falsum. probatur, nihil cadere potest sub fide, nisi inquantùm stat sub veritate prima, sed sub veritate prima nullum falsum stare potest, ergo fidei non potest subesse aliquod falsum.

Conclusio D. Thomæ confirmatur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 9. in fine; & ex Cócilio Lateranensi sub Leone decimo sess. 8. habetur, ita verum esse quodcunque sub fide continetur, vt omnis assertio contraria sit falsa, ac pro hæresi reprobata. ex minori propositione rationis, & discursus, quo probat S. Thomas conclusionem, habemus, non posse Deum mentiri, nec asserere falsum, quod confirmatur ex illo Num. 24. non est Deus quasi homo, vt mentiatur &c. legatur Dominicus Bannes hoc in loco.

Quæritur, quot, & qui sint articuli fidei.

2 Respondeo dicendum, quòd illa per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita æterna perfruimur, & per quæ ducemur ad vitam æternam, duo autem nobis videnda proponuntur, scilicet occultum Diuinitatis, cuius visio nos Beatos facit, & misterium humanitatis Christi, per quod in gloriam filiorum Dei accessum habemus, & ideò prima distinctio credibilium est, quòd quædam pertinent ad maiestatē Diuinitatis, quædam verò pertinent ad misterium humanitatis Christi, quod est pietatis Sacramentum: circa maiestatem autē Diuinitatis, tria nobis credenda proponuntur, primò quidē vnitas Diuinitatis, & adhoc pertinet primus articulus, secundò Diuinitas personarum, & de hoc sunt tres articuli secundùm tres personas, tertiò verò proponuntur nobis opera Diuinitatis propria, quorum primum pertinet ad esse creaturæ, & sic proponitur nobis articulus creationis, secundum vero pertinet ad esse gratiæ, & sic proponuntur nobis sub vno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam, tertiùm verò pertinet ad esse gloriæ, & sic proponitur nobis alius articulus de resurrectione carnis, & de vita æterna, & ita sunt septem articuli ad Diuinitatem pertinentes; similiter etiam circa Diuinitatem Christi ponũtur septem articuli, quorum primus est de incarnatione, siue de conceptione Christi, secundus de Natiuitate eius ex Virgine, tertius de Passione eius, & morte, & sepultura, quartus est de descensu ad inferos, quintus est de resurrectione, sextus de ascensione, septimus de aduentu ad iudicium, & sic in vniuerso sunt quattuordecim. quidam tamen distinguunt duodecim articulos fidei, sex pertinentes ad Diuinitatem, & sex pertinentes ad humanitatem, tres enim articulos trium personarum cõprehendunt sub vno, quia eadem est cognitio trium personarum, articulum vero de opere glorificationis distinguunt in duos scilicet resurectionem carnis, & gloriam animæ, similiter articulum Conceptionis, & Natiuitatis coniungunt in vnũ. 2. 2. q. 1. a. 8. in corp.

Duplici conclusione respódet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. prima distinctio credibilium est, quòd quædam pertinent ad Maiestatem Diuinitatis, quædam ad misterium humanitatis Christi, probatur, illa per se pertinent ad fidem, quorũ visione in vita æterna perfruemur, & per quæ ducemur ad vitam æternam, sed duo nobis videnda proponuntur, scilicet occultum Diuinitatis, cuius visio nos Beatos facit, & misterium humanitatis Christi, per quod in gloriam filiorum Dei accessum habemus, vt dicitur ad Rom. 5. ergo prima distinctio &c. minor probatur ex illo Ioannis. 17. hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. secunda conclusio. Articuli fidei in vniuersum sunt quattuordecim, secundum quosdam tamē sunt duodecim. probatur prima pars, quia septem sunt circa Diuinitatem, & septē circa humanitatem, vt patet in littera. probatur secunda pars, quia tres articulos trium personarũ comprehendunt sub vno, quia eadem est cognitio trium personarum; articulum verò de opere glorificationis distinguunt in duos, scilicet resurrectionem carnis, & gloriam animæ; similiter articulũ conceptionis, & natiuitatis coniungunt in vnum.

Circa hanc doctrinam posset aliquis obijcere, quare D. Thomas articulos fidei non distinxit in duodecim iuxta numerum duodecim Apostolorum

lorum, quorum singuli singulos condidere articulos. sed faciliter respondetur cum Caietano hoc in loco, quòd D. Thomas ideò hanc distinctionem prętermisit, quia articulis fidei, quòd ab vno, vel à pluribus sint, accidit.

Quaritur, an numerus articulorum creuerit secundùm successionem temporum.

3 Respondeo dicendum, quòd ita se habent in doctrina fidei articuli fidei, sicut principia per se nota in doctrina, quæ per rationem naturalem habetur, in quibus principijs ordo quidam inuenitur, vt quædam in alijs implicitè contineantur, sicut omnia principia reducuntur adhoc, sicut ad primum, impossibile est simul affirmare, & negare, vt patet per phylosophum in 4. Metaph. & similiter omnes articuli implicitè cōtinentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet vt credatur Deum esse, & prouidentiam habere circa hominū salutem, secundum illud Heb: 11. accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit, in esse enim Diuino includuntur omnia, quæ credimus, in Deo æternaliter existere, in quibus nostra Beatitudo existit, in fide autem prouidentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter à Deo dispēsantur ad hominum salutem, quæ sunt via in Beatitudinē, & per hunc etiam modum aliorum subsistentium articulorum quidam in alijs continentur, sicut in fide redemptionis humanæ implicitè continentur & incarnatio Christi, & eius Passio, & omnia huiusmodi, sic ergo dicendum est, quòd quantùm ad substantiam articulorum fidei non est factum eorum augmentum per temporum successionem, quia quęcunque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licet implicitè, sed quantùm ad explicationem creuit numerus articulorum, quia quædam explicitè cognita sunt à posteribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè. 2.2.quæst.1.art.7. in corp.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. quantùm ad substantiam articulorum fidei non est factum eorū augmentum per temporum successionem. probatur, quia quæcunque posteriores crediderunt, continebantur in fide pręcedentium Patrum, licet implicitè. secunda conclusio. quantum ad explicationem creuit numerus articulorum. probatur, quia quædam explicitè cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè, quod probatur auctoritate exodi 6. psal. 118. & Apostoli ad ephes. 3.

Occasione secundæ conclusionis disputat Dominicus Bannes, an successione temporis post Apostolorum tēpora aliquid explicatius cognoscatur à fidelibus circa res fidei, quàm fuerit cognitum ab ipsis Apostolis, & concludit errorem esse in fide asserere, quòd post Apostolorum tēpora Doctores Ecclesiæ, vel etiam ipsa Ecclesia plura credat de pertinentibus ad fidem, aut explicatius, quàm Apostoli, & sacri scriptores Euāgelicæ doctrinæ crediderint, quia illis dictum est à Christo, vt habemus Ioannis 15: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. & Lucæ vlt. habemus, tunc aperuit illis sensum, vt intelligerēt scripturas. & ad Rom. 8. dicit Paulus, nos ipsi primitias spiritus habentes, quem locum D. Thomas explicat de Apostolorum sanctitate, & doctrina. quā etiam veritatē tali corroborat ratione, quia Ecclesia nihil hactenus fidelibus credendum proposuit, vel diffiniuit, quod non contineretur in sacris litteris, aut Apostolicis traditionibus expressum, aut virtualiter contentum, itaut inde per euidentem consequentiam educeretur. quas regulas Cōcilium Tridentinum sess. 4. sibi obseruandas proposuit, & antecedentia Concilia secuta sunt. ex his sumitur argumentum tale, scripturas sacras perfectius intellexerunt Apostoli, & Euangelistæ, qui ipsarum expressam reuelationē habuerunt, traditiones vero per illorum manus tanquam Diuinum depositum suscepit Ecclesia, ergo nihil ad fidem pertinens post illorum tempora expressius creditum est, quàm ab ipsis Apostolis Spiritus Sācti illustrationibus perfectis intellectum fuerit. Disputat etiam, an Apostoli hāc plenitudinem cognitionis statim post missionem Spiritus Sancti simul acceperint, an verò non omnium simul, quæ ad Euangelicam doctrinam pertinebant, expressam notitiam habuerint, sed in dies, & vt opportunitas postulabat, à Spiritu Sācto eruditi fuerint. cuius decisionem legas tu in fonte, cum hæc ad Theologiam moralem parum proficiant.

Quaritur, an ille, qui est natus, & nutritus in siluis, vel inter infideles, saluabitur sine fide.

4 Respondeo dicendum, quòd si talis faceret, quod in se est de quærendo salutem, Deus illi prouidebit de salute sua, nunquā enim Deus homini quærenti suam salutem deest, vel defuit, nisi ex culpa sua remaneat, vnde explicatio eorum, quę sunt de necessitate salutis, vel diuinitus illi prouidebuntur per Prædicatorē fidei, sicut patet de Cornelio act. 10. vel per reuelationem, qua supposita in potestate libri arbitrij est, vt in actum fidei exeat. 3. sent. d. 25. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. ad 1. & 2. (2.2. quęstiunc. 2. in

2. in corp. (2. sent. d. 28. a. 4. ad 4. (d. 29. qu. 1. a. 2. ad 4. (qu. 14. de verit. a. 11. ad 1. & 2. (lect. 3. cap. 10. ad Romanos (lect. 3. c. 10. ad Hæbreos.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, il e, qui natus est, & nutritus in siluis, vel inter infideles; si faceret, quod in se est dequærendo salutem, Deus illi prouidebit de salute sua, probatur, quia nunquam Deus homini quærenti suam salutem deest, vel deficit, nisi ex culpa sua remaneat. hinc elicit corrolariũ, quòd explicatio eorum, quæ sunt de necessitate salutis, vel Diuinitus illi prouidebuntur per Prædicatores fidei, vt patet de Cornelio act. 10. vel per reuelationem, qua supposita in potestate liberi arbitrij est, vt in actum fidei exeat.

Non est necesse, vt immoremur hoc in loco, cum hæc doctrina abundè sit à nobis explicata in nostris Arcanis lib. 1. q. 87. ideò ad eum locũ lectorem remitto.

FORNICATIO.

1 *Vnde dicatur fornicatio.*

§ *Fornix quid significet.*

§ *Quid sit fornicatio.*

§ *Explicantur particulæ diffinitionis fornicationis.*

Concubitus cum soluta non baptizata est fornicatio simplex.

3 *In sacra scriptura per fornicationem idolatria, seu infidelitas significatur.*

§ *Quare idolatria, & infidelitas dicantur specialiter fornicationes.*

2 *Sunt tantùm fornicationes metaphoricè.*

Omne peccatũ mortale dicitur fornicatio, & quare.

4 *Fornicatio simplex est peccatum mortale.*

§ *Fornicatio simplex est illicita iure naturali.*

Fornicatio simplex est ex suo genere peccatum mortale, nec vnquam fuit licita.

Ita est peccatum mortale, quòd oppositum asserere pertinaciter est hæreticum.

Quomodo Oseas profeta accessisse dicatur ad fornicariam.

5 *Fornicatio est grauius peccatum, quàm peccata, quæ sunt contra bona exteriora.*

Fornicatio est minus peccatum, quàm peccata, quæ sunt directè contra Deum, & contra vitam hominis nati.

6 *Fornicatio simplex non est minimum peccatorum luxuriæ.*

§ *Accedere ad propriam vxorem ex libidine aliquandò est peccatum veniale, aliquando mortale, & quomodo.*

7 *In simplici fornicatione plus peccat vir, quàm mulier.*

§ *Quod in simplici fornicatione simpliciter loquendo magis peccet vir, quàm mulier cæteris paribus, est verum regulariter, & non semper, & quare.*

In adulterio magis peccat mulier, quàm vir, simpliciter loquendo, & cæteris paribus, & quare.

Si consideremus id, quod est commune adulterio, & fornicationi, peccatum viri, & mulieris se habent vt excedentia, & excessa.

8 *Non potest vxor dare licentiam marito, vt fornicetur.*

9 *Quando vir non possit excipere contra vxorem de fornicatione, & quando possit.*

10 *Septem casus, in quibus non licet verò dimittere vxorem fornicantem.*

§ *Redditur ratio septem casuum, in quibus non licet viro dimittere vxorem ob fornicationem.*

Septimus casus explicatur à Dominico Soto.

Quæritur, vndè dicatur fornicatio.

1 Respondeo dicendum, quòd dicitur fornicatio à fornice, quia iusta fornices, idest arcus triumphales, & in alijs locis, vbi homines conueniebãt, congregabantur meretrices, & ibi polluebantur. 4. sent. d. 41. a. 4. quæstiunc. 1. in corp. (q. 15. de malo a. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quę est. dicitur fornicatio a fornice. probatur, quia iuxta fornices, idest arcus triumphales, & in alijs locis, vbi homines conueniebant, congregabantur meretrices, & ibi polluebantur.

Ex hoc loco habemus quid nominis fornicationis, dicitur ergo fornicatio à fornice, nomen autem fornix significat loca quædam concamerata ad modum arcos, quod alio nomine dicuntur lupanar, quibus in locis meretrices se prostituere solebant. quia ergo meretrices congregabantur iuxta fornices, idest arcus triumphales ad intuenda huiusmodi spectacula, vel in alijs locis, in quibus homines cõgregabantur, & se prostituebant, & polluebantur, ideò fornicatio, quę est cõcubitus illicitus hominis soluti cum soluta, dicitur fornicatio.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Toletus lib. 5. cap. 10. num. 1. Sairus lib. 8. clauis regiæ cap. 1. num. 1. & alij.

Quæritur, quid sit fornicatio.

2 Respondeo dicendum, quòd fornicatio est concubitus soluti cum soluta. qu. 15. de malo a. 3. in corp.

Quòd fornicatio sit concubitus soluti cum soluta, docet D. Thomas hoc in loco.

Post explicationem quid nominis fornicationis declarat quid rei dicens, quòd fornicatio est concubitus soluti cum soluta. dicitur ergo fornicatio concubitus, idest humanus, quia concubitus animalium non est fornicatio; vlterius intelligitur, quòd sit concubitus humanus illicitus, idest cum peccato, quia non quilibet concubitus humanus est fornicatio, sed tantùm ille, qui est cum peccato; rursus debet esse concubitus simplex, qui scilicet fit absque omni alia deformitate, ad differentiam aliarum specierum luxuriæ, quæ addunt deformitatem aliquam supra fornicatio-

cationem; dicitur etiam cõcubitus soluti, scilicet illius, qui est solutus à vinculo coniugali, consanguinitatis, affinitatis, voti continentiæ, Religionis, Ordinis sacri; dicitur prætereà concubitus soluti cum soluta, idest cũ ea, quæ amisit Virginitatem, & soluta est à vinculo coniugali, consanguinitatis, affinitatis, voti continentiæ, Religionis, si enim alter esset vinctus aliquo prædictorum vinculorum, non esset simplex fornicatio. & aduerte, quòd licet mulier soluta non esset baptizata, concubitus tamen cum ea esset simplex fornicatio, sicut si esset matrimonio iuncta, esset adulterium, pænes enim esse solutam, vel maritatam, vel cõsanguineam, vel Virginem, vel Deo consecratam distinguuntur species luxuriæ, & non pænes non esse baptizatam, vel baptizatam esse, quod non obseruans Summa Corona oppositum docuit.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 5. cap. 10. n. 2. 3. Sairus lib. 8. clauis regiæ cap. 2. nu. 1. & alij.

Quæritur, quid in sacra scriptura significetur per fornicationem.

3 Respondeo dicendum, quòd in sacra scriptura specialiter per fornicationem idolatria, & infidelitas designantur, sed alia peccata magis remota significatione dicuntur spirituales fornicationes. 4. sent. d. 39. artic. 6. ad 2. (2. 2. quæst. 151. artic. 2. in corp.

In hoc loco D. Thomas ostendit, quòd in sacra scriptura specialiter per fornicationem idolatria, & infidelitas designantur, sed alia peccata magis remota significatione dicuntur spirituales fornicationes.

Pro explicatione huius doctrinæ obserua, qđ ideò in sacra scriptura per fornicationem intelligitur specialiter idolatria, & infidelitas, quia prima coniunctio animæ ad Deum est per fidem, per quam anima quasi desponsatur Deo, vt patet Oseæ 2. sponsabo te mihi in fide, per idolatriam autem, & infidelitatem amittitur fides, & ideò idolatria, & infidelitas specialiter dicuntur fornicationes in sacra scriptura, sunt tamen fornicationes metaphoricè, quia etiam per alias Virtutes homo coniungitur Deo, licet non primò ideò etiam peccata illis Virtutibus opposita, quibus homo elongatur à Deo, dicuntur spirituales fornicationes, magis tamen remota significatione; dicuntur, inquam, spirituales fornicationes, idest metaphoricè, inquantùm scilicet omnis actus, qui est peccatum mortale, dicitur fornicatio, quia per peccatum mortale quis recedit à Deo legitimo sponso animæ. psalm. 72. perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Oseæ. 2. auferat fornicationes suas à facie sua &c.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Sairus lib. 8. clauis regiæ cap. 2. nu. 1.

Quæritur, an fornicatio simplex sit peccatum mortale.

4 Respondeo dicendum, quòd absque omni dubio tenendum est, quòd fornicatio simplex sit peccatum mortale, non obstante quòd Deut. 23. super illud non erit meretrix &c. dicit glosa, ad eas prohibet accedere, quarum est venialis turpitudo, non enim debet dici venialis, sed venalis, quod est proprium meretricum. Ad huius autem euidentiam considerandum est, quòd peccatum mortale est omne peccatũ, quod committitur directè contra vitam hominis, fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ eius, qui est ex tali concubitu nasciturus; videmus enim in omnib⁹ animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris, & fæminæ, quòd in eis non est vagus concubitus, sed maris ad certam fæminam vnam, vel plures, sicut patet in omnibus auibus, secus autem in animalibus, in quibus sola fæmina sufficit ad educationem fœtus, in quibus est vagus cõcubitus, vt patet in canibus, & huiusmodi alijs animalibus, manifestum est autem, quòd ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, à qua nutritur, sed multò magis cura Patris, à quo est instruendus, & defendendus, & in bonis, tàm interioribus, quàm exterioribus promouendus, & ideò contra naturam hominis est, quòd vtatur vago concubitu, sed oportet, quòd sit maris ad determinatam fæminam, cum quo permaneat non per modicum tempus, sed diu, vel etiam per totam vitam, & inde est, quòd naturaliter est maribus in specie humana sollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis, hæc autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus; hæc autem determinatio certæ fæminæ matrimonium vocatur, & ideò dicitur esse de iure naturali, sed quia concubitus ordinatur ad bonum commune totius humani generis, bona autem communia cadunt sub determinatione legis, consequens est, quòd ista cõiunctio maris ad fæminam quæ matrimonium dicitur, lege aliqua determinetur, vnde cum fornicatio sit concubitus vagus, vt potè præter matrimonium existens, est contra bonum prolis educandæ, & ideò est peccatum mortale: nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens

suffi-

ſufficiẽter prouideat proli de educatione, quia id, quod cadit ſub legis determinatione iudicatur ſecundùm id, quod communiter accidit, & non ſecundùm id, quod in aliquo caſu poteſt accidere. 2.2. qu. 154. art. 2. in corp.

Duo facit D. Thomas in hoc quæſito, primò vnica concluſione reſpondet, ſecũdò ſoluit obiectionem. quoad primum concluſio eſt. abſque omni dubio tenendum eſt, quòd fornicatio ſimplex eſt peccatum mortale. probatur, peccatum mortale eſt omne peccatum, quod committitur directè contra vitam hominis naſcituri, ſed fornicatio eſt d rectè contra vitam hominis naſcituri, ergo &c. minor probatur dupliciter, primò à ſimili de animalibus, ſecũdò à naturali ſollicitudine mariti de certitudine prolis. omnia patent in littera. quo ad ſecundum eſt obiectio talis. aliquis fornicãdo aliquam cognoſcens ſufficienter poteſt prouidere proli de educatiòne, ergò talis fornicatio non erit contra bonũ prolis educandæ, ergo non erit peccatum mortale. reſpondet, quòd id, quod cadit ſub legis determinatione, iudicatur ſecundùm id, quod communiter accedit, & non ſecundùm id, quod in aliquo caſu poteſt accidere, cõcubitus autem ordinatur ad bonum commune totius humani generis, bona autem communia ſub determinatione legis cadunt, & conſequenter &c.

Concluſionem D. Thomæ docent D. Antoninus p. 2. tit. 5. cap. 2. §. 2. Silueſter verb. luxuria. q. 3. Tabiena verb. fornicatio. num. 2. Caietanus in ſummula verb. fornicatio, & hoc in loco, vbi etiam defendit diſcurſum D. Thomæ cõtra Marcinum de Magiſtris, Dominicus Sotus lib. 5. de Iuſtitia, & iure. q. 3. artic. 3. Bartolomeus Medina lib. 1. inſtruct. Confeſſ. cap. 13. §. 18. Ludouicus Lopez p. p. inſtruct. conſci. cap. 73. Nauarrus in manuali cap. 16. num. 1. Armilla verb. fornicatio. num. 1. pro cuius explicatione obſerua, quod fornicatio nedum eſt mala, quia prohibita iure Diuino, ſed etiam quia eſt iure naturali illicita, vt expreſsè S. Antoninus, Silueſter, Caietanus, Dominicus Sotus, Bartolomeus Medina locis citatis aſſerunt, & ad hoc etiã tendit ratio D. Thomæ in littera, immò idem Sotus eodem loco ait, quòd dicere, fornicationem non eſſe contra ius naturæ, error eſt hæreſi proximus, quia inde ſequitur, Gentibus ante legem ſcriptam non fuiſſe delictum. ex quo ſequitur, quòd nullus excuſatur à fornicatione ob ignorantiam, cum ſit naturale præceptum, in quo locum non habet ignorantia, vt expreſsè docet Silueſter loco citato, vnde inexcuſabiles erant Gentiles, qui putauerũt fornicationem ſimplicem eſſe licitam. dicamus ergo fornicationem eſſe illicitam, & eſſe peccatũ mortale ex genere ſuo, itaquòd nunquam licuit fornicari, & ita eſt peccatum mortale, vt oppoſitum pertinaciter aſſerere ſit hæreticum, vt diffinitum eſt in Clement. ad noſtrum. de hæreticis. omnis fornicator non habet hæreditatem in Regno Chriſti, & Dei. ad epheſios. 5. quòd autem ſit peccatum mortale, probat ratio D. Thomæ, cuius ſumma eſt, quia fornicatio eſt contra finem, propter quem Deus conceſſit humanum cõcubitum, qui finis non ſolum eſt multiplicatio filiorum, ſed etiam eorumdem educatio, quæ fieri non poteſt, niſi certum, & determinatum Patrem habeant, quod per matrimonium fit, in fornicatione autem non eſt pater determinatus; & hoc eſt adeò naturæ congruum, vt inter bruta etiam hoc obſeruetur, illa enim bruta, quorum filij maſculorum opera egent ad educationem, determinatè cum vna commiſcentur. legatur D. Thomas lect. 3. ſuper cap. 7. primæ ad Corinthios. nec huic veritati obſtat, quod Deus præcepit Oſeæ, vt ſibi ſumeret vxorem fornicariam, vt legitur Oſeæ. 1. quia D Hieronimus ait, quòd propheta aſſumpſit eam, quæ erat antea fornicaria, & de impudica fecit eam caſtam, quòd vtiq; licet, & maximè laudabile eſt, ſicut laudatur ille homo, qui duceret in vxorem aliquam meretricem, quæ iuncta matrimonio honeſtè viuit. Liranus etiam ait, quòd illa mulier, quam propheta de mandato Domini accepit in vxorem, fuit fornicaria ſpiritualiter, ob ſcilicet idolatriam, quam ſupradiximus ſpeciali ratione dici fornicationem, quia erat mulier gentilis. D. Thomas hoc in loco ad 2. egregiè, vt ſui moris eſt, reſpondet dicens, quòd fornicatio dicitur eſſe peccatum, inquantum eſt contra rationem rectam, ratio autem hominis recta eſt, ſecundùm quòd regulatur voluntate Diuina, quæ eſt prima, & ſimplex regula, & ideò quòd homo faciat ex voluntate Dei eius præcepto obediens, non eſt contra rationem rectam, quamuis videatur eſſe contra communem ordinem rationis, ſicut etiam non eſt contra naturam, quod miraculosè fit virtute Diuina, quamuis ſit cõtra communem curſum naturæ, & ideò ſicut Abraam nõ peccauit filium innocentẽ volendo occidere propter hoc, quòd obediuit Deo, quàmuis hoc ſecũdùm ſe conſideratum ſit communiter contra rectitudinem rationis humanæ, ita etiam Oſeæ nõ peccauit fornicando ex præcepto Diuino, nec talis concubit⁹ propriè fornicatio debet dici, quãuis fornicatio nominetur referendo ad curſum cõmunem. verùm de hoc aliàs diffusè diximus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quæ docent Emanuel Sà in Aphoriſmis verb. luxuria. Toletus lib. 5. cap. 10. num. 5. 6. 7. Valentia tom. 3. diſp. 9. quæſt. 3. p. 3. Graffius p. p. lib. 2. cap. 7. Sairus lib. 8. clauis regiæ cap. 2. num. 3. 6. & alij.

Quæritur, an fornicatio ſit grauiſſimum peccatum.

5 Reſpondeo dicendum, quòd grauitas alicuius peccati poteſt attendi dupliciter; vno modo ſecundùm ſe, alio modo ſecundùm accidens, ſecundùm ſe quidem attenditur grauitas peccati ex ratione ſuæ ſpeciei, quæ conſideratur ſecundùm bonum, cui peccatum opponitur, fornicatio autem eſt contra bonũ hominis naſcituri, & ideò

est grauius peccatum secundùm speciem suam peccatis, quæ sunt contra bona exteriora, sicut est furtum, & alia huiusmodi; minus est autem peccatis, quæ sunt directè contra Deum, & peccato, quod est contra vitam hominis iam nati, sicut est homicidium. 2.2.q.154.a.3. in corp.

Duplici cõclusione respondet D.Thomas huic quæsito data distinctione, quæ est. grauitas alicuius peccati potest attendi dupliciter, vno modo secundum se, alio modo secundùm accidens. prima conclusio. fornicatio est grauius peccatũ secundùm speciem suam peccatis, quæ sunt cõtra bona exteriora, vt furtum &c. probatur, quia fornicatio secundùm se est contra bonum hominis nasciturì, quod bonum exterioribus præponderat. secunda conclusio. fornicatio est peccatum minus peccatis, quæ sunt directè contra Deum, & peccato, quod est contra vitam hominis iam nati. probatur, quia secundùm se attẽditur grauitas peccati ex ratione suæ speciei, quæ consideratur secũdùm bonum, cui peccatum opponitur, sed Deus est maximum bonum, & vita hominis nati est maius bonum, quàm vita hominis nascituri, ergo peccata, quæ sunt contra Deum, & vitam hominis nati erũt maiora fornicatione &c.

Contra primam conclusionem, & eius rationem multipliciter arguit Martinus de Magistris, quæ cum egregiè soluantur à Caietano, ideò lectorem ad eum remitto, ne eadem inutiliter repetamus.

Quæritur, an fornicatio sit minimum peccatorum luxuriæ.

6 Respondeo dicendum, quòd fornicatio non est minimum peccatorum, quæ sub luxuria continentur, minus enim est concubitus cum vxore, qui fit ex libidine. 2.2.q.154.art.2.ad 6.

Vnica conclusione respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. fornicatio nõ est minimum peccatorum, quæ sub luxuria continentur. probatur, quia minus est concubitus cum vxore, qui fit ex libidine.

Ex hoc loco habemus accessum ad propriam vxorem ex sola libidine esse peccatum, quod aliquando erit veniale, vt cum quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur, quæ tamen infra limites Matrimonij sistit, vt scilicet cũ sola vxore sit contentus; quandoq; est culpa mortalis, puta cum concupiscentia fertur extra limites Matrimonij, scilicet cum aliquis accedit ad vxorem æquè libenter, vel libentius ad aliam accessurus. sic D. Thomas lect. 2. super cap. 7. primæ ad Corinth. si tamen quis accederet ad vxorem propriam in remedium concupiscentiæ, nullũ intercederet peccatum, quia hic etiam est finis Matrimonij.

Quæritur, an in fornicatione magis peccet vir, quàm mulier.

7 Respondeo dicendum, quòd simpliciter loquendo cæteris paribus vir in simplici fornicatione plus peccat, quã mulier, quia habet plus de rationis bono, qđ præualet quibuslibet motibus corporalium passionum. 4. sent. d. 35. q. 1. a. 4. ad 5.

Conclusione vnica respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. simpliciter loquẽdo cæteris paribus vir in simplici fornicatione plus peccat, quàm mulier. probatur, quia habet plus de rationis bono, quod præualet quibuslibet motibus corporalium passionum.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua, q̃ quando D.Thomas ait virum, simpliciter loquẽdo, cæteris paribus, grauius peccare, quàm fæminam in fornicatione simplici, verum est regulariter, & vt plurimum, quia regulariter, & vt plurimum vir magis pollet ingenio, & ratione, quàm fæmina, attamen aliquando fæmina poterit in fornicatione simplici magis peccare, quàm vir, puta quando fæmina plus vigeret ingenio, quàm vir, vt notat Toletus lib. 5. cap. 10. num. 8. Sairus lib. 8. clauis regiæ cap. 2. num. 7. è contra simpliciter loquendo mulier magis peccat in adulterio, quàm vir cæteris paribus, quia plura damna facit, nã fæmina adultera supponit filios adulterij, qui damnum inferunt legitimis, qui multoties hæreditate sibi debita priuantur, quod non contingit in viro, in quo apertè cognoscuntur filij adulterij, vt ait Paludanus 4. sent. d. 35. q. 1. artic. 5. concl. 4. & 5. Siluester verb. luxuria. q. 3. vers. tertium. si tamen consideremus id, q̃ est commune adulterio, & fornicationi, peccatũ viri, & mulieris se habent vt excedentia, & excessa, quia in muliere est plus de humore, & ideò sunt magis ducibiles mulieres à cõcupiscentijs; sed in viro plus de calore, qui concupiscentiam excitat. sic docet D. Thomas 4. sentent. dist. 35. artic. 4. ad 5.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Toletus lib. 5. cap. 10. nu. 8. Sairus lib. 8. clauis regiæ. cap. 2. nu. 7.

Quæritur, an vxor possit dare licentiam marito, vt fornicetur.

8 Respondeo dicendum, quòd mulier habet potestatem in corpore viri non simpliciter quantùm ad omnia, sed solùm quantùm ad matrimonij vsum, & ideò non potest contra matrimonij bonum corpus viri alteri præbere. 4. sent. d. 33. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 6.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. vxor non potest contra Matrimonij bonum corpus viri alteri prebere. probatur, quia mulier habet potestatem in corpore viri non

non simpliciter quantùm ad omnia, sed solum quantum ad Matrimonij vsum.

Ad explicationem huius doctrinæ nota, quòd sicut Dominos licet habeat potestatem in Ancillam, non tamen habet in eam ita potestatem, vt ea abuti possit ad copulam, sed tãtùm ad opera seruilia domestica domus, ad quæ est assumpta: ita mulier licet habeat potestatem super corpus viri sui, non potest tamen prebere corpus illius alteri ad concubitum fornicariū, vel adulterinum, vel incæstuosum, vel sacrilegum, quia potestas illa super corpus viri non est ad omnia, sed tantùm ad vsum matrimonij. idem dic de viro respectu corporis vxoris.

Quæritur, an vir possit excipere contra vxorem de fornicatione, si dedit ei occasionem fornicandi.

9 Respondeo dicendum, quòd si mulier conuersa repetat virum suum conuersum, vir nõ potest excipere contra eam de fornicatione prius commissa, si ipse occasionē fornicationis dedit, puta noluit cohabitare ei violenti cohabitare sine contumelia Creationis, aliàs potest excipere, & tamen ratificatur matrimonium, ita quòd vlterius non possit solui quantùm ad vinculum, vt viro liceat aliam vxorem ducere, quamuis possit solui quantùm ad vsum. 4. sent. d. 39. in expositione litteræ. (lect. 2. cap. 7. primæ ad Corinth.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si mulier conuersa repetat virum suum cõuersum, vir non potest excipere contra eam de fornicatione prius commissa, si ipse occasionem de fornicatione dedit, puta si noluit cohabitare ei volenti cohabitare sine contumelia Creatoris. secunda conclusio. aliàs potest excipere, & tamen ratificatur matrimonium, ita quòd vlterius non possit solui quantùm ad vinculum, vt viro liceat vxorē ducere, quãuis possit solui quantùm ad vsum.

Ad explicationem litteræ huius difficilis obserua, quòd ista doctrina est resolutio casus sequentis. est matrimonium inter virum, & mulierem infideles, conuertitur vir, mulier non conuertitur, interim dum manet in infidelitate, fornicatur, post fornicationem conuertitur, vel vult conuerti, & vult habitare cum marito, quæritur, an vir, teneatur eā recipere. respondet D. Thomas, quòd si mulier conuersa repetat virum suū conuersum, non potest vir excipere contra eam de fornicatione prius commissa, idest non potest ei opponere fornicationem commissam, dum in infidelitate manebat, vt ob talem fornicationē velit diuortium quo ad cohabitationē celebrari, si ipse occasionem fornicationis dedit, puta si noluit cohabitare ei volenti cohabitare sine cõtumelia Creatoris, quia, vt in sequenti quæsito videbimus, septem sunt casus, in quibus vir non potest ob causam fornicationis vxorem dimittere, quorum vnus est, & est tertius in ordine, quãdo vir mulieri dedit occasionem fornicandi, tenebitur ergo in tali casu eam recipere; aliàs potest excipere, idest si vir mulieri non dedit occasionem fornicandi, & fornicatur, potest illi opponere fornicationem, & propter eam petere diuortium, quia tunc occasionem fornicandi ei non præbuit; si postea habitent simul, matrimonium ratificatur, itaquòd vlterius nõ possit solui quoad vinculum, vt viro liceat aliam vxorem ducere, quamuis solui possit quantùm ad actum, idest quantùm ad redditionem debiti matrimonialis, quia ob aliam fornicationem poterit fieri diuortium quo ad thorum auctoritate Euangelica, & quo ad cohabitationem auctoritate Ecclesiæ, vt diximus supra.

Quæritur, in quibus casibus non liceat viro dimittere vxorem fornicantem.

10 Respondeo dicendum, quòd septem sunt casus, in quibus vir non potest ob causam fornicationis vxorem dimittere, primus casus quando ipsemet eam prostituit, secundus quando ipse cum alia fornicatus fuerit, tertius quando ipse ei occasionem fornicandi dedit, vt quia non vult reddere debitum, quartus quando ipsa credens probabiliter virum mortuum alteri nupsit, quintus quando violenter ab aliquo oppressa fuit, sextus quando sub specie viri ab altero cognita fuit, septimus quando fuit à viro post adulterium manifestè deprehensum nihilominus retenta. lect. 2. ca. 7. primæ ad Corinthios.

Septem esse casus, in quibus vir non potest ob causam fornicationis vxorem dimittere, docet D. Thomas hoc in loco, & omnia clara in littera.

Iam in superioribus diximus fornicationem esse causam celebrandi diuortium regulariter loquendo, sunt tamen septem casus, in quibus vir non potest dimittere vxorem, quorum primus est, quando vir prostituit vxorem. hic casus habetur cap. discretionem. de eo, qui cognoscit cõsanguineā vxoris suæ, ratio huius casus est, quia volenti non fit iniuria. & aduerte, quòd iste casus ampliatur ad eum maritum, qui potuit prohibere fornicationem, & noluit. secundus casus est, quando ipse cum alia fornicatus fuerit, iste casus habetur in cap. tua fraternitas, & cap. significasti. de diuortijs. ratio huius casus est, quia diuortium concessum est in pænam frangentis fidem, & in fauorem illam seruantis, cum ergo et vir fregerit fidem, non meretur diuortij fauorē; preterea paria delicta mutua compensatione delentur. tertius casus est, quando ipse ei occasionem fornicandi dedit, vt quia non vult reddere debitum. iste casus habetur. 33. q. 5. can. secundum verba. Sanchez lib. 10. d. 5. nu. 7. Coninchus d. 35.

d. 35. num. 7. Henriquez lib. 11. cap. 17. num. 4. Reginaldus lib. 31. num. 321. Gutierez cap. 129. num. 8. negant hunc casum, sed dum negant hũc casum, negant etiam canonem, secundum verba. ratio huius casus esse potest, quia Ecclesia multũ compatitur mulieri, quæ est ducibilis à concupiscentijs propter abundantiam humoris, & cum vir per negationem debiti sit causa fornicationis, ideò statuit, vt non possit dimittere vxorem fornicantem, si fornicationis ipse est causa: quartus casus est, quando ipsa credens probabiliter virum mortuum alteri nupsit. iste casus habetur can. cum per bellicam. 34. q. 2. ratio huius casus esse potest, quia tunc bona fides excusat ipsam à fornicatione, credebat enim priorem maritum esse mortuum propter longam eius absentiam, formaliter enim nõ est fornicatio, nec adest culpa, quintus casus est, quãdo violenter ab aliquo oppressa fuit. iste casus est D. Augustini lib. 2. de Ciuit. Dei, & refertur can. ita ne. & can. proposito. 32. q. 5. ratio huius casus est, quia etiam hic non interuenit culpa, sextus casus est, quando sub specie viri ab altero cognita fuit. iste casus est D. Augustini in lib. de fide, & operib⁹. can. si Virgo. Concilij Triburiensis can. in lectum. 34. q. 3. ratio huius casus est, quia etiam hic non interuenit culpa. septimus casus est, quando fuit à viro post adulterium manifestè deprehensum nihilominus retenta. iste casus habetur. 32. qu. 1. can. dixit Dominus. ratio huius casus est, quia per illam recõciliationem cessit iuri suo. circa quem casum obseruat Dominicus Sotus 4. sent. d. 36. q. vnica. art. 1. quòd debet tale adulterium esse cognitum à marito, quia si vxorem cognoscit, quã adulteram esse ignoret, non censetur eam sibi reconciliare, & ideò consultò in littera dicitur, post adulterium manifestè deprehensum. qui alia desiderat circa hos casus, legat nostra comentaria in verb. Diuortium cap. 2 q. 2.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 7. cap. 10. num. 5. Sanchez lib. 10. d. 5. num. 10. Coninchus disp. 35. num. 7. Reginaldus lib. 31. n. 321. & alij.

Quæritur, quomodo fornicator communicans se comparetur Iudæ osculanti Christum.

Respondeo dicendum sicut verbo, Cõmunio.

FVRTVM.

1 Ad rationem furti tria concurrunt.
Furtum est occulta acceptio rei alienæ.
§ Quid nominis furti exponitur.
Quid rei furti à D. Thoma positum explicatur, & defenditur.
Accipere vxorem, filiam alienã non est propriè furtum.
Accipere seruam alienam est propriè furtum, & quare.
Accipere vxorem, filiam in seruam pertinet ad captiuitatem.
Accipere supradictas personas ad horam pro concubitu, si eis inuitis fit raptus, est tantò grauior, quantò alter, scilicet maritus, pater, Dominus offenditur.
Si eis consentientibus, non est alia deformitas præter proprias luxuriæ species, nisi serua impediatur à seruitio Domini.
Accipere seruam alterius ad coitum non est furtũ, sicut nec coire cũ ea in domo Domini ipso inuito.
2 Furtum, & rapina distinguuntur specie.
§ Furtum, & rapina distinguũtur spetie ex obiectis, & quomodo.
3 Furtum quattuor modis committitur.
9 Explicantur modi, quibus committitur furtum.
4 Furti nomine prohibetur omnis turpis quæstus.
§ Quid intelligatur nomine turpis quæstus.
5 Furtum continetur sub fraude.
6 Furtum omne est peccatum.
§ Ex duplici capite furtum est peccatũ, & quomodo.
7 Furtum est peccatum mortale.
§ Filij Israel tollentes spolia ægiptiorum non peccauerunt, & quare.
Princeps, aut Iudex potest per sententiam præcipere alicui occultam acceptionem rei alienæ, & eius detentionem.
In hoc casu parendum est Principi, vel Iudici.
Si procedat Princeps, vel Iudex extra ordinem iuris, non est eis parendum.
In aliquo tamen casu liceret, & qui.
In bello publico liceret exequi iussa Principis præcipientis acceptionem rerum hostium.
Hoc tamen verum est, nisi iniustitia causæ esset manifesta.
8 Furtum dicitur non grãdis culpa in casu necessitatis, vel per comparationem ad adulterium.
9 Furtum rei minimæ non est peccatum mortale.
Furans minima animo nocendi proximo in talibus minimis potest esse peccatum mortale.
§ Ex triplici capite furtum potest esse peccatum veniale, & quæ.
Quare furtum rei minimæ est peccatum veniale.
Furtum rei minimæ est per se peccatum veniale, per accidens tamen potest esse mortale.
Surripiens multa minima animo continuandi in furtis peccat mortaliter.
Secus est, si hunc non habet animum.
Qui labantur in peccatum mortale ex animo perseuerandi in minutis furtis.
Qui intendit perseuerare in minutis furtis, postquam peruenit ad quantitatem constituentem peccatum mortale, non peccat nouo peccato, si perseueret in illa voluntate.
Secus si sit interpolata illa intentio.
Qui conueniunt in damnificando aliquem notabiliter, peccant mortaliter, licet singuli eorum minimum surripuerint.
Secus autem, si non conuenerunt, sed vnus non erat conscius alterius.
Recensentur opiniones variæ circa quantitatem constituentem furtum peccatum mortale.
Opinio Auctoris exprimitur.
10 Furari non dicitur ille, qui accipit alienum occultè, vel manifestè auctoritate Iudicis.

11 Fur-

11 *Furari non dicitur ille, qui apud se retinet gemmas, vel lapillos in littore maris inuentas.*
Inueniens thesaurum in agro alieno tenetur illius medietatem dare Domino agri.
Furari non dicitur ille, qui accipit res inuentas de propinquo in aliquibus bonis animo restituendi eas Domino, qui eas non habet pro derelictis.
Idem dicendum est, si pro derelictis habeantur, & hoc credatur ab inuentore.
Aliàs committitur furtum.
§ *Inueniens naufragorum bona tenetur eas Dominis restituere.*
Surripientes bona naufragorum inuenta in littore excomunicantur in Bulla Cœnæ Domini.
Nec aliquid operatur contra eam priuilegium, cõsuetudo &c.
Secundum Toletũ danda est Principi pars thesauri inuenti in agro proprio, si hoc præcipiant leges, quibus obediendum est.
Secundum Dominicum Sotum si dentur tales leges, nullam habent iustitiam.
Talibus legibus secundùm ipsum non esset parendum, & inuentor tuta conscientia potest frui toto thesauro.
Reijcitur Paludanus putans ex consuetudine thesauros omnes deberi Principi.
Princeps non potest exigere aliquid de thesauro inuento in agro ciuis, nisi in necessitate graui.
Quota thesauri inuenti in loco proprio Principis ei danda est.
Quinta pars metallorum obuenit Principi, et quare.
Aduertentia ad inuentorem thesauri.
Tenetur quis quærere Dominum rei, quæ habet dominum.
Quando non inuenitur Dominus, tunc res se habet, ac si careret domino.
Inuenta habentia dominum, sed non inuentum, danda sunt pauperibus ex æquitate.
Laudantur, qui appendunt capsulas, vt ibi incertæ restitutiones reponantur in vsus pauperum danda ab Episcopo.
Ex iustitia non tenetur inuentor dare pauperibus inuenta.
Ius naturæ, & Ius Gentium fauent inuentori, & vsus.
Non tenetur quis dare inuenta Domino, postquam iam sunt applicata pauperi, vel sibi.
12 *Qui rem suam depositam apud alium accipit, grauat depositarium, & peccat.*
Iste tenetur ad releuandum grauamen depositarij.
Si furtim accipiat rem suam apud alium iniustè detentam, peccat contra iustitiam communem.
Iste tenetur satisfacere Deo, & sedare scandalum, si aliquod ortum est.
Non tenetur tamen ad restitutionem, nec ad recompensationem.
§ *Quando quis potest alia bona via suum detentum apud depositarium, vel furem habere, occultè propria auctoritate non potest illum recipere.*
Potest quis rem suam apud alium detentam siue iustè, siue iniustè accipere occultè obseruatis quibusdam conditionibus.
Istæ conditiones explicantur.
Concurrentibus omnibus conditionibus licitum est accipere occultè suum apud depositarium, vel furem detentum, si in specie illud inueniat, aliter æquiualens.
Nec hoc est contra iustitiam, sed præter eam.
Nec in hoc casu aliquis facit sibi ius.
Non concurrentibus omnibus cõditionibus peccat, si occultè quis accipiat suum iustè, vel iniustè apud alium detentum.
Non tenetur tamen ad restitutionem.
13 *In casu necessitatis quando aliter aliquis non potest subueniri, potest sibi prouidere ex alienis rebus, siue occultè, siue manifestè sublatis.*
Hoc non erit furtum.
§ *In extrema necessitate omnia sunt communia.*
Surripiens aliena in extrema necessitate suo vtitur iure.
Implicat dicere licere furtũ in extrema necessitate.
Quid sit extrema necessitas, de qua loquitur D. Thomas.
In tali necessitate licet accipere aliena, si iste in eadem non sit necessitate.
Non licet fornicatio in extrema necessitate salutis corporis, & licet accipere aliena, & quare.
Accipere aliena in graui necessitate non licet.
Reijcitur Lessius in hoc.
Non licet mulieri ob pudicitiam conseruandam accipere aliena.
Licebit, si fiat animo restituendi, & aliter nõ possit vitari infamia.
Aliquis potest accipere aliena pro subueniẽdo proximo extremè patienti, si tamen accipiens non habeat aliquod propriũ, quo subueniat pauperi, secus, si habeat.
14 *In casu necessitatis alienum fit eius, qui patitur necessitatem.*
15 *In simili casu necessitatis licet alicui occultè accipere aliena, vt subueniat proximo.*
16 *Rapina est grauius peccatum furto.*
§ *Rapina periculum mortis offert raptori, sicut & latroni non suffragatur perfugium ad sacrum, similiter nec raptori.*
17 *Pro furto, quod non causat damnum irreparabile, non debetur pæna mortis.*
Furto grauato per circunstantiam debetur pæna mortis.
§ *Confutantur asserentes deberi furto simplici pænã mortis.*
Quæ pæna debeatur furto simplici.
Bartolus fatetur furtum simplex non esse morte puniendum.
Idem sancitum est per leges.

Quæritur, quid sit furtum.

1 RESpondeo dicendum, quòd ad rationem furti tria cõcurrunt, quorum primum conuenit sibi secundùm quòd contrariatur Iustitiæ, quæ vnicuique tribuit, quod suum est, & ex hoc competit ei, quòd vsurpat alienum, secundùm vero pertinet ad rationem furti, prout

tione ducitur in vsu diuersarum vestium, dũ cantant, & legunt ministri, multò magis in alijs; tãquam ergo rationi consona, & in ratione fundata hæc obseruentur, & non negligantur à plerisq;

FICTIO.

1 *Quid sit fictio.*
Quando fictio sit peccatum.
§ *Fictio quando est peccatum mortale, & quando veniale.*
2 *Fictio consequitur ad superbiam.*
§ *Quomodo intelligitur, quòd superbus sit fictor fortitudinis.*

Quæritur, an fictio sit speciale peccatum.

1 RESpondeo dicendum, quòd fictio propriè est, cum aliquis aliquid ostendit dicto, vel facto, quod nõ est in rei veritate, hoc autem contingit dupliciter, vno modo quando ex hac intentione aliquid dicitur, vel fit, vt aliud ostẽdatur, quàm rei veritas habet, & tunc fictio est speciale peccatum: alio modo quando aliquid ostenditur, quod rei veritas non habet dicto, vel facto, etiam si non propter hoc dicatur, vel fiat. 4. sent. d. 4. q. 3. art. 2. quæstiunc. 2. ad 1. (lect. 2. cap. 2. primæ ad Timotheum.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. fictio propriè est, cum aliquis aliquid ostendit dicto, vel facto, qđ non est in rei veritate. secunda conclusio. quando ex hac intentione aliquid dicitur, vel fit, vt aliud ostendatur, quàm rei veritas habet, tunc fictio est speciale peccatum. tertia cõclusio. fictio est, quando aliquid ostenditur, quàm rei veritas non habet, dicto, vel facto, etiam si non propter hoc dicatur, vel fiat.

Ad explicationem harum conclusionum scito, quòd tunc dicitur aliquis fictus verbo, quando verbo ostendit aliud, quàm habeat in corde, puta fingit se amicum alterius verbis, & ore, cum tamen corde prosequatur eum odio. tunc dicitur fictor opere, quando facto ostendit se aliud, quã in veritate sit, vt quando fingit exterius orare, cum tamẽ intendat furari, & hoc est mentiri verbo, vel facto. si ergo ex hac intentione aliquid dicitur, vel fit, vt aliud ostendatur, quàm rei veritas habet, sic fictio est peccatum speciale Virtuti Veritatis oppositum, vt dicit Arist. 4. eth. & potest esse peccatum mortale secundùm intẽtionem fingentis, & nocumentum sibi, vel proximo illatum, vt ait Armilla verb. fictio. num. 1. si enim ex tali fictione aliquis intenderet aliquod mortale, vel sibi nomen, ac famam acquireret, vt mẽdax reputaretur, & suis verbis, vel factis fides non adhiberetur, vel etiam ex fictione sua nocumentũ notabile proximo eueniret, profectò peccaret mortaliter. fictio etiam in sacramẽtis peccatum mortale est sacrilegij, quia fit iniuria notabilis sacramento, vt cum quis fingit confiteri, vel consecrare. potest etiam esse peccatum mortale ex intentione, & ratione nocumenti sibi, vel alteri illati, si enim ex tali fictione non intenderet nisi aliquid leue, & nocumentum, quod sibi, vel alijs euenit, paruum est, tunc erit veniale peccatum, sicut & mendacium iocosum, vel officiosum. aliquando fictio nullũ est peccatum, vt quãdo ordinatur ad aliquid significandum maximè vtile animæ, sicut quando Christus finxit se longius ire, quia tunc non est contra veritatem, sed est ad aliquid significandum. est etiam fictio, quando aliquid ostenditur, quod rei veritas non habet, dicto, vel facto, etiam si non propter hoc dicatur, vel fiat, & sic accipitur fictio in Baptismo, vel Confessione, quando non habent illa, quę requirunt, quicunque enim ad Baptismum accedit, ostendit se veteri vitæ abrenunciare, & nouam inchoare, vnde si voluntas adhuc in vetustate vitæ remaneat, aliud ostendit, quàm sit in rei veritate, & ideò est fictio, quæ tamen non est speciale peccatum, est tamen peccatum.

Quæritur, ad quod vitium consequitur fictio.

2 Respondeo dicendum, quòd fictio se habet ad superbiam consequenter, ex hoc enim quòd aliquis appetit excellentiam, consequitur, quòd talem exterius se exhibeat, vt apud alios aliquo modo excellat. q. 8. de malo. a. 3. ad 10.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. fictio se habet ad superbiam cõsequenter. probatur, quia ex hoc quòd aliquis appetit excellentiam, consequitur, quòd talem exterius se exhibeat, vt apud alios aliquo modo excellat.

Ista doctrina est explicatiua propositionis, quam Arist. tradit in 3. eth. nempe quòd superbus est fictor fortitudinis, idest fictio consequitur ad superbiam, quia ex hoc quòd aliquis per superbiam appetit excellentiam, consequitur, quòd talem exterius se fingat, vt apud alios excellat.

FIDES.

1 *Fidei non potest subesse falsum.*
§ *Quare D. Thomas non distinxit numerum articulorum fidei secundùm numerum Apostolorum.*
2 *Secundùm aliquos duodecim sunt articuli fidei, quorum sex pertinent ad Diuinitatem, & sex ad humanitatem Christi.*
In vniuerso articuli fidei sunt quattuordecim.
3 *Articuli fidei non creuerunt per temporum successionem quantùm ad substantiam.*
Numerus articulorum creuit quantùm ad explicationem.
§ *Error est in fide asserere, quòd post Apostolorum tempora Doctores Ecclesiæ, vel etiam ipsa Ecclesia plura credat de pertinentibus ad fidem,*

aut

aut explicatius, quàm Apostoli, & sacri scriptores Euangelicæ doctrinæ crediderint.

4 *Si ille, qui natus, & nutritus est in siluis, vel inter infideles, fecerit, quantùm in se est, de quærenda salute sua, Deus illi prouidebit, vel mittendo ei Diuinitus Prædicatorem, vel reuelando ei ea, quæ sunt necessaria ad salutem.*

Quæritur, an fidei possit subesse falsum.

1 RESpondeo dicendum, quòd ratio formalis obiecti fidei est veritas prima, vnde nihil potest cadere sub fide, nisi inquantùm stat sub veritate prima, sub qua nullum falsum stare potest, vnde relinquitur, quòd fidei non potest subesse aliquod falsum. 2. 2. quæst. 1. art. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. fidei non potest subesse aliquod falsum. probatur, nihil cadere potest sub fide, nisi inquantùm stat sub veritate prima, sed sub veritate prima nullum falsum stare potest, ergo fidei non potest subesse aliquod falsum.

Conclusio D. Thomæ confirmatur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 9. in fine; & ex Côcilio Lateranensi sub Leone decimo sess. 8. habetur, ita verum esse quodcunque sub fide continetur, vt omnis assertio contraria sit falsa, ac pro hæresi reprobata. ex minori propositione rationis, & discursus, quo probat S. Thomas conclusionem, habemus, non posse Deum mentiri, nec asserere falsum, quod confirmatur ex illo Num. 24. non est Deus quasi homo, vt mentiatur &c. legatur Dominicus Bannes hoc in loco.

Quæritur, quot, & qui sint articuli fidei.

2 Respondeo dicendum, quòd illa per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita æterna perfruimur, & per quæ ducemur ad vitam æternam, duo autem nobis videnda proponuntur, scilicet occultum Diuinitatis, cuius visio nos Beatos facit, & misterium humanitatis Christi, per quod in gloriam filiorum Dei accessum habemus, & ideò prima distinctio credibilium est, quòd quædam pertinent ad maiestatẽ Diuinitatis, quædam verò pertinent ad misterium humanitatis Christi, quod est pietatis Sacramentum: circa maiestatem autẽ Diuinitatis, tria nobis credenda proponuntur, primò quidẽ vnitas Diuinitatis, & adhoc pertinet primus articulus, secundò Diuinitas personarum, & de hoc sunt tres articuli secundùm tres personas, tertiò verò proponuntur nobis opera Diuinitatis propria, quorum primum pertinet ad esse creaturæ, & sic proponitur nobis articulus creationis, secundum vero pertinet ad esse gratiæ, & sic proponuntur nobis sub vno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam, tertiùm verò pertinet ad esse gloriæ, & sic proponitur nobis alius articulus de resurrectione carnis, & de vita æterna, & ita sunt septem articuli ad Diuinitatem pertinentes; similiter etiam circa Diuinitatem Christi ponũtur septem articuli, quorum primus est de incarnatione, siue de conceptione Christi, secundus de Natiuitate eius ex Virgine, tertius de Passione eius, & morte, & sepultura, quartus est de descensu ad inferos, quintus est de resurrectione, sextus de ascensione, septimus de aduentu ad iudicium, & sic in vniuerso sunt quattuordecim. quidam tamen distinguunt duodecim articulos fidei, sex pertinentes ad Diuinitatem, & sex pertinentes ad humanitatem, tres enim articulos trium personarum cõprehendunt sub vno, quia eadem est cognitio trium personarum, articulum vero de opere glorificationis distinguunt in duos scilicet resurrectionem carnis, & gloriam animæ, similiter articulum Conceptionis, & Natiuitatis coniungunt in vnũ. 2. 2. q. 1. a. 8. in corp.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. prima distinctio credibilium est, quòd quædam pertinent ad Maiestatem Diuinitatis, quædam ad misterium humanitatis Christi. probatur, illa per se pertinent ad fidem, quorũ visione in vita æterna perfruemur, & per quæ ducemur ad vitam æternam, sed duo nobis videnda proponuntur, scilicet occultum Diuinitatis, cuius visio nos Beatos facit, & misterium humanitatis Christi, per quod in gloriam filiorum Dei accessum habemus, vt dicitur ad Rom. 5. ergo prima distinctio &c. minor probatur ex illo Ioannis. 17. hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. secunda conclusio. Articuli fidei in vniuersum sunt quattuordecim, secundum quosdam tamẽ sunt duodecim. probatur prima pars, quia septem sunt circa Diuinitatem, & septẽ circa humanitatem, vt patet in littera. probatur secunda pars, quia tres articulos trium personarũ comprehendunt sub vno, quia eadem est cognitio trium personarum; articulum verò de opere glorificationis distinguunt in duos, scilicet resurrectionem carnis, & gloriam animæ; similiter articulũ conceptionis, & natiuitatis coniungunt in vnum.

Circa hanc doctrinam posset aliquis obijcere, quare D. Thomas articulos fidei non distinxit in duodecim iuxta numerum duodecim Apostolorum

lorum, quorum singuli singulos condidere articulos. sed faciliter respondetur cum Caietano hoc in loco, quòd D. Thomas ideò hanc distinctionem pretermisit, quia articulis fidei, quòd ab vno, vel à pluribus sint, accidit.

Quaritur, an numerus articulorum creuerit secundùm successionem temporum.

3 Respondeo dicendum, quòd ita se habent in doctrina fidei articuli fidei, sicut principia per se nota in doctrina, quæ per rationem naturalem habetur, in quibus principijs ordo quidam inuenitur, vt quædam in alijs implicitè contineantur, sicut omnia principia reducuntur adhoc, sicut ad primum, impossibile est simul affirmare, & negare, vt patet per phylosophum in 4. Metaph. & similiter omnes articuli implicitè cõtinentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet vt credatur Deum esse, & prouidentiam habere circa hominũ salutem, secundum illud Heb: 11. accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit, in esse enim Diuino includuntur omnia, quæ credimus, in Deo æternaliter existere, in quibus nostra Beatitudo existit, in fide autem prouidentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter à Deo dispẽsantur ad hominum salutem, quæ sunt via in Beatitudinẽ, & per hunc etiam modum aliorum subsistentium articulorum quidam in alijs continentur, sicut in fide redemptionis humanæ implicitè continentur & incarnatio Christi, & eius Passio, & omnia huiusmodi, sic ergo dicendum est, quòd quantùm ad substantiam articulorum fidei non est factum eorum augmentum per temporum successionem, quia quęcunque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licet implicitè, sed quantùm ad explicationem creuit numerus articulorum, quia quædam explicitè cognita sunt à posteribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè. 2.2.quæst.1.art.7. in corp.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. quantùm ad substantiam articulorum fidei non est factum eorũ augmentum per temporum successionem. probatur, quia quæcunque posteriores crediderunt, continebantur in fide pręcedentium Patrum, licet implicitè. secunda conclusio. quantum ad explicationem creuit numerus articulorum. probatur, quia quædam explicitè cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè, quod probatur auctoritate exodi 6. psal. 118. & Apostoli ad ephes. 3.

Occasione secundæ conclusionis disputat Dominicus Bannes, an successione temporis post Apostolorum tẽpora aliquid explicatius cognoscatur a fidelibus circa res fidei, quàm fuerit cognitum ab ipsis Apostolis, & concludit errorem esse in fide asserere, quòd post Apostolorum tẽpora Doctores Ecclesiæ, vel etiam ipsa Ecclesia plura credat de pertinentibus ad fidem, aut explicatius, quàm Apostoli, & sacri scriptores Euãgelicæ doctrinæ crediderint, quia illis dictum est à Christo, vt habemus Ioannis 15. vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. & Lucæ vlt. habemus, tunc aperuit illis sensum, vt intelligerẽt scripturas. & ad Rom. 8. dicit Paulus, nos ipsi primitias spiritus habentes, quem locum D. Thomas explicat de Apostolorum sanctitate, & doctrina. quã etiam veritatẽ tali corroborat ratione, quia Ecclesia nihil hactenus fidelibus credendum proposuit, vel diffiniuit, quod non contineretur in sacris litteris, aut Apostolicis traditionibus expressum, aut virtualiter contentum, itaut inde per euidentem consequentiam educeretur. quas regulas Cõcilium Tridentinum sess. 4. sibi obseruandas proposuit, & antecedentia Concilia secuta sunt. ex his sumitur argumentum tale, scripturas sacras perfectius intellexerunt Apostoli, & Euangelistæ, qui ipsarum expressam reuelationẽ habuerunt, traditiones vero per illorum manus tanquam Diuinum depositum suscepit Ecclesia, ergo nihil ad fidem pertinens post illorum tempora expressius creditum est, quàm ab ipsis Apostolis Spiritus Sãcti illustrationibus perfectis intellectum fuerit. Disputat etiam, an Apostoli hãc plenitudinem cognitionis statim post missionem Spiritus Sancti simul acceperint, an verò non omnium simul, quæ ad Euangelicam doctrinam pertinebant, expressam notitiam habuerint, sed in dies, & vt opportunitas postulabat, à Spiritu Sãcto eruditi fuerint. cuius decisionem legas tu in fonte, cum hæc ad Theologiam moralem parum proficiant.

Quaritur, an ille, qui est natus, & nutritus in siluis, vel inter infideles, saluabitur sine fide.

4 Respondeo dicendum, quòd si talis faceret, quod in se est de quærendo salutem, Deus illi prouidebit de salute sua, nunquã enim Deus homini quærenti suam salutem deest, vel defuit, nisi ex culpa sua remaneat, vnde explicatio eorum, quę sunt de necessitate salutis, vel diuinitus illi prouidebuntur per Prædicatorẽ fidei, sicut patet de Cornelio act. 10. vel per reuelationem, qua supposita in potestate libri arbitrij est, vt in actum fidei exeat. 3. sent. d. 25. q. 2. a. 1. quæstiunc. 1. ad 1. & 2. (2.2. quęstiunc. 2. in

2. in corp. (2. sent. d. 28. a. 4. ad 4. (d. 29. qu. 1. a. 2. ad 4. (qu. 14. de verit. a. 11. ad 1. & 2. (lect. 3. cap. 10. ad Romanos (lect. 3. q. 10. ad Hæbreos.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, ille, qui natus est, & nutritus in siluis, vel inter infideles, si faceret, quod in se est de quærendo salutem, Deus illi prouidebit de salute sua, probatur, quia nunquam Deus homini quærenti suam salutem deest, vel deficit, nisi ex culpa sua remaneat. hinc elicit corrolariũ, quòd explicatio eorum, quæ sunt de necessitate salutis, vel Diuinitus illi prouidebuntur per Prædicatores fidei, vt patet de Cornelio act. 10. vel per reuelationem, qua supposita in potestate liberi arbitrij est, vt in actum fidei exeat.

Non est necesse, vt immoremur hoc in loco, cum hæc doctrina abundè sit à nobis explicata in nostris Arcanis lib. 1. q. 87. ideò ad eum locũ lectorem remitto.

FORNICATIO.

1 *Vnde dicatur fornicatio.*
§ *Fornix quid significet.*
2 *Quid sit fornicatio.*
§ *Explicantur particula diffinitionis fornicationis.*
Concubitus cum soluta non baptizata est fornicatio simplex.
3 *In sacra scriptura per fornicationem idolatria, seu infidelitas significatur.*
§ *Quare idolatria, & infidelitas dicantur specialiter fornicationes.*
Sunt tantùm fornicationes metaphoricè.
Omne peccatũ mortale dicitur fornicatio, & quare.
4 *Fonicatio simplex est peccatum mortale.*
§ *Fornicatio simplex est illicita iure naturali.*
Fornicatio simplex est ex suo genere peccatum mortale, nec vnquam fuit licita.
Ita est peccatum mortale, quòd oppositum asserere pertinaciter est hæreticum.
Quomodo Oseas profeta accesisse dicatur ad fornicariam.
5 *Fornicatio est grauius peccatum, quàm peccata, quæ sunt contra bona exteriora.*
Fornicatio est minus peccatum, quàm peccata, quæ sunt directè contra Deum, & contra vitam hominis nati.
6 *Fornicatio simplex non est minimum peccatorum luxuriæ.*
§ *Accedere ad propriam vxorem ex libidine aliquando est peccatum veniale, aliquando mortale, & quomodo.*
7 *In simplici fornicatione plus peccat vir, quàm mulier.*
§ *Quod in simplici fornicatione simpliciter loquendo magis peccet vir, quàm mulier cæteris paribus, est verum regulariter, & non semper, & quare.*
In adulterio magis peccat mulier, quàm vir, simpliciter loquendo, & cæteris paribus, & quare.
Si consideremus id, quod est commune adulterio, & fornicationi, peccatum viri, & mulieris se habent vt excedentia, & excessa.
8 *Non potest vxor dare licentiam marito, vt fornicetur.*
9 *Quando vir non possit excipere contra vxorem de fornicatione, & quando possit.*
10 *Septem casus, in quibus non licet verò dimittere vxorem fornicantem.*
§ *Redditur ratio septem casuum, in quibus non licet viro dimittere vxorem ob fornicationem.*
Septimus casus explicatur à Dominico Soto.

Quæritur, vndè dicatur fornicatio.

1 RESpondeo dicendum, quòd dicitur fornicatio à fornice, quia iuxta fornices, idest arcus triumphales, & in alijs locis, vbi homines conueniebãt, congregabantur meretrices, & ibi polluebantur. 4. sent. d. 41. a. 4. quæstiunc. 1. in corp. (q. 15. de malo a. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quę est. dicitur fornicatio a fornice. probatur, quia iuxta fornices, idest arcus triumphales, & in alijs locis, vbi homines conueniebant, congregabantur meretrices, & ibi polluebantur.

Ex hoc loco habemus quid nominis fornicationis, dicitur ergo fornicatio à fornice, nomen autem, fornix, significat loca quædam concamerata ad modum arcus, quod alio nomine dicuntur lupanar, quibus in locis meretrices se prostituere solebant. quia ergo meretrices congregabantur iuxta fornices, idest arcus triumphales ad intuenda huiusmodi spectacula, vel in alijs locis, in quibus homines cõgregabantur, & se prostituebant, & polluebantur, ideò fornicatio, quę est cõcubitus illicitus hominis saluti cum soluta, dicitur fornicatio.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Toletus lib. 5. cap. 10. num. 1. Sairus lib. 8. clauis regiæ cap. 1. num. 1. & alij.

Quæritur, quid sit fornicatio.

2 Respondeo dicendum, quòd fornicatio est concubitus soluti cum soluta. qu. 15. de malo a. 3. in corp.

Quòd fornicatio sit concubitus soluti cum soluta, docet D. Thomas hoc in loco.

Post explicationem quid nominis fornicationis declarat quid rei dicens, quòd fornicatio est concubitus soluti cum soluta. dicitur ergo fornicatio concubitus, idest humanus, quia concubitus animalium non est fornicatio. vlterius intelligitur, quòd sit concubitus humanus illicitus, idest cum peccato, quia non quilibet concubitus humanus est fornicatio, sed tantùm ille, qui est cum peccato; rursus debet esse concubitus simplex, qui scilicet fit absque omni alia deformitate, ad differentiam aliarum specierum luxuriæ, quæ addunt deformitatem aliquam supra forni-

cationem; dicitur etiam cõcubitus soluti, scilicet illius, qui est solutus à vinculo coniugali, consanguinitatis, affinitatis, voti continentiæ, Religionis, Ordinis sacri; dicitur præterea concubitus soluti cum soluta, idest cũ ea, quæ amisit Virginitatem, & soluta est à vinculo coniugali, consanguinitatis, affinitatis, voti continentiæ, Religionis, si enim alter esset vinctus aliquo prædictorum vinculorum, non esset simplex fornicatio. & aduerte, quòd licet mulier soluta non esset baptizata, concubitus tamen cum ea esset simplex fornicatio, sicut si esset matrimonio iuncta, esset adulterium, penes enim esse solutam, vel maritatam, vel cõsanguineam, vel Virginem, vel Deo consecratam distinguuntur species luxuriæ, & non penes non esse baptizatam, vel baptizatam esse, quod non obseruans Summa Corona oppositum docuit.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 5. cap. 10. n. 13. Sairus lib. 8. clauis regiæ cap. 2. nu. 1. & alij.

Quæritur, quid in sacra scriptura significetur per fornicationem.

3 Respondeo dicendum, quòd in sacra scriptura specialiter per fornicationem idolatria, & infidelitas designantur, sed alia peccata magis remota significatione dicuntur spirituales fornicationes. 4. sent. d. 39. artic. 6. ad 2. (2. 2. quæst. 154. artic. 2. in corp.

In hoc loco D. Thomas ostendit, quòd in sacra scriptura specialiter per fornicationem idolatria, & infidelitas designantur, sed alia peccata magis remota significatione dicuntur spirituales fornicationes.

Pro explicatione huius doctrinæ obserua, qd ideò in sacra scriptura per fornicationem intelligitur specialiter idolatria, & infidelitas, quia prima coniunctio animæ ad Deum est per fidem, per quam anima quasi desponsatur Deo, vt patet Oseæ 2. sponsabo te mihi in fide, per idolatriam autem, & infidelitatem amittitur fides, & ideò idolatria, & infidelitas specialiter dicuntur fornicationes in sacra scriptura; sunt tamen fornicationes metaphoricè, quia etiam per alias Virtutes homo coniungitur Deo, licet non primò ideò etiam peccata illis Virtutibus opposita, quibus homo elongatur à Deo, dicuntur spirituales fornicationes, magis tamen remota significatione; dicuntur, inquam, spirituales fornicationes, idest metaphoricè, inquantum scilicet omnis actus, qui est peccatum mortale, dicitur fornicatio, quia per peccatum mortale quis recedit à Deo legitimo sponso animæ. psalm. 72. perdidisti omnes, qui fornicantur abste. Oseæ. 2. auferat fornicationes suas à facie sua &c.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Sairus lib. 8. clauis regiæ cap. 2. nu. 1.

Quæritur, an fornicatio simplex sit peccatum mortale.

4 Respondeo dicendum, quòd absque omni dubio tenendum est, quòd fornicatio simplex sit peccatum mortale, non obstante quòd Deut. 23. super illud non erit meretrix &c. dicit glosa, ad eas prohibet accedere, quarum est venialis turpitudo, non enim debet dici venialis, sed venalis, quod est proprium meretricum. Ad huius autem euidentiam considerandum est, & peccatum mortale est omne peccatũ, quod committitur directè contra vitam hominis, fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ eius, qui est ex tali concubitu nasciturus; videmus enim in omnib⁹ animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris, & fæminæ, quòd in eis non est vagus concubitus, sed maris ad certam fæminam vnam, vel plures, sicut patet in omnibus auibus, secus autem in animalibus, in quibus sola fæmina sufficit ad educationem fætus, in quibus est vagus cõcubitus, vt patet in canibus, & huiusmodi alijs animalibus, manifestum est autem, quòd ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, à qua nutritur, sed multò magis cura Patris, à quo est instruendus, & defendendus, & in bonis, tàm interioribus, quàm exterioribus promouendus, & ideò contra naturam hominis est, quòd vtatur vago concubitu, sed oportet, quòd sit maris ad determinatam fæminam, cum quo permaneat non per modicum tempus, sed diu, vel etiam per totam vitam, & inde est, quòd naturaliter est maribus in specie humana sollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis, hæc autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus; hæc autem determinatio certæ fæminæ matrimonium vocatur, & ideò dicitur esse de iure naturali, sed quia concubitus ordinatur ad bonum commune totius humani generis, bona autem communia cadunt sub determinatione legis, consequens est, quòd ista cõiunctio maris ad fæminam quæ matrimonium dicitur, lege aliqua determinetur, vnde cum fornicatio sit concubitus vagus, vt potè præter matrimonium existens, est contra bonum prolis educandæ, & ideò est peccatum mortale: nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens

suffi-

sufficiēter prouideat proli de educatione, quia id, quod cadit sub legis determinatione iudicatur secundùm id, quod communiter accidit, & non secundùm id, quod in aliquo casu potest accidere. 2.2.qu.154. art. 2. in corp.

Duo facit D. Thomas in hoc quæsito, primò vnica conclusione respondet, secūdò soluit obiectionem. quoad primum conclusio est. absque omni dubio tenendum est, quòd fornicatio simplex est peccatum mortale. probatur, peccatum mortale est omne peccatum, quod committitur directè contra vitam hominis nascituri, sed fornicatio est directè contra vitam hominis nascituri, ergo &c. minor probatur dupliciter, primò à simili de animalibus, secūdò à naturali sollicitudine mariti de certitudine prolis. omnia patent in littera, quo ad secundum est obiectio talis. aliquis fornicādo aliquam cognoscens sufficienter potest prouidere proli de educatiōne, ergo talis fornicatio non erit contra bonū prolis educandæ, ergo non erit peccatum mortale. respondet, quòd id, quod cadit sub legis determinatione, iudicatur secundùm id, quod communiter accedit, & non secundùm id, quod in aliquo casu potest accidere, cōcubitus autem ordinatur ad bonum commune totius humani generis, bona autem communia sub determinatione legis cadunt, & consequenter &c.

Conclusionem D. Thomæ docent D. Antoninus p.2. tit. 5. cap. 2. §. 2. Siluester verb. luxuria. q. 3. Tabiena verb. fornicatio. num. 2. Caietanus in summula verb. fornicatio, & hoc in loco, vbi etiam defendit discursum D. Thomæ cōtra Martinum de Magistris, Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 3. artic. 3. Bartolomeus Medina lib. 1. instruct. Confess. cap. 13. §. 18. Ludouicus Lopez p. p. instruct. consci. cap. 73. Nauarrus in manuali cap. 16. num. 1. Armilla verb. fornicatio. num. 1. pro cuius explicatione obserua, quod fornicatio nedum est mala, quia prohibita iure Diuino, sed etiam quia est iure naturali illicita, vt expresse S. Antoninus, Siluester, Caietanus, Dominicus Sotus, Bartolomeus Medina locis citatis asserunt, & ad hoc etiā tendit ratio D. Thomæ in littera, immò idem Sotus eodem loco ait, quòd dicere, fornicationem non esse contra ius naturæ, error est hæresi proximus, quia inde sequitur, Gentibus ante legem scriptam non fuisse delictum. ex quo sequitur, quòd nullus excusatur à fornicatione ob ignorantiam, cum sit naturale præceptum, in quo locum non habet ignorantia, vt expressè docet Siluester loco citato, vnde inexcusabiles erant Gentiles, qui putauerūt fornicationem simplicem esse licitam. dicamus ergo fornicationem esse illicitam, & esse peccatū mortale ex genere suo, itaquòd nunquam licuit fornicari, & ita est peccatum mortale, vt oppositum pertinaciter asserere sit hæreticum, vt diffinitum est in Clement. ad nostrum. de hæreticis. omnis fornicator non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei. ad ephesios. 5. quòd autem sit peccatum mortale, probat ratio D. Thomæ, cuius summa est, quia fornicatio est contra finem, propter quem Deus concessit humanum cōcubitum, qui finis non solum est multiplicatio filiorum, sed etiam eorumdem educatio, quæ fieri non potest, nisi certum, & determinatum Patrem habeant, quod per matrimonium fit, in fornicatione autem non est pater determinatus; & hoc est adeò naturæ congruum, vt inter bruta etiam hoc obseruetur, illa enim bruta, quorum filij masculorum opera egent ad educationem, determinatè cum vna commiscentur. legatur D. Thomas lect. 2. super cap. 7. primæ ad Corinthios. nec huic veritati obstat, quod Deus præcepit Oseæ, vt sibi sumeret vxorem fornicariam, vt legitur Oseæ. 1. quia D. Hieronimus ait, quòd propheta assumpsit eam, quæ erat antea fornicaria, & de impudica fecit eam castam, quòd vtiq; licet, & maximè laudabile est, sicut laudatur ille homo, qui duceret in vxorem aliquam meretricem, quæ iuncta matrimonio honestè viuit. Liranus etiam ait, quòd illa mulier, quam propheta de mandato Domini accepit in vxorem, fuit fornicaria spiritualiter, ob scilicet idolatriam, quam supradiximus speciali ratione dici fornicationem, quia erat mulier gentilis. D. Thomas hoc in loco ad 1. egregiè, vt sui moris est, respondet dicens, quòd fornicatio dicitur esse peccatum, inquantum est contra rationem rectam, ratio autem hominis recta est, secundùm quòd regulatur voluntate Diuina, quæ est prima, & simplex regula, & ideò quòd homo faciat ex voluntate Dei eius præcepto obediens, non est contra rationem rectam, quamuis videatur esse contra communem ordinem rationis, sicut etiam non est contra naturam, quod miraculosè fit virtute Diuina, quamuis sit cōtra communem cursum naturæ, & ideò sicut Abraam nō peccauit filium innocentē volendo occidere propter hoc, quòd obediuit Deo, quamuis hoc secūdùm se consideratum sit communiter contra rectitudinem rationis humanæ, ita etiam Oseæ nō peccauit fornicando ex præcepto Diuino, nec talis concubit* propriè fornicatio debet dici, quāuis fornicatio nominetur referendo ad cursum cōmunem. verùm de hoc aliàs diffusè diximus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Emanuel Sà in Aphorismis verb. luxuria. Toletus lib. 5. cap. 10. num. 5. 6. 7. Valentia tom. 3. disp. 9. quæst. 3. p. 3. Graffius p. p. lib. 2. cap. 7. Sairus lib. 8. clauis regiæ cap. 2. num. 3. 6. & alij.

Quæritur, an fornicatio sit grauissimum peccatum.

5 Respondeo dicendum, quòd grauitas alicuius peccati potest attendi dupliciter, vno modo secundùm se, alio modo secundùm accidens, secundùm se quidem attenditur grauitas peccati ex ratione suæ speciei, quæ consideratur secundùm bonum, cui peccatum opponitur, fornicatio autem est contra bonū hominis nascituri, & ideò

est grauius peccatum secundùm speciem suam peccatis, quæ sunt contra bona exteriora, sicut est furtum, & alia huiusmodi; minus est autem peccatis, quæ sunt directè contra Deum, & peccato, quod est contra vitam hominis iam nati, sicut est homicidium. 2.2.q.154.a.3. in corp.

Duplici cõclusione respondet D.Thomas huic quæsito data distinctione, quæ est. grauitas alicuius peccati potest attendi dupliciter, vno modo secundum se, alio modo secundùm accidens. prima conclusio. fornicatio est grauius peccatũ secundùm speciem suam peccatis, quæ sunt cõtra bona exteriora, vt furtum &c. probatur, quia fornicatio secundùm se est contra bonum hominis nascituri, quod bonum exterioribus præponderat. secunda conclusio. fornicatio est peccatum minus peccatis, quæ sunt directè contra Deum, & peccato, quod est contra vitam hominis iam nati. probatur, quia secundùm se attẽditur grauitas peccati ex ratione suæ speciei, quæ consideratur secũdùm bonum, cui peccatum opponitur, sed Deus est maximum bonum, & vita hominis nati est maius bonum, quàm vita hominis nascituri, ergo peccata, quæ sunt contra Deum, & vitam hominis nati erũt maiora fornicatione &c.

Contra primam conclusionem, & eius rationem multipliciter arguit Martinus de Magistris, quæ cum egregiè soluantur à Caietano, ideò lectorem ad eum remitto, ne eadem inutiliter repetamus.

Quæritur, an fornicatio sit minimum peccatorum luxuriæ.

6 Respondeo dicendum, quòd fornicatio non est minimum peccatorum, quæ sub luxuria continentur, minus enim est concubitus cum vxore, qui fit ex libidine. 2.2.q. 154.art.2. ad 6.

Vnica conclusione respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. fornicatio nõ est minimum peccatorum, quæ sub luxuria continentur. probatur, quia minus est concubitus cum vxore, qui fit ex libidine.

Ex hoc loco habemus accessum ad propriam vxorem ex sola libidine esse peccatum, quod aliquando erit veniale, vt cum quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur, quæ tamen infra limites Matrimonij sistit, vt scilicet cũ sola vxore sit contentus; quandoq; est culpa mortalis, puta cum concupiscentia fertur extra limites Matrimonij, scilicet cum aliquis accedit ad vxorem æquè libenter, vel libentius ad aliam accessurus. sic D. Thomas lect. 2. super cap. 7. primæ ad Corinth. si tamen quis accederet ad vxorem propriam in remedium concupiscentiæ, nullũ intercederet peccatum, quia hic etiam est finis Matrimonij.

Quæritur, an in fornicatione magis peccet vir, quàm mulier.

7 Respondeo dicendum, quòd simpliciter loquendo cæteris paribus vir in simplici fornicatione plus peccat, quã mulier, quia habet plus de rationis bono, qđ prævalet quibuslibus motibus corporalium passionum. 4. sent. d.35.q.1.a.4. ad 5.

Conclusione vnica respondet D.Thomas huic quæsito, quæ est. simpliciter loquẽdo cæteris paribus vir in simplici fornicatione plus peccat, quàm mulier. probatur, quia habet plus de rationis bono, quod prævalet quibuslibet motibus corporalium passionum.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua, ꝙ quando D.Thomas ait virum, simpliciter loquẽdo, cæteris paribus, grauius peccare, quàm fœminam in fornicatione simplici, verum est regulariter, & vt plurimum, quia regulariter, & vt plurimum vir magis pollet ingenio, & ratione, quàm fœmina, attamen aliquando fœmina poterit in fornicatione simplici magis peccare, quàm vir, puta quando fœmina plus vigeret ingenio, quàm vir, vt notat Toletus lib.5. cap.10. num.8. Sairus lib. 8. clauis regiæ cap. 2. num.7. è contra simpliciter loquendo mulier magis peccat in adulterio, quàm vir cæteris paribus, quia plura damna facit, nã fœmina adultera supponit filios adulterij, qui damnum inferunt legitimis, qui multoties hæreditate sibi debita priuantur, quod non contingit in viro, in quo apertè cognoscuntur filij adulterij, vt ait Paludanus 4. sent. d. 35. q.1. artic. 5. concl.4. & 5. Siluester verb. luxuria. q. 3. vers. tertium. si tamen consideremus id, ꝙ est commune adulterio, & fornicationi, peccatũ viri, & mulieris se habent vt excedentia, & excessa, quia in muliere est plus de humore, & ideò sunt magis ducibiles mulieres à cõcupiscentijs; sed in viro plus de calore, qui concupiscentiam excitat. sic docet D. Thomas 4. sentent. dist. 35. artic. 4. ad 5.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 5. cap. 10. nu.8. Sairus lib.8. clauis regiæ. cap. 2. nu.7.

Quæritur, an vxor possit dare licentiam marito, vt fornicetur.

8 Respondeo dicendum, quòd mulier habet potestatem in corpore viri non simpliciter quantùm ad omnia, sed solùm quantùm ad matrimonij vsum, & ideò non potest contra matrimonij bonum corpus viri alteri præbere. 4. sent. d. 33. quæst.1. art.3. quæstiunc.1. ad 6.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. vxor non potest contra Matrimonij bonum corpus viri alteri prebere. probatur, quia mulier habet potestatem in corpore viri non

non simpliciter quantùm ad omnia, sed solum quantum ad Matrimonij vsum.

Ad explicationem huius doctrinæ nota, quòd sicut Dominus licet habeat potestatem in Ancillam, non tamen habet in eam ita potestatem, vt ea abuti possit ad copulam, sed tãtùm ad opera seruilia domestica domus, ad quæ est assumpta; ita mulier licet habeat potestatem super corpus viri sui, non potest tamen prebere corpus illius alteri ad concubitum fornicariũ, vel adulterinum, vel incæstuosum, vel sacrilegum, quia potestas illa super corpus viri non est ad omnia, sed tantùm ad vsum matrimonij. idem dic de viro respectu corporis vxoris.

Quæritur, an vir possit excipere contra vxorem de fornicatione, si dedit ei occasionem fornicandi.

9 Respondeo dicendum, quòd si mulier conuersa repetat virum suum conuersum, vir nõ potest excipere contra eam de fornicatione prius commissa, si ipse occasionẽ fornicationis dedit, puta noluit cohabitare ei violenti cohabitare sine contumelia Creationis, aliàs potest excipere, & tamen ratificatur matrimonium, ita quòd vlterius non possit solui quantùm ad vinculum, vt viro liceat aliam vxorem ducere, quamuis possit solui quantùm ad vsum. 4.sent.d.39.in expositione litteræ. (lect.2. cap.7.primæ ad Corinth.

Duplici cõclusione respondet D.Thomas huic quæsito, quarum prima est. si mulier conuersa repetat virum suum cõuersum, vir non potest excipere contra eam de fornicatione prius commissa, si ipse occasionem de fornicatione dedit, pùta si noluit cohabitare ei volenti cohabitare sine contumelia Creatoris. secunda conclusio. aliàs potest excipere, & tamen ratificatur matrimonium, ita quòd vlterius non possit solui quantùm ad vinculum, vt viro liceat vxorẽ ducere, quãuis possit solui quantùm ad vsum.

Ad explicationem litteræ huius difficilis obserua, quòd ista doctrina est resolutio casus sequentis. est matrimonium inter virum, & mulierem infideles, conuertitur vir, mulier non conuertitur, interim dum manet in infidelitate, fornicatur, post fornicationem conuertitur, vel vult conuerti, & vult habitare cum marito, quæritur, an vir, teneatur eã recipere. respondet D. Thomas, quòd si mulier conuersa repetat virum suũ conuersum, non potest vir excipere contra eam de fornicatione prius commissa, idest non potest ei opponere fornicationem commissam, dum in infidelitate manebat, vt ob talem fornicationẽ velit diuortium quo ad cohabitationẽ celebrari, si ipse occasionem fornicationis dedit, puta si noluit cohabitare ei volenti cohabitare sine cõtumelia Creatoris, quia, vt in sequenti quæsito videbimus, septem sunt casus, in quibus vir non potest ob causam fornicationis vxorem dimittere, quorum vnus est, & est tertius in ordine, quãdo vir mulieri dedit occasionem fornicandi, tenebitur ergo in tali casu eam recipere; alias potest excipere, idest si vir mulieri non dedit occasionem fornicandi, & fornicatur, potest illi opponere fornicationem, & propter eam petere diuortium, quia tunc occasionem fornicandi ei non præbuit; si postea habitent simul, matrimonium ratificatur, itaquòd vlterius nõ possit solui quoad vinculum, vt viro liceat aliam vxorem ducere, quamuis solui possit quantùm ad actum, idest quantùm ad redditionem debiti matrimonialis, quia ob aliam fornicationem poterit fieri diuortium quo ad thorum auctoritate Euangelica, & quo ad cohabitationem auctoritate Ecclesiæ, vt diximus supra.

Quæritur, in quibus casibus non liceat viro dimittere vxorem fornicantem.

10 Respondeo dicendum, quòd septem sunt casus, in quibus vir non potest ob causam fornicationis vxorem dimittere, primus casus quando ipsemet eam prostituit, secundus quando ipse cum alia fornicatus fuerit, tertius quando ipse ei occasionem fornicandi dedit, vt quia non vult reddere debitum, quartus quando ipsa credens probabiliter virum mortuum alteri nupsit, quintus quando violenter ab aliquo oppressa fuit, sextus quando sub specie viri ab altero cognita fuit, septimus quando fuit à viro post adulterium manifestè deprehensum nihilominus retenta. lect.2.ca. 7. primæ ad Corinthios.

Septem esse casus, in quibus vir non potest ob causam fornicationis vxorem dimittere, docet D.Thomas hoc in loco, & omnia clara in littera.

Iam in superioribus diximus fornicationem esse causam celebrandi diuortium regulariter loquendo, sunt tamen septem casus, in quibus vir non potest dimittere vxorem, quorum primus est, quando vir prostituit vxorem. hic casus habetur cap. discretionem. de eo, qui cognoscit cõsanguineã vxoris suæ. ratio huius casus est, quia volenti non fit iniuria. & aduerte, quòd iste casus ampliatur ad eum maritum, qui potuit prohibere fornicationem, & noluit. secundus casus est, quando ipse cum alia fornicatus fuerit. iste casus habetur in cap. tua fraternitas, & cap. significasti. de diuortijs. ratio huius casus est, quia diuortium concessum est in pænam frangentis fidem, & in fauorem illam seruantis, cum ergo et vir fregerit fidem, non meretur diuortij fauorẽ; preterea paria delicta mutua compensatione delentur. tertius casus est, quando ipse ei occasionem fornicandi dedit, vt quia non vult reddere debitum. iste casus habetur. 33. q.5. can. secundum verba. Sanchez lib.10.d. 5. nu.7. Coninchus d.35.

d. 35. num. 7. Henriquez lib. 11. cap. 17. num. 4. Reginaldus lib. 31. num. 321. Gutierez cap. 129. num. 8. negant hunc casum, sed dùm negant hūc casum, negant etiam canonem], secundum verba. ratio huius casus esse potest, quia Ecclesia multū compatitur mulieri, quæ est ducibilis à concupiscentijs propter abundantiam humoris, & cum vir per negationem debiti sit causa fornicationis, ideò statuit, vt non possit dimittere vxorem fornicantem, si fornicationis ipse est causa. quartus casus est, quando ipsa credens probabiliter virum mortuum alteri nupsit. [iste casus habetur can. cum per bellicam. 34. q. 2. ratio huius casus esse potest, quia tunc bona fides excusat ipsam à fornicatione, credebat enim priorem maritum esse mortuum propter longam eius absentiam, formaliter enim nō est fornicatio, nec adest culpa. quintus casus est, quādo violenter ab aliquo oppressa fuit. iste casus est D. Augustini lib. 2. de Ciuit. Dei, & refertur can. ita ne. & can. proposito. 32. q. 5. ratio huius casus est, quia etiam hic non interuenit culpa, sextus casus est, quando sub specie viri ab altero cognita fuit. iste casus est D. Augustini in lib. de fide, & operib. can. si Virgo. Concilij Triburiensis can. in lectum. 34. q. 3. ratio huius casus est, quia etiam hic non interuenit culpa. septimus casus est, quando fuit à viro post adulterium manifestè deprehensum nihilominus retenta. iste casus habetur. 32. qu. 1. can. dixit Dominus. ratio huius casus est, quia per illam recōciliationem cessit iuri suo. circa quem casum obseruat Dominicus Sotus 4. sent. d. 36. q. vnica. art. 1. quòd debet tale adulterium esse cognitum à marito, quia si vxorem cognoscit, quā adulteram esse ignoret, non censetur eam sibi reconciliare, & ideò consultò in littera dicitur, post adulterium manifestè deprehensum. qui alia desiderat circa hos casus, legat nostra comentaria in verb. Diuortium cap. 2 q. 2.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 7. cap. 10. num. 5. Sanchez lib. 10. d. 5. num. 10. Coninchus disp. 35. num. 7. Reginaldus lib. 31. n. 321. & alij.

Quæritur, quomodo fornicator communicans se comparetur Iudæ osculanti Christum.

Respondeo dicendum sicut verbo, Cōmunio.

FVRTVM.

1 *Ad rationem furti tria concurrunt.*
Furtum est occulta acceptio rei alienæ.
§ *Quid nominis furti exponitur.*
Quid rei furti à D. Thoma positum explicatur, & defenditur.
Accipere vxorem, filiam alienā, non est propriè furtum.
Accipere seruam alienam est propriè furtum, & quare.
Accipere vxorem, filiam in seruam pertinet ad captiuitatem.
Accipere supradictas personas ad horam pro concubitu, si eis inuitis fit raptus, est tantò grauior, quantò alter, scilicet maritus, pater, Dominus offenditur.
Si eis consentientibus, non est alia deformitas præter proprias luxuriæ species, nisi serua impediatur à seruitio Domini.
Accipere seruam alterius ad coitum non est furtū, sicut nec coire cū ea in domo Domini ipso inuito.
2 *Furtum, & rapina distinguuntur specie.*
§ *Furtum, & rapina distinguūtur spetie ex obiectis, & quomodo.*
3 *Furtum quattuor modis committitur.*
§ *Explicantur modi, quibus committitur furtum.*
4 *Furti nomine prohibetur omnis turpis quæstus.*
§ *Quid intelligatur nomine turpis quæstus.*
5 *Furtum continetur sub fraude.*
6 *Furtum omne est peccatum.*
§ *Ex duplici capite furtum est peccatū, & quomodo.*
7 *Furtum est peccatum mortale.*
§ *Filij Israel tollentes spolia ægiptiorum non peccauerunt, & quare.*
Princeps, aut Iudex potest per sententiam præcipere alicui occultam acceptionem rei alienæ, & eius detentionem.
In hoc casu parendum est Principi, vel Iudici.
Si procedat Princeps, vel Iudex extra ordinem iuris, non est eis parendum.
In aliquo tamen casu liceret, & qui.
In bello publico liceret exequi iussa Principis præcipientis acceptionem rerum hostium.
Hoc tamen verum est, nisi iniustitia causæ esset manifesta.
8 *Furtum dicitur non grādis culpa in casu necessitatis, vel per comparationem ad adulterium.*
9 *Furtum rei minimæ non est peccatum mortale.*
Furans minima animo nocendi proximo in talibus minimis potest esse peccatum mortale.
§ *Ex triplici capite furtum potest esse peccatum veniale, & qua.*
Quare furtum rei minimæ est peccatum veniale.
Furtum rei minimæ est per se peccatum veniale, per accidens tamen potest esse mortale.
Surripiens multa minima animo continuandi in furtis peccat mortaliter.
Secus est, si hunc non habet animum.
Qui labantur in peccatum mortale ex animo perseuerandi in minutis furtis.
Qui intendit perseuerare in minutis furtis, postquam peruenit ad quantitatem constituentem peccatum mortale, non peccat nouo peccato, si perseueret in illa voluntate.
Secus si sit interpolata illa intentio.
Qui conueniunt in damnificando aliquem notabiliter, peccant mortaliter, licet singuli eorum minimum surripuerint.
Secus autem, si non conuenerunt, sed vnus non erat conscius alterius.
Recensentur opiniones variæ circa quantitatem constituentem furtum peccatum mortale.
Opinio Auctoris exprimitur.
10 *Furari non dicitur ille, qui accipit alienum occultè, vel manifestè auctoritate Iudicis.*

11 Fur-

11 Fur non dicitur ille, qui apud se retinet gemmas, vel lapillos in littore maris inuentas.
Inueniens thesaurum in agro alieno tenetur illius medietatem dare Domino agri.
Furari non dicitur ille, qui accipit res inuentas de propinquo in aliquibus bonis animo restituendi eas Domino, qui eas non habet pro derelictis.
Idem dicendum est, si pro derelictis habeantur, & hoc credatur ab inuentore.
Aliàs committitur furtum.
§ Inueniens naufragorum bona tenetur eas Dominis restituere.
Surripientes bona naufragorum inuenta in littore excommunicantur in Bulla Cænæ Domini.
Nec aliquid operatur contra eam priuilegium, cõsuetudo &c.
Secundum Toletũ danda est Principi pars thesauri inuenti in agro proprio, si hoc præcipiant leges, quibus obediendum est.
Secundum Dominicum Sotum si dentur tales leges, nullam habent iustitiam.
Talibus legibus secundùm ipsum non esset parendum, & inuentor tuta conscientia potest frui toto thesauro.
Reijcitur Paludanus putans ex consuetudine thesauros omnes deberi Principi.
Princeps non potest exigere aliquid de thesauro inuento in agro suo, nisi in necessitate graui.
Quota thesauri inuenti in loco proprio Principis ei danda est.
Quinta pars metallorum obuenit Principi, et quare.
Aduertentia ad inuentorem thesauri.
Tenetur quis quærere Dominum rei, quæ habet dominum.
Quando non inuenitur Dominus, tunc res se habet, ac si careret domino.
Inuenta habentia dominum, sed non inuentum, danda sunt pauperibus ex æquitate.
Laudantur, qui appendunt capsulas, vt ibi incertæ restitutiones reponantur in vsus pauperum dandæ ab Episcopo.
Ex iustitia non tenetur inuentor dare pauperibus inuenta.
Ius naturæ, & Ius Gentium fauent inuentori, & vsus.
Non tenetur quis dare inuenta Domino, postquam iam sunt applicata pauperi, vel sibi.
12 Qui rem suam depositam apud alium accipit, grauat depositarium, & peccat.
Iste tenetur ad releuandum grauamen depositarij.
Si furtim accipiat rem suam apud alium iniustè detentam, peccat contra iustitiam communem.
Iste tenetur satisfacere Deo, & sedare scandalum, si aliquod ortum est.
Non tenetur tamen ad restitutionem, nec ad recompensationem.
§ Quando quis potest alia bona via suum detentum apud depositarium, vel furem habere, occultè propria auctoritate non potest illum recipere.
Potest quis rem suam apud alium detentam siue iustè, siue iniustè accipere occultè obseruatis quibusdam conditionibus.
Istæ conditiones explicantur.
Concurrentibus omnibus conditionibus licitum est accipere occultè suum apud depositarium, vel furem detentum, si in specie illud inueniat, aliter æquiualens.
Nec hoc est contra iustitiam, sed præter eam.
Nec in hoc casu aliquis facit sibi ius.
Non concurrentibus omnibus cõditionibus peccat, si occultè quis accipiat suum iustè, vel iniustè apud alium detentum.
Non tenetur tamen ad restitutionem.
13 In casu necessitatis quando aliter aliquis non potest subueniri, potest sibi prouidere ex alienis rebus, siue occultè, siue manifestè sublatis.
Hoc non erit furtum.
§ In extrema necessitate omnia sunt communia.
Surripiens aliena in extrema necessitate suo vtitur iure.
Implicat dicere licere furtũ in extrema necessitate.
Quid sit extrema necessitas, de qua loquitur D. Thomas.
In tali necessitate licet accipere aliena, si iste in eadem non sit necessitate.
Non licet fornicatio in extrema necessitate salutis corporis, & licet accipere aliena, & quare.
Accipere aliena in graui necessitate non licet.
Reijcitur Lessius in hoc.
Non licet mulieri ob pudicitiam conseruandam accipere aliena.
Licebit, si fiat animo restituendi, & aliter nõ possit vitari infamia.
Aliquis potest accipere aliena pro subueniẽdo proximo extremè patienti, si tamen accipiens non habeat aliquod proprij, quo subueniat pauperi, secus, si habeat.
14 In casu necessitatis alienum fit eius, qui patitur necessitatem.
15 In simili casu necessitatis licet alicui occultè accipere aliena, vt subueniat proximo.
16 Rapina est grauius peccatum furto.
§ Rapina periculum mortis offert raptori, sicut & latroni non suffragatur perfugium ad sacrum, similiter nec raptori.
17 Pro furto, quod non causat damnum irreparabile, non debetur pœna mortis.
Furto grauato per circunstantiam debetur pœna mortis.
§ Confutantur asserentes deberi furto simplici pœnã mortis.
Quæ pœna debeatur furto simplici.
Bartolus fatetur furtum simplex non esse morte puniendum.
Idem sancitum est per leges.

Quæritur, quid sit furtum.

1 RESpondeo dicendum, quòd ad rationem furti tria cõcurrunt, quorum primum conuenit sibi secundùm quòd contrariatur Iustitiæ, quæ vnicuique tribuit, quod suum est, & ex hoc competit ei, quòd vsurpat alienum, secundùm vero pertinet ad rationem furti, prout

ut distinguitur à peccatis, quæ sunt contra personam; sicut ab homicidio, & adulterio, & secundùm hoc competit furto, quod sit circa rem possessam, si quis enim accipiat id, quod est alterius non quasi possessio, sed quasi pars, sicut si amputet membrum, vel sicut persona cõiuncta, vt si auferat filiam, vel vxorem, non habet propriè rationem furti, tertia differentia est, quæ complet rationem furti, vt scilicet occultè vsurpetur alienum, & secundùm hoc propria ratio furti est, vt sit occulta acceptio rei alienæ. 2. 2. q. 66. a. 3. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. propria ratio furti est, vt sit occulta acceptio rei alienæ. probatur, illa est ratio propria alicuius, per quam distinguitur à cæteris, sed per hanc rationem distinguitur furtum à cæteris, ergo illa est propria ratio furti. probatur minor, quia ad rationem furti tria concurrũt, quorum primum conuenit sibi, secundùm quòd contrariatur iustitiæ, quæ vnicuiq; tribuit, quod suum est, & ex hoc cõpetit ei, quòd vsurpat alienum. secundum vero pertinet ad rationem furti, prout distinguitur à peccatis, quæ sunt contra personam, sicut ab homicidio, & adulterio, & secundùm hoc competit furto, quòd sit circa rem possessam ab aliquo, scilicet qui eius sit verus dominus, si quis enim accipiat id, quod est alterius, non quasi possessio, sed quasi pars, sicut si amputet membrum, vel sicut persona coniuncta, vt si auferat filiam, vel vxorem, non habet propriè rationem furti, sed dicitur mutilator, raptor, adulter. tertia differentia est, quæ complet rationem furti, vt scilicet occultè vsurpet alienum, & secundùm hoc propria ratio furti est, vt sit occulta acceptio rei alienæ.

Antequam accedamus ad explicationẽ quid rei furti, declarandum est primò quid nominis. D. Isidorus lib. 10. etimolog. eo quòd furtum clãcularia sit acceptio, putat, fur à furuo dici, idest à fusco, atro, obscuro, quia fur in furando nocturno vtitur tempore. alij volunt, quòd fur à ferendo, siue ab auferendo dicatur. Quid autem rei est id, quod tradit D. Thomas hoc in loco, quæ vtique diffinitio est iuxta regulam ab Arist. traditam, qui ait, quòd diffinitio debet esse breuissima oratio, quæ rei naturam compendio explicet, hæc si quidem furti breuissima diffinitio exactè illius naturam explicat, eamque ab alijs distinguit. dicitur ergo furtum occulta acceptio rei alienæ, occulta ad differentiam rapinæ, furtũ enim committitur ignorante domino, rapina autem sciente domino. dicitur vlteri⁹ acceptio, cuius nomine intelligitur omnis actio, per quam proximus patitur in re sua, siue sit simplex acceptio, siue detentio, vel damnificatio alieni, dicitur enim aliquis rem alienam accipere, & furari, nedum quando occultè accipit simpliciter rem alienam, sed etiam quando iniustè detinet rem alias iustè acceptam, & quando damnificat proximum in re sua, vt si combureret rem alienam; quod expressis verbis docuit D. Thomas hoc in loco ad 2. dicens, quod detinere id, quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cũ acceptione iniusta, & ideò sub iniusta acceptione intelligitur iniusta detentio. quid clarius? vnde non debuit Toletus lib. 5. cap. 15. num. 1. & 2. discedere à doctrina D. Thomę in hac particula ponens loco acceptionis terminum, Ablatio. dicitur præterea acceptio rei alienæ, cuius nomine intelligo rem nedum alterius, sed etiã rem in alterius potestate positam, vnde qui surriperet rem, quæ in deposito apud aliquem seruatur, diceretur furari apud illum, non quia abstulerit, quod suum fuerit, sed quia surripuit, quod in eius potestate situm erat, vnde dicebatur suum secundùm quid, res enim deposita est simpliciter deponentis, sed secundùm quid est depositarij, scilicet quantùm ad custodiã, vt docet D. Thomas hoc in loco ad 3. Caietanus in summula uerbo furtum uers. tertium est. sicut, & quod per rapinam ablatum est, dicitur rapientis non simpliciter, sed quantùm ad detentionem, immò si quis acciperet occultè rem suam apud alium depositam, diceretur furari, quia licet accipiat id, quod est suum simpliciter, est tamen depositarij secundùm quid, idest quo ad custodiam, dum etiam accipit rem apud aliũ depositam, rem dicitur accipere alienam, & consequenter furari, siue ergo res, quæ est in deposito, & occultè accipitur, sit depositarij, siue ipsi⁹ deponentis, semper dicetur alterius, & aliena, consequenter furata. non est autem necesse ponere illas duas particulas, quas alij ponunt, nẽpe iniustè, & inuito Domino, quia ex hoc quòd accipitur alienum, talis acceptio contrariatur iustitiæ, quæ tribuit vnicuiq; quod suum est: ex hoc etiam quòd est occulta acceptio, iam est facta inuito Domino. circa eandem diffinitionem legatur Caietanus hoc in loco, qui etiam obseruat circa secundum, quod concurrit ad furti rationem, quòd accipere vxorem, vel filiam alienam non habet propriè rationem furti, sed propriè furtum est accipere seruam alienam, quia possidemus seruos sicut agros, non autem filias, aut vxores, accipere autem filiam, vel vxorem alienam in seruam non pertinet ad furtum, sed ad captiuitatem. notat vlterius, quòd occultè accipere easdem personas non simpliciter, sed ad horam pro concubitu, si eis inuitis fit, raptus est tãtò grauior, quantò etiam alter, scilicet maritus, pater, dominus offenditur. si autem eis cõsentientibus, extra proprias luxuriæ species, puta adulterium, stuprum, aut simplicem fornicationem, non adest alia deformitas, si non impeditur propter hoc à seruitio domini, cum serua vt sic non sit sub domini custodia quo ad concubitum, sicut filia sub custodia Patris est, nec vsus talis seruæ sit domini, quia, vt supra dicebamus, non dominatur in eã quo ad venerea, sed quo ad seruitia alia domus, vnde accipere seruam alterius ad concubitum non est furtum, sicut nec coire cũ ea in domo domini ipso inuito.

Ex

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Molina tom. 2. disp. 681. Lessius lib. 2. ca. 12. dub. 1. Vasquez in opusculis cap. 5. dub. 1. Reginaldus tom. 2. lib. 23. num. 10. Azorius 3. p. cap. 5. & alij.

Quæritur, an furtum, & rapina distinguantur specie.

2 Respondeo dicendum, quòd furtum, & rapina sunt vitia iustitiæ opposita, inquantum aliquis alteri facit iniustum, nullus autem patitur iniustum volens, vt probatur in 5. eth. & ideò furtum, & rapina ex hoc habent rationem peccati, quòd acceptio est inuoluntaria ex parte eius, cui aliquid subtrahitur, inuoluntarium autem dupliciter dicitur, scilicet per ignorantiam, & violentiam, vt habetur in 3. eth. & ideò aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum, ergo propter hoc differunt specie. 2.2.q.66.a.4. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. aliam rationem peccati habet rapina, & aliam furtum, & propter hoc differũt spetie. probatur, quia furtum habet rationem peccati ex hoc, quòd acceptio est ex parte læsi inuoluntaria per ignorãtiam, rapina autem ex hoc, quòd est inuoluntaria per violentiam.

Intentionem D. Thomæ hoc in loco egregiè ostendit Caietanus dicens, intentionem S. Doctoris non esse statuere differentiam specificam inter furtum, & rapinam ex diuersa dispositione mentis personæ læsæ, quia accidit peccato, quòd læsus qualitercumque disponatur in mente sua, sed esse statuere differentiã specificam inter furtum, & rapinam ex diuersa ratione obiecti, circa quod versantur, quod est iniustum, iniusti autem speties diuersificantur secũdum diuersam rationem inuoluntarij, inuoluntarium autem est duplex, scilicet per violentiam, & per ignorantiam, ex quo sequitur, ꝙ acceptio iniusta inuoluntarij ꝑ violẽtiã distinguatur spetie ab acceptione iniusta inuoluntarij per ignorantiam, & cum furtum importet acceptionem occultam alieni, rapina autem importet acceptionem alieni violentam, hinc fit, quòd furtum, & rapina distinguantur spetie ratione obiecti.

Quæritur, quot modis committatur furtum.

3 Respondeo dicendum, quòd committitur furtum multis modis, primò occultè accipiendo, secundò violenter aufferendo, tertiò mercedẽ non soluendo, quartò fraudem in mercationibus cõmittendo. opusculo 4. cap. de 7. præcepto.

Furtum commiti quatuor modis docet D. Thomas hoc in loco, primò occultè accipiendo, secundò violenter aufferendo, tertiò mercedem non soluendo, quartò fraudem in mercationibus committendo.

Primus modus, quo committitur furtum, est occultè accipiendo alienum secundùm illud Matthei 24. si sciret Pater familias, qua hora fur venturus esset, & hic modus est vituperabilis, cum sit proditio quædam. Eccl. 5. super furem est confusio. & hoc est propriè furtum. secundus modus est violenter aufferendo, & hoc est propriè rapina, & est maior iniuria. Iob. 24. vim fecerũt depredantes pupillos. tertius modus est mercedem non soluendo. Leuit. 19. dicitur; non morabitur opus mercenarij apud te vsq; mane. hoc intelligant, qui conducunt operarios, & eos nõ soluunt, eis mercedem non tribuunt, quod ita se habet, ac si mercedem illam de manu operariorũ surriperent, furarentur. hoc est peccatum clamans in Deum. quartus modus est fraudem in mercationibus committendo, vnde dicitur Deut. 23. non habebis in sacculo diuersa pondera, & Leuit. 19. nolite facere iniquũ aliquid in iuditio, in regula, in pondere, in mesura. statera iuxta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusque sextarius; prouerb. 25. abominatio est apud Deum pondus, & pondus statera dolosa non est bona. hoc aduertant caupones, qui miscent aquam vino, & aquam vendunt pro vino, isti sunt fures, dum accipiunt pecuniam pro aqua, cum tamen sit debita pro vino. hoc etiam aduertant fænetatores. psalm. Domine quis habitabit in tabernaculo suo &c. subiungit, qui pecuniam suam nõ dedit ad vsuram. hoc etiam aduertant venditores pannorum, & alienarum rerum, quòd si aliquem defraudauerint, ita res se habet, ac si furati essent illud, in quo fraus facta est.

Quæritur; quid prohibeatur per furtum.

4 Respondeo dicendum, quòd legislator per furtum prohibet omnem turpem quæstum. 3. sent. d. 37. a. 2. quæstiunc. 1. ad 2.

Quòd legislator per furtum prohibeat omnẽ turpem quæstum, docet D. Thomas hoc in loco.

Cum furtum sit peccatum cõtra iustitiam, nomine turpis quæstus, qui dicitur prohiberi per septimum præceptum, non furtum facies, intelligitur quæstus iniquus, iniustus, vnde meretrices licet ex meretricio dicantur turpiter lucrari, nõ tamen est tale lucrum iniustum, & hoc septimo præcepto prohibitum, & consequenter non tenebuntur ad illius restitutionem, quòd alio in loco expresse docuit D. Thomas, nam opus. 4. cap. de septimo præcepto ait, quòd in hoc præcepto prohibetur omne malè ablatum, nomine autem malè ablati intelligitur iniustè ablatum, & iniustè acquisitum.

Quæritur, sub quo contineatur furtum.

5 Respondeo dicendum, quòd furtum est quædã specificatio fraudis, vnde sub fraude continetur. 2.2.q.118.a.8. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. furtum sub fraude continetur. probatur, quia furtum est quædam specificatio fraudis.

Quòd furtum fraudis malitiam contineat, docet D. Thomas etiam in sequenti quæsito.

Quæritur, an furtum semper sit peccatum.

6 Respondeo dicendum, quòd si alquis consideret furti rationem, duas rationes peccati in eo inueniet, primò quidem propter contrarietatem ad iustitiam, quæ reddit vnicuique, quod suum est, & sic furtum iustitiæ opponitur, inquantùm est acceptio rei alienæ; secundo rationē doli, seu fraudis, quam fur committit occultè, & quasi ex insidijs rem alienam vsurpando, vnde manifestum est, quòd omne furtū est peccatum, 2.2.q.66.a.5. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. omne furtum est peccatū. probatur, quia quodlibet furtum opponitur iustitiæ, & fit per dolum, seu fraudem.

In hoc loco D. Thomas vult docere, quòd furtum ex duplici capite est peccatum, scilicet ratione iustitiæ, & ratione fraudis, qua vtitur fur occultè, & per insidias rem alienam accipiendo; sed nedum est peccatum, sed furtum vt sic semper est peccatum, vt post D. Thomam docent Caietanus, Dominicus Bannes, Salon, Aragona hoc in loco, Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 3. a. 3. & alij.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Valentia tom. 3. d. 5. q. 10. p. 5. & alij.

Quæritur, an furtum sit peccatum mortale.

7 Respondeo dicendum, quòd peccatum mortale est, quod contrariatur Charitati secundùm quòd est spiritualis animæ vita, Charitas autem consistit quidem principaliter in dilectione Dei, secundariò verò in dilectione proximi, ad quem pertinet, vt homo proximo bonum velit, & operetur, per furtum autem homo infert nocumentum proximo in suis rebus, & si passim homines sibi inuicem furarentur, periret humana societas, vnde furtum tanquam contrarium Charitati est peccatum mortale. 2.2.q.66.a.6. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cōclusione, quæ est. furtum tanquam contrarium charitati est peccatum mortale. probatur, peccatum mortale est, quod contrariatur Charitati, quæ consistit principaliter in dilectione Dei, secundariò verò in dilectione proximi, ad quam pertinet, vt homo proximo bonum velit, & operetur, sed per furtum homo infert nocumentum proximo in suis rebus, & si passim homines sibi inuicem furarentur, periret humana societas, ergo furtum est peccatum mortale.

Quòd furtum sit peccatum mortale ex genere suo, patet, quia est contra præceptum septimum decalogi, nō furtum facies, præcepta autem decalogi cum sint necessaria ad salutem, iuxta illud Mathei 19. si vis ad vitam ingredi, serua mandata, & vita ęterna non amittatur nisi propter peccatum lætha le, hinc sequitur transgressionem huius præcepti septimi, & aliorum decalogi esse peccatum mortale. quod posset facere difficultatem hac in re est, quod tangit D. Thomas in argumento primo, quia si furtum peccatū mortale est ex suo genere, à Deo præcipi non posset, Eccl. enim 15. dicitur, nemini mandauit, vt impię ageret, legitur autem exodi 12. quòd fecerunt filij Israel, sicut præceperat Dominus Moysi, & expoliauerunt ægiptios. sed hoc non obstat, quia accipere rem alienam vel occultè, vel manifestè auctoritate Iudicis hoc decernentis non est furtum, quia iam fit sibi debitum per hoc, quòd sententialiter sibi est adiudicatum, vnde multò minus furtum fuit, quòd filij Israel tulerunt spolia ægiptiorum de præcepto Domini hoc decernentis pro afflictionibus, quib' ęgiptij eos sine causa afflixerunt, hinc sap. 10. dicitur, Iusti tulerunt spolia impiorum. sic D. Thomas hoc in loco ad 1. Melchior Cano lib. 2. de locis Theologicis ca. 4. Dominicus Sotus lib. 2. de iustitia, & iure. q. 3. a. 8. & lib. 5. q. 3. a. 3. ad 1. Michael Solon, & Petrus Aragona hoc in loco, posset etiam responderi, quòd furtum est acceptio occulta iniusta rei alienæ, quæ scilicet fit inuito Domino, filij autem Israel, dum tulerunt spolia ægiptiorum, ea non acceperunt inuito Domino, sed præcipiēte Deo, qui est Dominus absolutus omnium rerum. verùm de huiusmodi difficultate alias diximus. an autem in hoc Princeps, seu Iudex possit immitari Deum, vt scilicet possit priuatim pręcipere alicui, aut cōcedere Fisco, aut creditori, vt bona alterius secretò accipiat, & retineat. Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 3. art. 3. ad 1. respondet, quòd si condemnationis sententia id faciat, proculdubio parendum est ei, expedit enim quandoq; executiones huiusmodi secretas facere, & tunc non est furtum, sed pænæ executio. non licebit tamen hoc præstare, si extra Iudicij formam, & ordinem hoc iubeat, nec in hoc casu parendùm esset ei, quia Princeps tenetur iudiciario ordine procedere, non est enim Deus, qui errare non possit; liceret tamen in casu, qui patentissimam haberet iustitiam, & moras non ferret, neque strepitum publicum, vt ibidem ait idem Sotus. quando autem publicitus indicitur bellum, tunc, nisi iniustitia causæ manifesta esset, iussio Principis conscientiam militum pacare debet, vt Augustinus. 23. q. 1. cah. quid culpatur, admonet.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Valentia tom. 3. d. 5. qu. 10. p. 5. Toletus lib. 5. cap. 16. num. 2. & alij.

Quæri-

Quæritur, quomodo intelligitur id, quod legitur prouerb. 6. non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit.

8 Respondeo dicendum, quòd furtum dicitur non esse grandis culpæ duplici ratione, primò quidem propter necessitatem inducentem ad furandum, quæ diminuit, vel totaliter tollit culpam, vndè subditur, furatur enim, vt esurientem impleat animam, alio modo dicitur furtum non esse grandis culpę per comparationem ad reatum adulterij, quod punitur morte, vnde subdit de fure, quòd depræhensus reddet septuplum, qui autem adulter est, perdet animam suam. 2.2.q.66.a.6. ad 1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. dicitur non grandis culpa, cum quis furatus fuerit, duplici ratione, primò in necessitate, secundò comparatiuè ad reatum adulterij. probatur prima pars quia prouerb. 6. dicitur, furatur enim, vt esurientem impleat animã. probatur secunnda pars, quia de fure subditur, quòd deprehensus reddet septuplum, qui autem adulter est, perdet animam suam.

Quòd accipere aliena non sit culpa in casu necessitatis, dicetur infra. q. 13. & an liceat in necessitate accipere aliena pro subuentione proximi, dicetur infra. q. 15.

Quæritur, an ille, qui furatur minima peccet mortaliter.

9 Respondeo dicendum, quòd illud, quod modicum est, ratio apprehẽdit quasi nihil, & ideò in his, quæ minima sunt, homo non reputat sibi nocumentum inferri, & ille, qui accipit, potest præsumere, hoc non esse contra voluntatem eius, cuius est res, & pro tanto si quis furtiuè huiusmodi res minimas accipiat, potest excusari à peccato mortali, si tamen habet animum furandi, & inferendi nocumentum proximo etiam in talibus minimis, potest esse peccatũ mortale, sicut & in solo cogitatu per consensũ. 2.2.q.66.a.6. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. si quis furtiuè res minimas accipiat, potest excusari à peccato mortali. probatur, quia illud, quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil, & ideò in his, quæ minima sunt, homo nõ reputat sibi nocumentum inferri, & ille, qui accipit, potest prę sumere, hoc non esse contra voluntatem eius, cuius est res. hinc elicit corrolarium, quòd, si habet animum furandi, & inferendi nocumentum proximo etiam in talibus minimis, potest esse peccatum mortale, sicut & in solo cogitatu per consensum.

Quamuis furtum sit ex suo genere peccatum mortale, attamen ex triplici capite potest esse tãtum peccatum veniale, quorum primum desumitur ex paruitate rei, quando scilicet res, quam quis furatur, est minima, exilitas enim rei excusat à peccato mortali in qualibet materia, & in quolibet genere. secundum desumitur ex indeliberatione, & imperfectione consensus, & hoc etiam excusat à mortali in qualibet materia. tertium est, quando dominus non est inuitus quo ad substãtiam rei acceptæ, sed solum quo ad modum, sicut quando dominus rei ægrè fert rem, quæ auffertur, nõ peti. ex paruitate ergo rei furtum non est peccatum mortale, quia modicum pro nihilo reputatur, & hoc verum est per se loquendo, & præcisè, quia per accidens, & ratione adiuncti alicuius furtum rei minimæ poterit esse mortale, vt si quis surriperet acum à sutore, ex cuius amissione perdit lucrum illius diei, peccat mortaliter non ratione furti præcisè, cum sit de re minima, sed ratione nocumenti, quod consequitur ad furtum illud, similiter si quis furaretur rem minimam, ex quo furto cognoscit dominũ rei proruptur um in blasphemiã, vel in aliud peccatum mortale, quia iracundus, & impatiens est, peccat mortaliter non ratione furti, sed ratione peccati, quod secutum est; similiter si quis occultè acciperet rem minimam, quia aliam non inuenit, animum tamen habebat maiora surripiendi, peccat mortaliter non ratione furti rei minimæ, sed ratione animi parati ad furandum maiora; similiter quando quis furatur tot quãtitates minutas, vt magnam adæquent, puta huic surripit vnum quadrantem, alteri alterum minutum denarium, alij aliam rem minimam, itaut perueniat tandem ad notabilem quantitatem, peccat mortaliter non ratione furti rei minimæ, sed ratione quantitatis notabilis; hoc tamen verum est, si ille, qui surripit huiusmodi minuta, animum habet continuandi in huiusmodi furto rerum minimarum, quia tunc computantur pro vno furto; immò iste peccabit mortaliter etiam prima vice, licet minimum quid furetur ratione prauę intentionis. si autem quis surripit vna vice vnam minimam rem nil cogitans de furto alio, licet casu postea etiam furetur alijs vicibus alias minimas res non habens animum cõtinuandi in huiusmodi furtis rei minimæ, non peccat mortaliter, quia animus terminatur ad furtum illius rei minimæ illa vice commissum, & verè sunt plura furta, nõ sic autem in primo casu, in quo animus progreditur ad vlteriorem quantitatem, donec perueniat ad tantam quantitatem, quæ constituat peccatum mortale, & tanquam vnum furtum reputatur; in huncque casum faciliter labuntur serui, qui semper parati existunt ex dominorum rebus aliquid subtrahere licet minimum; in eundẽ casum cadunt venditores, qui continuè exigunt in suis contractibus vltra iustitiam aliquem minutũ denarium, & ad hoc semper sunt parati. obserua tamen, quòd quando aliquis ex tali surreptione rerum minutarum peruenit ad notabilem quantitatem sufficientem ad cõstituendum peccatum mortale, & adhuc vlterius progreditur animus, vt

vt furetur, non dicetur nouo peccato peccare, sed eodem peccato mortali, quod tātò erit grauius, quantò quantitas rei sublatę est maior; si tamen animus fiat interruptus ratione Pænitentiæ, vel ratione inspirationis Diuinę, quibus mouetur ad pænitendum de præteritis furtis, & ad cauādum futura, attamen ex fragilitate iterum furatur cum animo continuandi furta, tunc nouo dicetur maculari peccato mortali, quia voluntas iam non est amplius cōtinuata. quæret nunc aliquis, an quando plures concurrunt ad notabiliter damnificandum aliquem, sed singuli eorum leuem surripiunt rem, tunc peccent mortaliter, an venialiter. respondeo, hos omnes conuenientes in damnificatione notabili alicuius peccare mortaliter, quia singuli cooperantur, & conueniunt in damno notabili, quod constituit peccatum mortale, vnusquisq; enim illorum habet animum damnificandi notabiliter aliquem simul cū alijs; secus autem esset dicendum, si non conuenirent inuicem in tali damno, licet sequatur dānum notabile à pluribus causatum, quorum tamē vnus non consentit cum altero, isti singuli non peccant mortaliter, vt si multi aliquam ingrediantur vineam, quorum vnus non sit conscius de altero, sed vnus alium ignoret, & vnusquisque illorum suum racemū vuę accipiat, ita vt nec vnus racemus remaneat, null' eorum mortaliter peccat, vt ait vterq; Nauarrus, Martinus in manuali cap. 17. num. 130. Petrus lib. 3. de restitut. cap. 1. & ratio id suadet, qui nullus eorum damnū notabile facit, nec est causa, vt fiat, nec in id cōsentit.

Nunc videndum est, quænam sit illa quātitas, quæ furtum constituat peccatum mortale. Nauarrus in manuali cap. 17. num. 3. littera F. ait esse summam duorum regalium, vel iuliorum, immò & vnius, & etiam dimidij; item vnum hædum, caponem, & etiam vnam gallinam mediocrem, etiā in regione vbi illa dimedio regali, vel iulio non valerent; etiam duodecim ouorum ablationem; idem dicit de quarta tritici, & quartā vini, quia vnaquæque istarum rerum communiter pro re maiore minima habetur; & de gallina expressè habetur §. gallinarum. instit. de rer. diuis. Toletus lib. 5 ca. 16. n. 3. docet duplicem esse notabilē quantitatem, alteram secundum se, & hæc est, quæ ab omnibus censetur mediocris, aut grandis valoris, vt est quantitas quattuor iuliorum; hanc enim à quocunque, etiam ditissimo furari mortale esset; altera est notabilis quantitas respectu eius, à quo capitur, sicut esset quarta pars Iulij respectu cuiusdam pauperis, hanc enim furari mortale esset. alij recentiores, vt Molina tom. 2. disputat. 685. Vasquez in opusculis cap. quinto. parag. primo. dub. 5. Lessius lib. secundo cap. 12. dub. 5. & alij asserunt, illam quantitatem esse sufficientem ad peccatum mortale, quæ omnibus cōsideratis infert Domino graue damnum, vel notabili priuat vtilitate. hæc etiam videtur fuisse opinio Dominici Soto lib. 5. de iustitia, & iure. q. 3. art. 3. ad 3. & Dominici Bannes de iustitia, & iure. q. 65. a. 6. alij recentiores suam explicant opinionem his propositionibus, quarum prima est. respectu personarum illustrium nummus aureus, vt minimum est materia notabilis, & sufficiens ad peccatū mortale, qui nummus aureus licet respectu personarum illustrium non noceat notabiliter quo ad proprium victum, attamen nocere videtur notabiliter, quatenus nummus aureus inseruit ad alendam familiam, & potest esse precium, & salarium menstruum vnius famuli interioris, quo persona illustris indiget. secunda est, respectu Diuitum cōmunium quattuor regales circiter sunt materia notabilis sufficiens ad peccatum mortale quia quattuor regales inseruiunt ad comparandum tenuem victum vnius diei illorum diuitum. tertia est, respectu artificū duo regales circiter sunt materia sufficiens ad peccatū mortale, quia illorum ablatio notabile damnum infert, aut notabili priuat vtilitate, cum possint esse precium laboris vnius diei, & sufficiant ad comparandum tenuem victum pro vno die. quarta propositio est, respectu personarum mendicantium vnus regalis, vel dimidius est materia sufficiens ad peccatum mortale furti, nam vnus regalis potest illis inseruire pro victu vnius, aut duorum dierum. ex quibus quattuor propositionibus inferuntur aliæ duæ, quarum prima est, vnus, aut duo aurei sunt absolutè materia grauis respectu Regis, aut personæ valdè diuitis, quia eorum ablatio notabilē impedit Regis vtilitatem, cū duo nummi aurei sufficiāt ad persoluendū vnius militis, aut infimi famuli stipendium. secunda est, quantitas duorum, aut vnius, vel dimidij regalis non est absolutè quantitas notabilis sufficiens ad peccatum mortale, quia Reipublicæ, aut illustri personæ nō infert damnum notabile, neq; notabilem impedit vtilitatem; respectiuè autem potest esse notabilis quantitas, vt respectu vnius pauperis mēdicantis. sed opinio Nauarri est nimis rigorosa in eo quod putat, dimidium regalis esse sufficiētem materiam peccati mortalis in furto, talis enim quantitas est minima absolutè, vt patet, & respectu pauperis mendicantis, quia ex tali ablatione notabili non affligitur damno, cum per mendicitatem possit sibi victum comparare; multo magis censebitur rigorosa opinio Toleti in eo quod putat, quartam partem Iulij esse respectu pauperis sufficientem quantitatem ad constituēdum peccatum mortale, quia cum sit pauper, & mendicus, mendicando potest sibi acquirere victum, & consequenter ex ablatione quartæ partis Iulij notabiliter non damnificatur. tertia etiā opinio cum sistat in generali, non determinat præcisam quantitatē, quæ constituat peccatum mortale furtum; quæ quantitas determinata ab omnibus desideratur, & quæritur Confessarijs, & Pænitentibus; ratio etiam primæ propositionis quartæ opinionis mihi non probatur, quia si attendamus damnum respectu Regis, aut alterius personæ illustris, nec centum nummi aurei sunt sufficiens quantitas ad constituendum peccatum mortale in furto, vt ait Aragonius, quia Rex, vel alia persona illustris non notabiliter damnificatur ex talium ablatione, multò ergo

minus

minus damnificabitur ex ablatione vnius aurei, qui aureus licet inseruiat pro alimento familiæ, vel pro salario famuli, quo dominus indiget, attamen abunde huiusmodi personæ illustres abũdè habent, quo alant familiam, & soluant salaria famulis. quarta etiam propositio mihi non placet, inquantùm asserit dimidium regalis esse sufficientem materiam ad constituendum peccatũ mortale respectu pauperis, quia potest inseruire pro victu vnius, vel duorum dierum, cum enim talis pauper mendicando possit sibi acquirere victum, notabiliter non læditur ex dimidij regalis ablatione. rursus mihi non probatur alterum dictum in secunda propositione deducta ex quattuor primis assumptum, nempe quantitatem duorum, aut vnius regalis non esse absolutè quãtitatem notabilem sufficientem ad peccatũ mortale, quia Reipublicæ, aut personæ illustri non inferr damnum notabile, neq; notabilem impedit vtilitatem, mihi, inquam, non probatur, quia licet quantitas duorum, vel vnius regalis non inferat notabile damnum Reipublicæ, aut personę illustri, attamen ex genere suo, & natura sua est magna quantitas, vt rationibus iam iam comprobabo, & consequenter erit peccatum mortale ablatio talis quantitatis. dicam ego, quid sẽtiam hac in re, puto ergo, eam esse quantitatem sufficientem ad constituendum peccatum mortale in furto, quæ est sufficiens ad victum regulariter sumptum vnius diei respectu hominis vt sic, qui ergo surripit tantam quantitatem, quanta esset sufficiens ad victum vnius diei regulariter, peccat mortaliter, quia lędit proximũ in re graui, qualis est victus vnius diei. loquor autem de victu regulariter sumpto, quo scilicet homines communiter solent vti, ita quòd nec sit ad sacietatem, nec ad gulositatem, nec declinet ad tantã parcitatem, vt homo notabiliter patiatur ex tali penuria, sed sit victus communis, quo ordinariè homo sustentetur pro illo die, scio enim, quòd absolutè homo sustentabitur in vno die ex vno ouo, non debeo autem damnare peccati mortalis eum, qui furatur vnum ouum; scio etiam diuites, & Principes lautam ducere vitam, nec cibis communibus esse contentos, vnde non debeo illos solos damnare peccati mortalis, qui surripiũt quantitatem sufficientem ad victum diuitum, & Principũ, damnabo autem eos de peccato mortali, qui furantur illam quantitatem, quæ communiter æstimatur sufficiens ad victum communem, & regularem respectu hominum vt sic: hãc autem quantitatem puto esse vnius regalis Itali, quod dimidiam libram, & aliquid plus valet, nẽpe decem solidos cum dimidio; isto precio quilibet homo potest sibi victum regulariter sumptũ cõparare pro vno die, ergo qui furatur tale precium, peccabit mortaliter, quia in re graui, qualis est victus vnius diei, lędit proximum; vlterius proprietatis vitium incurritur à Religioso, si sine licentia Prælati sui apud se retinet, vel etiam expendit vnum regale, vt communiter omnes tenent, ergo talis quantitas erit sufficiens ad constituendum peccatum mortale in furto; confirmatur, nam Prælati Dominicani solent sibi reseruare casum proprietatis, in quod labitur ille Religiosus, qui plus expendit, vel retinet apud se inscio Prælato, quàm vnum regale, ergo vnum regale erit quantitas sufficiens absolutè ad constituendum peccatum mortale, aliter nõ posset reseruari, cum solum peccatum mortale reseruetur. non est ergo pensanda quantitas rei, quæ constituat peccatum mortale, ex parte personarũ, quibus auffertur, & qui damnificantur notabiliter, aliter, qui furaretur centum aureos Regi, & Principi, non peccaret mortaliter, quia tale furtum non affert nocumentum notabile Principi, & Regi, quod tamen est falsum, existimanda ergo erit quantitas secundùm se, ex natura sua, ex genere suo, & cum regale vnum ex natura sua, ex genere suo sit notabilis quantitas, cum sit sufficiens ad victum regulariter vnius diei, hinc sequitur furtum vnius regalis esse peccatum mortale.

Sensũ corrolarij nota ex Caietano hoc in loco.

Ex hoc loco tanquam ex fonte, hausit, quæ docet Toletus lib. 5. ca. 16. art. 3. & alij.

Quæritur, an ille, qui accipit rem alienam auctoritate Iudicis dicatur furari?

10 Respondeo dicendum, quòd accipere rem alienam vel occultè, vel manifestè auctoritate Iudicis decernentis non est furtum, quia iam fit sibi debitum per hoc, quòd sententialiter sibi est adiudicatum, vnde multò minus furtum fuit, quòd filij Israel tulerunt spolia ægiptiorum de præcepto Domini hoc decernentis pro afflictionibus, quibus ægiptij eos sine causa afflixerant, & ideò signanter dicitur Sap. 10. Iusti tulerunt spolia impiorum. 2.2.q.66.a.5. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. accipere rem alienam vel occultè, vel manifestè auctoritate Iudicis decernentis non est furtum. probatur, quia iam fit sibi debitum per hoc quod sententialiter sibi est adiudicatum. hinc elicit corrolarium, quòd multò minus furtum fuit, quòd filij Israel tulerunt spolia ægiptiorum de præcepto Domini hoc decernentis pro afflictionibus, quibus ægiptij eos sine causa afflixerunt, & ideò signanter sap. 10. dicitur, iusti tulerunt spolia impiorum.

Ex hoc loco habemus, quòd furtum est occulta acceptio rei alienę facta auctoritate propria, vnde si fiat auctoritate publica, & Iudicis decernẽtis, non erit furtum, quia non erit acceptio rei alienæ, sed suæ, cum per sententiam Iudicis sit sibi facta debita, quod euidenter probat factum filiorum Israel, dum tulerunt præcipiente Domino spolia ægiptiorum, & tamen non peccauerunt, nec arguuntur peccati, quia tulerunt ea ex auctoritate Dei hoc decernẽtis, & tanquam sibi debita pro laboribus, quos ægiptijs in luto, & latere impenderunt, à quibus cum nundum mercedem

tedem accepissent iusta Dei sententia ægiptios spoliauerunt, vt docet Clemens Alexandrinus lib. 1. strom. & Epiphan. ancoratu, & nos supra diximus cum S. Thoma qu. 7. & alibi etiam de hac re disseruimus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Valentia tom. 3. d. 5. qu. 10. p. 5. Toletus lib. 5. cap. 15. nu. 4. & alij.

Quæritur, an qui apud se retinet inuenta, dicatur furari.

21 Respondeo dicendum, quòd circa res inuentas est distinguendum, quædã enim sunt, quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius, sicut lapilli, & gemmæ, quæ inueniuntur in littore maris, & talia occupanti conceduntur, & eadem ratio est de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum non est aliquis possessor, nisi quòd secundùm leges ciuiles tenetur inuentor dare medietatem domino agri, si in alieno agro inuenerit, propter quod parabola Euangelij dicitur Matthæi 13. de inuẽtore thesauri absconditi in agro, quòd emit agrum, quasi vt haberet ius possidendi totum thesaurum; quædam verò res inuentæ fuerunt de propinquo in aliquibus bonis; & tunc si quis eas accipiat non animo retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis non habet, & hoc credat inuentor, licet sibi eas retineat, non committit furtum, aliàs autem committitur peccatum furti, vnde Augustinus dicit in quadam homilia, & habetur 14. qu. 5. si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito iuxta duplex membrum distinctionis, quæ est. Inuenta sunt in duplici differentia, nam quædam sunt, quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius, sicut lapilli, gemmæ, quæ inueniũtur in littore maris; quædam verò res inuẽtæ fuerunt de propinquo in aliquibus bonis. prima cõclusio. inuenta primi generis occupanti conceduntur; eadem ratio est de thesauris antiquo tẽpore sub terra occultatis, quorum non est aliquis possessor, nisi quòd secundum leges ciuiles tenetur inuentor dare medietatem domino agri, si in alieno agro inuenerit. probatur ex parabola Euangelij Mathei 13. de inuentore thesauri absconditi in agro, quòd emit agrum, quasi vt haberet ius possidendi totum thesaurum. secunda conclusio. si quis accipiat res inuentas secundi generis non animo retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis nõ habet, & hoc credat inuentor, licet sibi eas retineat, nõ committit furtum, aliàs autem committitur peccatum furti. prima pars relinquitur vt nota. secunda pars probatur auctoritate D. Augustini, vt in littera.

Circa hanc litteram obseruat Caietanus plures distinctiones circa inuenta tactas in littera; inquit ergo sic, inuenta sunt in duplici differentia, quædam sunt, quæ nunquam fuerunt alicuius domini, vt gemmæ, quædam vero sunt, quæ aliquando fuerunt alicuius. inuenta primi generis sunt occupantis, inuenta secundi generis sunt adhuc in duplici differentia, nam aut fuerunt alicuius ab antiquo, vt thesauri, aut de propinquo; si sunt alicuius ab antiquo, aut sunt inuẽta in proprijs agris, aut in alienis; si in proprijs, sunt inuentoris, si in alienis, sic diuiduntur inter se, & dominum; si sunt alicuius de propinquo, aut habentur pro derelictis, aut non habentur pro derelictis; si habentur pro derelictis, & hoc reputat inuentor, sunt inuentoris; si non habentur pro derelictis, & sic si sumuntur ab inuentore animo retinendi, furtum inducunt; si animo dandi domino, nullum est peccatum. en quomodo subtilissimus Caietanus dearticulauit, distinxit hanc doctrinam de inuentis. ad quorum explicationem obserua, primum membrum distinctionis, nempe quòd lapilli inuenti in littore maris sint inuentoris, est expressa Iuris diffinitio. institutio. de rerum diuis. panag. lapilli. ratio etiam id suadet, quia littora iure Gentium remanserũt communia. nota tamen, quòd excipiuntur bona naufragorum in littore inuenta, ista enim sunt restituenda dominis, quia non habentur pro derelictis ab illis, vt notat Caietanus hoc in loco; immò suscipientes huiusmodi naufragorũ in littore inuenta excomunicantur in Bulla Cęnę Domini, cuiuscunque generis bona sint, & in quocunque mari. contra quam excomunicationem nec priuilegium, nec consuetudo, aliquaue etiam longissimi, & immemorabilis temporis possessio, aliusue prætextus aliquid operatur, quominus talia bona surripientes eã cõtrahant, & est quarta in ordine. lapilli tamen, gemmæ, quæ in littore inueniuntur, nec sunt naufragorum, sunt occupantis. & est eadem ratio de inuentione vetusti thesauri, scilicet cuius domini nulla extare potest memoria, quia tunc, vt notat Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 3. a. 3. ad 2. ille thesaurus ita se habet, ac si esset auri fodina, quã terra nutrit. legibus tamen ciuilibus medietas domino agri adiudicatur, perindè ac si eius fructus esset, si in agro alieno inueniretur, quod ius quàm sit antiquum, parabola Euangelica ostendit de inuentore thesauri in agro alieno, cuius prudentiæ adscribitur, quòd illũ prius coemerit, quàm thesaurum proderet, vt integer sibi obueniret. si autẽ thesaurus postea reperiatur in agro proprio, totus est inuentoris, nisi adsit aliqua lex, quæ præcipiat medietatem, vel aliam partẽ dandam esse Principi, cui esset parendum, & partem taxatam à lege dandam esse Principi, docet Toletus lib. 5. cap. 18. num. 6. qui etiam testatur esse huiusmodi Principum leges, vt etiã ex littera D. Thomæ elicimus, sed Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 3. a. 3. ad 2. ait, quòd si Princeps ali-

aliquam conderet legem, quæ quotam aliquam ab inuentore exigeret, talis exactio nullam haberet in se iustitiam, vnde credit ipse, quòd vbi datur hæc lex, non obligat conscientias, sed asserit inuentorem secundùm ius commune posse bona conscientia possidere thesaurum illum. Paludanus autem 4. sent. d. 15. q. 3. docet, iam ex consuetudine vniuersos thesauros, vbiuis reperiantur, esse Principum. sed meritò reijcitur à Siluestro verb. inuentum. §. 13. & à Dominico Soto loco citato, & ab Aragona. 2. 2. q. 66. a. 5. quia talis consuetudo in Republica benè instituta non extat, vnde subiungit idem Sotus, quòd Princeps tanquam dominus nō potest quippiam exigere, quando thesaurus est in loco ciuis, nisi forsan ingruente graui necessitate publica tanquam gubernator poterit id genus tributi petere; ait autem Principem nō posse exigere quotam thesauri inuenti in loco ciuis, quia si inueniatur in loco Principis proprio, sua quota thesauri erit ei danda, nam tit. institutio, postquam asseruit, quòd qui in loco alieno repererit thesaurum, medietatem det domino, subdit, quòd pari ratione si inuenerit in loco Cæsaris, dimidium, det Cæsari, & si in Fiscali loco, vel publico, det etiam medietatem Fisco, leges vero non loquuntur dandā esse quotam thesauri inuenti Principi, nisi vbi loca sunt propria Principis, aut Ciuitatis. De metallorum autem venis vsum iam obtinuisse asserit idē Sotus, vt pars quinta obueniat Principi, quia venæ illæ sunt res naturales, quæ quodammodo in bonum publicum metalla progignunt. huic doctrinæ Soti subscribo libenter nedum ob tanti viri auctoritatem, quæ maxima est, sed etiam ob efficaciam rationum eius. aduertat tamen inuentor thesauri in agro proprio, quòd si inuentio sit secreta, toto thesauro à Diuina prouidentia sibi prouiso gaudeat lætanter, & tutus maneat in cōscientia; si autem fiat publica, obseruet consuetudinem, vel legem, si quæ est, circa dandam quotā Principi, ne, dum vult retinere medietatem thesauri, totum amittat, & in alias incidat pœnas. nunc disserendum est de inuentis, quæ præsumūtur habere dominos, puta quis inuenit crumenam nummis plenam in uia, vel anulum, vel monile, quæ verum habent dominum, sed ignoratū ab inuentore, quæritur, quid faciendum de istis inuentis. Toletus lib. 5. cap. 18 nu. 4. tria asserit, quorum primum est, quòd inuentor tenetur inuenta dare domino, ad quem inueniendum debet vti diligentia aliqua, si quæ autem expensæ sunt fiendæ in tali diligentia adhibenda, sumantur ex ipsa re inuenta. secundum est, quòd si dominus non comparet, debent dari pauperibus secundùm communem sententiam. tertium est, quòd si inuentor esset pauper, posset sibi aut totum, aut partem pro ratione necessitatis applicare. Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 3. art. 3. asserit, quòd inuentor post adhibitam diligentiam de inueniendo verò domino, & nō inuento potest inuenta sibi retinere tuta conscientia, dummodo iste casus non sit reseruatus. cui opinioni adhæreo ego, ad cuius explicationē nota aliqua, primò quòd inuentor tenetur sedulò quærere dominum propalando inuentū multis, vt possit ad aures domini peruenire notitia inuenti, per concionatorem, aut alijs commodis vijs secundùm quòd quantitas inuenti exegerit, & si hac non vtatur diligentia, furti reus censebitur inuentor. obserua secundò, quòd in casu, quo non inuenitur dominus, res ita se habet, ac si domino careret, vnde qui rem inuentam, & domino carentem apud se retinet, nulli facit iniuriam, neminem lædit, sicut iam diximus de gemmis, & lapillis in littore maris adinuentis, quæ vt non habentia dominum sunt occupantis. aduerte tertiò, quòd aliud est loqui de huiusmodi inuentis ex quadam æquitate, & aliud ex iustitia, non est autem dubium, quòd æquitas postulat, Charitas exigit, vt inuenta post adhibitam sufficientem diligentiam in quærendo verum dominū, & non inuento, dentur pauperibus, vt cōmunis tenet opinio, hocque tanquā saluberrimū consiliū docet Dominic' Sotus vbi supra diuites inuentores; vnde laudo consuetudinem illorum locorum, qui publicè in Ecclesia appendunt capsulas pro recipiendis restitutionibus incertis, quæ postea in vsus pauperum ad libitum Episcopi expenduntur. ex quo elicio, quòd si inuentor est pauper, poterit totum inuentum, vel partem eius apud se retinere pro sua indigētia subleuanda; ex iustitia tamen ad hoc non tenetur, cum nec ius naturæ, nec Gentium hoc præcipiat, quin potius hæc iura inuentori faueant, vt per singula ægregiè discurrit Sotus loco citato, nam quod ius naturæ inuentoribus rerum faueat, patet ex hoc, quia res ius naturæ non diuisit, sed permisit in communi possideri, ius autem Gentium id, cuius non extat dominus, primò occupanti permittit, sed res illa, cuius dominus non comparet post adhibitam diligentiam legitimā, ita se habet, ac si nullus esset dominus eius, ergo qui inuenit eam, acquirit super eam ius. quòd autem ius Gentium, siue positiuum hoc idem velit, suadetur, quia Iurisperiti non aliud afferunt ius, quam cap. cum tu. de vsuris. & similia, quibus pecunia vsuraria, & simoniaca adiudicatur pauperibus, iura autem huiusmodi non loquuntur nisi de rebus malè acquisitis, vt habetur can. non sanè. 13. qu. 5. inuentio autem non est iniqua acquisitio, sed licita, ergo inuenta non debentur pauperibus, ergo inuentoribus. quòd potest confirmari ex vsu communi. quæret nunc aliquis, an postquam inuentor pauperi dedit, vel sibi retinuit rem inuentam, si compareat dominus, teneatur ei reddere rem inuentam. respondebitur non teneri, si tamen facta fuerit legitima, & sufficiens diligētia in domino inueniēdo. sic docet Toletus lib. 5. cap. 18. num. 5. & ratio id suadet, quia pauper, vel inuentor iam acquisiuit ius super rem illam, & consequenter sua est, & non illius, qui aliàs erat verus dominus, & maximè si intercedat tempus vsucapionis.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 5. cap. 18. nu. 4. Valentia tom. 3. d. 5. q. 16. num. 3. & alij.

Quæri-

Quæritur, an qui accipit rem suam apud alium dicatur furari.

12 Respondeo dicendum, quòd ille, qui furtim accipit rem suam apud alium depositam, grauat depositarium, quia tenetur ad restituendum eam, vel ad ostendendum se esse innoxium, vnde manifestum est, quòd peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij; qui verò furtim accipit rem suam apud alium iniustè detentam, peccat quidem, non quia grauet eũ, qui detinet, & ideò non tenetur ad restituendum aliquid, vel ad recompensandũ; sed peccat contra communem iustitiam, dum ipse sibi vsurpat suæ rei iudicium iuris ordine prætermisso, & ideò tenetur Deo satisfacere, & dare operam, vt scandalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur. 2.2.q.66.a.5.ad 3.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. manifestum est, quòd ille, qui furtim accipit rem suam apud alium depositam, peccat, & tenetur ad releuandum grauamen depositarij. probatur; quia grauat depositarium, quia tenetur ad restituendum eam, vel ad ostendendum se esse innoxium. secunda conclusio. qui furtim accipit rem suam apud aliũ iniustè depositam, peccat quidem, nõ quia grauet eum, qui detinet, & ideò non tenetur ad restituendum aliquid, vel ad recompensandum, sed peccat contra communẽ iustitiã. probatur, quia ipse sibi vsurpat suæ rei iudicium iuris ordine prætermisso. hinc elicit corrolarium, quòd ideò tenetur Deo satisfacere, & dare operam, vt scãdalum proximorum, si inde exortum fuerit, sedetur.

Duæ istę conclusiones petunt duas difficultates, quarum prima est, an liceat occultè rem suã apud alienum iustè detentam, vt apud depositarium recuperare, & hoc quærit prima conclusio. secunda est, an liceat alicui occultè rem suam iniustè apud alium detentam, puta fu rem recuperare. quia autem istę duæ difficultates ijsdem innituntur fundamentis, ideò simul resoluendæ sunt. circa has ergo difficultates dico duo; quorum primum est, quando quis potest alia bona via rem suam apud alium iuste, vel iniustè detentam recuperare, non debet eam occultè accipere, aliter peccat. hoc multis conprobo rationibus, quarum prima est, quia hoc modo lædit depositarium, qui licet non sit simpliciter dominus rei depositæ, est tamen illius dominus secundùm quid, lædit etiam rapientem, qui est dominus secundùm quid, idest quo ad detentionem rei, vt supra dicebamus cum S. Thoma. secundò quia grauat depositarium in hoc, quòd ipsum exponit periculo restituendi eam; & licet possit depositarium liberare à tali periculo significando illi se suam recuperasse rem, attamẽ interim exponit eum periculo multa iudicia temeraria admittendi, ex quo odia, rixæ, contentiones oriuntur, maxime cum domesticis, qui tamen hoc penitus ignorant; si autem nollet depositario significare rem suam se recepisse, verè ille furtum committit, quia accipit rem, quæ erat depositarij quoad custodiam, & obligationem restitutionis; non tenebitur tamen ad illius restitutionem, quia simpliciter illius est dominus, obligabitur tamen significare aliquando depositario recuperationem rei suæ; eadem dico de fure; & si grauat depositarium merum, qui scilicet nullum ex deposito acquirit commodũ, multò magis lædet depositarium illum, qui ex deposito aliquod reportat commodum. tertiò probatur, quia non licet sibi priuata auctoritate ius dicere, & priuata auctoritate rem suã recuperare: quartò quia licet res, quam occultè surripit, sit sua, modus tamen est illicitus, quo lædit ministros iustitiæ, dum eorum sibi vsurpat officium. hoc nostrum primum dictum verum est regulariter loquendo. hinc deduco secundum dictum, nempè quòd concurrentibus quibusdam condicionibus licitum erit à depositario, vel à fure rem suam occultè accipere. prima condicio est desumpta ex Dominico Soto lib. 5. de iustitia, & iure qu. 3. a. 3. vt scilicet sit certissimus rem sibi esse debitam ex iustitia; quia si quidpiam dubietatis esset, minimè id liceret iuris ordine prętermisso. hinc patet, non posse famulos surripere occultè à dominis suis aliquid vltra salarium suũ prætextu quòd nõ satis pro suo famulatu, & seruitio rependitur, salarium siquidem suum si non possunt extorquere alia via, quam per latentem ereptionem, vtiq; hoc licebit, illud autem auctarium, quod famuli prætendunt, nequaquam latenter accipere possunt, nisi tamẽ, vt subiungit ibidem Sotus, vi, aut fraude coacti à dominis fuerint seruire, quia volenti nõ fit iniuria, & ideò si illi famuli nõ volunt illo precio seruire, abeãt. rursus secundum Nauarrum in manuali cap. 17. num. 114. famuli non possunt latenter eripere aliquid à domino pro suorum obsequiorum satisfactione, quibus licet aliqua recompẽsatio debeatur debito gratitudinis, non tamen debetur debito de iustitia vera, & legali, obligatio autem gratitudinis non parit ius petendi, sicut obligatio legalis, vt ostendit S. Thomas 2. 2. q. 58. & q. 106. nec sufficit debitum Charitatis, aut Religionis, vt si aliquis grauem pateretur necessitatem, non potest occultè accipere ab eo, qui nõ vult illi dare elemosinam, etiam si ex Charitate ad eam teneatur; nec ab eo, qui vouit dare eleemosinam, & non vult illi dare. secunda desumitur ex eodẽ Soto vbi supra, vt quis omnia expertus certus sit, se non posse via iuridica rem suam recuperare, aliter publicæ potestati iniuriã faciet, quia scilicet Iudex ex iniquitate nõ vult cogere debitorẽ ad soluẽdũ, nec vult illi ius dicere, aut quia timet rẽ suã petere in iudicio propter scãdalũ, damnũ, aut inimicitias, aut ꝓpter tãtas expẽsas aut propter defectũ testiũ, & probationũ, vel, vt ait Caietanus hoc in loco, obseruatio ordinis iuris aut impe-

impediret dominum ab habēdo suum, aut efficere non posset, vt dominus haberet suum, nisi fortè cum maiori damno domini; extra etiam iudiciū scilicet quia debitor non vult soluere ratione potentiæ, & hæc est potissima inter alias, ob quas licitum est occultè rem suam auferre. tertia desumitur ex Sairo lib. 9. clauis regiæ. cap. 14. nu. 1. vt non plus accipiat, quàm sibi debetur ex iustitia, quia furtum esset respectu excessus, & consequenter obligaretur ad restitutionem. quarta desumitur ex Ludouico Lopez p. 2. instruct. conscientiæ c. 8. qđ sit illi verisimile, quòd ad debitū recuperandum nihil sibi proderit petere à debitore. hinc patet male dixisse Emanuel Sa verb. furtum, non esse scilicet peccatum mortale clam ab eo accipere, qui daret, si peteretur. quinta cōditio est, quòd debet cauere, qui sic occultè suum surripit, ne aliquid scandali, aut damni alteri sequatur; multò magis cauere debet periculū mortis corporalis, vel alterius læsionis magnæ, quia Iudices solent huiusmodi surreptiones occultas punire, si probentur. sexta conditio est, vt sic surripiens admoneat debitorem, vel eius hæredes, iam debitum esse solutū, ne debitum iterum sibi, aut suis hęredibus soluant, vel aliud damnum incurrant. his concurrentibus conditionibus licitum erit vnicuique rem suam occultè accipere, quam si non inueniat in specie, poterit accipere æquiualens, & tunc nulli facit iniuriam; non debitori, quia recuperat, quod suum est; non iustitiæ, quia cum non teneatur rem suam amittere, & eam non possit per Iudicem, & publicam iustitiam habere, ad quam supponimus prius recurrisse, ideò licebit sibi eam occultè surripere, & sibi satisfacere; nec in hoc casu fieret contra iustitiam, sed præter eam, inquantùm non seruatur iuris ordo; nec tunc diceretur creditor sibi facere ius, sed potius exequi ius suum, quia auctoritate aliqua non vtitur, sed sola occulta acceptione, vt ait Caietanus hoc in loco. si autē hæc omnia non concurrunt, peccabit quidem, sed tamen ad restitutionem non tenebitur. si exactiorem hac de re quis postulat eruditionem, legat Paludanum 4. sent. d. 14. q. 2. a. 2. concl. 5. & dist. 35. q. vnica. art. 4. concl. 3. S. Antoninum p. 2. tit. 1. ca. 1. §. 1. Siluestrum verb. Bellum. 1. q. nona. & verb. bellum. 2. q. 8. & verb furtum. quæst. 12. 13. Caietanum hoc in loco, Dominicum Sotum lib. 5. de iust. & iure. q. 3. a. 1. & art. 3. ad 1. Dominicum Bannes 2. 2. quæst. 66. artic. 5. Ludouicum Lopez p. 2. instruct. conscientiæ cap. 4. Michaelem Salon, & Petrum Aragonam 2. 2. quæst. 66. artic. 5. Nauarrum in manuali cap. 17. num. 112. & in cap. inter verb. 11. quæst. 3. concl. 6. corrol. 66. num. 792. Sairum lib. 9. clauis regiæ cap. 14. dub. 2.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Valentia tom. 3. disp. 3. q. 10. p. 5. Toletus lib. 5. cap. 15. num. 6. & alij.

Quæritur, an liceat alicui furari propter necessitatē.

13 Respondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt iuris humani, non possunt derogare iuri naturali, vel iuri Diuino, secundùm autem naturalem ordinem ex Diuina prouidentia institutum res inferiores sunt ordinatæ ad hoc, quòd ex his subueniatur hominum necessitati, & ideò per rerum diuisionem, & appropriationem ex iure humano procedentem non impeditur, quin hominis necessitati sit subueniendum ex huiusmodi rebus, & ideò res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum sustentationi, vndè Ambrosius dicit, & habetur in Decretis. d. 47. esurientium panis est, quæ tu detines, nudorum indumentum est, quod tu recludis, miserorum redemptio, & absolutio est pecunia, quam tu in terram defodis, sed quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subueniri, committitur arbitrio vniuscuiusque dispensatio propriarum rerum, vt ex eis subueniat necessitatem patientibus, si tamen adeò sit euidens, & vrgens necessitas, vt manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subueniendum, puta cum imminet personæ periculū, & aliter subueniri non potest, tunc licitè potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subuenire, siue manifestè, siue occultè sublatis: nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ. 2. 2. q. 66. art. 7. in corp.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. per rerum diuisionem, & appropriationem ex iure humano procedentem non impeditur, quin hominis necessitati sit subueniendum ex huiusmodi rebus. probatur, quia ea, quę sunt iuris humani non possunt derogare iuri naturali, vel iuri Diuino, sed secundùm ordinem naturalem ex Diuina prouidentia institutum res inferiores sunt ordinatæ ad hoc quòd ex his subueniatur hominum necessitati, ergo &c. secunda conclusiō. res, quas aliqui superabundanter habēt, ex naturali iure debentur pauperum sustentationi. probatur auctoritate Ambrosij, quæ habetur in decret. dist. 47. tertia conclusio. cōmittitur arbitrio vniuscuiusque dispensatio propriarum rerum, vt ex his subueniat necessitatem patientibus. probatur, quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subueniri. quarta conclusio. si adeò sit euidens, & vrgēs necessitas, vt manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrētibus esse subueniendum, puta cum imminet personæ periculum, & aliter subueniri non potest, tunc licitè potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subuenire siue manifestè, siue occultè sublatis, nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ.

Tota difficultas hujus litteræ est circa quartã conclusionem, quæ etiam ad rem attinet præsentem. conclusio ergo D. Thomæ est, quòd existens in extrema necessitate potest necessaria sibi prouidere ex rebus alienis siue occultè, siue manifestè acceptis sine peccato furti. quam non pbat, sed eam vt manifestam relinquit, eam tamẽ tali possumus ratione fulciri, quia in tali necessitate omnia sunt communia, & talem patiens necessitatem accipiendi aliena ad sui sustentationẽ suo vtitur iure, vnde qui in tali necessitate prohiberet patientem, ne res acciperet alienas, impediret eum, ne suo vtatur iure, & esset mortem illi inferre iuxta illud Ambrosij, si non pauisti, occidisti; cum ergo in tali necessitate omnia sint communia, rectè ait S. Thomas, quòd accipiens siue occultè, siue manifestè per vim in tali necessitate alienã, non dicetur peccare peccato furti, vel rapinæ, vt etiam hoc in loco obseruat Caietanus, & expressius hoc asserit S. Doctor hoc in loco ad 2. vbi ait, quòd vti re aliena occultè accepta in casu necessitatis extremę non habet rationem furti propriè loquendo, quia per talem necessitatem efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandum propriam vitam, vnde rectè subiungit Caietanus hoc in loco abusiuã esse locutionem dicendo, quòd in necessitate extrema liceat furari, est enim implicentia in adiecto, quòd sit furtum in extrema necessitate accipere aliena, si enim est in extrema necessitate, iã omnia sunt illi communia, ergo si accipit ex illis, accipit, quòd suum est, ergo non furatur, quia furtum est occulta acceptio rei alienæ. conclusio ergo D. Thomæ loquitur de extrema necessitate, & in tali extrema necessitate licebit vnicuiq; illam patienti accipere ad sui sustentationem de rebus alienis sibi occurrentibus cuiuscunque fuerint; extra tamen talem necessitatem extremam non licebit de rebus alienis accipere, vt magnæ necessitati propriæ, vel alienæ subueniat, vt obseruat Caietanus hoc in loco, vt videbim⁹ iam iã. quid autem sit extrema necessitas, supra exposuimus, nunc breuiter dico cum Dominico Soto lib. 5. de iustitia, & iure. qu. 3. a. 3. eam non esse, cum quis iam iam aut fame strangulatur, aut frigore, aliaue calamitate absumitur, vt vulgus putat; nec eam esse, cui sit impossibile remedium afferre, sed ea est necessitas extrema, quando quis periculo appropinquat incurabilis infirmitatis, aut alterius miserię, quæ homines solet cõficere, & quam quis incurreret, nisi præcaueat, & prouideat sibi de necessarijs: vel dicamus, & in idem redit, quòd necessitas extrema ea est, quam patiuntur illi, qui non habent necessaria omninò suo victui, & sustentationi, vt cum quis constituitur in periculo vitæ ex defectu cibi, aut potus, aut vestitus, aut alterius rei. in tali ergo necessitate licebit ad sui sustentationem accipere occultè, vel manifestè res alienas, si tamẽ non reperiatur in eadem necessitate etiam dominus illarum rerum, cum in tali necessitate melior sit conditio possidentis, vnde in tali casu nõ liceret huiusmodi res alteri simpliciter necessarias surripere. conclusionem sic explicatam D. Thomæ sequuntur Caietanus hoc in loco, Siluester verb. furtum. qu. 5. Dominicus Sotus loco citato, Dominicus Bannes hoc in loco: Tabiena verb. furtum. vers. sexto. Ludouicus Lopez 2. p. instruct. conscient. c. 93. Petrus Nauarrus lib. 3. de rest. part. 4. dub. 5. num. 27. & dub. vlt. num. 415. Michael Salon, Petrus Aragona hoc in loco, Nauarrus in manuali cap. 17. nu. 5. & nu. 118. Quod facit hac in re difficultatem, est, quòd sicut furtum septimo prohibetur præcepto decalogi, ita fornicatio sexto præcepto, sed non licet fornicari in extrema necessitate salutis corporalis, ergo neq; furari licebit in tali extrema necessitate. Sairus lib. 9. clauis regiæ cap. 14. dub. 6. n. 21. varias refert responsiones diuersorum, quas etiã confutat præter responsionem Siluestri, quam sequitur Salon, & ipse Sairus. nos respondemus ex doctrina D. Thomæ hoc in loco, nempè quòd argumentum supponit vnum falsum, scilicet quòd detur furtum in extrema necessitate, hoc si quidem implicare, iam supra ostendimus, vndè sicuti ex hoc quòd fornicatio intrinsecè est mala, ideò nunquam est licita, ita furtum ex hoc quòd intrinsecè est malum, ideò nunquam est licitum, in casu autẽ necessitatis extremæ occulta acceptio rei alienæ non est furtum, quia verè non accipitur alienum, sed suum, in casu autem extremæ necessitatis salutis corporalis accedere ad mulierẽ solutam erit fornicatio, nec ratione extremæ necessitatis desinit esse malum, sicut ob eandem necessitatem extremam desinit esse malũ accipere aliena. ex dictis liquet non licere in graui necessitate surripere aliena, quia hæc necessitas non facit aliena communia, sicut extrema, vnde remanebit furtum in sua natura, quod semper est illicitum. adest tamen Lessius, qui lib. 2. cap. 12. dub. 12. asserit, posse licitè quempiam surripere aliena in necessitate valdè graui, quia sicut dominus tenetur dare, ita iste potest accipere absq; injuria domini, cum faciat id, ad quod dominus tenetur: vlterius quia ex graui necessitate facilis est lapsus in extremam; & sicut à natura concessum est, vt quisque sibi extremè indigenti ex re aliena subueniat, & succurrat, ita etiam videtur concessum, vt sibi valdè indigenti succurrat, cum nulla appareat ratio, cur hoc ad extremam necessitatẽ restringatur. sed respondetur faciliter ad hæc argumenta; & ad primum dicitur, quòd licet dominus ex debito Charitatis teneatur in graui valdè necessitate dare res, non licebit tamen patienti valdè grauem necessitatem res accipere, quia debitum Charitatis non facit illum dominum rei, sicut facit debitum iustitiæ, nec necessitas valdè grauis facit omnia communia, sicut extrema facit necessitas, vndè si accipiat iniuriam irrogat domino; posset quidem accipere, si dare teneretur dominus ex debito iustitiæ, vt contingit in extrema necessitate: ad secundum dicetur, quòd licet sit facilis lapsus ex graui necessitate ad extremã, sistimus tamen nos in præcisa necessitate graui, interquam, & extremam cum maximũ reperiatur discrimen, licebit in vna accipe-

accipere alienum, quòd non licebit in altera, extrema enim facit omnia communia, nō sic grauis; insuper in extrema tenetur homo succurrere ex debito iustitiæ, sicut in graui ex debito tantùm Charitatis. ex his etiam patet, non licere accipere aliena ad impediendam honoris, & pudicitię amissionem, quia hæc est grauis necessitas tantū, in graui autem iam diximus non licere aliena accipere; vlterius quia surreptio rei alienæ non est medium ad tuendam pudicitiam, & honorē, vt ait Dominicus Bannes 2.2.q.32.arti.6. & alij, qui Bannes etiam subdit, licitum esse in hoc casu surripere cum animo restituendi, si infamia, seu amissio honoris & aliter non possit euitari, quia dominus non censetur rationabiliter inuitus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Lessius lib.2.cap.12.dub.12. Emanuel sà in aphorismis verb. furtum. & alij.

Quæritur, quare non sit furtum accipere aliena in extrema necessitate.

14 Respondeo dicendum, quòd vti res aliena occultè accepta in casu necessitatis extremę non habet rationem furti propriè loquendo, quia per talem necessitatem efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam. 2.2.qu.66. art.7. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quę est. vti rē aliena occultè accepta in casu necessitatis extremę nō habet rationē furti propriè loquendo. probatur, quia per talem necessitatem efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandum propriam vitam.

Hæc doctrina remanet explicata ex supradictis, quibus diximus cum Caietano esse abusiuam locutionem dicendo, quòd in extrema necessitate liceat furari, immò esse implicantiam in adiecto, si enim quis laborat necessitate extrema, iā illi facta sunt omnia communia, ergo si accipit aliqua, accipit, quod suum est, ergo non furatur. sola ergo necessitas extrema facit res cōmunes, non autem grauis, ergo solum in extrema licebit accipere aliena. quod si aduertisset Lessius, non docuisset, quod etiam in valdè graui hoc licet.

Quæritur, an in casu similis necessitatis liceat accipere aliena pro subuentione proximi.

15 Respondeo dicendum, quòd in casu similis necessitatis etiam potest aliquis occultè rem alienam accipere, vt subueniat proximo sic indigenti. 2.2.quæst.66. artic. 7. ad 3.

Quòd etiam in casu similis necessitatis possit quis occultè rem alienam accipere, vt subueniat proximo sic indigenti, docet D. Thomas hoc in loco.

S. Thomas loquitur hoc in loco de extrema necessitate, in qua reperitur proximus, de qua ēt locutus est in superiori quæsito. 13. vnde sicut ibi conclusit posse aliquem extrema necessitate laborantē accipere occultè, vel manifestè per vim aliena, vt propriam sustentet vitam, ita nunc cōcludit posse etiam in tali extrema necessitate accipere aliena ad vitam aliorum sustentandam, si tali laborent necessitate, quia sicut in primo casu accipiebat, quod suum est, ita in hoc casu accipit quis, quod est patientis extremam necessitatem; & sicut in primo casu non interuenit furtum, ita nec in isto. licet ergo in extrema necessitate accipere aliena ad sustentandam vitam propriam, & alienam. hic tamen aduerte, quòd non licet surripere aliena pro subleuandis pauperibus extremè patientibus, si surripiēs habet aliquid, per quod possit succurrere extremè patientibus, quia tunc faceret contra iustitiam. & in hoc sensu intelligitur D. Augustinus in lib. contra mendaciū cap.7. vbi ait, non licitum esse accipere rem alienam, vt per eleemosinam proximo subueniat, intelligitur enim in casu, in quo ex proprijs alicui possit sustentari extremè patiens; si autem nihil habeat proprij, poterit accipere aliena pro illis subleuandis. ratio est, quia sicut ipsi extremè patientes possunt surripere, ita etiam nos possumus illos adiuuare surripiēdo, cum hoc nihil aliud sit, quàm cooperari ad actionem licitam.

Quæritur, an furtum sit grauius peccatum, quàm rapina.

16 Respondeo dicendum, quòd rapina, & furtum habent rationem peccati propter inuoluntarium, quod est ex parte eius, cui aliquid aufertur, ita tamen quòd in furto est inuoluntarium per ignorantiam; in rapina autem est inuolūtarium per violentiam, magis est autem aliquid inuoluntarium per violentiam, quàm per ignorātiam, quia violentia directius opponitur voluntati, quàm igorantia, & ideò rapina est grauius peccatum, quàm furtum. est & alio ratio, quia per rapinam non solum infertur alicui damnum in rebus, sed etiā vergit in quandam personæ ignominiam, siue iniuriam, & hoc præponderat fraudi, vel dolo, quæ pertinent ad furtum 2.2. qu. 66. a. 9. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. rapina est grauius peccatum, quàm furtum. probatur dupliciter, & primò, illud est grauius peccatum, vbi inuenitur magis inuoluntarium, sed in rapina est magis inuoluntarium, ergo &c. maior probatur, quia rapina, & furtum habent rationem peccati propter inuoluntarium, quod est ex parte eius, cui aliquid aufertur. minor probatur, quia in furto est inuoluntarium per ignorantiam, in rapina autem est inuoluntarium per violentiam, magis autem

est aliquid inuoluntarium per violentiam, quàm per ignorantiam, quia violentia directius opponitur voluntati, quam ignorantia. secundò probatur conclusio, quia per rapinam non solum infertur alicui damnum in rebus, sed etiam vergit in quãdam personæ ignominiam, siue iniuriam, & hoc præponderat fraudi, vel dolo, qui pertinet ad furtum, ergo &c.

Ad explicationem huius doctrinę obserua rapinam, & furtum in hoc conuenire, quòd vtrumque vitium est acceptio alieni, in hoc autem distingui, quòd furtũ tollit voluntatem per ignorantiam, rapina verò per violentiam, violentia autem ex diametro magis opponitur voluntati, quàm ignorantia, quia violentia aperto marte pugnat contra actum nolendi, ignorantia verò efficit inuoluntarium per absentiam actus, qui enim ignorat, non vult, sed qui resistit, contrariè vult, & sic remanet explicata prima ratio. ad explicationem etiam secundæ rationis nota, qđ etiam in hoc distinguitur rapina à furto, quòd rapina addit iniuriam factam domino, dum raptor eum non æstimat, quia sine metu eum adoritur, quod non accidit in furto, fur enim, dum occultè accipit rem alienam, pluris æstimare videtur dominum, quia per metum non audet eũ apertè aggredi, sed latenter, qua etiam ratione contumelia peior est murmuratione. his duabus rationibus addit tertiam Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 3. a. 4. nempe quòd rapina nedum lædit proximum in bonis externis, & in honore, sed etiam vitæ periculum offert, raptor siquidem, sicut & latro vtuntur armis, quibus resistentem vita priuent, quod non facit fur. hinc est, quòd leges mortem condonabunt furi, quòd non facient raptori, & latroni, immò nec perfugium ad sacrum illis suffragari volunt.

Quæritur, quam pœnam mereatur furtum.

17 Respondeo dicendum, quòd pænę pręsentis vitæ magis sunt medicinales, quàm retributiuæ, retributio enim reseruatur Diuino iudicio, quod est secundùm veritatem in peccantes, & ideò secundùm iudicium præsentis vitæ non pro quolibet peccato mortali infligitur pęna mortis, sed solum pro illis, quæ inferunt irreparabile nocumentum, vel etiam pro illis, quæ habent aliquam horribilem deformitatem, ideò pro furto, quod irreparabile damnũ non infert, non infligitur secundùm præsens iudicium pæna mortis, nisi vt furtum aggrauatur per aliquam grauem circunstantiam, sicut patet de sacrilegio, quod est furtum rei sacræ, & de peculatu, quod est furtum rei communis, vt patet per Augustinum super Ioannem, & de plagio, quod est furtũ hominis, pro quo quis morte punitur, vt patet exodi 21. 2.2.q.66.a.6.ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. secundùm iudiciũ præsentis vitæ non pro quolibet peccato mortali infligitur pæna mortis, sed solum pro illis, quæ inferunt irreparabile nocumentum, vel etiã pro illis, quæ habent aliquam horribilem deformitatẽ, probatur, quia pænæ præsentis vitæ magis sunt medicinales, quàm retributiuæ, retributio enim Diuino reseruatur iudicio, quod est secundùm veritatem in peccantes. secunda conclusio. pro furto non infligitur secundùm præsens iudicium pæna mortis, nisi vt furtum aggrauatur per aliquam grauem circonstantiam, sicut patet de sacrilegio, quod est furtum rei sacræ, & de peculatu, quòd est furtum rei communis, & de plagio, quod est furtum hominis. probatur prima pars, quia furtum irreparabile damnum non infert. probatur secunda pars de sacrilegio, & peculatu ex Diuo Augustino, & de plagio ex Exodi 21.

Circa secundam cõclusionem, quæ ad rem nostram attinet, varias video opiniones, nam Scotus 4. sentent. d.15.q. 3. §. de secundo. docet nõ residere apud Rempublicam potestatem suspendendi fures, quia nõ valet quemquam morti addicere, nisi in casibus expressis antiqua lege. sed hæc opinio non potest sustentari, quia iure naturæ, quod nusquam Diuinitus reuocatum est, potest publica vlcisci scelera, prout salubri' viderit expedire, & satis confutatur à Caietano 2. 2. q. 64. a. 2. & à Sairo lib. 9. clauis regiæ cap. 15. nu. 35.36. & à Dominico Sotó lib.5. de iustitia, & iure. q. 1.ar. 2. Alensis 3.p. q.47. memb.4.a.3. non negat, esse in Republica occidendos fures, docet tamen, regulariter fures suspendendos non esse ob rationem inæqualitatis damni, quæ est inter ablationem rerum temporalium, & amissionem vitæ, vnde ait suspendi posse, & debere solum fures nocturnos, quia de eis præsumitur, quòd veniant ad occidendum; & fures diurnos, qui armati procedunt, & occidere parati sunt, ne comprehendantur; & fures à Iudice signatos, & cauteriatos; & semel, vel secundò, & tertiò deprehensos in furto; & latrones, seu viarum aggressores, alios autem fures occidere nõ licet. Ioannes Maior 4. sent. d. 15. q. 27. ar. 4. Gabriel 4. sent. d. 15. q. 15. a. 3. dub. 1. Alphonsus de Castro lib. 1. de potestate legis pænalis cap. 6. Franciscus Victoria relect. de homicidio. num. 11. Didacus Couaruuias lib. 2. variarum resolutionũ cap. 9. num. 7. Michael Salon 2. 2. q. 66. ar. 6. controuers. 4. Petrus Aragona ibidem, Dominicus Bannes ibidem dub. 1. Petrus Nauarrus lib. 2. de restitut. c. 3. dub. 1. num. 7. Sairus lib. 9. clauis regiæ cap. 15. num. 33. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 8. p. 1. D. Thomas docet pro furto, quod irreparabile dãnum non affert, non infligi secundùm præsens iudicium pænam mortis, nisi sit sacrilegium, vel peculatus, vel plagium. idem docet Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 3. art. 3. ad 3. qui inuehitur contra Baldum, tanquam in causam supplicij furium, nempe suspensionis, eiusque rationes soluit. subdit tamen, quòd pro simplici,

plici, aut geminato furto, si non est magnum, aut flagellis cæsi, aut aures recisi, seu ferro iniusti relegentur; pro trino tamen, aut pro vno enormi ad furcas suspendantur, & hunc esse vsum receptissimum asserit. Caietanus 2. 2. qu. 64. artic. 2. docet, quòd quando fures sunt perniciosi paci publicæ, non minus quàm hostes publicæ pacis, possunt publica auctoritate occidi. Doctrina D. Thomæ solida consistit, quam etiam his comprobo rationibus, quarum prima est, quòd cum bonorum tria sint genera, in quorum infimo collocantur bona fortunæ, in secundo ponuntur bona corporis, in tertio bona animæ, propter conseruationem autem bonorum superioris Ordinis amittenda sunt bona inferioris generis, vt propter conseruationem honoris amittitur vita, propter conseruationem vitæ perduntur bona fortunæ, non autem è conuerso propter bona inferioris ordinis sunt amittenda bona superioris ordinis, vt ob conseruationem rerum suarum nō debet quis perdere vitam, aut honorem, cum ergo vita hominis sit altioris ordinis, quàm bona fortunæ, ergo fur non erit morte plectendus pro furto, & damno, quod intulit in bonis fortunæ. secunda est, pœna debet correspondere damno illato ob peccatum commissum; sed amissio vitæ est irreparabilis, ergo nō debet infligi mors pro furto, quod irreparabile damnum non infert. tertia est, iudicium humanū debet immitari Diuinum, sed Deus nō adiudicat fures ad mortem, sed ad pœnam temporalem, vt patet exodi 22. vbi dicitur, si quis furatus fuerit bouem, aut ouem, quinque boues pro vno boue restituet, quattuor oues pro vna oue, ergo & hoc debet obseruari in iudicio humano. quarta est, vita hominis in hoc mundo nil carius, nil preciosius, ergo hac vita non debet quis priuari propter bonorum infimorum amissionem. hæc, quæ diximus, vera sunt de furto simplici, nam si postea loquamur de furto qualificato, quale est sacrilegium, per quod rei sacræ infertur iniuria; vel de peculatu, qui importat furtum pecuniæ publicæ; vel de plagio, quod est furtum hominis, pro his potest infligi mors, & de plagio patet exodi 21. & ratio id suadet, quia sicut iste furatur hominem, & solacio hominis priuat consanguineos suos, & Patriam spoliat suo membro, ita dignum est, vt ipse priuetur vita; de peculatu etiam patet, quia isti tanquam hostes Reipublicæ, & perturbatores pacis publicæ, tanquam damnificatores ærarij publici ad furcas suspendi merentur, & de his forsan loquebatur Caietanus; de sacrilegio etiam patet, quia per huiusmodi vitium iniuria magna irrogatur rei sacræ. superest nunc respondere argumentis recentiorum, qui primò sic arguunt, quia lex aliqua iustè statui potest, vt interficiātur perturbatores Reipublicæ, & pacis inter subditos, sicut in corpore humano abscinditur pars insanabilis, & nocens alijs, sed multiplicantes furta, aut committantes furtum insigne Rempublicam perturbant, & bono communi admodum perniciosi sunt, ergo iustè pro conseruatione boni communis feruntur leges, quibus fures suspendantur. respondeo iustè vtique occidi perturbatores Reipublicæ, & pacis per viam homicidiorum, mutilationum, & huiusmodi, immò & ipsos sacrilegos, fures ærarij publici, & hominum, non autem simplices fures, quia damna à primis illata sunt irreparabilia, damna autem à simplicibus furibus illata sunt reparabilia, ideò isti flagellis cæsi, aut aures recisi, seu ferro incesti relegentur, & sic quieti publicę satis ex tali exilio factum erit. secundò arguunt, iam plurimum creuit hominum malitia, nec ita multùm curant homines alias pœnas, immò vix quidem timore mortis retrahūtur fures ab hoc crimine, ergo meritò pœna mortis pro furtis imponenda venit, vt hac saltem ratione, quantū fieri potest, bono communi consulatur, & perditissimorum comprimatur audacia. respondetur, satis comprimi audaciam hominum perditissimorum per fustigationem, aurium abscisionem, per inustionem, cum istæ pœnæ sint perpetuæ, & homines velint potius subire mortem, quàm tales pati pœnas in tantum dedecus ordinatas. tertiò arguunt, D. Thomas hoc in loco ait, morte puniri sacrilegos, fures publici ærarij, & hominum, sed furta ex priuatis domibus, quæ non habent circonstantias loci sacri, vel publici ærarij, grauiora sunt, maiusq; damnum communitati inferunt, ergo pro illis iustè occiduntur. respondetur negando minorem, quia nō est quantitas rei sublatæ, quæ possit adæquari sacrilegio, hæc enim circonstantia ita grauis est, quòd mutat speciem peccati, & necessariò est confitenda, non sic autem circonstantia quantitatis rei ablatæ; rursus circonstantia ærarij publici facit grauius peccatum, quam circonstantia ærarij priuati, licet ēt de ę ario priuato ma' peculiū auferatur, quàm de ærario publico, quia cum bonum commune sit Diuini' priuato, maior iniuria irrogatur ex furto ærarij publici, quàm priuati, & consequenter est maius peccatum furtum ęrarij publici, quàm priuati; plagium etiam, quod est furtum hominis, est maius peccatum quolibet furto simplici, quia vnus homo plus æstimatur, quàm cætera omnia bona exteriora, vnde pro sacrilegio, peculatu, plagio debebitur pœna mortis, non autem pro furto simplici, quod Bartolus etiam concessit super lege, sed nouo iure, vbi ait, quòd & si pro simplici, & geminato furto non sit fur morte dignus, tamen triplicatum iam reputatur latrocinium; docet etiam, quòd quando vnum furtum ingens est, tribus æquipollet, vnde secundùm ipsum furtum simplex, quod scilicet non habeat rationem latrocinij, dignum non æstimatur morte; immò idem sancitur eadem lege, sed nouo. C. de seruis fugit. & alibi, vbi cautum est, nę vllus de simplici furto capite plecteretur. verùm de hac materia etiam aliqua tangemus verb. homicidium. quæst. 4.

GLORIA.

1 *Gloria quid significet.*
Gloria quid sit.

Appe-

Appetitus gloriæ de se non est peccatum.
Gloria dicitur vana tripliciter.
§ *Si quæratur gloria humana vltra humanos limites, est vana, & quare.*
Si quæratur gloria ab homine sistendo infra limites humanæ magnitudinis, & certitudinis, vana non est.
Licitum est cupere humanam gloriam, sicut licitum est cupere, & quærere alia bona humana.
2 *Inanis gloria non contrariatur Charitati quo ad dilectionem proximi.*
Inanis gloria potest contrariari Charitati quo ad dilectionem Dei dupliciter, primò ratione materiæ, secundò ex parte ipsius gloriantis, & vtroque modo est peccatum mortale.
Inanis gloria, quæ non repugnat Charitati, nec ex parte materiæ, nec ex parte gloriantis, est peccatum veniale.
§ *Modi positi à Toleto, quibus inanis gloria est peccatum mortale, reducuntur ad modos positos à D. Thoma.*
3 *Inanis gloria est vitium capitale.*
4 *Septem sunt filiæ inanis gloriæ, & quæ.*
§ *Filiæ inanis gloriæ oriuntur ab ipsa tanquã à causa finali.*
Quid sit præsumptio nouitatum, in quo consistat, & quod peccatum.
5 *Qua ratione inanis gloria dicatur periculosum peccatum.*
§ *Inanis gloria est periculosa formaliter, & dispositiuè, & quomodo.*
6 *Per inanem gloriam amittitur meritum operationum, etiam si sit peccatum veniale.*
§ *Admonitio ad negligentes in actionibus virtuosis.*
Quare Christi fideles non proficiant in vita spirituali.
Peccatum veniale est causa, quòd amittatur meritum illius partis orationis, in qua committitur, non autem aliarum.
7 *Qua ratione vituperatur inanis gloria circa eleemosinam.*
8 *Inanis gloria opponitur directè magnanimitati.*
§ *Diffinitio inanis gloriæ explicatur.*
Quid sit fama, laus, honor, gloria.
Quando dicatur appetitus inordinatus.
Quando dicatur appetitus ordinatus.
9 *Ex appetitu humanæ gloriæ aliquis prouocatur ad virtutem.*
Iste tamen non est virtuosus.

Quæritur, an appetitus gloriæ sit peccatum.

1 RESpondeo dicendum, quòd gloria claritatem quandam significat, vnde gloriari idem est, quod clarificari, vt Augustinus dicit super Ioannẽ, claritas autem, & decor quandam habet manifestationem, & ideò nomen gloriæ propriè importat manifestationẽ alicuius de hoc, quod apud homines decorum videtur, siue illud sit bonum corporale aliquod siue spirituale, quia verò illud, quod simpliciter clarum est, à multis conspici potest, & à remotis, ideò propriè per nomen gloriæ designatur, quòd bonum alicuius deueniat in multorum notitiam, & approbationem secundùm quòd Salustius dicit in Catilinario gloriari ad vnum non est, largius tamen accepto gloriæ nomine nõ solùm cõsistit in multitudinis cognitione, sed etiam paucorum, vel vnius, aut sui solius, dum scilicet aliquis proprium bonum considerat, vt dignum laude, quod autem aliquis bonum suum cognoscat, & approbet, non est peccatum, similiter etiam nõ est peccatum, quòd aliquis velit bona opera sua ab alijs approbari, & ideò appetitus gloriæ de se non nominat aliquid vitiosũ, sed appetitus inanis, vel vanæ gloriæ vitium importat, nam quodlibet vanum appetere vitiosum est; potest autem gloria dici vana tripliciter, vno modo ex parte rei, de qua quis gloriam quærit, puta cum quis quærit gloriam de eo, quod non est, vel de eo, quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili, & caduca; alio modo ex parte eius, à quo quis gloriam quærit, puta hominis, cuius iudicium non est certum; tertiò ex parte ipsius, qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei, vel proximi salutẽ. 2. 2. q.132.a.1. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. quòd aliquis bonum suum cognoscat, & approbet, non est peccatum. probatur ex prima ad Corinth. 2. secunda conclusio. quòd aliquis velit bona sua ab alijs approbari, non est peccatum ex Mathei 5. tertia conclusio. appetitus gloriæ de se non nominat aliquod vitiosum, sed appetitus inanis, vel vanæ gloriæ vitium importat. prima pars patet ex supradictis conclusionibus. secũda pars probatur, quia quodlibet vanum appetere vitiosum est. psal. 4. hinc elicit corrolarium, quòd potest gloria dici vana tripliciter, vno modo ex parte rei, de qua quis gloriam quærit; alio modo ex parte eius, à quo quis gloriam quærit. tertiò ex parte ipsius, qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ nõ refert in finem debitum, puta ad honorem Dei, vel proximi salutem.

Contra corrolarium instat Martinus de magistris asserens, dari etiam alios modos duos inanis gloriæ, quorum primus est, cum quis gloriam suã quærit cum gloriæ alienæ detrimento. secundus est, cum quis nimis ardet amore gloriæ. sed hos modos reduci ad tertium positum à D. Thoma ostendit Caietanus, qui etiam proponit, & soluit vnum dubium cõtra secundum modum. quæ res-

ponsio

ponsio consistit in declaratione propositionis D. Thomæ, qui ait, quòd vana dicitur gloria ex parte eius, à quo quis gloriam quærit, puta hominis, cuius iudicium non est certum. cuius propositionis est sensus, quòd si quæratur gloria humana vltra humanos limites, puta quia quæritur ab homine tanquam à certo, vel magno, aut etiã vltimo testimonio, est vana, quia testimonium hominum est minimum, & incertum; si tamen quæratur gloria ab homine sistẽdo infra limites humanæ magnitudinis, & certitudinis, vana non est, aliter non liceret appetere gloriam humanã propter profectum aliorum, nec propter profectum proprium, nec propter honorem Dei, quod est inconueniens, cum gloria humana sit quoddã bonum vtile referibile in bonum finem, & ita licitum est cupere, & quærere humanam gloriam, sicut licitum est cupere, & quærere alia bona humana, scilicet pecunias, agros, & huiusmodi, est .n. gloria vnum inter bona humana non paruum, vt rectè asserit Caietanus hoc in loco, & in summula verb. gloriæ humanæ appetitus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus de 7. peccatis mortalibus. c. 6. n. 5.

Quæritur, an inanis gloria sit peccatum mortale.

2 Respondeo dicendum, quòd ex hoc aliquid peccatum est mortale, quòd Charitati contrariatur, peccatum autem inanis gloriæ secundùm se consideratum non videtur contrariari Charitati quantùm ad dilectionem proximi, quantùm autem ad dilectionem Dei potest contrariari Charitati dupliciter, vno modo ratione materiæ, de qua quis gloriatur, puta cum quis gloriatur de aliquo falso, quod contrariatur Diuinæ reuerentiæ, vel etiam cum quis bonum temporale, de quo gloriatur, præfert Deo, aut etiam cum quis præfert testimonium hominum testimonio Dei; alio modo ex parte ipsius gloriantis, qui intentionem suam refert ad gloriam, tanquam ad vltimum finem, ad quem scilicet ordinat etiam virtutis opera, & pro quo consequendo non prætermittit etiam facere ea, quæ sunt contra Deum, & sic est peccatum mortale, vnde Augustinus dicit in 5. de Ciuit. Dei, quòd hoc vitium scilicet amor humanæ laudis, tàm inimicum est piæ fidei, si maior in corde sit cupiditas gloriæ, quàm Dei timor, vel amor, si autem amor humanæ gloriæ, quamuis sit inanis, non tamen repugnet Charitati, neq; quantùm ad id, de quo est gloria, neq; quantùm ad intentionem gloriã quærentis non est peccatum mortale, sed veniale. 2. 2. qu. 132. art. 3. in corp.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. gloria inanis, secundùm quòd contrariatur Charitati, est peccatum mortale. probatur, quia ex hoc aliquod peccatum est mortale, quòd contrariatur Charitati. secunda conclusio. si amor humanæ gloriæ, quãuis sit inanis, non repugnet Charitati neque quãtùm ad id, de quo est gloria, neque quantùm ad intentionem gloriam quærentis, non est peccatum mortale, sed veniale. hæc relinquitur vt nota ex terminis, quia intantùm aliquod est peccatum mortale, inquantum repugnat Charitati, ergo si non repugnat Charitati, non erit peccatum mortale.

Ex hac littera habemus quattuor modos, quibus inanis gloria est peccatum mortale, quorum tres primi se tenẽt ex parte materiæ, primus est, cum quis gloriatur de bono aliquo falso, & contra Diuinam reuerentiam, puta vsurpando Diuinitatem, vel non recognoscendo dependentiam, quale fuit peccatum Diaboli. secundus est, quando quis bonum temporale de quo gloriatur, præfert Deo. tertius est, cum quis præfert testimonium hominum testimonio Dei. adest & quartus modus ex parte materiæ, vt cum quis gloriatur de peccato mortali, sed hunc subiicuit S. Doctor tanquam manifestum, est siquidem clarum, quòd gloriari de peccato mortali est peccatum mortale, quia est gloria de eo, quod est contra Diuinum honorem, gloriari ergo de peccato mortali est mortale, sicut gloriari de veniali est veniale. quartus est ex parte intẽtionis gloriantis, vt qui intentionem suam refert ad gloriam tãquam ad vltimum finem. ad quos modos reducũtur quattuor modi positi à Toleto lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 7. primus enim, tertius, quartus Toleti se tenent ex parte materiæ; secundus autem se tenet ex parte intentionis.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus. cap. 7. num. 1. 2. 3. 4.

Quæritur, an inanis gloria sit vitium capitale.

3 Respondeo dicendum, quòd de vitijs capitalibus dupliciter aliqui loquuntur, quidam enim ponunt superbiam vnum de vitijs capitalibus, & hi non ponunt inanẽ gloriam inter vitia capitalia. Gregorius autem in 31. moralium superbiam ponit reginam omnium vitiorum, & inanem gloriam, quæ immediatè ab ipsa oritur, ponit vitium capitale, & rationabiliter, superbia enim importat inordinatum appetitum excellentiæ, ex omni autem bono, quod quis appetit, quandam perfectionem, & excellentiam consequitur, & ideò fines omnium vitiorum ordinatur in finem superbiæ, & propter hoc videtur, quòd habeat quandam generalem causalita-

litatem super alia vitia, & non debeat cõputari inter specialia vitiorum principia, quæ sunt vitia capitalia; inter bona autem, per quæ excellentiã homo consequitur, pcipuè ad hoc operari videtur gloria, inquantùm importat manifestationẽ bonitatis alicuius, nam bonum naturaliter amatur, & honoratur ab omnibus, & ideò sicut per gloriam, quæ est apud Deum, cõsequitur homo excellentiam in rebus Diuinis, ita etiam per gloriam hominum cõsequitur homo excellentiam in rebus humanis, & ideò propter propinquitatem ad excellentiã, quam homines maximè desiderant, consequens est, quòd sit multum appetibilis, & quia ex eius inordinato appetitu multa vitia oriuntur, ideò inanis gloria est vitium capitale. 2. 2. qu. 132. art. 4. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. inanis gloria est vitium capitale. probatur, illud est vitium capitale, à quo multa vitia oriuntur, sed ex inani gloria multa vitia oriuntur, ergo &c. probatur minor, quia gloria hominum propter propinquitatem ad excellentiam, quam homines maximè desiderãt, est multum amabilis, sed ex huius gloriæ inordinato appetitu, qui constituit inanem gloriam, multa vitia oriuntur, ergo &c.

Conclusio D. Thomæ asseritur à D. Gregorio lib. 31. moralium cap. 31. quænam autem sint vitia, quæ oriuntur ab inani gloria tanquam filiæ à Capite, in sequenti exponuntur quæsito.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 7. num. 6.

Quæritur, quot, & quæ sint filiæ inanis gloriæ.

4 Respondeo dicendum, quòd filiæ inanis gloriæ sunt inobedientia, iactantia, hipocrisis, contentio, pertinacia, discordia, nouitatum præsumptio, illa enim vitia, quæ de se nata sunt ordinari ad finem alicuius vitij capitalis, dicuntur filiæ eius, finis autem inanis gloriæ est manifestatio propriæ excellentię, ad quod potest homo tendere dupliciter, vno modo directè, siue per verba, & sic est iactantia, siue per facta, & sic si sint vera habentia aliquam admirationem, est præsumptio nouitatum, quas homines solent magis admirari, si autem per falsa sit, sic est hipocrisis; alio autem modo nititur aliquis manifestare suam excellentiam indirectè ostendendo se non esse alio minorem, & hoc quadrupliciter, primò quidem quantùm ad intellectum, & sic est pertinacia, per quam homo nimis innititur suæ sententiæ nolens credere sententiæ meliori, secundò quantùm ad voluntatem, & sic est discordia, dũ non vult à propria voluntate discedere, vt alijs concordet, tertiò quantùm ad locutionem, & sic est contentio, cum aliquis verbis clamosè contra alium litigat, quartò quantùm ad factum, & sic est inobediẽtia, dum scilicet aliquis non vult exequi superioris præceptum. 2. 2. quæst. 132. artic. 5. in corp.

Conclusione vnica respondet Diuus Thomas huic quæsito, quæ est. filiæ inanis gloriæ sunt inobedientia, iactantia, hipocrisis, contentio, pertinacia, discordia, nouitatum præsumptio. probatur, illa vitia, quæ de se nata sunt ordinari ad finem alicuius vitij capitalis, dicuntur filiæ eius, sed ista septem vitia sunt apta de se ordinari vel directè, vel indirectè ad finem vanæ glorię, ergo &c. probatur minor per singula in textu, & omnia clara.

Ex hac doctrina habemus, ista semptem vitia oriri ab inani gloria tanquam à causa finali. de istis vitijs iam diximus, & dicemus respectiuè suis locis, excepta tamen nouitatum pręsumptione, de qua nunc aliqua tangemus. Præsumptio ergo nouitatum, quàm alij vocant inuentionem nouitatum, nil aliud est, quàm exhibitio aliquorum mirabilium facta ab aliquo, vt laudem aliorum comparet; consistit autem in opere, vt elicimus ex D. Thoma hoc in loco, & consistit in factis, vt cum aliquis noua aliqua facta, & inusitata facere vult hoc fine, vt laudem aliorum cõparet. hoc vitium est ex se veniale, & potest fieri mortale ratione circonstantiæ mortalis adiunctæ, puta quia est contra Dei honorem, aut in notabile detrimentum proximi, aut in finem mortalem.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus c. 13.

Quæritur, an inanis gloria sit periculosum peccatum.

5 Respondeo dicendum, quòd inanis gloria dicitur esse periculosum peccatum non tantùm propter grauitatem sui, sed etiam propter hoc, quòd est dispositio ad grauia pecca a, inquãtùm scilicet per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus, & nimis de se ipso confidens, & sic etiam paulatim disponit adhoc, quòd homo priuetur interioribus bonis. 2. 2. 132. a. 3. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsitò, quæ est. inanis gloria dicitur esse periculosum peccatum. probatur, quia est graue peccatum ex se, & quia est dispositio ad grauiã peccata, inquantùm scilicet per inanem gloriã redditur

ditur homo præsumptuosus, & nimis de se ipso confidens, & sic etiam paulatim disponit ad hoc, quòd homo priuetur interioribus bonis.

Quòd inanis gloria sit peccatum periculosum, habetur ex D. Augustino inquiente, quàs vires nocendi habeat humanæ gloriç amor, non sentit, nisi qui ei bellum indixerit, quia & si cuiusquam facilè est laudem non cupere, dum negatur, difficile tamen est eo non delectari, cum offertur, dicitur autem periculosum peccatũ dupliciter. scilicet formaliter, & dispositiuè, formaliter, inquam, ratione suæ grauitatis, & dispositiuè, quia disponit ad grauia peccata, vt in littera.

Quòd etiam inanis gloria disponat ad hoc, quòd homo priuetur interioribus bonis, patet ex D. Chrisostomo hom. 13. in Mathęum dicente, inanis gloria occultè ingreditur, & omnia, quæ intus sunt, insensibiliter auffert.

Quæritur, an inanis gloria tollat meritum ab opere virtuoso.

6 Respondeo dicendum, quòd nullus peccando meretur vitam ęternam, vnde opus virtuosum amittit vim merẽdi vitam æternam, si propter innanem gloriam fiat, & si illa inanis gloria non sit peccatum mortale, sed quando aliquis simpliciter amittit æternam mercedem propter inanem gloriam, & non solum quantùm ad vnum actum, tunc inanis gloria est peccatum mortale. 2.2.q.132.a.3. ad 1.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. opus virtuosũ amittit vim merendi vitam æternam, si propter inanem gloriam fiat, etiam si illa inanis gloria nõ sit peccatum mortale. probatur, quia nullus peccando meretur vitam æternam. secunda conclusio. quando aliquis simpliciter amittit æternam mercedem propter inanem gloriam, & non solum quantùm ad vnum actum, tunc inanis gloria est peccatum mortale.

Obseruent primam conclusionem negligentes in orationibus fundendis, in horis canonicis recitandis, quia si in earũ recitatione peccatum aliquod veniale cõmittant, vel inanis gloriæ, vel negligentiæ, vel voluntariæ distractionis mentis per breue tempus, meritum orationis amittunt, quia nullus peccando meretur vitam æternam, vt etiam egregiè docet Caietanus in opusculo directo ad magistrum Corradum. hæc est radix, & causa, quare Christi fideles non proficiant in vita spirituali, quia dum aliquod opus ex genere suo virtuosum aggrediuntur, peccato veniali illud inficiunt, & sic operis meritum perdunt. hinc tñ est obseruandum, quòd peccatum veniale non causat amissionẽ meriti totius orationis, si per totum tempus, quo continuatur oratio, vel opus virtuosum, non perseueret peccatum veniale, sed illa tantùm pars orationis, in qua peccatum committitur veniale, meritũ amittet suum puta, si quis recitet Rosarium deuotè, & attentè vsque ad medietatem, in medio autem peccat venialiter per voluntariam distractionem per aliquod tempus durantem, illud peccatum veniale non est causa, quòd amittatur meritum dimidij Rosarij deuotè recitati, sicut nec partis Rosarij recitandi, si in ea proponat non peccare, sed tantùm illius partis, quæ recitata est cum peccato veniali, vnde Christi fidelis dum aduertit suam negligentiam, pæniteat, doleat, prosequatur orationem suam, vitę æternę meritoriã.

Quæritur, an inanis gloria vituperetur circa eleemosinam.

7 Respondeo dicendum, quòd inanis gloria vituperatur circa eleemosinam propter defectum Charitatis, quæ videtur esse in eo, qui præfert inanem gloriam vtilitati proximi, dum propter hoc illud facit, nõ autem vituperatur aliquis ex hoc, quòd præsumat eleemosinam facere, quasi aliquid nouum. 2.2.q.132.a.5. ad 3.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. inanis gloria vituperatur circa eleemosinam propter defectũ Charitatis, qui videtur esse in eo, qui præfert inanẽ gloriã vtilitati proximi. probatur quia propter hoc illud facit. secunda conclusio. non vituperatur aliquis ex hoc, quod præsumat eleemosinã facere, quasi aliquid nouum.

Pertranseo, cum in hoc quæsito nihil mihi occurrat scribendum.

Quæritur, cui opponatur inanis gloria.

8 Responeeo dicendum, quòd gloria est quidam effectus honoris, & laudis, ex hoc enim quòd aliquis laudatur, vel quæcunque reuerentia ei exhibetur, redditur clarus in notitia aliorum, & quia magnanimitas est circa honorem, consequens est etiã, vt sit circa gloriam, vt scilicet sicut aliquis moderatè vtitur honore, ita etiã moderatè vtatur gloria, & ideò inordinatus appetitus gloriæ directè magnanimitati opponitur. 2.2.q.132.a.2. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. inordinatus appetitus gloriæ directè magnanimitati opponitur. ꝓbatur, quia magnanimitas sicut moderatè vtitur honore, ita etiam eius effectu, scilicet gloria.

Conclusio hæc est diffinitio inanis gloriæ, quæ nil aliud est, quàm inordinatus appetitus gloriæ. cuius diffinitionis particulæ sunt explicãdę. dicitur ergo primò inordinatus, idest actus non secundùm rationem; dicitur appetitus, idest volitio, seu desiderium, seu complacentia, quæ sunt actus voluntatis; inordinatus ergo appetitus erit volitio non secundùm rationem; dicitur appetitus

titus gloriæ, quæ nil aliud est, quàm clara cum laude notitia, idest fama cum laude coniuncta. ad cuius explicationem nota differentiam inter famam, laudem, honorem, gloriam, quæ in hoc consistit, quòd fama est bona opinio, quæ de aliquo habetur, & ille dicitur habere bonam famã, qui sui habet apud alios bonam æstimationem, & opinionem. laus est sermo manifestans alicuius excellentiam. honor verò est reuerentia alicui exhibita in testimonium excellentiæ illius. gloria est clara cum laude notitia, idest fama cõiuncta cum laude. tunc autem dicitur inordinatus appetitus gloriæ primò, quando est de eo, quod non habet ipse appetitus. secundò quando appetit maiorem gloriam, quàm sit dignũ opus. tertiò quando appetit gloriam de aliquo, quod nõ est suum, ac si esset suum. quartò quando appetit gloriam de eo, quod malum est, & indignũ gloria. quintò quando appetit gloriam, & non propter debitum finem; sicut è conuerso dicitur ordinatus appetitus primò, cum gloria appetitur de eo, quod verè dignum est gloria, vt de bono aliquo. secundò quando non appetitur gloria maior, quàm bonum illud mercatur. tertiò quãdo fit propter finem bonum, nempe in Dei gloriam, aut in proximi vtilitatem, aut in propriam siue corporalem, siue spiritualem.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus c. 6.

Quæritur, ad quid iuuet appetitus humana gloriæ.

9 Respondeo dicendum, quòd prouocantur aliqui ad virtutum opera ex appetitu gloriæ humanæ, sicut ex appetitu aliorum terrenorum bonorum, non tamen est verè virtuosus, qui propter humanam gloriã opera virtutis operatur, vt Augustinus probat in 5. de Ciuit. Dei. 2.2. qu. 132. art. 1. ad 2.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. prouocantur aliqui ad Virtutum opera ex appetitu humanæ gloriæ. probatur, quia etiam ad eadem prouocantur ex appetitu aliorum terrenorum bonorum. secunda conclusio. nõ tamen est verè virtuosus, qui propter humanam gloriam opera Virtutis operatur probatur ex D. Augustino.

Quòd multi prouocentur ad Virtutum opera ex appetitu humanæ gloriæ, experientia cõprobamus in multis, qui plurima exequuntur virtuosa ex solo appetitu gloriæ, quæ si defficeret, ab huiusmodi operibus desisterent, sicut etiam plurimos ex appetitu aliorum terrenorum bonorum moueri cernimus ad exequenda Virtutum opera, puta ob appetitum lucri, & huiusmodi, quæ si defficerent, à talibus operib⁹ abstinerent.

GRATIARVM ACTIO.

1 Gratiarum actio debet esse ordinata, assidua, vniuersalis.

2 Recompensatio beneficij potest pertinere ad tres virtutes, scilicet iustitiam, gratiam, & amicitiam.

Quando pertinet ad iustitiam, debet attendi secundùm quantitatem dati.

Quando pertinet ad amicitiam, debet esse respectus ad amicitiæ causam.

Quando pertinet ad Gratiam, magis debet attendi secundùm affectum dantis, quàm secundum effectum.

3 Debitum legale statim soluendum est.

Debitum morale soluendum est tempore debito.

§ Quid sit debitum legale, & morale.

4 Benefactori per se debetur honor, & gloria.

Per accidens subuentio debetur.

5 Dationi liberæ, seu donationi debetur gratiarum actio.

6 Gratiæ sunt agendæ non solum dãti, sed etiam promittenti.

§ Quare promittenti gratiæ sunt habendæ.

Promissio sumitur dupliciter, & quomodo.

7 Seruis facientibus vltra debitum gratiæ sunt habendæ.

§ Seruicium, quod exhibet seruus vltra debitum, reputatur beneficium.

8 Gratiæ sunt habendæ benefacienti indebito modo.

Minus tamen, quàm si debito modo daret beneficiũ.

9 Pauper faciendo, quòd potest, non est ingratus.

§ Pauper potest recompensare affectu.

10 Recompensatio beneficij debet fieri existenti in statu fælici per exhibitionem honoris.

11 Benefactori mutato de virtute in vitium debet fieri recompensatio secundùm statum eius, vt scilicet reducat ad virtutem.

Si non potest reduci ad virtutum, habenda est memoria beneficij accepti salua honestate.

12 Recompensatio debet fieri alicui modo, quo sit magis vtilis ei.

Si postea vertatur in damnum illius non imputatur recompensanti.

Quæritur, qualis debeat esse gratiarum actio.

1 Respondeo dicendum, quòd gratiarum actio debet esse ordinata, scilicet ad Deum, item assidua, item vniuersalis. lect. 1. cap. 1. primæ ad Thessalonicenses.

Quòd gratiarum actio debeat esse ordinata ad Deum, assidua, vniuersalis, docet D. Thomas hoc in loco.

Hoc in loco D. Thomas ponit tres cõditiones gratiarum actionis, quarum prima est, quòd sit ordinata ad Deum, secunda est, quod sit assidua, tertia est, quòd sit vniuersalis. has conditiones obseruauit D. Paulus scribens ad thessalonicenses, dum ait, gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis.

Quæritur, an gratiarum actio sit attendenda secundùm affectum benefacientis, an secundùm effectum.

2 Respondeo dicendum, quòd recompensa-

pensatio, beneficij potest ad tres virtutes pertinere scilicet ad Iustitiam, ad Gratiam, & ad amicitiam, ad iustitiam quidam pertinet, quando recompensatio habet rationem debiti legalis, sic in mutuo, & alijs huiusmodi, & in tali recompensatio debet attendi secundùm quantitem dati, ad amicitiam autem pertinet recompensatio beneficij, & similiter ad virtutem gratiæ, secundùm quòd habet rationem debiti moralis, aliter tamen, & aliter, nam in recompensatione amicitiæ oportet respectum haberi ad amicitiæ causam, vnde in amicitia vtilis debet recompensatio fieri secundùm vtilitatem, quam quis ex beneficio consecutus est; in amicitia autem honesti debet in recompensatione haberi respectus ad electionem, siue ad effectum dantis, quia hoc præcipuè requiritur ad virtutem, vt dicitur in 8. eth. & similiter quia gratia respicit beneficium secundùm quòd est gratis impensum, quod quidem pertinet ad effectum, ideò etiam gratiæ recompensatio attendit magis affectum dantis, quàm effectum. 2.2.q.106.a.5. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. recompensatio beneficij, quæ pertinet ad iustitiam, debet attendi secundum quantitatem dati. probatur, quia recompensatio ad iustitiam pertinens habet rationem debiti legalis. secunda conclusio; in amicitia vtilis debet recompensatio fieri secundùm vtilitatem, quam quisque ex beneficio consecutus est; in amicitia autem honesti debet in recõpensatione haberi respectus ad electionem, siue ad effectum dantis. prima pars relinquitur vt nota, quia in recõpensatione amicitiæ opportet respicere ad causam amicitiæ, & amicitiæ vtilis causa est vtilitas. probatur secunda pars, quia hoc præcipuè requiritur ad Virtutem, vt dicitur in 8. eth. tertia conclusio. gratiæ recompensatio attendit magis affectum dantis, quàm effectum. probatur, quia gratia respicit beneficium, secundùm quòd est gratis Impensum, quod quidẽ pertinet ad affectum.

Hoc in loco nihil aliud occurrit scribendum, nisi quod nomine gratiæ, de qua in tertia cõclusione fit sermo, intelligitur Gratitudo.

Quæritur, an oporteat aliquem plus exhibere in recompensatione, quàm susceperit in beneficio.

Respondeo dicendum sicut verbo, Beneficium.

Quæritur, an debitum sit statim soluendum.

3 Respondeo dicendum, quòd debitum legale est statim soluendum, alioquin non esset conseruata iustitiæ æqualitas, si vnus retineret rem alterius absque eius voluntate; sed debitum morale dependet ex honestate debentis, & ideò oportet reddi debito tempore, secundùm quòd exigit rectitudo virtutis. 2.2.q.106.a.4. ad 1.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. debitum legale est statim soluendum. probatur, alioquin nõ esset conseruata iustitiæ æqualitas, si vnus retineret rem alterius absque eius voluntate. secunda cõclusio. debitum morale oportet reddi debito tẽpore, secundùm quòd exigit rectitudo Virtutis. probatur, quia debitum morale dependet ex honestate debentis.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua, quòd debitum legale est id, ad quod soluendum quis tenetur ex iustitia, debitum autem morale est id, ad quod soluendum tenetur quis tantùm ex gratitudine. primum est statim soluendum, quia hoc iustitia exigit, quæ postulat, vt quis nõ retineat rem alterius absque eius voluntate; debitum autem morale non est statim soluendum, sed debitum tempus expectandum est, tale autẽ est, quando recompẽsatio fit benefactori opportuna, si enim non conuenienti tempore statim velit aliquis munus pro munere reddere, non videtur esse virtuosa recompensatio, sed inuita, Seneca enim dicit in 4. de benef. qui nimis citò cupit soluere, inuitus debet, & qui inuitus debet, ingratus est.

Quæritur, an homo teneatur ad gratiarum actiones omni homini benefacienti.

4 Respondeo dicendum, quòd omnis effectus naturaliter ad suam causam conuertitur, vnde Dionysius dicit 3. cap. de Diuinis nominibus, quòd Deus in se omnia conuertit tanquam omnium causa, semper enim oportet, quòd effectus ordinetur ad finem agentis, manifestum est autem quòd benefactor inquantùm huiusmodi est causa beneficiati, & ideò naturalis ordo requirit, vt ille, qui suscipit beneficium, per gratiarum recompensationem cõuertatur ad benefactorem secundùm modum vtriusq; & benefactori quidem, inquantùm huiusmodi debetur honor, & reuerentia, eo quod habet rationem principij, sed per accidẽs debetur ei subuentio, vel substentatio, si indigeat. 2.2.q.106.a.3. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. naturalis ordo requirit, vt ille, qui suscipit beneficium, per gratiarum recompensationem conuertatur ad benefactorem secundùm modum vtriusque. probatur, omnis effectus naturaliter ad suam causam

conuertitur, sed benefactor inquātum huiusmodi est causa beneficiati, ergo &c. maior probatur primò ex D. Dionisio. secundò ratione tali, quia semper oportet, quòd effectus ordinetur ad finē agentis. secunda conclusio. benefactori inquātum huiusmodi debetur honor, & reuerentia, per accidens autem debetur ei subuentio, vel sustentatio. probatur prima pars, quia habet rationem principij. probatur secunda pars, si indigeat.

Propero ad alia, cum circa hæc nihil mihi occurrat scribendum.

Quæritur, cui dationi debeatur gratiarum actio.

5 Respondeo dicendum, quòd gratiarum actio dationem respicit, est autem duplex datio, vna quæ respicit debitum, vel iam existens, sicut cum quis alicui reddit, quod debet, vel vt fiat, sicut cum quis emit, vel dat aliquid, vt alterum sibi debitum fiat, & hæc datio ad iustitiam pertinet; alia autem est, quæ neutro modo respicit debitū, & hæc propriè donatio dicitur, & ad liberalitatem pertinet, & quia ad hanc dationem nihil inclinat, nisi voluntas dandi, ideò gratuita dicitur, & tali dationi gratiarum actio propriè debetur, vt quis gratiæ factę retributionem faciat secundùm suum modum. 4. sent. d. 22. qu. 1. ar. 2. quæstiunc. 1. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas quæsito duplici conclusione iuxta duplex membrum distinctionis, quæ est. duplex est datio, vna, quę respicit debitum vel iam existens, vel vt fiat; alia est, quæ neutro modo respicit debitum, & hæc propriè donatio dicitur. prima conclusio. dationi primæ nō debetur gratiarum actio. probatur, quia hæc datio ad iustitiam pertinet. secunda conclusio. dationi secundæ gratiarum actio propriè debetur, vt quis gratiæ factæ retributionem faciat secundùm suum modum. probatur, quia hæc datio ad liberalitatem pertinet, & ad hanc dationem nihil inclinat, nisi voluntas dandi, & ideò gratuita dicitur.

Summa huius doctrinæ est, quòd datur duplex datio, vna pertinens ad iustitiam, alia pertinens ad liberalitatem. primæ non debetur gratiarum actio, sed secundæ debetur.

Quæritur, an Gratiarum actio debeatur nedum danti sed etiam promittenti.

6 Respondeo dicendum, quòd non solùm danti, sed etiam promittenti gratiæ agantur. 2. 2. q. 88. a. 5. ad 2.

Quòd non solum danti, sed etiam promittenti gratiæ agātur, docet D. Thomas in hoc quæsito. Vt explicetur hæc doctrina, obserua, qd ideò promittenti etiam gratiæ aguntur, quia ille, qui promittit, inquantùm se obligat ad dandum, iā quodammodo dat, sicut dicitur fieri aliquid, cū fit causa eius, quia effectus virtute continetur in causa. ad quorum explicationē, obserua ex Caietano hoc in loco, quòd promissio potest dupliciter accipi, primò in ordine ad rem promissam, & sic non est dare nisi in causa, secundò sumitur vt est in se quidam mētis actus, quo mens nostra se subijcit alicui, dum promittit illi aliquid, & sic qui promittit alicui, dat ei non rem dandam, sed mentem secundùm illum actum, vt patet in vouente, qui dum promittit Deo aliquid per votum, dat Deo non rem dandam, sed mentem secundùm illum actum, & sic vouens cultum Deo offert etiam in actu, ideò etiam promittenti debentur gratiarum actiones.

Quæritur, an seruis gratiæ sint habendæ à Dominis.

7 Respondeo dicendum, quòd sicut Seneca dicit 3. de beneficijs, quamdiu seruus præstat, quod à seruo exigi solet, ministerium est, vbi plusquam à seruo necesse est, beneficium est; vbi enim in effectum amici transit, incipit vocari beneficium, & ideò etiam seruis vltra debitum facientibus gratiæ sunt habendæ. 2. 2. q. 106. a. 3. ad 4.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. seruis vltra debitum facientibus gratiæ sunt habendæ. probatur, quia dum seruit vltra debitum, præstat beneficium, vt patet ex Seneca, sed benefactori debentur gratiarum actiones, ergo &c.

Hæc doctrina patet ex his, quæ dicuntur in quarto quæsito, vbi dicitur, gratiarum actiones habendas esse benefacienti omni; quando ergo seruus famulatum præstat vltra debitum, benefactor reputatur, & consequenter ei gratiarum actiones sunt habendę tanquam benefactori.

Quæritur, an gratiarum actiones sunt habendæ benefactori beneficia danti cum contumelia, tarditate, vel tristitia.

8 Respondeo dicendum, quòd boni animi est, vt magis attendatur ad bonum, quā ad malum, & ideò si aliquis beneficium dedit non eo modo, quo debuit, non ideò debet recipens à gratiarum actione cessare; minus tamen, quàm si debito modo præstitisset, quia etiam beneficium minus est, quia vt Seneca dicit in lib. de beneficijs, multùm celeritas facit, multùm abstulit mora. 2. 2. q. 106. a. 3. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si aliquis beneficium dedit non eo modo, quo debuit, non ideò debet recipiens à gratiarum actione cessare. probatur, quia boni animi est, vt magis attendatur ad bonum, quàm ad malum, secunda conclusiò.

minus

minus tamen debentur gratiarum actiones ei, quàm si debito modo præstitisset. probatur, quia etiam beneficium minus est. quod probatur ex Seneca &c.

Ex hac doctrina habemus iuxta quantitatem beneficij esse etiam agendas gratias benefactori, si ergo quis beneficium præstet hilariter, citò, gratiosè, gratiæ sunt maiores habendæ, quã illi, qui cũ contumelia, & tarditate, vel tristitia dat.

Quæritur, an pauper teneatur recompensare beneficium.

9 Respondeo dicendum, quòd etiam pauper ingratus non est, si facit, quod possit, sicut enim beneficium magis in affectu cõsistit, quàm in effectu, ita etiam recompensatio magis in affectu consistit, vnde Seneca dicit in 2. de beneficijs, qui gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluit, quòd gratè autem ad nos beneficia peruenerint, indicemus effusis affectib⁹, qđ non ipso tantùm audiente, sed vbique testemur. 2.2.q.106.a.3.ad 5.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Pauper ingratus non est, si faciat, quod possit. probatur, quia sicut beneficiũ magis in affectu consistit, quàm in effectu, ita ẽt recompensatio magis in affectu consistit, quod probatur ex seneca.

D. Thomas hoc in loco ostendit pauperem nõ excusari ex impotentia reddendi à recompensatione, quia licet sit pauper in effectu, poterit esse diues in affectu, ideò reddat, & recompenset affectu.

Quæritur, quomodo debeat fieri recompensatio beneficij existenti in fœlicitate.

10 Respondeo dicendum, quòd quantũcunq; in fælicitate existenti potest recompensatio beneficij fieri per exhibitionem reuerentiæ, & honoris, vnde Phylosophus dicit in 8. eth. quòd super excellenti quidem habet fieri honoris retributio, indigenti autem retributio lucri, & Seneca dicit in 5. de beneficijs, multa sunt, per quę quidquid debemus reddere, & fælicibus possumus fidele consilium, assidua conuersatio, sermo comis, & sine adulatione iucundus, & ideò nõ oportet, vt homo optet indigentiam eius, seu miseriam, qui beneficium dedit adhoc, quòd beneficium recompensetur, quia vt Seneca dicit in 6. de beneficijs, si hoc ei optares, cuius nullum beneficium haberes, inhumanum erat votum, quantò inhumanius ei optas, cui beneficium debes? 2.2.q.106.a.3.ad 5.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. quantumcunq; in fælicitate existenti potest recompensatio beneficij fieri per exhibitionem reuerentiæ, & honoris. probatur ex phylosoph. in 8. eth. & seneca in 5. de beneficijs. hinc elicit corrolariũ tale, quòd non oportet, vt homo optet indigentiam eius, seu miseriam, qui beneficium dedit, ad hoc quòd beneficium recompensetur. probatur, quia vt Seneca dicit in 6. de beneficijs, si hoc ei optores, cuius nullum beneficium haberes, inhumanum erat votum, quantò inhumanius ei optas, cui beneficium debes?

In hoc, & duobus sequentibus quæsitis ostendit, quomodo possit fieri recompensatio diuersis generibus benefactorum, & hoc in loco demonstrat, quomodo sit facienda existenti in fælicitate, & ait, quòd non est optãda ei miseria, vt possit ei beneficium rependere, quia hoc esset plusquã inhumanum, sed recompensatio erit tali facienda per exhibitionem reuerentiæ, & honoris.

Quæritur, an sit facienda recompensatio beneficij illi, qui mutatus est de virtute in vitium.

11 Respondeo dicendum, quòd si ille, qui beneficium dedit, in peius mutatus est, debet tamen sibi fieri recompensatio secundùm statum ipsius, vt scilicet ad virtutem reducatur, si sit possibile, si autem sit insanabilis propter malitiam, tunc alter est effectus, quàm prius erat, & ideò non debetur ei recompensatio beneficij, sicut prius, & tamen quantùm fieri potest salua honestate, memoria debet haberi præstiti beneficij, vt patet per Phylosophum in 9. eth. 2.2.q.106.a.3.ad 5.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si ille, qui beneficium dedit, in peius mutatus est, debet sibi fieri recõpensatio secundùm statum ipsius, vt scilicet ad Virtutem reducatur, si sit possibile. secunda cõclusio. si sit insanabilis propter malitiam, nõ debetur ei recompensatio beneficij, sicut prius, & tamen, quantùm fieri potest, salua honestate, memoria debet haberi præstiti beneficij. probatur prima pars, quia tunc alter est effectus, quã prius erat. secunda pars probatur per phylosophum in 9. eth.

Non immoror circa hoc quæsitum, cum nihil mihi occurrat scribendum.

Quæritur, an sit facienda recompensatio beneficij, quando potest verti in damnum illius, cui sit recompensatio.

12 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, recompensatio beneficij pręcipuè pendet ex affectu, & ideò eo modo debet recom-

recompensatio fieri, quo magis sit vtilis; si tamen postea per eius incuriam in damnũ ipsius vertatur, non imputatur recompensāti, vt Seneca dicit in 6. de beneficijs reddendum mihi est, non seruandum, cum reddidero, ac tuendum. 2. 2. qu. 106. artic. 3. ad 6.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. eo modo debet debet recompensatio fieri, quo magis sit vtilis. probatur, quia recompensatio beneficij præcipuè pendet ex affectu. secunda conclusio. si postea per eius incuriam in damnum ipsius vertatur, nõ imputatur recompensanti. probatur ex Seneca in 6. de beneficijs.

Nihil mihi occurrit scribendum hoc in loco.

Quæritur, an homo debeat statim beneficium recompensare.

Respondeo dicendum sicut verbo, Beneficium.

GRATITVDO.

Tria requiruntur ad gratitudinem.

Quæritur, quot, & quæ requirantur ad gratitudinem.

Respondeo dicendum, quòd gratitudo, vel gratia est vna specialis virt⁹, in qua tria considerantur, primùm est, quòd homo acceptum beneficium recognoscat, secundùm est, quòd laudet, & gratias agat, tertiũ est, quòd retribuat pro loco, & tempore secundùm suam facultatem. 2. 2. q. 107. a. 2. in corp.

D. Thomas hoc in loco docet, quòd gratitudo, vel gratia est vna specialis Virtus, in qua tria considerantur, primum est, quòd homo acceptũ beneficium recognoscat; secundum est, quòd laudet, & gratias agat; tertium est, quòd retribuat pro loco, & tempore secundùm suã facultatem.

Non immoror circa hoc quæsitum.

G V L A.

1 *In quo consistat Gula.*
§ *Gula describitur, & particulæ explicantur descriptionis.*
2 *Gula respicit delectationes tactus.*
§ *Duplex appetitus, scilicet naturalis, & sensitiuus.*
In concupiscentia appetitus sensitiui est gula.
3 *Primus motus Gulæ non est sine peccato.*
4 *Gula est peccatum.*
5 *Quando gula sit peccatum mortale, & quando veniale.*
§ *Gula non est peccatum mortale ex suo genere.*
Octo casus ponuntur, in quibus gula peccatũ mortale est, & explicantur.
Gula frequenter est peccatum veniale.
Aliquando est peccatum veniale valde graue.
Regula ad cognoscendum gulam esse peccatum veniale.
6 *Gula reductiuè opponitur præcepto de sanctificatione Sabbati.*
7 *Peccatum gulæ alleuiatur ex parte peccantis.*
Gula ex parte effectus habet quandam magnitudininem.
8 *Nocumentum, quod præstat cibus corpori Gulosi non aggrauat directè peccatum gulæ.*
Aggrauat tamen peccatum, si sequatur nocumentũ corporale ex immoderata sumptione sibi.
§ *Nocumentum illatum corpori, & non intentum à guloso non directè aggrauat peccatum gulæ.*
Nocumentum illatum corpori, & intentum aggrauat, & iuxta quantitatem nocumenti pensatur grauitas gulæ, mortalis, an venialis.
9 *Peccat mortaliter sumens scienter cibum immutãtem totam conditionem vitæ.*
§ *Peccatum Adam fuit mortale, & grauissimum.*
10 *Quinque sunt species Gulæ.*
11 *Gula est vitium capitale.*
12 *Quinque sunt filiæ Gulæ.*
§ *Filiæ gulæ explicantur.*
13 *Vomitus ex nimio cibo, vel potu est vitiosus.*
Vomitus de consilio medicinæ est sine culpa.

Quæritur, in quo consistat vitium gulæ.

1 Respondeo dicendum, quòd vitium gulæ non consistit in substantia cibi, sed in concupiscentia non regulata ratione, & ideò si aliquis excedat in quantitate cibi non propter concupiscentiam cibi, sed æstimans id sibi necessarium esse, nõ pertinet hoc ad gulam, sed aliquam imperitiam, sed hoc solum pertinet ad Gulam, quòd aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis scienter excedat mensuram in edendo. 2. 2. q. 1 ar. 1. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. si aliquis excedat in quantitate cibi non propter cõcupiscentiam cibi, sed æstimans id sibi necessarium esse, non pertinet hoc ad gulam, sed aliquam imperitiam. probatur, quia vitium gulæ non consistit in substantia cibi, sed in concupiscentia non regulata ratione. hinc elicit corrolarium, quòd hoc solum pertinet ad Gulam, quòd aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis sciẽter excedat mensurã in edendo.

Ex hoc loco habemus gulæ descriptionem, quæ est, quòd hoc solum pertinet ad gulam, quòd aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis scienter excedat mensuram in edẽdo. quæ sub alijs verbis ponitur à Siluestro verb. Gula. in principio. nempe quòd gula est appetitus sensitiuus edendi, & bibendi inordinatus. dicitur autem concupiscentia, seu appetitus sensitiuus, siue anima-

animalis ad differentiam appetitus naturalis, ad quem pertinet fames, & sitis, vt ait D. Thomas hoc in loco ad 3. dicitur autem inordinatus ex D. Thoma 2. 2. q. 148. ar. 1. in corp. ex eo, quòd recedit ab ordine rationis, in quo bonum Virtutis moralis consistit; vel dicitur inordinatus, seu non regulatus ratione, quia, vt inquit D. Antoninus, gulosus appetit cibum, vel potum non ad necessitatem, sed ad voluptatem; dicitur appetitus edendi, & bibendi, vel cibi delectabilis; p quod denotatur obiectum, circa quod versatur, sicut enim luxuria versatur circa delectabilia venerea, ita gula circa delectabilia cibi, & potus. vlterius additur particula, quòd scienter excedat mensuram in edendo, quia excessus cibi ex ignorantia non pertinet ad gulam, vt notat Siluester loco citato, sed talis excessus debet esse ex concupiscentia cibi delectabilis. ex his habemus, gulam non consistere in hoc, quòd cibus delectabilis delectabiliter sumitur, sed in hoc consistere, quòd inordinatè delectatio cibi appetitur, aut habetur, vt ait Caietanus in summula verb. gula. puta quòd plus, aut prius &c. quàm deceat, delectatione cibi afficitur homo, vnde si aliquis excedat in quantitate cibi nō propter cōcupiscentiam cibi, sed æstimans id sibi necessarium esse, non pertinet hoc ad gulam, sed aliquam imperitiam, vt dicitur in conclusione. an autem excedere mensuram in comedendo non propter cōcupiscentiam, sed propter imperitiam sit vitiosum, & cuius vitij opus sit, explicat Caietanus hoc in loco, ad quem lectorem remitto.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccati, mortalibus cap. 59. num. 1.

Quæritur, an Gula respiciat delectationes tactus.

2 Respondeo dicendum, quòd gula respicit delectationem tactus, gulosus enim non dicitur aliquis ex hoc, quod delectetur in sapore cibi, sed in sumptione eius, quasi tactu delectatus, vt Phylosophus dicit in 3. eth. (qu. 8. de malo artic. 1. ad 9. (q. 14. art. 3. ad 4.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. gula respicit delectationem tactus. probatur, quia gulosus non dicitur aliquis ex hoc, quòd delectetur in sapore cibi, sed in sūptione eius, quasi tactu delectatus, vt phylosophus ait in 3. eth.

Non immoror circa hoc quæsitum.

Quæritur, an in primo motu gulæ sit peccatum?

3 Respondeo dicēdum, quòd primus motus gulæ importat inordinationem in appetitu sensitiuo, qui non est sine peccato, 2. 2. q. 148. art. 1. ad 3.

D. Thomas hoc in loco docet, quòd primus motus gulæ importat inordinationem in appetitu sensitiuo, qui non est sine peccato.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua ex D. Thoma hoc in loco, quòd datur duplex appetitus, vnus naturalis, alter sensitiuus, appetitus naturalis pertinet ad vires animæ vegetabilis, in quibus non potest esse vitium, & virtus, quia non possunt subijci rationi, & ad talem appetitum pertinet fames, & sitis; est etiam alius appetitus sensitiuus, siue animalis, in cuius cōcupiscentia vitium gulæ consistit. primus motus gulæ importat inordinationem in appetitu sensitiuo, qui non est sine peccato.

Quæritur, an Gula sit peccatum.

4 Respondeo dicendum, quòd gula non nominat quemlibet appetitum edendi, & bibendi, sed inordinatum; dicitur autem appetitus inordinatus ex eo, quòd recedit ab ordine rationis, in quo bonum virtutis moralis consistit; ex hoc autem dicitur aliquid esse peccatum, quòd virtuti contrariatur, vndè manifestum est, quòd gula est peccatum. 2. 2. quæst. 148. artic. 1. in corp. (q. 14. de malo a. 1. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. gula est peccatum: probatur, ex hoc aliquid dicitur esse peccatum, quòd Virtuti contrariatur, sed gula contrariatur Virtuti, ergo &c. probatur minor, quia gula nō nominat quemlibet appetitum edendi, & bibendi, sed inordinatum, sed appetitus dicitur inordinatus ex eo quòd recedit ab ordine rationis, in quo bonū Virtutis moralis consistit, ergo &c.

Gulam esse peccatum, non est, qui inficiatur, cum importet quid inordinatum, & recedens ab ordine rationis, quale autem peccatum sit, sequenti explicabitur quæsito.

Quæritur, an Gula sit peccatum mortale.

5 Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est vitium gulæ, propriè consistit in concupiscentia inordinata, ordo autem rationis concupiscentiam ordinantis dupliciter tolli potest, vno modo quantùm ad ea, quæ sunt ad finem, prout scilicet non sunt ita commensurata, vt sint proportionata fini; alio modo quantùm ad ipsum finem, prout scilicet concupiscentia hominem auertit à fine debito, si ergo inordinatio concupiscentiæ accipiatur in gula secundùm auersionem à fine vltimo, sic gula erit peccatum mortale, quod quidem contingit, quando delectationi gulæ inhæret homo tanquam fini, propter quem Deum contemnit, paratus scilicet contra præcepta Dei agere, vt delectationes huiusmo-

iusmodi assequatur, si verò in vitio gulæ intelligatur inordinatio concupiscentiæ tantùm secundùm ea, quæ sunt ad finem, vt potè quia nimis concupiscit delectationes ciborum, non tamen ità quòd propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale. 2. 2. q. 148. a. 2. in corp. & q. 14. de malo a. 2. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione iuxta duplex membrum distinctionis, quæ est, cùm vitium gulæ propriè consistat in cõcupiscentia inordinata, ordo rationis concupiscentiam ordinantis dupliciter tolli potest; vno modo quantùm ad ea, quæ sunt ad finem, prout scilicet non sunt ita commensurata, vt sint proportionata fini; alio modo quãtum ad ipsum finem, prout scilicet concupiscẽtia hominem auertit à fine debito. prima conclusio, si inordinatio concupiscentiæ accipiatur in gula secundùm auersionem à fine vltimo, sic gula est peccatum mortale. hæc relinquitur vt nota, quia auersio ab vltimo fine semper est peccatum mortale. secunda conclusio. si in vitio gulæ intelligatur inordinatio concupiscentię tantùm secundùm ea, quæ sunt ad finem, vt potè quia nimis concupiscit delectationes ciborum, non tamen ita quòd propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale. hæc relinquitur vt nota ex terminis, quia hic nihil agitur contra legem Dei, sed præter legem Dei agitur.

Ad explicationem primæ conclusionis obserua, quòd gula non est peccatum mortale ex suo genere, vt asserit D. Thomas 2. 2. q. 154. art. 2. ad 6. & deduxit Siluester verb. gula. q. 1. ex pluribus alijs D. Thomæ locis; sunt tamen multi casus, in quibus est peccatum mortale, quorum primus desumitur ex S. Thoma hoc in loco, quãdo scilicet deordinat à fine vltimo, quod contingit, quando delectationi gulæ inhæret homo tanquam fini, propter quem Deum contemnit, paratus scilicet contra præcepta Dei agere, vt delectationes huiusmodi assequatur iuxta illud D. Pauli, quorum Deus venter est. ad Philip. 3. hunc casum etiam ponit Siluester verb. gula. q. 1. Caietanus in summula verb. gula. secundus sumitur ex eodem S. Thoma hoc in loco, vt quando quis transgreditur præcepta Diuina, vt delectationes cibi, & potus assequatur, puta vescendo carnibus tempore vetito, non ieiunando diebus præceptis, vtendo cibis preciosis, ex quo se reddit impotentem ad debita soluenda creditoribus, ad succurrendum in extremis necessitatibus proximorum, vel si propter hoc furaretur, & huiusmodi. tertius sumitur ex Siluestro verb. gula. q. 1. quem sequitur Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 60. n. 2. quando quis scienter comedit, vel bibit in graue corporis nocumentũ. circa hoc tamen aduertit, quòd si fiat inaduertenter, non est mortale, sicut non est mortale, si nocumentum sit modicum. quartus sumitur ex D. Antonino apud Siluestrum loco citato, quando sciẽter ex voluptate comeditur vsque ad vomitum. Caietanus tamen in summula verb. gula, quem sequitur Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 62. num. 5. ait esse tantùm peccatum veniale. quintus desumitur ex D. Paulo, scilicet ratione scandali, quod vt euitaret dicebat se nõ manducaturum carnes in æternum, si sciret fratrem suum inde scandalum accepturum. sextus desumitur ex Siluestro loco citato, scilicet ratione finis, puta ad luxuriandum, aut ad procurãdum pollutionem in somnis, etiam gratia sanitatis. aduerte tamen, quòd si cognosceret, se nocturnam pollutionem passurum ex potu, vel cibo inordinato, non tamen assumeret hoc fine, & propter talem pollutionem, non peccaret mortaliter, sed venialiter. septimus desumitur ex Toleto lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 60. n. 4. quando timetur probabiliter ex nimio potu aliquod peccatum mortale, vt qui se scit multùm in luxuriam procliuem, & peccare, cum modum nõ seruat, tunc peccatum mortale est gula. octauus desumitur ex Caietano hoc in loco, quem sequitur Nauarrus in manuali cap. 23. nu. 119. Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus. n. 3. quando cibus est contra naturam, vnde vesci carnibus humanis, aut humanum bibere sanguinem peccatum mortale est, quia est contra præcepta iuris naturalis, sicut enim naturaliter sola fœmina est habilis ad coitum hominis, ita naturaliter sola vegetabilia, & animalia irrationalia sunt materia habilis ad nutriendum hominem, vnde Deus primò dedit Adæ vegetabilia, deindè Noë dedit animalia, quia autem præcepta iuris naturalis sunt præcepta Dei, ideò peccans gula contra naturam peccat contra præcepta iuris naturalis, & Diuini, & consequenter mortaliter. aduerte tamen, quòd liceret in maxima necessitate huiusmodi humanis carnibus vesci, puta si alius nõ adesset cibus, vel aliud non sufficeret remedium ad expellendam infirmitatem. hoc tamen verũ est, si homines inueniãtur occisi in bello, vel alio modo, aliàs in nullo casu licet occidere, & tunc necessitas excusabit, ex quo nocumentum proximi non est: & licet hoc sit adhuc inhumanum, inhumanitatem tamen vrgens necessitas apud se, & alios operit, licet contrariũ affirment Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 9. qu. 3. p. 1. Azorius tom. 1. lib. 7. c. 33. q. 4. & alij.

Nunc restat explicare secundam conclusionẽ, & videre, quando gula sit peccatum veniale. Caietanus in summula verb. gula. ait, gulam frequẽter esse peccatum veniale, & aliquãdo esse valdè graue. regula generalis ad cognoscendum, quãdo sit peccatum veniale, est conclusio secunda D. Thomæ, quando scilicet inordinatio concupiscẽtiæ in gula est tantùm secundùm ea, quæ sunt ad finem, idest quando gula est contra media ad finem, sicut tunc erit peccatum mortale, quando erit contra finem.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 60. num. pri.

Quæri-

Quaritur, cui pracepto opponatur Gula.

6 Respondeo dicendum, quòd vitium gulæ habet, quòd sit peccatum mortale, inquantùm auertit à fine vltimo, & secundùm hoc per quandam reductionem opponitur præcepto de sanctificatione Sabbati, in quo præcipitur quies in fine vltimo, non enim omnia peccata mortalia directè contrariantur præceptis decalogi, sed solum illa, quæ iniustitiam continent, quia præcepta decalogi specialiter pertinent ad iustitiam, & partes eius. 2. 2. q. 148. a. 2. ad 3. (qu. 14. de malo a. 2. ad 14.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. vitium gulæ per quandam reductionem opponitur præcepto de sanctificatione Sabbati, in quo pcipitur quies in fine vltimo. probatur, quia vitium gulæ habet, quòd sit peccatum mortale, inquantùm auertit à fine vltimo. secunda conclusio. nō omnia peccata mortalia directè contrariantur præceptis decalogi, sed solum illa, quæ iniustitiam continent. probatur, quia præcepta decalogi specialiter pertinent ad iustitiam, & partes eius.

Non immoror circa hanc doctrinam, cum nil occurrat scribendum.

Quaritur, an peccatum Gula sit maximum peccatorum.

7 Respondeo dicendum, quòd grauitas alicuius peccati potest tripliciter considerari, primò quidem, & principaliter secundùm materiam, in qua peccatur, & secundùm hoc peccata, quæ sunt circa res Diuinas, sunt maxima, vnde secundùm hoc vitium gulæ non est maximum, est enim circa ea, quæ ad sustentationem corporis spectant; secundò autem ex parte peccantis, & secundùm hoc peccatum gulæ magis alleuiatur, quàm aggrauetur, tùm propter necessitatem assumptionis ciborum, tùm etiā propter difficultatem discernendi, & moderandi id, quod in talibus conuenit; tertiò verò modo ex parte effectus consequentis, & secundùm hoc vitium gulæ habet quandam magnitudinem, inquantùm ex ea occasionantur diuersa peccata. 2. 2. qu. 148. art. 3. in corp.

Præmissa diuisione trimembri respondet D. Thomas quæsito triplici cōclusione iuxta triplex membrum diuisionis, quæ est. grauitas alicuius peccati potest tripliciter considerari, primò quidem, & principaliter secundùm materiam, in qua peccatur. secundò ex parte peccantis. tertiò ex parte effectus consequentis. prima conclusio. vitium gulæ si consideretur secundùm materiam, in qua peccatur, non est maximum peccatorum. probatur, quia secundùm hoc peccata, quæ sunt circa res Diuinas, sunt maxima, gula autem est circa ea, quæ ad sustentationē corporis spectant, & consequenter secundùm hoc non est maximū peccatorum, secunda conclusio. peccatum gulæ, si consideretur ex parte peccantis, magis alleuiatur, quàm aggrauetur. probatur ex necessitate assumptionis ciborum, & ex difficultate discernendi, & moderandi id, quod in talibus cōuenit. tertia conclusio. vitium gulæ si consideretur ex parte effectus, secundùm hoc habet quamdā magnitudinem. probatur, quia ex ea occasionantur diuersa peccata.

Hæc doctrina ita distinctè, dearticulatim explicatur à D. Thoma, vt nostro non egeat labore; legatur tamen Caietanus hoc in loco proponens, & soluens argumēta Martini de magistris, quę facit contra primum membrum diuisionis.

Quaritur, an peccatum Gula aggrauetur, si ex cibo nocumentum corpori inferatur.

8 Respondeo dicendum, quòd gulosus nō intendit suo corpori nocumentum inferre, sed in cibo delectari; si autem nocumentū corporis sequatur, hoc est per accidens, vnde hoc non directè pertinet ad grauitatem gulæ, cuius culpa tamen aggrauatur, si quis corporale detrimentum incurrat propter immoderatam cibi assumptionem. 2, 2. q. 148. a. 3. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. nocumentum, quod corpori infert gulosus, non directè pertinet ad grauitatem gulæ. probatur, quia gulosus non intendit suo corpori nocumentū inferre, sed in cibo delectari, si autem nocumentum corporis sequatur, hoc est per accidens. hinc elicit corrolarium, quòd gulæ culpa aggrauatur, si quis corporale detrimentum incurrat propter inordinatā cibi assumptionem.

Ex hac doctrina habemus, quòd nocumentum illatum corpori, sed non intentum à guloso, non aggrauat directè peccatum gulæ, nocumentum autem illatum corpori, & intentum à guloso, aggrauat peccatum gulæ, & iuxta quantitatem nocumenti erit mensuranda quantitas grauitatis peccati gulæ, si enim sit notabile nocumentum, etiam gula erit peccatum mortale, si autem non sit ita notabile nocumentum, erit peccatum veniale, vt diximus in quæsito quinto cū Siluestro.

Quaritur, an peccet mortaliter ille, qui sumit cibum in nocumentum totius conditionis vita.

9 Respondeo dicendum, quòd peccaret mortaliter, si quis scienter cibum comederet, qui totam conditionem vitæ eius immutaret, sicut patet de Adam. 2. 2. quæst. 154. a. 2. ad 6.

Vnica conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quæ est. peccat mortaliter, si quis sciẽter cibum comederet, qui totam conditionem vitæ eius immutaret. probatur de Adam.

Ex hoc loco habemus, peccatum Adam fuisse mortale, & grauissimum, quia ex eo processit ruina totius mundi.

Quæritur, an conuenienter species Gulæ distinguantur secundùm quinque conditiones, scilicet propoperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

10 Respondeo dicendum, quòd sicut dictũ est, gula importat inordinatam concupiscẽtiam edendi, in esca autem duo considerantur, scilicet ipse cibus, qui commeditur, & eius correctio, potest ergo inordinatio cõcupiscentiæ attendi dupliciter, vno quidem modo quantùm ad ipsum cibum, qui sumitur, & sic quantùm ad substantiam, vel speciem, vbi quærit aliquis cibos lautos, idest prætiosos, quantùm ad qualitatem, quærit cibos nimis accuratè præparatos, idest studiosè, quantùm ad quantitatem excedit nimis edendo; alio autem modo attenditur inordinatio cõcupiscentiæ quãtùm ad ipsam sumptionem cibi, vel quia præuenit debitum tempus comedendi, qđ est præpoperè, vel quia non seruat modum debitum in edendo, quod est ardenter. Isidorus vero comprehendit primum, & secundum sub vno dicens, quòd gulosus excedit in cibo secundùm quòd, quantùm, quomodo, & quando. 2.2.qu.148.art.4. in corp. (q. 14. de malo a.3. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. communiter species gulæ distinguuntur secundùm quinque conditiones, Præpopere, lautè, nimis, ardenter, studiosè. probatur. gula est inordinata concupiscentia edendi, sed talis inordinatio concupiscentiæ vel est respectu substantiæ ciborum, inquantùm quærit cibos lautos, idest præciosos, & sic dicitur, lautè; vel est respectu qualitatis, inquãtum quærit quis cibos nimis occuratè præparatos, & sic dicitur, studiosè; vel est respectu quantitatis, inquantùm quis excedit in edendo, & sic dicitur, nimis; vel est quantum ad ipsam sumptionem cibi, inquantùm præuenit debitum tempus comedendi, & sic dicitur præpoperè; vel quia non seruat modum debitum in edendo, & sic dicitur ardenter.

Sufficientia spetierum gulæ, & ratio sufficientiæ importunè impugnata à Martino de magistris opportunè deffenditur à Caietano, ad quẽ lectorem remitto.

Quæritur, an gula sit vitium capitale.

11 Respondeo dicendum, quòd sicut supra dictum est, vitium capitale dicitur, ex quo alia vitia oriuntur secundùm rationẽ causæ finalis, inquantùm scilicet habet finem multum appetibilem, vnde ex eius appetitu homines prouocantur multipliciter ad peccandum, ex hoc autem aliquis finis redditur multùm appetibilis, quòd habet aliquam de conditionibus fælicitatis, quæ est naturaliter appetibilis; pertinet autem ad rationem fælicitatis delectatio, vt patet in primo, & 10. eth. & ideò vitium gulæ, quæ est circa delectationes tactus, quę sunt præcipuè inter alias, conuenienter ponitur inter vitia capitalia. 2.2.qu.148.ar.5. in corp: (q. 14. de malo a. 4. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. vitium gulæ, quæ est circa delectationes tactus, quæ sunt præcipuæ inter alias, conuenienter ponitur inter vitia capitalia. probatur, vitium capitale dicitur, ex quo alia vitia oriuntur secundùm rationem causæ finalis, inquantùm scilicet habet finem multùm appetibilem, vnde ex eius appetitu homines prouocãtur multipliciter ad peccandum, sed gula habet finẽ multùm appetibilem, ergo &c. probatur minor, quia ex hoc aliquis finis redditur multùm appetibilis, quòd habet aliquam de conditionibus fęlicitatis, quæ est naturaliter appetibilis, idest delectationem ex Arist. 1. & 10. eth. sed gula versatur circa delectationes tactus, quæ sunt præcipuæ inter alias, ergo &c.

Martinus de magistris probat, quinque filias gulæ non oriri ab ea in genere causæ finalis. sed ad eius argumentum egregiè respondet Caietanus, ad quem lectorem remitto.

Quæritur, quænam sint filiæ Gulæ.

12 Respondeo dicendum, quòd filiæ gulæ sunt quinque, scilicet inæpta lætitia, scurilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis circa intelligentiam, dictum est enim, quòd gula propriè consistit circa immoderatam delectationem, quæ est in cibis, & potibus, & ideò illa vitia inter filias gulæ computantur, quæ ex immoderata delectatione cibi, potus consequuntur, quę quidem potest accipi vel ex parte animæ, vel ex parte corporis, ex parte autem animæ quadrupliciter, primò quidem quantùm ad rationem, cuius acies hebetatur ex immoderatione cibi, & potus, & quantùm adhoc ponitur filia gulæ Hebetudo sensus circa intelligentiam propter fumositates ciborum perturbantes caput, sicut è contrariò abstinentia cõfert ad sapientiæ perceptionem secundùm illud Eccles. 2. cogitaui

taui in corde meo abstrahere à vino carnẽ meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam: secundò quantùm ad appetitum, qui multipliciter de ordinatur per immoderantiam cibi, & potus, quasi sopito gubernaculo rationis, & quantùm ad hoc ponitur inepta lætitia; quia omnes aliæ inordinatæ passiones ad lætitiam, & tristitiam ordinantur, vt dicitur in 2. eth. & hoc est, quod dicitur 2. Hesdræ 3. quòd vinum omnem mentem conuertit in securitatem, & in iucunditatem: tertiò quantùm ad inordinatum verbum, & sic ponitur multiloquium, quia vt Gregorius dicit in pastorali, nisi gulæ deditos immoderata loquacitas raperet, diues ille, qui epulatus quotidiè splendidè dicitur, in lingua grauius non arderet: quartò quantùm ad inordinatum actum, & sic ponitur scurilitas, idest iocularitas quædam prouenìens ex defectu rationis, quæ sicut non potest cohibere verba, ita non potest cohibere exteriores gestus, vndè ad ephesios. 5. super illud, aut stultiloquium, aut scurilitas, dicit glosa, quòd à stultis scurilitas dicitur, idest iocularitas, quæ risum mouere solet, quamuis possit vtrumque horum referri ad verba, in quibus contingit peccare, vel ratione superfluitatis, quod pertinet ad multiloquium, vel ratione inhonestatis, quod pertinet ad scurilitatem: ex parte autem corporis ponitur immunditia, quæ potest attendi siue secundùm inordinatam emissionem quarumcunque superfluitatum, vel specialiter quantùm ad emissionem seminis, vndè super illud ad ephesios. 5. fornicatio autem, & omnis immunditia &c. dicit glosa, idest incontinentia pertinens ad libidinem quocunque modo. 2. 2. q. 148. a. 6. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. illa vitia inter filias gulæ computantur, quæ ex inordinata delectatione cibi, & potus consequuntur, quæ sunt quinque, nempe inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis circa intelligentiam. probatur prima pars, quia gula propriè consistit circa inordinatam delectationẽ, quæ est in cibis, & potibus. probatur secunda pars, quia accipiũtur vel ex parte animæ, vel ex parte corporis; si ex parte animæ, sic dantur quattuor, scilicet hebetudo sensus circa intelligẽtiam, inepta lætitia, multiloquium, scurrilitas; si ex parte corporis ponitur immunditia. omnia clare in littera.

Filiæ gulæ suis explicabuntur locis, aliqua tamen nunc tangenda sunt, & primò circa hebetudinem sensus, quod intantùm est peccatum, & mortale, inquantùm homo ex immoderata sumptione cibi, qui causat fumositates ad caput perturbantes illud, ita fieret aduertenter ineptus, vt non posset vacare his, quę ex præcepto tenetur facere, vt si Medicus deberet tali tempore studere pro aliqua re graui, & infirmo necessaria, & ipse ita se repleret, vt non posset attendere. idem dic de aduocato, & concionatore. hæbetudo tamen potius est pæna, quàm culpa. Inepta lætitia, qua homo lætatur de his, quæ nullam delectationem ex se sunt apta facere, & ideò dicitur inepta, & ad rem nõ pertinent, vt ait D. Paulus ad ephesios. 5. peccatum est veniale, nisi tamen materia sit mala, & quæ faciat mortale. multiloquium, siue loquacitas est peccatũ veniale præcisè sumpta, quòd dico, quia si adiungantur ei contumeliæ, & infamiæ contra proximum, vel blasphemię contra Deum, est peccatum mortale ratione adiunctorum, aut si multiloquio quis vtitur in irreuerentiã Dei notabilem, aut adeò eo delectatur, vt paratus sit id pręferre impletioni alicuius pręcepti, vt ait D. Antoninus p. tit. 6. c. 4 §. 4 quem sequitur Nauarrus in manuali cap. 23. num. 123. scurrilitas, idest iocularitas, quæ risum mouere solet, quia sicut non potest cohibere verba, ita nõ potest cohibere exteriores gestus, & glosa ait, quòd scurilitas à stultis dicitur, peccatum veniale est, si sistat in sola prouocatione risus, quod dico, quia si fiant hæc causa delectationis venereæ, mortale peccatum est. immunditia, quæ consistit in emissione inordinata quarumcunq; superfluitatum, vel specialiter seminis, peccatum mortale est, cum dicat D. Paulus ad ephesios ca. 5. omnis fornicator, aut immundus, aut auarus non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei. licet immunditia, quæ consistit in emissione cibi per vomitum sit tantùm peccatum veniale secundùm Caietanũ in summula verb. gula. quem sequitur Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 62. n. 5. licet hoc aduertenter faciat, nisi tamen sequatur aliquod damnum notabile corporis, vel scandalum. oppositum tamen sentit D. Antoninus, quem sequitur Siluester verb. gula. qu. 1. vt supra diximus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus. cap. 62. Nauarrus in manuali cap. 23. n. 123.

Quæritur, an licitum sit prouocare vomitum.

13 Respondeo dicendum, quòd licet vtilis sit vomitus post superfluam comestionẽ, tamen vitiosum est, quòd aliquis huic necessitati se subdat per immoderantiam cibi, vel potus; potest tamen absque culpa vomitus procurari ex consilio medicinę in remedium alicuius languoris. 2. 2. q. 148. a. 6. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. licet sit vtilis vomitus post superfluam comestionem, tamen vitio-

vitiosum est, quod aliquis huic necessitati se subdat per immoderantiam cibi, vel potus. secunda conclusio. potest absque culpa vomitus procurari ex cõsilio medicinæ in remedium alicuius languoris.

Sensus huius litteræ est, quòd si quis inaduertenter comedat superfluè, vtilis erit vomitus ad exonerandum stomacum, & alleuiandum naturam ex nimio cibo, vel potu aggrauatam; vitiosum tamẽ est, quòd aliquis huic necessitati se subdat ex intentione, ex professò, ex consuetudine per immoderantiam cibi, vel potus, sicut scio aliquos ita crapulæ, & gulæ deditos, vt post sumptionem cibi, vel potus, post degustatam ciborũ, & vini delectationem statim prouocẽt vomitum ad exonerandum stomacum, vt iterato possint noua edulia degustare, & cibis degustatis delectari. hoc ita vitiosum est, vt limites peccati venialis excedat, & peccati læthalis confinia tangat, vt supra diximus ex D. Antonino, & Siluestro. hoc postulat actus de se immundus, hoc exigit iactura rerum, hoc vult scandalum, hoc petit valetudinis, & complexionis deperditio, naturę aggrauatio, quæ tandem succumbit. scio Caietanum asserere contrariũ in summula verb. gula. scio contrarium docere Toletum lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 62. num. 5. etiam si aduertenter faciat id quis, vt euomat. secunda conclusio nullam patitur difficultatem, sicuti enim ob sanitatem de consilio Medici licet sumere alia medicamenta, ita & hoc licitu erit vti remedio.

HABITVS.

§ *Religiosi Episcopi tenẽtur deferre habitum suæ Religionis, nisi fiat Papa.*
Habitus omissio, vel occultatio peccatum est, nisi rationabilis causa excuset.

Quæritur, ad quid defferatur habitus particularis à Religionis.


Espondeo dicendum, quòd determinatio habitus pertinet ad omnia tria vota tanquam signum obligationis, vndè habitus regularis simul datur, vel benedicitur cum professione. 2. 2. q. 186. a. 7. ad. 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. determinatio habitus pertinet ad omnia tria vota. probatur, quia est tanquam signum obligationis, vnde habitus regularis simul datur, vel benedicitur cum professione.

Cum determinatio habitus pertineat ad tria vota essentialia, tanquam signum obligationis, à qua obligatione non eximuntur Religiosi assumpti ad Episcopatũ, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 185. a. 8. hinc sequitur Religiosum Episcopum teneri ad defferendum habitum Religionis, quã professus est, vt eo loci nos diximus, nisi tamen fiat Episcopus Episcoporum, idest Papa; & habitus debiti omissio, vel occultatio, nisi rationabilis causa excuset, peccatum est, quia contra, aut præter rectam est rationem, vt ait Caietanus in summula verb. habitus.

HEBETVDO.

1 *Quid sit hebetudo intellectus.*
§ *Hebes cui opponatur.*
2 *Hebetudo potest esse in habentibus Gratiam circa non necessaria ad salutem.*
Circa ea, quæ sunt necessaria ad salutem, sufficienter instruuntur à Spiritu Sancto.
3 *Hebetudo habet rationem peccati, quatenus est voluntaria.*
§ *Hebetudo est peccatum, & pœna.*

Quæritur, quid sit Hebetudo intellectus.

1 R Espondeo dicendum, quòd hebetudo acuitati opponitur, dicitur enim per similitudinem intellectus acutus, quando potest penetrare ad intima eorum, quæ proponũtur, vndè hebetudo mentis est, per quam mens ad intima penetrare non sufficit. 2. 2. q. 8. a. 6. ad 1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. hebetudo mentis est, per quã mens ad intima penetrare non sufficit. probatur, quia hebetudo acuitati opponitur, sed dicitur per similitudinem intellectus acutus, quãdo potest penetrare ad intima eorum, quæ proponuntur, ergo hebetudo mentis erit, per quam ad intima penetrare non sufficit.

Ad explicationẽ huius litteræ obserua, quòd hebes acuto opponitur, acutum autem dicitur aliquid ex hoc, quòd est penetratiuum, sicut oculus dicitur acutus, inquantùm obiectum suum in distans percipit, vel inquantum potest quasi penetrando minima, vel intima rei percipere, è cõuerso ergo hebes dicetur aliquid ex hoc, quòd est obtusum, penetrare non valens, sicut sensus dicitur hebetari, qui non percipit nisi ex propinquo, & magna sensibilia, similiter ille dicitur esse acuti sensus circa intelligentiam, qui statim ad apprehensionem proprietatis rei, vel etiam effectus naturam rei comprehendit, & qui vsque ad minimas conditiones rei considerandas pertingit; è contrario ille dicetur hebes circa intelligentiam, qui ad cognoscendam veritatẽ rei pertingere non potest, nisi per multa ei exposita, & tunc etiam non potest pertingere ad perfectè considerandum omnia, quæ pertinent ad rei rationem. hebetudo ergo sensus circa intelligentiam importat quandam debilitatem mentis circa considerationem spiritualium bonorum.

Quæritur, an existentes in Gratia possint pati hebetudinem.

2 Respondeo dicendum, quòd aliqui habentes Gratiam gratum facientem possunt hebe-

hebetudinem pati circa aliqua, quæ ſunt præter neceſſitatē ſalutis, ſed circa ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ſufficienter inſtruuntur à Spiritu Sancto ſecundùm illud primæ Ioannis 2. vnctio eius docet vos de omnibus. 2.2.q.8.a.4. ad 1.

Concluſione vnica reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. aliqui habentes Gratiam gratum facientem poſſunt hebetudinem pati circa aliqua, quæ ſunt præter neceſſitatē ſalutis, ſed circa ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ſufficienter inſtruuntur à Spiritu Sancto. probatur ſecunda pars ex primæ Ioannis cap. 2.

Ex hac littera exiſtentes in Gratia Dei ſuum obſeruent priuilegium, aſſiſtentiam Spiritus Sancti in ſeipſis de neceſſarijs ad ſalutē eos inſtruentis attendant.

Quæritur, an hebetudo ſit peccatum.

3 Reſpondeo dicendum, quòd habet hebetudo rationem peccati, ſicut, & cæcitas mentis, inquantùm ſcilicet eſt voluntaria, vt patet in eo, qui affectus circa carnalia de ſpiritualibus ſubtiliter diſcutere faſtidit, vel negligit. 2.2.q.15.a.2. in corp.

Reſpondet D. Thomas huic quæſito concluſione vnica, quæ eſt. habet hebetudo rationem peccati, ſicut & cæcitas mentis, inquantùm ſcilicet eſt voluntaria. probatur in eo, qui affectus circa carnalia de ſpiritualibus ſubtiliter diſcutere faſtidit, vel negligit.

Hebetudo eſt peccatum, & eſt pœna; eſt, inquā, peccatum, inquantùm homo aduertenter ita fieret ineptus, vt non poſſet vacare his, quæ tenetur facere ex præcepto, vt ſupradiximus, vnde dicitur in littera, quòd habet rationem peccati, inquantùm eſt voluntaria; eſt etiam pœna, ſcilicet peccati primi Parentis. ſi enim Adam non peccaſſet, ingenium hominis non fieret hebes, & ineptum ad percipiendum, & iudicandum ex nimio cibo, & potu.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſit, quæ docet Toletus lib. de 7. peccatis mortalibus cap. 62. num. 2.

HAERES.

§ *Diffinitio hæreditatis quæ.*

Quæritur, quis nam dicatur hæres.

Reſpondeo dicendum, quòd dicitur aliquis hæres alicuius exiſtere, qui principalia eius bona percipit, ſeu adipiſcitur, non autem qui aliqua munuſcula recipit. lect. 3. cap.8. ad Romanos.

Hęredem alicuius exiſtere illum, qui principalia eius bona percipit, ſeu adipiſcitur, non autem qui aliqua munuſcula recipit, docet D. Thomas hoc in loco.

Ex hoc loco poſſumus elicere diffinitionem hæreditatis, quòd ſcilicet hæreditas eſt ſucceſſio in vniuerſum ius, quod habuit defunctus. L. nihil. de verb. ſigni. Bartolus in rubr. de acquirenda hæredi.

HAEREMITAE.

§ *Quis dicatur hæremita, & quotuplex, & qui.* 2
Hæremita tenetur obedire Epiſcopo.
Hæremita proprium habere poteſt. 1

Quæritur, an hæremitæ votum continentiæ habeant.

Reſpondeo dicendum, quòd hæremitæ, quamuis obedientiam non promittant, tamen votum continentiæ habent annexum, & ex mora ſecundū determinatum tempus eorum votum ſolemnizatur. 4. ſent. d. 27. in expoſit. litteræ.

Quod hæremitæ quamuis obedientiam non promittant, tamen votum continentiæ habent annexum, & ex mora ſecundùm determinatum tempus eorum votū ſolemnizatur, docet D. Thomas in hoc quæſito.

Ad declarationem huius doctrinæ obſerua, quòd hæremita, ſeu hermicola eſt is, qui hæremū colit inhabitando ex deſiderio. datur autem duplex huiuſmodi hæremita, quidam eſt colens ex deſiderio colendi, & tamen eſt aſtrictus obediētiæ alicuius approbatæ Religionis, & iſte licet ſit hæremita propriè, non tamen præciſè, vt ait Silueſter verb. hæremita in principio, ſed eſt Religioſus hæremiticam vitam ducens; alius verò eſt, qui non eſt obedientiæ aſtrictus, & iſte propriè dicitur hæremita, & eſt is, qui vitam hæremiticam eligit ſub ſpiritu libertatis, & de hoc hæremita loquitur S. Thomas in littera, dum ait, quòd obedientiam non promittunt, habent tamen votum continentiæ ſolemne. nota tamen, quòd licet tales hæremitæ non promittant obedientiam Prælato alicuius Religionis, non excuſantur tamen ab obedientia Epiſcoporum, vt aſſerit S. Thomas 2.2.q. 186. artic. 5. ad 3. poſſunt tamen habere proprium, vt ait loco citato Silueſter ex gloſ. in c. qui verè. & eſt tex. 19. quæſt. 3. §. è contra.

HAERESIS.

1 *Neceſſe eſt hæreſes eſſe, vt experiatur conſtantia fidelium, & excitetur pigritia circa ſtudia ſacræ ſcripturæ.*
Hoc tamen non eſt de intentione hæreticorum.
§ *Vtilitates hęreſum à quo proueniant.*
2 *Hæreſis principaliter eſt in corde, ſecundariò in ore.*
§ *Nomine cordis quid intelligatur.*
Quare hęreſis dicitur principaliter in corde, ſecūdariò in ore.
Quotuplex ſenſus illorum verborum, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hęreſis.

3 Hęreſis

3 *Hæresis est error circa articulos fidei directè, indirectè est circa ea, ex quibus sequitur corruptio alicuius articuli.*
§ *Quid sit pertinere directè, vel indirectè ad fidem.*
Quę sint, quę pertinent directè ad fidem.
4 *Hæresis addit supra errorem duo, vnum ex parte materiæ, alterum ex parte errantis, scilicet pertinaciam.*
§ *Quattuor sunt, quę videntur pertinere ad defectũ intellectus, & quę & quid, & differentia eorũ.*
§ *Corruptio directè æstimationis circa ea, quæ pertinent ad fidem, vel bonos mores in vniuersali, pertinet ad hæresim, nõ autẽ si sit in particulari.*
6 *Non est hæresis assentire falsitati ante determinationem Ecclesiæ.*
Et hæresis assentire pertinaciter falsitati post determinationem Ecclesiæ.
§ *Nomine hæreticorum intelliguntur hęretici formales.*
Qui sint hęretici formales.
Pertinacia est ratio formalis hęresis.
Qui excusentur, licet proferant hęreticalia.
7 *Quid sit exponere sacram scripturam aliter, quàm Spiritus Sanctus postulet.*
§ *A quo referatur illa propositio, ex verbis inordinatè prolatis &c.*
Sensus prędictę propositionis exponitur.
8 *Hæresis est infidelitatis species pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt.*
§ *Differentia inter hęreticũ, & infidelem exponitur.*
9 *Ea, quæ sunt hæresis ad superstitionem pertinent.*
10 *Hæresis, vt importat pertinaciam, est species peccati in Spiritum Sanctum.*
11 *Hæresis non numeratur inter vitia capitalia, reducitur tamen ad superbiam.*
12 *Hæresis ex simplici ignorantia oritur ex accidia.*
13 *Hæresis ex genere suo est maximum peccatorum.*
Ex accidenti aliquod peccatũ potest esse grauius ea.
§ *Per hęresim recedit homo à Deo per intellectum, & voluntatem.*
14 *Potest quis tenere diuersas opiniones in his, quæ non pertinent ad fidem, nec ad bonos mores.*
In his, quę pertinent ad fidem, vel ad mores non excusatur à peccato, si sequatur quis opinionem erroneã alicuius magistri.
In rebus dubijs non est de facili pręstandus assensus.

Quæritur, an sit necesse hęreses esse in Ecclesia, & per hoc sustinendę sint.

1 RESpondeo dicendum, quòd Apostolus 1. ad Corinth. 11. dicit, oportet hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant, sed vtilitas, quæ ex hæresibus prouenit, est præter intẽtionem hæreticorum, dum scilicet constantia fidelium comprobatur, vt Apostolus dicit, & vt excutiamus pigritiam Diuinas scripturas solicitius intuentes, sicut Augustinus dicit, sed ex intentione eorum est corrumpere fidem, quod est maximi nocumenti, & ideò magis respiciendum est ad id, quod est per se de eorum intentione, vt excludantur, quàm adhoc, quod est præter eorum intentionem, vt sustineantur. 2.2.q.11.a.3.ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. vtilitas, quæ ex hæresibus prouenit, est præter intentionem hæreticorum, dum scilicet constantia fidelium cõprobatur, vt Apostolus dicit, & vt excutiamus pigritiam Diuinas scripturas sollicitius intuentes, sicut Augustinus dicit. probatur, quia ex intentione eorum est corrumpere fidem, quod est maximi nocumenti. hinc elicit corrolarium, quòd magis respiciendũ est ad id, quod est per se de eorum intentione, vt excludantur, quàm ad hoc, quod est præter eorum intentionem, vt sustineantur.

Circa hãc litteram obserua, quòd duplex vtilitas, quæ ex hæresibus prouenit, nempe comprobatio constantiæ fidelium, & pigritiæ nostræ excitatio circa Diuinas scripturas, non prouenit ab hęresibus secundum suam naturam, neque ab hęreticis secũdum suam intentionem, quia malum, inquantùm malum semper facit malum; sed procedit ab omnipotentia Dei, de qua loquens D. Augustinus in Enchiridion relatus à D. Thoma p. p.q.2 a.3.ad 1.ait, Deus cum sit summè bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeò omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo. ex hæresibus ergo Deus elicit constantiam fidelium, per hæreses excutit nostram segnitiem in rimandis sacris scripturis. quot modò sunt volumina in Ecclesia Dei, quibus mirificè refulget, ac sicut dies clarescit fugatis per ea hæresum tenebris, quæ nunc non extarent, nisi hæreses fuissent. constantia etiam fidelium comprobatur maximè, qui veluti pueri in medio ignis existentes non exurũntur, velut aurum igne purgatum habentur. attamen quia iuditium dandum est de re secundùm id, quod sibi conuenit per se, non autem secundùm ea, quæ sibi conueniunt per accidens, ideò in littera dicitur, quòd magis respiciendum est ad id, quod est per se de eorum intentione, vt excludantur, quàm ad hoc, quod est præter eorum intentionem, vt sustineantur.

Quęritur, in quo sit hęresis.

2 Respondeo dicendum, quòd fides principaliter consistit in corde, & primò, sed secundariò in ore, quia corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem, Rom. 10. & similiter hæresis principaliter consistit in corde, secundùm quòd Hilarius dicit, intellectiuè sensus in animo est, sed secundariò in ore, vnde Hieronymus dicit, quòd ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, non quia hæresis per se in his consistat, sed quia sunt occasio, & causa erroris. 4.sent.d.13.q.2.a.1.ad 5.

Vnica

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. quòd hæresis principaliter consistit in corde, sed secundariò in ore, probatur dupliciter, & primò quia etiam fides principaliter consistit in corde, & primò, sed secundariò in ore, quia corde creditur ad iustitiam, ore autē confessio fit ad salutem. Rom. 10. secundò probatur prima pars ex D. Hilario. secūda pars probatur ex D. Hieronimo inquiente, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, quod explicatur, non quia hæresis per se in his consistat, sed quia sunt occasio, & causa erroris.

Pro explicatione huius litteræ obserua, quòd nomine cordis, in quo principaliter consistit hæresis, intelligitur intellectus iuxta illud, corde creditur ad iustitiam, actus credēdi est actus intellectur, sicut actus diligendi est actus voluntatis. hæresis ergo principaliter consistit in corde, quia est error intellectus, & dicitur hæresis esse principaliter in corde, & secundariò in ore, quia formaliter est in intellectu, occasionaliter est in ore, in quātum ex verbis inordinatè prolatis sumitur occasio errandi in fide. Dominicus Bannes hoc in loco ait, quòd dupliciter aliquis potest proferre verba inordinata circa res fidei, vno modo vt sentiens catholicè, sed non se conformans in modo loquendi cum catholicis, & sic ex tali diuersitate sermonis poterit ille peruenire, vt etiam aliquando differat in sensu, & vlterius poterit generare malum sensum in corde audiētium; alio modo cum aliquis loquitur inordinatè sic, vt talis locutio sit prohibita ab Ecclesia, & existimat ille Ecclesiam errare in hoc, quod ita loquēdo diffinit, vel etiam putat licitum esse aliter loqui, quam Ecclesia diffiniat, & hæc est hæresis; & talis habet errorem hunc in mente, Ecclesia non est regula infallibilis ad diffiniendum modum loquendi in rebus fidei. in primo sensu loquitur D. Thomas, quando ait, quòd ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, occasionaliter. Melchior cano lib. 12. de locis Theologicis cap. 9. ad 3. ait illa verba D. Hieronimi, si sunt D. Hieronimi, intelligenda esse, vt sit hæresis secundùm præsumptionem audientium, & Iudicum, qui per exteriora signa debent iudicare de hæresi. sed miror hunc doctissimum virum non vedisse expositionem illorum verborum a D. Thoma datam hoc in loco, dum ait, quòd ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, non quia hæresis per se in his consistat, sed quia sunt occasio, & causa erroris.

Quæritur, an hæresis sit propriè circa ea, quæ sunt fidei.

3 **Respondeo dicendum, quòd de hæresi nunc loquimur secundùm quòd importat corruptionem fidei Christinnæ, non autem ad corruptionem fidei Christianę pertinet, si aliquis habeat aliquam falsam opinionē in his, quæ non sunt fidei, puta in Geometricalibus, vel in alijs huiusmodi, quę omninò ad fidem pertinere non possunt, sed solum quādo aliquis habet falsam opinionem circa ea, quæ ad fidem pertinent, ad quam aliquid pertinet dupliciter, vno modo directè, & principaliter, sicut articuli fidei, alio modo indirectè, & secundariò sicut ea, ex quibus sequitur corruptio alicuius articuli, & circa vtraque potest esse hæresis eo modo, quo & fides. 2.2.q.11.a.2.in corp. (4.sent.d.13.q.2.a.1. ad 6.**

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cōclusione, quæ est. hæresis est circa ea, quæ sunt fidei vel directè, vel indirectè eo modo, quo, & fides. probatur, quia nunc loquimur de hæresi, secundùm quòd importat tantùm corruptionem fidei Christianæ, sed ad corruptionē fidei Christianæ pertinet solum falsa opinio circa ea, quæ ad fidem pertinent, vel directè, & principaliter, vt sunt articuli fidei, vel indirectè, & secundariò, vt ea, ex quibus sequitur corruptio alicuius articuli.

Vt explicetur hæc doctrina aduerte, quòd ea pertinent directè ad fidem, quæ immediatè cadunt sub habitu fidei, idest sine consequentia rationis, vt Verbum caro factum est; ea autem indirectè pertinent ad fidem, quæ per necessariam consequentiam colliguntur ex aliqua propositione immediata secundùm fidem, & ad quorum negationem sequitur necessario per bonam consequentiam falsum esse, quod asseritur per fidem, vt quòd Christus sit risibilis, pertinet indirectè ad fidem, quia per necessariam consequentiam colligitur ex hac propositione immediata secundùm fidem, Verbum caro factū est. valet enim, si Verbum caro factum est, ergo Christus est risibilis; rursus si quis neget Christum esse risibilem, negabit etiam Christum esse hominem, valet enim cōsequentia, Christus non est risibilis, ergo non est homo. sub illis, quæ directè pertinent ad fidem, continentur articuli fidei, vt ait D. Thomas; omnia præterea, quæ sunt in sacra scriptura; traditiones etiam Apostolicæ, diffinitiones item Cōciliorum. error ergo circa illa, quæ directè, vel indirectè pertinent ad fidem, dicitur hæresis.

Quæritur, quid Hæresis addat supra errorem.

4 **Respondeo dicendum, quòd hæresis supra errorem addit aliquid ex parte materiæ, quia est error eorum, quæ ad fidē pertinent, & ex parte errantis, quia importat pertinaciam, quæ sola facit hæreticum, quæ quidem pertinacia ex superbia oritur, magnæ enim superbiæ est, vt homo sensum suū pręferat veritati Diuinitus reuelatæ. qu.8. de malo a. 1. ad 7.**

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarū prima est. hæresis supra errorem addit aliquid ex parte materiæ. probatur, quia est error eorum, quæ ad fidem pertinēt. secunda

cunda conclusio: hæresis supra errorem addit aliquid ex parte errantis. probatur, quia importat pertinaciam, quæ sola facit hæreticum. tertia conclusio. ista pertinatia ex superbia oritur. probatur, quia magnę superbiæ est, vt homo sensum suum præferat veritati Diuinitus reuelatæ.

Vt explicetur hæc doctrina, nota, quòd quattuor sunt quæ ad defectum cognitionis pertinere videntur, nempe nescientia, ignorantia, error, hæresis. nescientia importat simplicem carentiā scientiæ, quam quis non est natus, & non tenetur habere. ignorantia est quædam nescientia corū, quæ homo natus est scire, & debet. error supra ignorantiam addit applicationē mentis ad cōtrarium veritatis, ad errorem enim pertinet approbare falsa pro veris. hæresis supra errorem addit duo, vnum ex parte materiæ, alterum ex parte errantis; vnum, inquam, ex parte materiæ, quia hæresis est error pertinētium ad fidem siue directè, siue indirectè, vt iam diximus in superiori quæsito; vnum etiam addit ex parte errantis, & est pertinacia, quæ sola facit hæreticum, vt videbimus infra verb. hæreticus. q. 2. quæ pertinacia oritur ex superbia, magnæ enim superbiæ est, vt homo sensum suum præferat veritati Diuinitus reuelatæ.

Quęritur, an corruptio rectę extimationis circa fidem faciat hęresim.

5 Respondeo dicendum, quòd corruptio directę extimationis circa ea, quæ pertinēt ad fidem, vel ad bonos mores, si fit quidem in vniuersali, pertinet ad peccatum hæresis, non autem si fit in particulari propter passionem, secundùm quam errant omnes, qui operantur malum, vt dicitur Prouerb. 14. sicut si aliquis sentiret in vniuersali fornicationem non esse peccatum, esset infidelis; non autem infidelis censetur fornicator, qui eligit fornicationem tanquam bonum propter cōcupiscentię passionem; similiter si quis in vniuersali extimaret Deum non esse auctorem omnium bonorum, vel bonum gratiæ esse ex meritis, pertineret ad hæresim, non autem si propter amorem inordinatum excellentiæ, quæ incipit in concupiscentijs, corrumpatur in particulari iudicium rationis, vt aliquis præsumat de se ipso, tanquàm bonum aliquid à se posit habere, aut ex maritis proprijs, quod pertinet ad superbiam. q. 8. de malo a. 4. ad 1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. corruptio directæ ęstimationis circa ea, quæ pertinent ad fidem, vel bonos mores, si fit quidem in vniuersali, pertinet ad peccatum hęresis, non autem si fit in particulari; sicut si aliquis sentiret in vniuersali fornicationem nō esse peccatum, esset infidelis, non autem infidelis censetur fornicator, qui eligit fornicationem tāquam bonum propter concupiscentiæ passionem &c. probatur secunda pars, quia adest passio, secundum quam errant omnes, qui operantur malum, vt dicitur prouerb. 14.

Non immoror circa hoc quæsitum, quia nihil mihi occurrit scribendum.

Quęritur, an illi incidant in hęresim, qui impugnant aliquam veritatem ad fidem pertinentem, nundum tamen ab Ecclesiam determinatam.

6 Respondeo dicendum, quòd sicut Augustinus dicit, & habetur in Decret. 24. q. 3. c. dixit Apost. si qui sententiam suam, quamuis falsam, atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, quærunt autem tota sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hęreticos deputandi, quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ. sic ergo aliqui Doctores videntur sensisse vel circa ea, quorum nihil interest ad fidem, vtrum sic, vel aliter teneatur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinētibus, quæ nundum erant per Ecclesiā determinata, post quam autem essent determinata auctoritate vniuersalis Ecclesiæ, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censetur, quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice, dicitur enim 24. qu. 1. quotiens fidei ratio ventilatur, arbitros omnes fratres nostros, & Coepiscopos nō nisi ad Petrum, idest ad sui nominis auctoritatem referri debere, contra cuius auctoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum suam sentētiam defendit, vnde dicit Hieronymus ad Damasum Papam, hæc est fides Papa Beatissime, quam in Catholica didiscimus Ecclesia, in qua si minus peritè, aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem, & sedem tenes, si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit. 2. 2. quæst. 11. art. 2. ad 3.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ex D. Augustino, vt habetur in Decret. 24. q. 3. c. dixit Apostolus. si qui sententiam suam quamuis falsam, atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, quæ-

quęrunt autem tota sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. probatur, quia non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ. hinc elicit corrolarium, quod sic aliqui Doctores videntur disensisse vel circa ea, quorũ nihil interest ad fidem, vtrum sic, vel aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quę nundum erant per Ecclesiam determinata. secunda conclusio. postquam essent determinata auctoritate vniuersalis Ecclesiæ, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur, quæ quidẽ auctoritas principaliter residet in Sũmo Pontifice. secunda pars probatur. 24.q.1. prima pars probatur ex D. Hieronimo, vt in littera.

Ad explicationem primæ cõclusionis, quæ est dictum D. Augustini epistola 162. obserua, quòd qui sententiam suam quamuis falsam, atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, & quærunt tota sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi, quia nomine hæreticorum intelliguntur hæretici formales, qui scilicet sunt pertinaces, pertinacia enim est ratio formalis hæresis, qui autem tenent sententiam falsam, quã putant esse veram, parati corrigi, sunt tantùm hæretici materialiter, quia tenent sententiam falsam, non autem sunt hęretici formaliter, quia formalitate hęresis, idest pertinacia non sunt maculati, & fędati. hinc possumus elicere, non esse puniendos tanquam hęreticos, sed esse excusandos eos concionatores, qui in suggestis ex profluuio verborum aliqua inaduertenter prędicãt, quæ fidei Catholicæ, aut bonis moribus non cõsonant, parati tamen corrigi, si de his admoniti fuerint; item eos, qui in profluuio sermonis inter domesticos contexti ex loquacitate in aliqua labuntur dissona fidei orthodorę, siue bonis moribus, parati corrigi, si admoneantur; item eos doctores, qui in cathedris multa subtilia legentes ex applicatione nimia in aliqua, quę hęresim sapiunt, cadunt, parati corrigi, si veritatem inuenerint. propter hoc est pręmittenda sẽper correctio fraterna iuxta pręceptum Christi, de quo Mathęi 18. etiam in peccato hęresis, si adest spes emendationis, vt supra diximus cum S. Thoma, & meritò, vt ex hac correctione cognoscamus, qui pertinaces, qui obedientes existant, quia si veritati cognitæ consentiunt, pertinaces nõ sunt, denunciandi nõ sunt, quia iam lucrati sumus fratres nostros, nec vlterius procedendum est; si autem veritati sibi prędicatę assensum non prębuerint, tunc tanquam pertinaces sunt denunciandi, & denunciati, confessi, vel conuicti sunt puniendi. hinc patet benè dixisse eos doctores, quos supra citauimus, dum docent peccare mortaliter eos, qui denunciant delinquentes etiam in materia fidei inaduertenter, paratos corrigi, absque correctione fraterna. rursus ex hoc loco habemus, eos non esse censendos hęreticos, qui falsa tenent, erronea prędicant, etiam in pertinentibus ad fidem, quę tamen adhuc nõ sunt per Ecclesiam determinata tanquam de fide, aliter tanquam hæreticus damnandus esset D. Damascenus dicens, Spiritum Sanctũ ex Patre dicimus, & spiritum Patris nominamus, ex filio autem Spiritum Sanctum nõ dicimus, spiritum verò filij nominamus, quibus in verbis non confitetur Spiritum Sanctum procedere à filio, sed licet hoc sit falsum, tempore tamen D. Damasceni adhuc oppositum non erat ab Ecclesia determinatum, vt testatur Caietanus p.p. q.37. art.2. in explicatione tertiæ responsionis D. Thomæ. similiter D. Hieronimus, & D. Augustinus essent tanquam hæretici arguendi, qui inter se sunt disentientes circa cessationem legalium, sed quia hęc nundũ ab Ecclesia erat determinata, ideò tales doctores tanquam hæretici non sunt habendi.

Quęritur, an sit hęresis exponere sacram scripturam in contrarium ei, quod per Spiritum Sanctum est reuelatum.

7 Respondeo dicendum, quòd ille dicitur aliter exponere sacram scripturam, quàm Spiritus Sanctus efflagitat, qui ad hoc expositionem sacrę scripturę retroquet, quod contrariatur ei, quod est per Spiritum Sãctum reuelatum; similiter etiam per verba, quæ quis loquitur suã fidem profitetur, est enim confessio actus fidei, & ideò si sit inordinata locutio circa ea, quæ sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei, vnde Leo Papa in quadam Epistola ad Procerũ Episcopum Alexandrinum dicit, quòd inimici Crucis Christi omnibus factis, & verbis nostris insidiantur, vt si illam illis, vel tenuem occasionem demus, nos Nestoriano sensui etiam construere mentiãtur. 2.2. q.11. a.2. ad 2.

Triplici conclusione respõdet D. Thomas huic quęsito, quarum prima est. ille dicitur aliter exponere sacram scripturam, quàm Spiritus Sanctus efflagitat, qui ad hoc expositionem sacræ scripturæ retorquet, quòd contrariatur ei, quod est per Spiritum Sãctum reuelatum. secunda cõclusio. similiter etiam per verba, quæ quis loquitur, suam fidem profitetur. probatur, quia confessio est actus fidei. tertia conclusio. si sit inordinata locutio circa ea, quæ sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei. probatur ex Leone Papa, vt in littera.

In hoc loco habemus hęresim incurri ex duplici capite, primò ex eo quòd quis exponit sacram scripturam aliter, quàm Spiritus efflagitat, dum scilicet expositionẽ sacrę scripturę ad hoc retorquet, quod ei contrariatur, quod est per Spiritum Sanctum reuelatum, & in hoc sensu loquitur D. Hieronimus super cap. 5. ad Galatas, dum ait, quicunque aliter scripturam intelligit, quã sensus Spiritus Sancti afflagitat, à quo scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appel-

appellari poteſt. ſecundò ex inordinata locutione circa ea, quæ ſunt fidei iuxta dictum D. Hieronimi, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis. quod dictum refert Magiſter ſententiarum 4. ſent. d. 13. in fine, & hoc ideò dico, quia Melchior Canus lib. 12. de locis Theologicis cap. 9. ad 3. ait ſe vix aſſentiſſe vnquam huic vlgari dicto, ex verbis inordinatè &c. quia licet attribuatur D. Hieronimo, non eſt tamen illius, quin potius D. Hieronimus in ep. ad Damaſum de trium hypoſtaſum vocabulo oppoſitum ſētire videtur, dum ait, ex ſenſu, non eſt verbis hæreſim æſtimādam eſſe; quod etiam docuit D. Hilarius lib. 2. de Trinit. dum ait, de intelligentia hæreſis, non de ſcriptura orta eſt, & ſenſus, non ſermo fit crimen. attamen quia dictum affertur à Magiſtro, & D. Thoma tāquam prolatum à D. Hieronimo, illius eſſe certò tenendum eſt, non enim putandum eſt hos doctores aliàs in adducendis ſententijs fideliſſimos in hoc defficere; exponit tamen illam propoſitionem in hoc ſenſu, vt ſit hæreſis ſecundum præſumptionem audientium, & iuditium, qui per exteriora ſigna debent iudicare de hæreſi. ſed quomodo debeat intelligi ſecundùm legitimum ſenſum, ſupra expoſuimus. quæſt. 2.

Quæritur, an hæreſis ſit infidelitatis ſpecies.

8 Reſpondeo dicendum, quòd nomen hæreſis electionem importat, electio autem eſt eorum, quæ ſunt ad finem præſuppoſito fine, in credendis autem voluntas aſſentit alicui vero tamquam proprio bono, vnde quod eſt principale verum habet rationem finis vltimi, quę autem ſecundaria ſūt, habent rationem eorum, quæ ſunt ad finē, quia verò quicunque credit, alicuius dicto aſſentit, principaliter videtur eſſe, & quaſi finis in vnaquaque credulitate ille, cuius dicto aſſentitur, quaſi autem ſecundaria ſunt, quæ quis tenendo vult alicui aſſentire. ſic ergo qui rectè fidem Chriſtianam habet, ſua volūtate aſſentit Chriſto in his, quæ verè ad eius doctrinam pertinent, à rectitudine ergo fidei Chriſtianę dupliciter quis poteſt deuiare, vno modo quia ipſe Chriſto nō vult aſſentire, & ſic habet quaſi malam voluntatem circa ipſum finem, & hoc pertinet ad ſpeciem infidelitatis Paganorum, & Iudeorum; alio modo per hoc, quòd intendit quidem Chriſto aſſentire, ſed defficit in eligendo ea, quibus Chriſto aſſentiat, quia non eligit ea, quæ ſunt verè à Chriſto tradita, ſed ea, quæ ſibi propria mens ſuggerit, & ideò hæreſis eſt infidelitatis ſpecies, pertinens ad eos, qui fidem Chriſti profitentur, ſed eius dagmata corrumpunt. 2.2.q.11.a.1. in corp.

Vnica concluſione reſpondet D. Thomas huic quęſito, quæ eſt. hæreſis eſt infidelitatis ſpecies pertinens ad eos, qui fidem Chriſti profitentur, ſed eius dogmata corrumpunt. probatur, hæreticus intēdit aſſentire Chriſto, ſed defficit in eligendo ea, quibus Chriſto aſſentiat, ſed hoc pertinet ad infidelitatem, ergo &c. probatur maior quoad primam partem, quia in hoc diſtinguitur hæreticus à Iudeo, & Pagano, quòd hæreticus aſſentit Chriſto, non ſic autem Iudeus, & Paganus, probatur ſecunda pars, quia non eligit ea, quæ ſunt verè à Chriſto tradita, ſed ea, quæ ſibi propria mens ſuggerit. minor probatur. quia qui rectè fidem Chriſtianam habet, ſua voluntate aſſentit Chriſto in his, quæ verè ad eius doctrinā pertinent, ergo ex oppoſito qui defficit in eligēdo ea, quibus Chriſto aſſentiat, infidelis reputabitur.

Ex hac littera habes differentiam inter infidelem, & hæreticum, quòd infidelis Chriſto non vult aſſentire, & habet quaſi malam voluntatem circa ipſum finem, hæreticus autē intendit Chriſto aſſentire, ſed defficit in eligendo ea, quibus Chriſto aſſentiat, cū non eligat ea, quæ ſunt verè à Chriſto tradita, ſed ea, quæ ſibi propria mens ſuggerit; infidelitas pugnat cum fine, hæreſis autem pugnat cum ordinatis ad finē, hæreſis enim electionem importat, electio autem eſt eorum, quæ ſūt ad finem præſuppoſito fine; hæreſis in hoc conſiſtit, quòd ſuppoſita adhæſione ad Chriſtum erretur in his, quæ ſunt dicta ab ipſo, infidelitas autem negat Chriſtum; hæreticus habet caracterem Baptiſmalem, infidelis autem non. & ſic patet hæreſim eſſe infidelitatis ſpeciem, quia ſicut infidelitas negat Chriſtum, ita hæreſis negat ea, quæ ſunt dicta à Chriſto.

Quæritur, an hæreſis pertineat ad ſuperſtitionem.

9 Reſpondeo dicendum, quòd fides eſt primum eorum, quæ ad Religionem requiruntur, quia omnis Religio, ſiue cultus Dei eſt, quædam fidei proteſtatio, & ideò veritas fidei dicitur veritas, quę ſecundùm pietatem eſt, ideò etiam ea, quæ hæreſis ſunt, ad ſuperſtitionem pertinent. 4. ſent. d. 13. q. 2. a. 1. ad 4.

Concluſione vnica reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. ea, quæ hæreſis ſunt, ad ſuperſtitionem pertinent. probatur, quia fides eſt primum eorum, quæ ad Religionem requiruntur, quia omnis Religio, ſiue cultus Dei eſt quædam fidei proteſtatio, & ideò veritas fidei dicitur veritas, quæ ſecundùm pietatem eſt. Titi. 1. ergo etiam ea, quæ hæreſis ſunt, ad ſuperſtitionem pertinent.

Non immoror circa hoc quæſitum, cum nil occurrat ſcribendum.

Quæri-

Quæritur, an hæresis sit species peccati in Spiritum Sanctum.

10 Respondeo dicendum, quòd hæresis secundùm quòd pertinaciam importat, species est peccati in Spiritum sanctum, quia est impugnatio veritatis agnitæ. 4. senten. d. 13. q. 2. a. 2. ad 5.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. hæresis, secundùm quòd pertinaciam importat, species est peccati in Spiritum Sanctum. probatur, quia est impugnatio veritatis agnitæ.

Propero ad alia, cum circa hanc doctrinam nil occurrat scribendum.

Quæritur, an hæresis computetur inter vitia capitalia.

11 Respondeo dicendum, quòd à Sanctis ponitur hæresis extra numerum peccatorum, quæ in infidelibus inueniuntur quasi grauius eis, & ideò non computatur inter vitia capitalia, nec inter eorum filias, quia vitia capitalia secundùm Isidorum in glosa Deut. 7. signantur per septem populos, qui in terra promissionis non ramanserunt, tamen si ad aliquod de septem capitalibus reduci debeat, poterit ad superbiam reduci. 4. sent. d. 13. q. 2. a. 2. ad 1. (2. 2. quæst. 10. art. 1. ad 3.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. hæresis non computatur inter vitia capitalia, nec inter eorum filias. probatur dupliciter, & primò, quia à sanctis ponitur hæresis extra numerum peccatorum, quæ in infedelibus inueniuntur, quasi grauius eis, ergo meritò non computatur inter vitia capitalia, nec inter eorum filias. secundò probatur, quia vitia capitalia secundùm Isidorum in glos. Deut. 7. signantur per septem populos, qui in terra promissionis non remanserunt. secunda conclusio. si hæresis ad aliquod de septem vitijs capitalibus reduci debeat, poterit ad superbiam reduci. probatur ex D. Augustino.

Hoc in hoc aduerte, quòd sicut secundum phylosophum in 7. eth. bestialitas ponitur extra numerum aliarum humanarum malitiarum, quia humanum modum transcēdit, ita à sanctis ponitur hæresis extra numerum criminum, quæ reperiuntur in infidelibus, quasi eis grauius, & per hoc non computatur inter vitia capitalia, nec inter eorum filias. circa secundam conclusionem nota, quòd ideò poterit hæresis reduci ad superbiam, quia sicut infidelitas, secundùm quòd est peccatum, oritur ex superbia, ex qua contingit, quòd homo intellectum suum non vult subijcere regulis fidei, & sano intellectui Patrum, vnde Gregorius lib. 31. moralium cap. 31. ait, ex inani gloria oriuntur nouitatum præsumptiones, ita dic de hæresi, quæ infidelitatis est species. loquitur autem D. Thomas cōdicionaliter dicens, si ad aliquid de septē capitalibus reduci debeat, quia hoc incertum est, & dubium, cum possimus etiam sustinere, quòd hæresis, & infidelitas non reducantur ad vitia capitalia, quia sicut Virtutes Theologicæ non reducuntur ad Virtutes Cardinales, sed sunt priores eis ita etiam vitia opposita Virtutibus; Theologicis non reducuntur ad vitia capitalia, vt docet idem D. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 1. ad 3.

Quæritur, à quo peccato capitali oriatur hæresis ex simplici ignorantia.

12 Respondeo dicendum, quòd hæresis ex simplici ignorantia prouueniens, si sit peccatum, ex aliquo capitalium vitiorum exoritur, imputatur enim homini ad peccatum, si non curat addiscere ea, quæ tenetur, videtur autem hoc ex accidia prouenire, ad quam pertinet refugere spirituale bonum, inquantùm est impeditiuum boni temporalis. q. 8. de malo a. 1. ad 7.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. hæresis ex simplici ignorantia prouueniens, si sit peccatum, ex aliquo capitalium vitiorum exoritur, nempe accidia. probatur; quia imputatur homini ad peccatum, si non curat addiscere ea, quæ tenetur, sed hoc videtur ex accidia prouenire, ad quam pertinet refugere spirituale bonum, inquantùm est impeditiuum boni temporalis, ergo &c.

Quid sit ignorantia, nescientia, error, hæresis, & quomodo differant, supra exposuimus. hæresis ergo procedens ex simplici ignorantia, si sit peccatum, idest si procedat ex ignorantia vincibili, & culpabili, oritur ex accidia, per quam imputatur homini ad peccatum, si non curat addiscere ea, quæ scire tenetur.

Quæritur, an hæresis sit maximum peccatum.

13 Respondeo dicendum, quòd vnū quodque dicitur malum, quia nocet, vnde cum hæresis plus noceat, quàm aliquod aliud peccatum, quia subuertit fundamentum omnium bonorum, sine quo nihil boni remanet, ideò hæresis est ex genere suo maximum peccatorum, quamuis ex accidenti aliquod peccatum possit esse grauius, sicut si multùm excresceret contemptus Dei in aliquo, quod etiam ex genere suo esset veniale. 4. sent. d. 13. q. 2. a. 2. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cōclusione quæ est. hæresis est suo genere maximū peccatorum, quamuis ex accidenti aliquod peccatum possit esse grauius, sicut si multùm excresceret contemptus Dei in aliquo, quod etiam ex genere suo esset veniale: probatur prima pars,

illud est maximum peccatorum, quod magis nocet, hæresis plus nocet, quàm aliquod aliud peccatum, ergo &c. maior probatur, quia vnumquodque dicitur malum, quia nocet, ergo quod plus nocet, erit maximum malum. minor probatur, quia hæresis subuertit fundamentum omniũ bonorum, sine quo nihil boni remanet.

Hæresim esse maximum peccatorum, non est qui inficiatur, cum iam dixerimus esse speciem infidelitatis, quam esse maximum peccatorum docet D. Thomas 2. 2. q. 10. a. 3. maximum etiã est peccatum, quia per illã homo recedit à Deo secundùm actum voluntatis, quia peccatũ mortale committit, & secundùm actum intellectus, quia his, quæ sunt fidei, non credit, & à Deo aberrat, qui enim aliud peccatum committit, puta fornicationem, adulterium, furtum, à Deo recedit secundùm voluntatem non diligendo ipsum, adhæret tamen Deo per intellectum credendo in eum, per hæresim autem secundùm vtramque potentiam recedit à Deo, secundùm voluntatem non diligendo ipsum, & secundùm intellectum non credendo his, quæ sunt Dei;

Quæritur, an auditores diuersorum Magistrorum tenentium diuersas opiniones excusentur à peccato erroris, si opiniones suorum Magistrorum sequantur.

14 Respondeo dicendum, quòd diuersæ opiniones Doctorem Sacrę scripturæ si quidem non pertineant ad fidem, & bonos mores, absque periculo auditores vtramq; opinionem sequi possunt, tunc enim habet locum, quod Apostolus dicit ad Rom. 14. vnusquisque in suo sensu abundet; in his vero, quę pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionẽ alicuius Magistri, in talibus enim ignorantia non excusat, alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arij, Nestorij, & aliorum Hæresiarcharum; nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequantur, in rebus enim dubijs non est de facili præstãdus assensus, quinimmò vt Augustinus dicit in lib. 3. de Doctrina Christiana consulere debet quis regulã fidei, quam de scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit. qui ergo assentit opinioni alicuius Magistri cõtra manifestum scripturæ tęstimonium, siue contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari. quodlibeto 3. a. 10.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si diuersæ opiniones Doctorũ sacræ scripturæ non pertineant ad fidem, & bonos mores, absque periculo auditores vtramque opinionem sequi possunt. probatur, quia tunc habet locum, quod Apostolus dicit ad Rom. 14. vnusquisque in suo sensu abundet. secunda conclusio. in his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius Magistri. probatur, quia in talibus ignorantia nõ excusat, alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arij, Nestoris, & aliorum Hæresiarcharum. tertia conclusio. nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorũ, si in talibus erroneam opinionem sequãtur. probatur, quia in rebus dubijs non est de facili præstandus assensus, sed ex D. Augustino consulere debet quis regulam fidei &c. hinc elicit corrolarium, quòd qui assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestum scripturæ testimonium, siue contra id, quod publicè tenetur secũdum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.

Primam conclusionem probant tot controuersiæ, quæ versantur, agitantur in scholis Thomistarum, Scotistarum, & aliorum, qui ita mordicus sui Magistri, ac Ducis sectantur, tuentur opinionem circa non pertinentia ad fidẽ, aut bonos mores, vt ab ea discedere nec in minimo fas esse putent, harum sectatores opinionum contrariarum nedum se non errare profitentur, sed pro maximo ducunt honore suam opinionem sequi, amplecti, defensare, docere, ampliare dictis, ac scriptis, ore, & calamo tueri. non licebit tamen sequi erroneam opinionem Magistri alicuius in pertinentibus ad fidem, & bonos mores, quia in talibus ignorantia nõ excusat, est enim crassa talis ignorantia, cum hæc teneatur, & possit scire Christi fidelis.

HAERETICVS.

1 *Quis sit hæreticus.*
Hæresis vndè dicatur.
§ *Nomen hæresis varias habet significationes, et quę.*
De ratione hæresis sunt duo, & quæ.
2 *Sola pertinacia facit hæreticum.*
§ *Quot, & quæ requirantur, vt sit aliquis hęreticus, vbi varij resoluuntur casus.*
Quid importet pertinacia.
Quis dicatur hæreticus materialis, & formalis.
Hæreticus materialis peccat mortaliter, & quo peccato.
Contra hæreticum materialem debet procedere Inquisitor, & eum punire.
Quem hæreticum faciat sola pertinacia.
3 *Hæretici sunt schismatici.*
§ *Secundùm quæ distinguuntur hæresis, schisma.*
Schisma est via ad hęresim.
4 *Quisnam sit peior, hæreticus, an malus Catholicus.*
§ *Quomodo hæresis sit grauius peccatum ex genere cęteris morum peccatis.*
5 *Ad quid tendant hæreticorum errores.*
6 *Hæretici possunt statim quòd sunt conuicti, non solũ excommunicari, sed etiam iustè occidi.*

Eccle-

Quæritur, quis dicatur hæreticus.

1 RESpondeo dicendum, quòd hæreticus secundùm nos dicitur, qui à communi fide, quæ catholica dicitur, discedit contrariæ opinioni vehemēter inhærens per electionē, competit enim ei nomen hæresis, secundùm quòd latinum est ab hærendo dictum, quia suæ opinioni vehementer inhæret. 4. sent. d. 13. quæst. 2. art. 1. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. hæreticus secundùm nos dicitur, quia communi fide, quæ catholica dicitur, discedit contrariæ opinioni vehementer inhærēs per electionem. probatur, quia nomen hæresis, secundùm quòd latinum est, ab hærendo dicitur, suæ enim opinioni vehemēter inhæret hęreticus.

Vt explicetur hæc doctrina obserua, quòd nomen, hæresis, græcum est, & importat diuisionem secundùm Isidorum, quia autem in electione fit diuisio vnius ab altero, dum vnum eligimus relicto altero, ideò electio prohæresis dicitur, vt habemus in 1. eth. & sicut dicitur pars diuidi, quando recedit à toto, & ab eo separatur, ità hæreticus censebitur ille, qui à cōmuni recedit opinione in materia fidei, vnde hæresis consistit in singulari opinione præter communem opinionē, hinc est, quòd hæresis dicitur secta, quia qui relicta communi opinione singularem aliquam viam sequitur, secare dicitur, & sectarij, siue hęretici nuncu-

nuncupantur illi, qui ſeipſos ſeparant ab vniuerſali doctrina, & proprium ſequuntur cerebrum, & quid ſibi credendum ſit, proponunt, & eligũt, vt D. Hieronimus aduertit ad Titum 3. Iſidorus lib. 8. etimolog. ca. 3. Theophilactus ad Coloſſ. cap. 2. Tertulianus in lib. de præſer. hæreticorũ ſuper illa verba, ſecundùm traditionem hominũ. ex his habemus, nomen hæreſis plura importare, & primò importat electionem, eo quòd hæreticus aliquam ſibi opinionem ſectãdam eligat. 24. q. 3. hæreſis. ſecundò importat diuiſionem, inquantùm hæreticus diuiſionem facit à fide Catholica. tertiò importat hæſionem intellectus ad falſam ſententiam in ſpectantibus ad fidem, aut mores cum obſtinatione, vnde de ratione hæreſis ſunt duo, vt docet S. Thomas lect. 4. primæ ad Corinth. ſcilicet electio priuatæ diſciplinæ, & pertinacia. verùm de hac pertinacia, in ſequenti dicetur quæſito.

Quæritur, quid faciat hominem hæreticum.

2 Reſpondeo dicendum, quòd pertinacia ſola facit hæreticum. quæſt. 8. de malo art. 1. ad 7.

Quòd ſola pertinacia faciat hæreticum, docet D. Thomas in hoc quæſito.

Occaſione huius doctrinę explicãda ſunt ea, q̃ requirũtur ad cõſtituendum aliquem hæreticum, plura autẽ requiruntur, & primò quòd quis erret, hæreticus .n. ſecundũ Auguſtinũ eſt, qui opiniones falſas gignit, aut ſequitur; talis autẽ error debet eſſe in ratione, qa hæreſis eſt ſpecies infidelitatis, q̃ eſt in ratione, ſicut & fides. ex his ſequitur, quòd ea, quæ fiunt ſine errore, hominẽ hæreticum non faciunt, vnde baptizare imagines, Dæmones adorare, Altaris conculcare Sacramentum, & huiuſmodi horrenda perpetrare, niſi ſit error in intellectu malè de his ſentiendo, non faciunt hæreticum, ſed ſimplicem peccatorem, & ſceleſtum, & ſortilgum, ſicut qui aliqua ductus cupiditate ſupradicta perpetrat ad aſſequendum aliquid à Dæmone pacto tacito, vel expreſſo, credit tamen de his ea, quæ fides docet Catholica. ſecundò requiritur, quòd error in intellectu ſit circa ea, quæ ſunt fidei, vt circa ſacram ſcripturã, vel articulos fidei, vel determinationem Eccleſiæ in his, quæ ſunt fidei, aut morum. ar. 24. q. 1. ex his ſequitur, illum non eſſe cenſendum hæreticum, qui errat in non ſpectantibus ad fidem, vel determinationem Eccleſiæ. tertiò requiritur quòd error ſit in eo, qui Catholicam fidem eſt profeſſus, quia aliter infidelis cenſetur, hæreſis enim ſupponit ſuſceptionem Baptiſmi, in qua fidem Catholicam quis profitetur, vnde malè dixit Alphonſus de Caſtro lib. 1. cap. 8. de iuſta hæret. punit. Catecumenum errantem in fide eſſe hæreticum; falſum eſt quo ad Eccleſiam, vt docet Simãcas de Cath. inſtitit. 31. iſte tamen cathecumenus erit hæreticus corã Deo, vt ait Dominicus Bannes 2. 2. q. 11. art. 2. Eimericus in ſuo directorio p. 2. qu. 32. num. 1. hanc ſubiecit conditionem, & poſuit tantũ duo facientia hominem hæreticum, vnum tanquam initiatiuum, nempe errorem in intellectu, alterũ vt completiuum, nempe pertinaciam in voluntate, quia illam ſuppoſuit, vt notam. quartò requiritur, quòd talis error non ſit in toto, ſed in parte, alioquin non hæreticus, ſed apoſtata iudicatur, hęreticus enim in hoc diſtinguitur ab apoſtata, quòd apoſtata errat in toto à fide, hæreticus autem aliquam fatetur veritatẽ de fide Chriſti ſpectantem ad humanitatem, vel Deitatem, vt habemus ex D. Thoma 2. 2. q. 11. art. 1. & hoc verum eſt de hæretico, & apoſtata propriè loquendo, quia ſi loquamur de apoſtata largè, etiã ille poteſt dici hęreticus. quintò requiritur, quòd ſit error cum pertinacia, vnde ille, qui errat in fide, ſed paratus eſt corrigi, hæreticus non eſt cenſendus; iſta autem pertinacia non importat temporis diuturnitatem, vel perſeuerantiam vſque ad mortem, vt putauit Silueſter ver b. hæreſis. q. 2. nec obdurationem, ſeu obſtinationem, ſed importat verum conſenſum in errorem circa ea, quæ ſunt fidei agnita illius veritate, vt docet Caietanus 2. 2. q. 11. artic. 2. & talis pertinacia eſt formale hæreſis, ſicut quòd ſit error in fide, eſt materiale illius, vnde ſi quis erret in fide, putans tamen verum ſentire, hæreticus tantùm materialis erit; ſi autẽ certior factus de errore illi aſſentit, iam fit hæreticus formalis, quia formale adeſt hæreſis, nempe pertinacia, quæ eſt cõnſenſus in hæreſim cognita veritate, quia autem conſenſus præſtari poteſt in inſtanti, ideò talis pertinacia in inſtanti eſſe poteſt; debet autem eſſe notitia erroris in fide, vnde ſi quis perſeueret in aliquo errore contrario fidei, ſi tamen ignoret huiuſmodi errorem contrariari fidei, & doctrinæ Catholicæ, & paratus ſit corrigi, hæreticus non erit formalis, quia pertinax non eſt, licet diu in errore perſeueret, ignorat enim errorem ſuum contrariari fidei, vt habetur in Catechiſmo ad Parochos in expoſitione Simboli in illud verbũ, Credo Sanctam Eccleſiam; peccabit tamen mortaliter iſte, ſi ignorantia eius eſt vincibilis, & culpabilis, & tale peccatum erit contra Virtutem ſtudioſitatis, vt docet Dominicus Bannes 2. 2. q. 11. a. 2. cuius præcepto tenetur ſcire, & inquirere ea, quæ pertinent ad ſuum ſtatum; vel erit peccatum contra præceptum de confeſſione fidei, vel contra Religionem, ſecundùm quòd tenetur colere Deum per confeſſionem actualem articulorum fidei, non tamen frangit præceptum de fide recipienda, & nunquam neganda, quia ille ſeruat rationem formalem fidei, dum paratus eſt corrigi per auctoritatem Eccleſiæ. contra tamen huiuſmodi delinquentem poterunt procedere Inquiſitores hæreticæ prauitatis ex præſumptione, & tenentur punire eum vt hæreticum, qui ex dictis, vel factis conuincitur eſſe hæreticus, etiam ſi verè, & realiter nõ ſit hæreticus, ſicut puniuntur receptatores hęreticorum, qui receptatores licet ſint Catholici, & benè ſentientes de fide Catholica, attamen præſumuntur hæretici, quia ex receptione hæreticorum fautores eorum reputantur, & præſumuntur, & conſequenter tanquam erran-

errantes in fide puniri debent. hac de re legatur Turrecremata lib.4. p.2.cap.16. non erunt tamē tanquam hæretici formales puniendi, quia ratio formalis hæresis in eis non reperitur, nempe pertinacia, quæ sola facit hæreticum, vt dicitur in littera, nempe formalem.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Vasquez 1. 2. d.126.cap.3. Toletus lib.4. cap.3. num.6. & alij.

Quæritur, an hæreticus sit schismaticus.

3 Respondeo dicendum, quòd quicunque est hæreticus, est etiam schismaticus, sed nō conuertitur. 2.2.q.39.a.1.ad 3.(4. sent. d. 13.q.2.a.1.ad 2.

Hoc in loco D. Thomas docet, quòd quicunque est hæreticus, est etiam schismaticus, sed non conuertitur.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua, qd hæresis, & schisma distinguuntur secundùm ea, quibus vtrumque per se, & directè opponitur, nam hæresis per se opponitur fidei, schisma autē per se opponitur vnitati Ecclesiasticæ Charitatis, vnde sicut fides, & Charitas sunt diuersæ Virtutes, ita etiam schisma, & hæresis sunt diuersa vitia, quamuis quicunque est hæreticus, sit etiam schismaticus, sicut quicunque caret fide, caret & Charitate, non tamen quicunque est schismaticus, est hæreticus, schisma tamen est via ad hæresim, sicut amissio Charitatis est via ad amittendā fidem secundùm illud 1. ad Timoth. 1. à quibus quidem aberrantes, scilicet à Charitate, & alijs huiusmodi conuersi sunt in vaniloquium: quod autem schisma sit via ad hæresim, docet D. Hieronimus in Epistola ad Galatas, dum ait, schisma à principio aliqua in parte potest intelligi diuersum ab hæresi, cæterùm nullum schisma est, quod non sibi aliquam hæresim confingat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur.

Quæritur, quis sit peior, hæreticus, an malus Catholicus.

4 Respondeo dicendum, quòd nihil prohibet peccatum, quod est grauius secundū genus, esse minus graue secūdū aliquas circunstantias, & ideò Augustinus noluit præcipitare sententiam de malo Catholico, & hæretico aliàs non peccante, & habetur 6. qu. 1. vtrum Catholicum pessimis moribus alicui hæretico, in cuius vita præter id, quòd hæreticus est, nō inueniunt homines, quod reprehendant, præponere debeamus, non audeo præcipitare sententiam, quia peccatum hæretici etsi sit grauius ex genere, potest tamen ex aliqua circunstantia alleuiari, & è conuerso peccatum Catholici ex aliqua circunstantia aggrauari. 2.2.quæst.10. art.3.ad 1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. non est præcipitanda sententia de malo Catholico, & haeretico aliàs non peccante, vtrum Catholicum pessimis moribus alicui haeretico, in cuius vita praeter id, quòd haereticus est, non inueniunt homines, quòd reprehendant, praeponere debeamus. probatur primò ex D. Augustino, & habetur 6. q. 1. secundò quia peccatum haeretici & si sit grauius ex genere, potest tamen ex aliqua circonstantia alleuiari, & è conuerso peccatum Catholici ex aliquā circonstantia aggrauari.

Quòd peccatum hæresis sit maius quocunque alio peccato morum secundùm genus suum considerato, patet, quia in maxima auersione à Deo consistit, cum homo per hæresim auertatur à Deo secundùm voluntatem non diligendo illum, & secundùm intellectum non credendo Diuinis, peccata autem morum in sola auersione à Deo secundùm voluntatem consistunt, inquantum perpetrantes huiusmodi peccata Deum non diligūt, ci tamen adhærent secundùm intellectum in illū credendo; rursus lapsi in hæresim omnium Virtutum fundamentum, quod est fides iuxta illud D. Pauli ad heb. 11. est autem fides sperandarum substantiā rerum, amittūt, fœdati autē alijs peccatorum generibus morum retento sibi Virtutū fundamento eas tantùm perdunt; ex circonstantia autem aliqua poterit alleuiari, sicut, & alleuiantur alia peccata, sicut è cōuerso peccata alia morum possunt ex circonstantia aggrauari, vnde in comparando hæreticum in cuius vita præter id, quòd hæreticus est, non inueniunt homines, quod reprehendant, cum catholico pessimorum morū, non est præcipitanda sententia iudicando hæreticum talem peiorem Catholico pessimo, quia licet hæresis sit grauius peccatū ex genere suo quolibet alio morum peccato, attamen ex circonstātia poterit alleuiari, sicut ex opposito peccata alia morum possunt ex circonstantia aggrauari, licet ex genere sint minus grauia.

Quæritur, ad quid tendant hæreticorum errores.

5 Respondeo dicendum, quòd si quis diligenter inspiciat hæreticorum errores, ad hoc principaliter videtur tendere, vt Christi derogent dignitati. opusculo. 1.cap.33.

Quòd hæreticorum errores adhoc principaliter videantur tendere, vt Christi derogent dignitati, docet D. Thomas hoc in loco.

Quòd hæc doctrina sit vera, patet discurrendo per singulas hæreticorum sectas, nam derogauit Arius dignitati Christi, dum filium Dei coessentialem Patri esse negauit, eum asserens creaturā; derogauit, & Macedonius, qui dum Spiritum sanctum creaturam esse dixit, filio subtraxit auctoritatem spirandi Diuinam personam; & sic de reliquis, vt videre est in discursu, quem facit D. Thomas hoc in loco.

Quæri-

Quæritur, an hæretici sint tolerandi.

6 Respondeo dicendum, quòd circa hæreticos duo sunt consideranda, vnum quidē ex parte ipsorum, aliud verò ex parte Ecclesiæ; ex parte quidem ipsorum est peccatum, per quod meruerunt non solū ab Ecclesia per excomunicationem separari, sed etiam per mortem à mundo excludi, multò enim grauius est corrumpere fidem, per quam est animę vita, quàm falsare pecuniā, per quam temporali vitæ subuenitur, vnde si falsarij pecuniæ, vel alij malefactores statim per sæculares Principes iustè morti tradūtur, multò magis hæretici, statim ex quo de hæresi conuincuntur, possunt non solū excommunicari, sed & iustè occidi: ex parte autem Ecclesiæ est misericordia ad errātium conuersionem, & ideò non statim cōdemnat, sed post primam, & secundam correptionem, vt Apostolus docet, postmodū verò si adhuc pertinax inueniatur, Ecclesia de eius conuersione non sperans aliorū saluti prouidet, eum ab Ecclesia separando per excommunicationis sententiam, & vlterius relinquit eum iudicio sæculari à mūdo exterminādum per mortem, dicit enim Hieronymus, & habetur 24.q.3. resecandę sunt putridę carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus Massa, Corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est. 2.2.q.11.a.3. in corp. (4.sent.d.13. q.2.a.3. in corp.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito iuxta duo, quæ circa hæreticos sunt consideranda, quorum vnum est ex parte ipsorum, nēpe peccatum, alterum est ex parte Ecclesiæ, nempe misericordia. prima conclusio. hęretici statim cum de hæresi conuincuntur, possunt non solum excomunicari, sed & iustè occidi. probatur, multò grauius est corrumpere fidem, per quam est animæ vita, quam falsare pecuniam, per quam tēporali vitæ subuenitur, sed falsarij pecuniæ, vel alij malefactores statim p̄ sæculares Principes iustè morti tradūtur, ergo multò magis hæretici statim, ex quo de hęresi cōuincuntur, possunt nō solū excomunicari, sed & iustè occidi. secūda cōclusio, Ecclesia non statim condemnat hæreticū, sed post primam, & secundā correctionem, vt Apostolus docet, postmodum verò si adhuc pertinax inueniatur, Ecclesia de eius conuersione non sparans aliorum saluti prouidet eum ab Ecclesia per excomunicationis sententiam separando, & vlteri' relinquit eum iuditio sæculari à mundo ex terminandū per mortem. probatur ex D. Hieronymo, & habetur 24. qu. 3.

Vt explicetur hæc doctrina obserua diuersa genera hæreticorum, nam quidam sunt hæretici purè mentales, qui scilicet hæresim suam mentalem nullo signo exteriori exprimunt; alij sunt, qui hæresim suam mentalem exterius explicant; alij sunt, qui solum exterius proferunt hæresim, interius tamen nullum errorem habent; alij sunt hæretici per solam dubitationem circa aliquem articulum fidei; alij sunt hæretici per assensum contrarium articulo fidei; alij sunt corrigibiles; alij incorrigibiles; quidam fictè pænitentes; alij verè pænitentes; alij sunt confitentes, & alij negatiui, idest negantes se incurrisse hæresim; quidam sunt hæresiarchæ, & nouarum hæresum inuentores, alij sunt sequaces. rursus aduertenda est duplex pæna, quam tangit D. Thomas in littera, vna spiritualis, nempe excomunicatio, cui additur priuatio beneficiorum, & officiorum, alia corporalis, nempe mors. his stantibus dico primò, quòd hæretici purè mentales non sunt excomunicati, vt docet D. Antoninus 3.p.tit.24.ca.4. Siluester verb. excom. 7.§.3. Caietanus hoc in loco, & in summula verb. hæresis. Dominicus Sotus 4.sent.d.22.q.2.ar.3.concl.5.& ante hos Paludanus 4.sent.d.13.q.3 a.1. Dominicus Bannes 2. 2. qu.11.ar.4.q.1.& ratio id suadet, quia Papa non habet potestatē in foro exteriori supra actus purem internos, cum non subiaceant cognitioni hominum, qui solum iudicant de his, quæ apparent. nec obstat quòd in Clement.1. de statu mona.§. quia verò. habetur, vbi expresè prohibetur Monachis, ne accedant ad curiam Romanā animo nocendi suis Prælatis, aut monasterijs. item in eadem Clement.1. de hęreticis. excomunicātur Inquisitores, qui odio, vel amore, aut priuatis affectibus omiserint procedere contra hęreticos, aut vexauerint eos, qui non sunt haeretici. & in c. dolentes. de celeb. Missarum. praecipitur Clericis, vt attentè, & deuotè orent. ex quibus locis liquet, actus internos praecipi, vel prohiberi. non obstant, inquam, haec nostro instituto, quod est de actibus internis praecisè sumptis, actus autem interni, qui praecipiuntur, vel prohibentur in locis supradictis nō sunt praecisè interni, sed per signa exteriora manifestati exterius, vt docet Caietanus hoc in loco, & Bannes ibidē; de huiusmodi ergo haereticis purè mentalibus non loquitur littera D. Thomae. secundò dico, si haereticus mentalis suam haeresim verbis proferat exterius, etiam nemine audiente; statim incurrit excomunicationem, vt docet Siluester verb. excom. 7. excom. 2. Caietanus in summula verb. haeresis. & hoc in loco, quos sequitur Dominicus Bannes ibidem. & ratio id suadet, quia tunc haeresis peccatum non nisi per accidens est occultum Ecclesię, per se enim habet, vnde possit ab Ecclesia sciri, quia est peccatum exterius. tertiò dico, haereticos, qui solum exterius proferunt haeresim, interius autem nullum habent errorem, non esse in foro conscientiae excomunicatos, licet in foro exteriori reputentur excommuni-

municati, ficut & hęretici exiſtimabuntur, vt docet D. Antoninus 2. p. tit. 12. c. 5. §. 1. Silueſter verb. hęreſis. 1. §. 9. Tabiena verb. hęreticus. nu. 2. Dominicus Bannes 2. 2. q. 11. artic. 4. Toletus lib. 1. cap. 20. num. 5. contrarium tamen aſſerit Caietanus 2. 2. q. 11. art. 1. & q. 94. artic. 1. ad 1. putans huiuſmodi haereticum purè exteriorem eſſe excomunicatum. ſed eius opinio nullo modo eſt tenenda, quia cum huiuſmodi homo verè nō ſit haereticus, non comprehenditur ſub cenſura lata contra haereticos. quartò, dico haereticos per ſolam dubitationem circa aliquem articulū fidei eſſe excomunicatos, ſi tamen in dubitatione habeant pertinaciam, animi deliberationem, & placentiam, quia iſti formaliter ſunt haeretici, & infideles. ſi tamen dubitatio procedat a ſcrupulo conſcientiae, potiùs paena eſt, quàm culpa, nec habet haereſim, quia frequenter contra voluntatem accidit, nec huiuſmodi dubitantes excomunicantur, immò qui talibus tentationum motibus reſiſtit, meretur, ſicut qui reſiſtit carnis illecebris: tunc autem dicitur eſſe pertinacia in dubio, quando, qui dubitat, ſcit illud eſſe de fide, & dici ab Eccleſia, & tamen remanet ſuſpenſus circa aliqua, quae ſint de fide: quintò dico, haereticos per aſſenſum contrarium articulo fidei eſſe excommunicatos excommunicatione prima Bullae Cœnæ Domini, & dicū ur hæretici manifeſti, vt Pegna habet in 2. p. directorij comēt. 58. dico ſextò hæreticos corrigibiles morte quidem eſſe dignos, ſi eorum ſpectemus peccatum, vt dicit prima concluſio, attamen clementiſſima Mater Eccleſia eos morti non adiudicat, quia Eccleſia non ſtatim condemnat hæreticum, ſed poſt primam, & ſecundam correctionem, ſi pertinax inueniatur, vt dicitur in ſecunda concluſione, vnde ſi ſpes emendationis eluceſcat, morte nō erit plectendus; & vlterius ideò hæreticus pertinax per mortem à mundo tollitur, ne ſua peſtifera contagione alios perdat; ceſſat autem tale periculum in hæretico corrigibili; ſufficiet autem, ꝙ talis hæreticus corrigibilis perpetuo carceri detrudatur. dico ſeptimò, hæreticos incorrigibiles eſſe morte puniendos poſt primam, & ſecundam correctionem, vt dicit ſecunda concluſio, quia amplius de eo non eſt ſpes ſalutis, & ne contagione ſua peſtifera plurimos pdat. dico octauò, hæreticos ſictè pænitentiā oſtendentes eſſe morti adiudicandos & igni tradendos, quia iſti ſunt pertinaces, & obſtinati, & incorrigibiles. ſic Dominicus Bannes. 2. 2. q. 11. a 4 dico nonò, hæreticos pænitentes mereri iuſtè mortem, ſi illorum attendamus peccatum, attamen ex miſericordia eos Eccleſia non condemnat, quia iam ſunt verè pænitentes; ſufficiet autem eos perpetuo adiudicare carceri; tunc autem dicuntur verè pænitentes, quando petunt pænitentiam. dico decimò, hæreticos affirmatiuos, & confitentes nedū incurrere excommunicationem, verùm etiam, ſi eorum attendatur delictum, iuſtè occidi, attamen ex miſericordia Eccleſia eos non occidit, ſi erroris ſui pæniteant, vt diximus de hæreticis manifeſtis; illi autem dicuntur haeretici affirmatiui, qui habent eorum, quae ſunt fidei, errorem in mente, & verbo, vel facto oſtendunt ſe habere pertinaciam in voluntate, vt docet Eimericus in directorio. 2. p. q. 34. quem ſequitur Campegius apud Zanchinū tract. de hæret. c. 12. Vmbertus locatus in opere iudiciali verb. hæreticus. num. 24. quam diffinitionem explicat Pegna ibidem comento 59. dico vndecimò, hæreticos negatiuos nedum excommunicatos eſſe, ſed igni eſſe et tradendos, vt docet Dominic' Bannes 2. 2. qu. 11. a. 4. illi autem dicūtur hæretici negatiui, qui coram Iudice fidei per teſtes legitimos de aliqua hæreſi, vel errore, quos nolunt, vel non poſſunt repellere, ritè, ſiue iuſtè coniuncti ſunt, ſed non confeſſi, immò in negatiua conſtanter perſeuerant, verbo fidem Catholicam profitentur, & deteſtantur etiam verbo hæreticam prauitatem. ſic Eimericus in ſuo directorio p. 2. qu. 34. num. 2. quem ſequitur Simancas de catholicis inſtitut. tit. 48. nu. 25. ratio dicti noſtri eſt, quam affert Eimericus loco citato, quia quādiu in huiuſmodi negatione perſiſtunt, licet aliàs cōuerſationem bonam prætendant, hæretici abſque dubio ſunt cenſendi, & euidenter impænitens eſt, qui peccatum, de quo conuincitur, diffitetur. dico duodecimò, hæreſiachas eſſe igni tradendos, ne ſua contagione peſtifera alios perdant; vlterius ſi hæretici ſequaces morte digni ſunt, quantò magis hæreſiarchæ? ſic Dominicus Bannes 2. 2. q. 11. ar. 4. nomine hæreſiarcharum intelliguntur nedum inuentores hæreſum, & errorū, ſed etiam illi, qui errores ab alijs cōſictos, & excogitatos docent, & occultè, vel publicè prædicant. ſic Eimericus in ſuo directorio p. 2. q. 39. cuius ſunt verba, illi propriè dicū ur hęreſiarchę, qui non ſolum habent eorum, quæ ſunt fidei, errorem in mente, & pertinaciam in voluntate, verum etiam huiuſmodi errorem adinuenerūt, ſeu confinxerūt, vel adinuentum, & con ſictum alios docuerunt, & magiſtri erroris effecti ſunt iuxta illud, quod habetur 24. qu. 3. cap. qui aliorum. vbi ſic dicitur, qui aliorum defendit errorem, multò amplius damnabilior eſt illis, qui errant, quia non ſolum errat, ſed etiam alijs offendicula erroris præparat, & confirmat, vnde quia magiſter erroris eſt, non tantùm hæreticus, ſed etiam hæreſiarcha dicendus eſt. idem docet Albertinus tract. de cognoſcen. aſſert. qu. 30. num. 60. hoc tamen dictum noſtrum, quod etiam fuit Dominici Bannes, verificatur de hæreſiarchis, qui poſt longum tempus, frequenteſque admonitiones vix conuerti poſſe videntur, inquit Pegna 2. p. directorij coment. 64. & maximè inſtāte tempore, quo tradendi ſunt curiæ ſæculari, quia hos metus mortis potius, quàm ſtudium veritatis ad petendam miſericordiam videtur inducere: vel ſecundum Simancam de Cathol. inſtit. tit. 47. nu. 68. verificatur de illis dogmatiſtis, qui Regibus, Principibus, Reginæ, aut filijs, filiabuſque Regum hæreſes aut perſuaſerunt, aut perſuadere conati ſunt, his profectò nullo modo parcendum eſt, quia cum crimine hæreſis coniunxerunt delictum maieſtatis læſæ; vlterius qui tentat Princi-

pes deprauare, aut corrumpere, in totam machinatur Rempublicam, quia tales euadunt subditi, qualis est Princeps iuxta illud:

Principis ad nutum totum componitur orbis.

Vel secundùm Albertinũ de agnoscend. assert. q. 30. n. 60. intelligi debet de illis, qui præceptis, comminationibus, pænis, præmijs, promissionibus iuratis, aut alijs similibus modis conãtur aliquem, seu aliquos arctare, seu cogere ad hæresim contrahendam, vel contractam pertinaciter defendendam. hi cum grauissimè peccent, meritò morte plectendi sunt. Vel secundùm Concilium Biterense illi Magistri errorum, & dogmatistæ curiæ sunt tradendi sæculari, qui nolunt cõuerti. verùm regulariter loquendo hæresiarchæ, si conuerti voluerint, benignè sunt recipiendi, vt Cõcilium Biterense cap. 16. docet his verbis, perfectos hæreticos, seu vestitos coram discretis aliquibus, & fidelibus examinetis secretò, ipsos ad conuersionem, prout poteritis, inducentes, & conuerti volentibus vos exhibeatis fauorabiles, & begnignos, cum per tales multùm fuerit illuminatum negotium, & promotum, ac ipsorum pęnitentias pro qualitate conuersionis, & meriti mitigetis, vel quantum vobis visum fuerit, discratis. idẽ sancitum est in Concilio Tarraconensi his verbis, Perfecti haeretici, si conuerti voluerint, & dogmatizantes absolutione praehabita, & abiuratione facta, perpetuo carceri intrudantur. nomine autem perfectorum haereticorum intelliguntur dogmatizantes, vt tradit Pegna. quòd autem reguluriter sint begnignè recipiendi haeresiarchae, postulat clementia Ecclesiae, vsus Ecclesię approbat, dum Berengarium, quem cõstat fuisse haeresiarcham, ad gremium suum recepit cõuersum, vt habetur, ego Berengarius. de consecrat. dist. 2. suadet ratio allata à Concilio Biterensi inquiente, per tales enim multum est negotium illuminatum, & promotum, dum illi dogmatistae, si verè cõuertantur, & deceptis praedicent, plurimos eorum facilè conuertent; vlterius quia cum melius intelligant errores, & fraudes deceptorum, quas ipsi docuerunt, commodius vel scribendo, vel eloquendo eas refutant, & reijciunt; praeterea quia haeresiarchae verè conuersi, & verè, publiceque pænitentes sunt velut limpidum pænitentiae, & humilitatis speculum, in quod peccatores intuentes conuertuntur. subiungam tamen saluberrimum documentum, quòd Pegna Inquisitoribus dat, nempe quòd in recipiendis hæresiarchis prudentissimi, & cautissimi debẽt esse Inquisitores, quia vt plurimùm huiusmodi hæresiarcharum conuersiones solent esse fictæ, & fraudulentæ, quos enim semel excæcauit Satanas, plerùmque resipiscere puro corde simulant, vt in concepto errore perseuerent, & amplius decipiant. subiungam vltimò, quod indicat Concilium Biterense, quòd cum ad gremium Ecclesiæ recepti fuerint, grauissimæ pænitentiæ sunt illis iniungendæ, nec mitigandæ, nisi post longum tempus, & post manifestissima veræ paenitentiae, conuersionis, & humilitatis signa.

Quæritur, quisnam hæreticus sit excommunicatus.

7 Respondeo dicendum, quòd hæreticus potest dici aliquis, vel quia simpliciter errat ex ignorantia, & ex hoc non est excommunicatus, vel quia errat ex pertinacia, & alios nititur peruertere, & tunc incurrit in canonem latæ sententiæ. lect. 2. cap. 2. ad Galatas.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ille hæreticus, qui simpliciter errat ex ignorantia, non est excomunicatus. secunda conclusio. hæreticus, qui errat ex pertinacia, & alios nititur peruertere, incurrit in canonem latæ sententiæ.

Prima conclusio loquitur de errante in fide ex ignorantia inuincibili, & inculpabili, talis hæreticus non est excomunicatus, quia etiam solum hæreticus est materialiter, nõ autem formaliter, quia deest pertinacia. secunda conclusio loquitur de hæretico formali, qui scilicet nedum habet errorem in intellectu, qui est materiale in hęresi, sed etiam habet pertinaciam in voluntate, quæ est formale in hæresi.

Quæritur, an hæretici sint compellendi ad fidem.

8 Respondeo dicendum, quòd hæretici sunt corporaliter compellendi, vt impleãt, quod promiserunt, & teneant, quod semel susceperunt. 2. 2. q. 10. ar. 8. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. hæretici sunt corporaliter compellendi. probatur, vt impleant, quod promiserunt, & teneant, quod semel susceperunt.

Ad euidentiam huius litterę nota, quòd in hoc distinguitur hæreticus ab infideli, quòd hæreticus fidem in Baptismo suscepit, & eam professus est, infidelis autem nũquam suscepit fidem, quia autem vnusquisque tenetur seruare, quod promisit, & conseruare, quod suscepit, ideò hæreticus poterit compelli corporaliter, per pænas scilicet corporales, vt impleat, quod promisit, & teneat, quod suscepit, infideles autem non sunt corporaliter compellendi, vt credant, quia credere voluntatis est.

Quæritur, an reuertentes ab hæresi sint ab Ecclesia recipiendi.

9 Respondeo dicendum, quòd Ecclesia secundùm Domini institutionem Charitatem suam extendit ad omnes, non solum amicos, verùm etiam inimicos persequentes secundùm illud Matthæi 5. diligite inimicos uestros, benefacite his, qui oderunt vos, pertinet autem ad Charitatem, vt aliquis bonum proximi & velit, & operetur, est autem duplex bonum, vnum quidem spi-

spirituale, scilicet salus animæ, quod principaliter respicit Charitas, hoc enim quilibet ex Charitate debet alijs valle, vnde quantum ad hoc hæretici reuertentes, quotiescunque relapsi fuerint, ab Ecclesia recipiuntur ad pænitentiam, per quam impenditur eis via salutis; aliud autem est bonũ, quod secundariò respicit Charitas, scilicet bonum temporale, sicut & vita corporalis, possessio mundana, & bona fama, & dignitas Ecclesiastica, siue sęcularis, hoc enim non tenentur ex Charitate alijs velle, nisi in ordine ad salutem æternam, & eorum, & aliorum, vnde si aliquid de huiusmodi bonis existens in vno impedire possit æternam salutem in multis, non oportet, quòd ex Charitate huiusmodi bonum ei velim⁹, sed potius vt velimus eum illo carere, tùm quia salus ęterna præferenda est bono temporali, tùm quia bonum multorum præfertur bono vnius: si autem hæretici reuertentes semper reciperentur, vt conseruarentur in vita, & alijs temporalibus bonis, posset in pręiuditium salutis aliorum hoc esse, tùm quia si relaberentur, alios inficerent, tùm etiam quia si sine pæna euaderent, alij securius in hæresim laberentur, dicitur enim Eccl. 8. etenim quia non citò profertur cõtra malos sententia, absq; timore vllo filij hominum perpetrant mala, & ideò Ecclesia quidem primò reuertentes ab hæresi nõ solùm recipit ad pęnitentiam, sed etiam cõseruat eos in vita, & interdum restituit eos dispensatiuè ad Ecclesiasticas dignitates, quas prius habebant, si videantur verè cõuersi, & hoc pro bono pacis frequenter legitur esse factum, sed quando recepti iterũ relabuntur, videtur esse signum inconstantiæ eorum circa fidem, & ideò vlterius redeuntes recipiunt quidem ad pænitentiam, non tamen vt liberentur à sententia mortis. 2. 2 qu. 11. art. 4. in corp. (quodlibeto 10. art. 16.

Quadruplici conclusione respõdet D. Thomas huic quęsito. quarum prima est. quantum ad salutem animæ hæretici reuertentes, quotiescunque lapsi fuerint, ab Ecclesia recipiuntur ad pænitentiam, per quam impenditur eis via salutis. probatur, quia hoc bonũ spirituale est illud, quòd principaliter respicit Charitas. secunda conclusio. si aliquid de bonis temporalibus existens in vno impedire possit æternam salutem in multis, non oportet, quòd ex Charitate huiusmodi bonum ei velimus, sed potius vt velimus eum illo carere. probatur tripliciter, & primò quia hoc bonũm temporale non tenemur hominibus velle, nisi in ordine ad salutem & eorum, & aliorum. secundò quia salus aeterna praeferenda est bono temporali. tertiò quia bonum multorum praefertur bono vnius. tertia conclusio. si haeretici reuertentes semper reciperentur, vt conseruarẽtur in vita, & alijs temporalibus bonis, posset in praeiudicium salutis aliorum hoc esse. probatur dupliciter, & primò quia si relaberentur, alios inficerent. secundò quia si sine paena euaderẽt, alij securius in haeresim laberentur, quod probatur ex Eccl 8. hinc elicit corrolarium, quòd Ecclesia primò reuertentes ab hæresi non solum recipit ad pænitentiam, sed etiam conseruat eos in vita, & interdum restituit eos dispensatiuè ad Ecclesiasticas dignitates, quas prius habebant, si videantur verè conuersi, & hoc pro bono pacis frequenter legitur esse factum. quarta conclusio. hæretici relapsi redeuntes quamuis recipiantur ad pænitentiam, nõ tamen vt liberẽtur à sententia mortis. probatur, quia quando recepti iterum relabuntur videtur esse signum incõstantiæ eorum circa fidem.

Ad explicationẽ primæ conclusionis obserua, quòd vt habetur c. super eo. de hæret. lib. 6. & refertur ab Eimerico 3. p. direct. q. 100. hæreticis et relapsis, si verè pæniteant, possunt, & debent dari bona spiritualia, nempe Ecclesiastica Sacramenta, Pænitentia, & Eucharestia. nota vlterius, quòd nomine Pænitentiæ in conclusione positæ intelligitur etiam viaticum, vt habetur de Pænit. & remiss. cap. quod in te. Corrolarium D. Thomæ probat experientia, & frequens vsus clementissimæ Matris Ecclesiæ. quartam conclusionem probat Decretalis, ad abolendam. lib. 5. tit. 7. cap. 9. ex his habemus, hæreticis relapsis vitam spiritualem concedi, quam virtute duorũ Sacramentorum, Pænitentiæ scilicet, & Eucharestiæ accipiunt, vitam autem corporalem denegari. in collatione etiam illorum duorum sacramẽtorum magna cautela adhibenda est, ne Sacramentis huiusmodi irrogetur iniuria, dum forsan hominibus pollutis indiscretè conferuntur, ideò magna conuersionis veræ, & veræ Pænitentiæ, & contritionis signa apparere debent, quia ille, qui bis labitur, non facilè præsumitur verè conuerti.

Quæritur, quid faciendum de eo, qui lapsus fuit post abiurationem in abiuratam hæresim.

10 Respondeo dicendum, quòd Decretalis ad abolendam dicit, quòd si aliqui post abiurationem erroris deprehẽsi fuerint in abiuratam hæresim decidisse, sæculari iudicio sunt relinquendi. 2. 2. q. 11. ar. 4.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, si aliqui post abiurationem erroris deprehensi fuerint in abiuratam hæresim decidisse, sæculari iuditio sunt relinquendi. probatur, quia sic dicit Decretalis, ad abolendam.

Vt explicetur hæc doctrina, aduerte quòd ille dicitur relapsus, qui de vehementi abiurauit, &

postea verè constitit de illo crimine, de quo antea vehementer erat suspectus; non autem censetur relapsus ille, qui abiurauit de leui, & postea verè cōstitit de illo crimine, de quo antea leuiter tantùm erat suspectus, vt quidam falsò putarunt confutati à Ioanne Roias in singularibus fidei, singulari. 1. nu. 26. Simanca de Catholicis instit. tit. 1. num. 19. 20. & meritò, quia horum opinio apertè aduersatur textui ca. accusatus. §. 1. vers. si autem leuis. de hæret. lib. 6. hi ergo relapsi sæculari iuditio sunt relinquendi, nec ab Ecclesia recipiūtur, etiam si conuerti velint, vt docet Cōcilium Narbonense ca. 11. his verbis, & illos, qui post abiurationem erroris, seu purgationem deprehensi fuerint in abiuratam hæresim recidisse, sæculari iuditio sine vlla penitus audientia relinquatis animaduersione debita puniendos, cum sufficiat tales per falsam conuersionem semel Ecclesiam decepisse. quibus in verbis additur ratio, quare Ecclesia relapsos non recipiat, quia qui secundò labitur, non præsumitur prius verè conuersus, sed per falsam conuersionē decepisse Ecclesiam. talis ergo deprehēsus recidisse in abiuratam hæresim, debet tradi iuditio sæculari, tradi, & capi conburendus, & viuus profectò, si persistat in hæresi, si autem non persistat, cremetur prius fracta gula, vt ait Dominicus Bannes 2. 2, q. 11. a. 4. quæsito 4. hic nota, quòd ea, quæ diximus, vera sunt de relapsis deprehensis iuridicè. quid autem sit dicendum de relapsis spontè venientibus, & errorem suum plene confitentibus, lacrimisque misericordiam implorantibus, breuiter aperiam. Frācìscus Pegna 3. p. directorij commeut. 12. ait, huiusmodi relapsos spontè venientes non esse morte puniēdos, quod pluribus probat rationibus, quarum prima est, quia in hoc cessat sinistra illa suspicio, qua relapsi putantur fictè conuersi, cum se ipsum pænitendo deferat, & veniam postulet. secunda est, quia cū iste spontè crimen suum confiteatur, & spontè veniam postulet, incorrigibilis censendus non est. tertia est, quia nullus potest verè dici relapsus, nisi qui bis de hæresi cōuincitur, qui autem crimen fatetur, non videtur secundò conuictus. quarta petitur ex Concilio Biterensi inquiente, spontè venientibus impunitatem mortis esse cōcedendam, quæ vtique verba nō nisi de relapsis possunt intelligi, quia quicunque alius delinquens spontè conuersus pænam mortis euadit, licet grauissimè deliquerit. idem docent Albertinus in lib. de agnoscend. assert. q. 25. num. 25. Alphonsus à Castro lib. 2. cap. 2. de iusta hæreticorum punitione, qui tamen obseruant, vera esse, quæ diximus, si peccatum huius relapsi spontè venientis sit occultū. tradit tamen documentum Pegna, quòd quia nullo iure cautum est, vt huiusmodi relapsis parcatur, ideò cum casus talis contigerit, tutissimum erit, vt Inquisitores priuati ad supremos recurrant, eos consulant, & quæ ordinauerint ipsi, exequantur.

Quæritur, quare Ecclesia relapsis in hęresim, & conuersis infert mortem.

11 Respondeo dicendum, quòd Ecclesia præsumit relapsos non verè reuerti, qui cū recepti fuissent, iterum sunt relapsi, & ideò eis vitam salutis non denegat, sed à periculo mortis eos non tuetur. 2. 2. quæst. 11. art. 4. ad 1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Ecclesia relapsis vitam salutis non denegat, sed à periculo mortis eos non tuetur. probatur, quia Ecclesia præsumit relapsos non verè reuerti, qui cum recepti fuissent, iterum sunt relapsi.

Circa hanc doctrinam aduerte, quòd iudiciū Ecclesiæ in hoc à Dei differt iudicio, quòd in iudicio Dei semper recipiuntur redeuntes, quia Deus scrutator est cordium, & verè, ac sincerè redeuntes cognoscit, Ecclesia autem non intuetur cor, sed tantùm exterius, & cum semel deceptā se reputet propter relapsum in hæresim, ideò relapsis in hæresim à periculo mortis non liberat, licet viam salutis eis non deneget, dum eis non negat Sacramenta Pænitentiæ, & Euchareſtiæ.

Quæritur, qua ratione damnentur simplices, vt hęretici, si malè respondeant circa articulos fidei.

12 Respondeo dicendum, quòd non condemnantur simplices pro hæreticis, quia nesciunt articulos, sed quia principaliter deffendunt ea, quæ sunt contraria articulis, quod non facerent, nisi per hæresim fidem corruptam haberent. 3. sent. d. 25. qu. 2. art. 1. quæstiunc. 3. ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. non condemnantur simplices pro hæreticis, quia nesciunt articulos, sed quia principaliter defendunt ea, quæ sunt contraria articulis, quod non facerent, nisi per hæresim fidem corruptam haberent.

Nesciencia equidem articulorum nō facit hominem hæreticum, multi siquidem sunt, qui articulos fidei ignorant, & tamen hæretici non sunt, sed error circa articulos fidei cum pertinacia hæreticum constituit formalem.

Quęritur an hęretici possint ordines conferre.

13 Respondeo dicendum, quòd circa hoc ponuntur quattuor opiniones, quidam enim dicunt, quòd hæretici quamdiu ab Ecclesia tolerātur, habent potestatem Ordines conferendi, nō autem postquam ab Ecclesia fuerint præcisi, & similiter nec degradati, & alij huiusmodi. sed hoc non potest stare, quia omnis potestas, quæ datur

tur cum aliqua consecratione, nullo casu contingente tolli potest, sicut nec ipsa consecratio annullari, quia etiam Altare, vel Chrisma semel consecrata perpetuò sacrata manent, vndè cum Episcopalis potestas cum quadam consecratione detur, oportet quòd perpetuò maneat, quantumcunque aliquis peccet, vel ab Ecclesia præcidatur, & ideò alij dixerunt, quòd præcisi ab Ecclesia, qui in Ecclesia potestatem Episcopalem habuerunt, retinent potestatẽ alios ordinandi, & promouendi, sed promoti ab eis hoc non habent. sed hoc etiam esse non potest, quia si illi, qui fuerunt in Ecclesia promoti retinent potestatem, quam acceperunt, patet, quòd exequendo suam potestatem, veram consecrationem faciunt, & ideò verè tribuunt omnem potestatem, quæ consecratione datur, & sic ordinati ab eis, vel promoti habent eandem potestatem, quam & ipsi, & ideò alij dixerunt, quòd etiam præcisi ab Ecclesia possunt Ordines, & alia Sacramenta cõferre, dummodo formam debitam, & intentionem seruent, & quantùm ad primùm effectum, qui est collatio Sacramenti, & quantùm ad vltimum, qui est collatio Gratiæ. sed hoc etiam non potest stare, quia ex hoc ipso quod aliquis hæretico præciso ab Ecclesia in Sacramentis communicat, peccat, & ita fictus accedit, & Gratiam consequi non potest, nisi fortè in Baptismo in articulo necessitatis, & ideò alij dicunt, quòd vera Sacramenta conferunt, sed cum eis Gratiam non dant, non propter inefficatiam Sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Ecclesiæ, & hæc est vera opinio. 4. sent. d. 25. q. 1. a. 2. in corp. (3. p. q. 64 a 9. ad 2. (2. 2. q. 39. a. 3. in corp.

Adductis quattuor opinionibus, & confutatis tribus primis amplectitur quartã. erat ergo opinio prima dicentium, quòd hæretici, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, habent potestatem Ordines conferendi, nõ autem postquam ab Ecclesia fuerint præcisi, & similiter nec degradati, & alij huiusmodi. confutatur, quia omnis potestas, quæ datur cum aliqua consecratione, nullo casu contingente tolli potest, sicut nec ipsa consecratio anullari, vt patet de consecratione Altaris, & Chrismatis, sed Episcopalis potestas cum quadã consecratione datur, ergo oportet, quòd perpetuò maneat. secunda opinio erat dicẽtium, quòd præcisi ab Ecclesia, qui in Ecclesia potestatem Episcopalem habuerunt, retinent potestatẽ alios ordinandi, & promouendi, sed promoti ab eis hoc non habent. confutatur, quia si illi, qui fuerunt in Ecclesia promoti retinent potestatem, quam acceperunt, patet, quòd exequendo suam potestatem veram consecrationẽ faciunt, & ideò verè tribuunt omnem potestatem, quæ consecratione datur, & sic ordinati ab eis, vel promoti habent eandem potestatem, quam & ipsi. tertia opinio erat dicẽtium, quòd etiam præcisi ab Ecclesia possunt Ordines, & alia sacramenta conferre, dummodo formam debitam, & intentionem seruent, & quantùm ad primum effectum, qui est collatio sacramenti, & quantùm ad vltimum, qui est collatio Gratiæ. confutatur, quia ex hoc ipso, quòd aliquis hæretico præciso ab Ecclesia in Sacramentis cõmunicat, peccat, & ita fictus accedit, & Gratiam consequi non potest, nisi fortè in Baptismo in articulo necessitatis. quarta opinio erat dicentium, quòd vera Sacramenta conferunt, sed cum eis Gratiã non dant non propter inefficaciam sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Ecclesiæ, & hanc opinionem vocat veram.

Quarta opinio, quam vt veram amplectitur D. Thomas, cõprobatur ex hoc quòd si aliquis Episcopus labatur (quòd Deus auertat) in hæresim, & postea reconcilietur, non iterum consecratur, ergo signum est, quod per hæresim nõ amisit potestatem conferendi Ordines, ergo Ordines collati ab Episcopo hæretico tenent. vlterius si potestas Ordinum non amittitur propter hæresim, ergo multò magis nec propter hæresim amittetur potestas conferendi Ordines, cum hæc potestas sit maior, quàm illa. Sacramenta ergo Ordinum verè conferuntur ab hæreticis Episcopis, si requisita seruent, Gratiam tamen, quam Ordinis sacramentũ confert, nõ recipiunt suscipiẽtes, quia ex hoc, ꝙ ab hæretico Episcopo percipiunt Ordines, cum eo participant in Diuinis, & faciunt contra prohibitionem Ecclesiæ, quæ vetat recipere Sacramenta ab hæreticis, consequenter peccat mortaliter, cum quo peccato mortali stare nõ potest Gratia. legatur circa hoc D. Thomas 3. p. q. 64. art. 9. ad 2.

Quæritur, an hæretici possint absoluere.

14 Respondeo dicendum, quòd effectus absolutionis non est alius, quàm remissio peccatorum, quæ per Gratiam fit, & ideò hæreticus non potest absoluere, sicut nec Gratiam in Sacramentis conferre; & iterũ, quia ad absolutionem requiritur iurisdictio, quàm non habet ab Ecclesia præcisus. 4. sent. d. 25. qu. 1. art. 2. ad 1. (2. 2. quæst. 39. art. 3. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. hæreticus non potest absoluere, sicut nec Gratiam in sacramentis conferre. probatur dupliciter, & primò quia effectus absolutionis non est alius, quàm remissio peccatorũ,

quæ

quæ per Gratiam fit, ergo &c. secundò quia ad absolutionem requiritur iurisdictio, quam non habet ab Ecclesia præcisus.

Ad explicationem huius litteræ obserua, quòd ad absoluendum duplex requiritur potestas spiritualis, vna est sacramentalis, alia est iurisdictionalis; potestas Sacramẽtalis semper manet, quia confertur cum quadam consecratione, vnde nec ab hęretico tollitur, non poterit tamen exire in actum talis potestas in hæretico existens, quia potestate iurisdictionali priuatur ab Ecclesia hęreticus. hinc est, quòd non poterit absoluere, cũ ad absoluendum vtraq; requiratur potestas. legatur D. Thomas 2.2.q 39.ar.3.in corp.

Quæritur, an cum hęreticis sit communicandum.

15 Respondeo dicendum, quòd hæreticis communicandum non est duplici ratione, vna est ratione excommunicationis, nam cum sint excommunicati, non est eis communicandum, sicut nec cum alijs excommunicatis; alia est ratione hæresis; primò propter periculũ, ne eorũ cõuersatio alios corrumpat secundum illud primæ ad Corinth. 15. corrumpunt bonos mores colloquia praua; secundò etiam, ne videamur eorum peruersæ doctrinæ aliquem assensum præstare, vndè in 2. Canonica Ioãnis dicitur, si quis veniat ad vos, & hanc doctrinam non habet, nolite eum in domũ inducere, nec, Aue, ei dixeritis, qui enim dicit, ei Aue, cõmunicat operibus eius malignis; tertiò ne ex nostra familiaritate alijs detur occasio erroris, vnde dicit glosa, etsi vos fortè decepti estis, alij forsitan per talem vestram familiaritatem possent decipi qui crederent illos placere vobis, & sic crederent illis, vndè alia glosa dicit, tanta Apostoli, atque eorum discipuli in Religione cautela vtebantur, vt nec verbi quidam communionem cum aliquo eorum, qui à veritate declinarent, habere paterẽtur, hoc tamen intelligendum est, nisi cum aliquo loqueremur de eorum salute. quodlibeto 10. art. 5. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. hæreticis communicandum nõ est. probatur dupliciter, & primò quia sunt excomunicati. secundò quia sunt hæretici, ratione enim hæresis vitandi sunt primò propter periculum, ne eorum conuersatio alios corrũpat, quòd probatur ex D. Paulo. 1. ad Corinth. 15. secundò ne videamur eorum peruersæ doctrinæ aliquem assensum præstare, quod probatur ex secunda canonica D. Ioannis. tertiò ne ex nostra familiaritate alijs detur occasio erroris, quod probatur ex glosa duplici. hinc elicitur corrolarium, quòd cum aliquo eorum loqui possumus de eorum salute.

Pro explicatione hui⁹ doctrinæ aduerte, quòd hæretici vitandi sunt ratione excommunicationis, si tamen sint nominatim excommunicati, & denunciati, aliter non tenetur quis eos euitare, vt patet experientia quotidiana, qua cernimus in regionibus, in quibus hæresis grassatur, & serpit. Catholicos cum hæreticis communicare, & ab Ecclesia talem communicationem tolerari. immò hoc est priuilegium Martini quinti, quod supra exposuimus, & quod tempore D Thomæ non extabat, vnde ipse loquitur sęcũdum ius antiquum. sunt tamen vitandi semper ratione hæresis, tum quia periculosum est crimẽ, & hæretici semper machinantur ad malum; tùm quia conuersatio cum hæreticis scandalum gignit, dum eorum peruersæ doctrinę ex tali familiaritate assensum pręstare videmur; tùm tertiò ne ex nostra famialiaritate cum hæreticis detur alij occasio erroris; & memores esse debemus obseruationis Apostolorum, de quibus dicit glosa, quòd tanta Apostoli, atq; eorum discipuli in Religione cautela vtebantur, vt nec verbi quidem communionem (ò mirum) cum aliquo eorum, qui à Veritate declinarent, habere paterentur. licebit tamẽ nobis, immò debemus cum eis alloqui ad eorum conuersionem, vt in sequenti quæsito dicit Diuus Thomas.

Quæritur, an stabiles in fide possint communicare cum hæreticis.

16 Respondeo dicendum, quòd illi, qui sunt firmi in fide, possunt cũ hæreticis corpore conuersari, vt eos conuertant, non tamen in Diuinis, quia excommunicati sũt. 4.sent.d.13.q.2.a.3. in corp. (2.2. quæst. 10. art. 9. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. illi, qui sunt firmi in fide, possunt cum hęreticis corpore conuersari, vt eos cõuertant, non tamen in Diuinis. probatur secunda pars, quia excomunicati sunt.

Vt explicetur hæc doctrina, obserua, qđ aliud est loqui de firmis in fide, & de quibus nõ est periculum, quòd ita faciliter corrumpantur, & aliud est loqui de simplicibus, qui faciliter corrumpi possunt; si enim loquimur de simplicibus, sic non debent corporaliter cõuersari cum hęreticis, quia hæresis est infectiuum vitium, & 2. Timoth. 2. dicitur, multùm proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit; si autem loquamur de firmis in fide, sic possunt conuersari cum hæreticis corporaliter, vt eos conuertant, & conuersatio eorum non erit periculosa, sed potius esse poterit proficua; nõ debent tamen cum hæreticis in Diuinis participare, quia excomunicati sunt inquit D. Thomas, qui tamen loquitur secundùm ius antiquum, quo prohibebatur absolutè communicatio cum excomunicatis illo versiculo contenta. *Os, orare, vale, communio, mensa negatur.*

Quòd

Quod tamen Ius antiquum limitatur per extrauagantem Martini quinti post fælicissimũ obitum D. Thomæ emanatam, quæ in fauorem fidelium facta est ad euitanda multa pericula, quæ ex participatione cum excommunicatis contingebant, Placuit siquidem Summo Pontifici Martino, vt duo tantum genera excomunicatorum euitarentur, nempe notorij percussores Clericorum, & nominatim excomunicati, postquam denunciati, & declarati fuerunt, vnde firmus in fide poterit corporaliter conuersari cum hæretico, etiam in Diuinis, antequam sit nominatim excomunicatus, & denunciatus, vel declaratus, & denunciatus hæreticus, quia tunc etiam censetur declaratus, & denunciatus excomunicatus.

Quæritur, an simplices possint communicare cum hæreticis.

17 Respondeo dicendum, quòd hæresis est infectiuum vitium, & ideò Ecclesia hæreticos à consortio fidelium excludit, & præcipuè illos, qui alios corrumpunt, vt simplices, qui de facili corrũpi possunt, ab eis sint segregati non solum mente, sed etiam corporaliter, vnde per Ecclesiam carcerantur, & expelluntur, si autem alios non corrumperent, possunt etiam cælari. 4. sent. d. 13. q. 2. a. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Ecclesia hæreticos a consortio fidelium excludit, & præcipuè illos, qui alios corrumpunt, vt simplices, qui de facili corrumpi possunt. probatur, quia hæresis est infectiuum vitium. hinc elicit duo corrolaria, quorum primum est, quòd per Ecclesiam carcerantur, expelluntur. secundum est, quòd si alios non corrumperent, possunt etiam cælari.

Quia sermo hæreticorum serpit vt cancer, & vnus hæreticus totã potest inficere Republicã, sicut vna pars corporis putrida totum potest inficere corpus, & vna ouis morbida totum corrumpit ouile, ideò rectè prudentissima Mater Ecclesia hæreticos excludit, & separat à consortio fidelium, & maximè eos, qui alios corrumpunt, vt simplices, vnde dicebat D. Hieronimus, & habetur. 24. q. 3. resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, totum Orbem eius flamma populata est. hinc est, quòd per Ecclesiam carcerantur in perpetuũ.

HISTRIO.

Officium histrionum non est secundùm se illicitum.
Histriones non sunt in statu peccati, si moderatè vtãtur ludo.
Qui moderatè subueniunt histrionibus non peccat.
Qui superfluè sua in histriones consumunt, vel sustentant histriones illicitis ludis vtentes, peccant.
§ Histrionatus secundùm se est licitus.
Histrionatus ratione annexorum est illicitus.
Quando histrionatus sit peccatum mortale.
D. Augustinus & concionatores qua ratione damnent histrionatum.

Quæritur, an officium Histrionum sit illicitum.

Respondeo dicendum, quòd officium Histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, nõ est secundùm se ilicitum, nec sunt in statu peccati, dummodò moderatè ludo vtantur, idest nõ vtendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negocijs, & temporibus indebitis; & quamuis in rebus humanis non vtantur alio officio per cõparationem ad alios homimes, tamen per comparationem ad se ipsos, & ad Deum alias habeat seriosas, & virtuosas operationes, puta dum orant, & suas passiones, & operationes componunt, & quandoque etiam pauperibus elecmosinas largiuntur, vndè illi, qui moderatè illis subueniunt, non peccant, sed iustè faciunt mercedem ministerij eorum eis tribuendo, si qui autẽ superfluè sua in tales cõsumunt, vel etiam sustentant illos histriones, qui illicitis ludis vtuntur, peccant, quasi eos in peccato fouẽtes, vndè Augustinus dicit super Ioannem, quòd donare res suas histrionibus, vitium est immane, nisi fortè aliquis histrio esset in extrema necessitate, in qua esset ei subueniendum, dicit enim Ambrosius in lib. de officio; pasce fame morientẽ, quis quis enim pauendo hominem seruare poteris, si non paueris, occidisti. 2. 2. quæst. 168. art. 3. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, & duplici satisfacit obiectioni. conclusio est. offitium histrionum non est secundùm se illicitũ, nec sunt in statu peccati, dummodo moderatè ludo vtantur, idest non vtendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotijs, & temporibus indebitis. probatur, quia offitium histrionum ordinatur ad solatium hominibus exhibẽdum. obiectio prima est. histriones ordinant totam vitam suam ad ludendum, ergo sunt in statu peccati. respondet, quòd quamuis in rebus humanis nõ vtantur alio offitio per comparationem ad alios homines, tamen per comparationem ad se ipsos, & ad Deum alias habent seriosas, & virtuosas operationes, puta dum orant, & suas passiones, & operationes componunt, & quãdoque etiam pauperibus eleemosinas largiuntur. secunda obiectio est. vtrum pec-

peccent, qui eorum ministerio vtuntur, vel qui eis aliqua largiuntur. respondet distinguendo, quòd illi, qui moderatè subueniunt, non peccant, sed iustè faciunt, mercedem ministerij eorum eis tribuendo; si qui autem superfluè sua in tales cõsumunt, vel etiam sustentant illos histriones, qui illicitis ludis vtuntur, peccant, quasi eos in peccato fouentes, quod probat ex D. Augustino. subiungit tamen, quòd si histrio esset in extrema necessitate, esset ei subueniendum, quod probat ex D. Ambrosio.

Ex conclusione D. Thomæ elicio offitium Histrionum posse considerari dupliciter, primò secundùm se, & præcisè, secundò ratione annexorum. si consideretur secundùm se, est licitum, & virtuosum, cum sit repræsentatiuum actuum humanorum, & quia ordinatur ad solatium hominibus exhibendum. si consideretur ratione annexorum, sic redditur illicitum, & primò ratione materiæ, vt si materia histrionatus sit inhonesta, vt hisce temporibus plurimùm accidit, vt si histriones vtantur actibus, verbis inhonestis; vel si ponuntur in iocum Diuina, res fidei, vel Ecclesię; vel si proferantur iniuriosa, adulatoria. secundò ratione circonstantiarum temporis, loci, negotiorum, personarum, dum horum aliquid non considerant, aut paruifaciunt. tertiò ratione finis; dum nimis placere cupiunt histriones hominibus. quænam autem peccata sint huiusmodi annexa, iudicandum erit ex materia, si enim materia, quæ in iocum, & ludum ponitur, sit grauis, vt res Diuinæ, sicut faciebat Gennesius, qui Baptismi cæremonias in ludum ponebat, vel res fidei, vel Ecclesiæ, sic est peccatum mortale; iniurię item hominum graues, & alia, quæ ex suo genere sunt peccata mortalia, facient histrionatum peccatum mortale.; nec excusantur, quòd ludo hæc fiant, & dicantur, quia, vt benè ait Caietanus in summula verb. histrionum peccata, licet iocositas excuset à tanto, non tamen à toto. propter hęc, & similia annexa histrionatui damnantur histriones quã maximè à D. Augustino tract. 100. in Ioannem, & dãtes eis, vt habemus in decretis dist. 87. cap. donare. propter huiusmodi etiam annexa hisce temporibus Cõcionatores proclamant contra histriones in sugestis, prędicãt, acriter reprehendunt.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Emanuel Sà verb. ludus nu. 10. & alij.

HOMICIDIVM.

§ Du-

§ *Duplex innocens, & de quo loquitur D. Thomas.*
15 *Qui occidit iustum, grauius peccat, quàm qui occidit peccatorem quadruplici ratione.*
§ *Grauitas occisionis innocentis, & occisionis peccatoris ex obiecto, non autem ex nocumento illato pensanda est.*
16 *Iudex sciens aliquem innocentem falsis testibus conuinci diligentius examinet testes.*
Si propter hoc non potest eum liberare, superiori eum relinquat iudicandum.
Si hoc non potest facere, non peccat, si eum secundùm allegata, & probata damnet ad mortem.
17 *Minister non debet obedire sententiæ Iudicis continentis errorem intolerabilem contra innocentē.*
Si sententia non contineat manifestam iniustitiam, non peccat minister exequens eam.
§ *Quando sententia dicatur continere errorem intolerabilem.*
18 *Non licet ad sui defensionem vti maiori violentia, quàm oporteat.*
Licet moderatè violentiam repellere.
Illicitum est priuatæ personæ, quòd intendat occidere alium, vt se defendat, nisi ei, qui habet publicam auctoritatem.
Licitum est hoc personæ habenti publicam auctoritatem.
§ *Quid sit moderamen inculpatæ tutelæ.*
Vim vi repellere licet secundùm omnia iura.
Vita spiritualis proximi præferenda est vitæ nostræ corporali, quando vita corporalis est necessaria simpliciter ad conseruandam vitam spiritualem proximi, non autem quando non est necessaria.
Extra necessitatem unicuique mandata est cura vitæ suæ, suorumque bonorum, non autem alienorum, etiam si preciosiora sint.
19 *Dans operam rei licitæ, & debitam diligentiam faciens non incurrit reatum homicidij, si inde sequatur.*
Dans operam rei illicitæ, nec debitam diligentiam faciens incurrit homicidij reatū, si inde sequatur.
§ *Homicidiū casuale distinguitur contra voluntariū.*
Homicidium casuale quid sit.
Quid sit homicidium voluntarium.
Dupliciter dicitur aliquid voluntarium, scilicet directè, & per accidens.
Voluntarium per accidēs dicitur casuale, et quare.
Tria requiruntur ad homicidium casuale, & quæ.
Duobus modis potest quis alium occidere non intendendo ipsum occidere, & quomodo.
Quattuor regulæ dantur circa illos modos, & quæ, & explicantur.
20 *Qui ignoranter aliquem occidit homicidio casuali, non est homicida, nec irregularis.*
Aliter tamen erit, si dabat operam rei illicitæ, & debitam non adhibuit diligentiam.
§ *Quomodo intelligatur, quòd occidens hominem casualiter non sit homicida, nec incurrat irregularitatem.*
Si quis operam dat rei illicitæ, ex qua mors est secuta siue per se, siue per alium, etiamsi sit præter intentionem, est irregularis.
Talis irregularitas est ex delicto.

Circa irregularitatem ex homicidio casuali dantur tres regulæ, & quæ.
Dans operam rei illicitæ, quæcunque sit illa, est irregularis contra plures Doctores asserentes hoc verum esse tantùm de actione periculosa, & inductiua ad homicidium &c.
Ratio Sairi soluitur.
Explicatur diligentia, quæ adhiberi solet, vt euitetur homicidium.
21 *Percutiens mulierem prægnantem, ex quo sequitur mors pueri, est homicida.*
§ *Percussio mulieris prægnantis absque intentione occidendi dupliciter sumitur, & quomodo, & quæ faciat homicidium voluntarium, & quæ casuale.*
22 *Qui occidit volentem occidi, iniuriam facit ipsi, Deo, & Reipublicæ.*
§ *Quomodo qui occidit volentem occidi facit iniuriā occiso, Deo, & Reipublicæ.*
Licet Christus voluerit suam Passionem, noluit tamen Iudeorum actionem, ideò non excusantur ab iniustitia.
23 *Grauius peccat occidens aliquem corporaliter, quàm occidens spiritualiter.*
§ *Homo est fisica causa mortis corporalis, mortis spiritualis, quæ fit per peccatum mortale, est tantum causa moralis.*
Efficiens causa peccati est sola voluntas peccantis.

Quæritur, an homicidium semper sit peccatum.

1 RESpondeo dicendum, quòd homicidium semper est peccatum, quia inordinationem habet inseparabiliter annexam, homicidium enim plus importat, quàm occisio hominis, composita enim nomina frequenter plus important, quàm componentia, importat enim homicidium occisionem hominis indebitā, & ideò homicidium nunquam est licitum, quamuis occidere hominem aliquando liceat. quodlibeto 8. a. 14. ad 1. (p. 2. q. 100. a. 8. ad 3. (q. 13. de malo a. 4. ad 11.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. homicidium semper est peccatum. probatur, quia inordinationem habet inseparabiliter annexam, homicidium enim plus importat, quàm occisio hominis, composita enim nomina frequenter plus important, quàm componentia, importat enim homicidium occisionem hominis indebitam. hinc elicitur corrolarium, quòd homicidum nunquam est licitum, quamuis occidere hominem aliquando liceat.

Ex hoc loco habemus diffinitionem homicidij, quæ est. homicidium est occisio hominis indebita, vnde occisio hominis debita, vt quæ fit in defendente se cum moderamine inculpatæ tutelæ, & quæ fit à ministro iustitiæ publicæ, non sunt homicidia, quia sunt debitæ occisiones, nec sunt peccata, sed meritoriæ, homicidium autem semper est illicitum, & intrinsecè dicit rem malam,

vt ait Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 6. a. 2. & semper est peccatum, & vtique mortale, si deliberatè fiat, quia priuat vita hominem, qua nihil carius homini, vnde est contra iustitiã, & ad restitutionem, siue recõpensationẽ obligat.

Quaeritur, an homicidium sit maximum peccatum.

2 Respondeo dicendum, quòd homicidiũ primum locum tenet inter peccata in proximum commissa. 2.2. quaest. 13. artic. 3. ad 1. (quaest. 154. artic. 3. in corp. (quaest. 2. de malo art. 10. in corp.

Hoc in loco docet D. Thomas, quòd homicidium primum locum tenet inter peccata in proximum commissa.

Pro explicatione huius litterae aduerte, quòd peccata, quae committuntur in proximum, sunt in triplici differentia, quaedam nocent proximo in persona, vt mutilatio, percussio; quaedam nocent proximo in honore, & fama, vt contumelia, conuitium, detractio &c. quaedam nocent proximo in rebus suis, vt furtum, rapina. grauitas autem horum peccatorum attenditur paenes materiam, circa quam versantur, clarum est autem, qđ persona ipsa carius, & pluris aestimatur, quàm fama, & res exteriores. hinc sequitur, quòd peccata, quae sunt contra personam, sunt grauiora his, quae sunt contra famam, & res exteriores; cum autem homicidium priuet hominem vita, grauius peccatum erit contumelia, conuitio, quae priuant fama, & honore hominem; & furto, quod priuat rebus externis eundem hominem.

Quaeritur, an incidens lignum in silua, per quam transit homo, & proijciens lignum interficiat hominem peccet.

3 Respondeo dicendum, quòd si aliquis incidens lignum in silua, per quam rarò transit homo proijciens lignum interficiat hominem, potest excusari à peccato. qu. 1. de malo artic. 3. ad 15.

Hoc in loco docet D. Thomas, quod si aliquis incidens lignum in silua, per quam rarò transit homo, proijciens lignum interficiat hominẽ, potest excusari à peccato.

Pręsens doctrina nobis occasionem prębet tractandi de homicidio casuali, quod scilicet praeter intentionem contingit. pro quo aduerte, quòd homicidium duplex est, aliud est voluntarium, quod scilicet ex proposito, & ex intentione priuandi aliquem vita fit, & hoc homicidium semper est peccatum; aliud est homicidium inuoluntarium, & praeter intentionem eueniens, & hoc dicitur casuale, ad quod constituendum tria requiri, docet Caietanus 2.2. qu. 64. a. 8. quem sequitur Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 1. ar. 9. primum est, quòd non adsit intentio occidendi, quia aliter non esset casuale, sed voluntarium homicidium. secundum est, quòd mors sequatur ex opere illo, cui imputatur, vt habetur c. ad audientiam. de homicid. & cap. Praesbyterũ. & ratio est, quia cum homicidium non sequatur ex intentione illius, si etiam nõ sequatur ex illius opere, nulla restat ratio, quare illi imputetur occisio. tertium est, quòd debuerit remouere id, ex quo sequitur homicidium, ita quòd ad hoc quòd alicui imputetur homicidium, requiritur, quòd non solum potuerit remouere illud, ex quo mors sequitur, puta iactum lapidis, gladium accinctum, sed etiam quòd debuerit illud auferre, hoc est quòd obligatus fuerit Diuino, vel naturali, vel humano iure ad remouendum illud, vel positiuè, puta aufferẽdo accinctum glaudium, vel negatiuè puta abstinendo à iactu lapidis. ratio est, quia adhoc ꝙ imputetur alicui homicidiũ, oportet, ꝙ voluntarium sit directè, vel indirectè, & cum casuale non sit directè volũtarium oportet, quòd sit voluntarium indirectè; ad voluntarium autem indirectè non sufficit, quòd voluntas possit prohibere, sed requiritur etiam, quòd debeat prohibere, alioquin non ei imputatur; considerandum ergo erit, an is, cui imputatur, tenebatur ad abstinendum à tali opere, seu remouendũ tale quid, vnde secuta est mors. homicidium casuale quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale, & quandoque absque vllo peccato, tunc erit absque vllo peccato, quando dat quis operam rei licitae, & debita vtitur diligentia, ne aliquem laedat, nec intendit laedere, si postea casu occidat, nullum interuenit peccatum, vt patet exemplo in littera posito de incidente lignũ in silua, hoc enim opus est licitum, cautela, & diligentia adhibeatur, dum lignum inciditur in silua, per quam rarò transit homo, nec intendit occidere hominem, tunc proijciens lignum non peccat, si casu occidat, quia est occisio merè casualis: si autem quis det operam rei licitae, sed nulla vtitur diligentia vel non vtitur debita, si praeter intentionem occidit, peccat mortaliter, quia tunc censetur voluntarium peccatum; & vacans venationi, quae viro saeculari nobili licita est, si nullam adhibeat diligentiam, aut nõ debita vtitur, ne casu occidat, peccat mortaliter, si praeter intẽtionem occidat; rursus si quis operam dat rei illicitae, licet debita vtatur diligentia, ne aliquẽ occidat, peccat mortaliter, si praeter intentionem occidat, vt si Clericus venationi intendat per bombardam; operã dat rei illicitae, quia Clericis interdicta est talis venatio per bombardam, licet debita vtatur diligentia, peccat mortaliter, si occidat aliquem casu, quia operam dabat rei illicitae, vnde Clerico tale homicidium imputabitur ad peccatum mortale, quod in viro saeculari nullum erit delictum. si verò quis venationi intendat ferarum in loco deserto, & parum diligentiae adhibet in cauendo, ne aliquem laedat, si occidit praeter intentionem, peccat venialiter tantùm, quia diligentia fuit parua; pro cuius explicatione aduerte, quòd diligentia, aut negligentia pensanda est iuxta periculum maius, vel minus, quod imminet, puta si locus venationis est peruius, per quẽ multi per-

pertransire soleant, tunc maxima vtendum est diligentia, & negligentia tunc est maximè culpabilis ratione periculi, & occisio hominis casu facta peccatum est mortale; si autem locus venationis est desertus, nec homines pertransire soleant, non tanta diligentia tunc vtendum est, quanta vtimur in loco frequentato, quia non est tantum periculum, debita tamen diligentia adhibenda est, & proportionata. ex supradictis tres elicio regulas hac in materia cognitu necessarias, quarum prima est. qui dat operam rei licitę, & adhibet diligentiam, quam debet adhibere, non tenetur de casu fortuito inde sequente, nec de aliquo alio. hæc probatur per c. lator. & c. dilectus filius. & c. ex litteris. & c. significasti. & c. Ioannes. secunda est. qui dat operam rei licitæ, non adhibita diligentia debita, tenetur de casu fortuito sequenti. hæc probatur per c. Presbiterum. & c. continebatur secundùm vnum intellectum. & c. ad audientiam. tertia est. qui dat operam rei illicitæ, etiamsi adhibeat omnem diligētiam, quam potest, tenetur de omni casu fortuito. hæc probatur per c. suscepimus. & c. de cætero. & ca. tua. & ca. ex litterarum. legatur Siluester verb. homicidum. 2. in principio. verùm de homicidio casuali iterú redibit sermo infra. q. 19.

Quæritur, an sit licitum occidere peccatores.

4 Respondeo dicendum, quòd sicut si saluti totius corporis humani expediat præcisio alicuius membri, puta cum est putridum, vel corruptiuum aliorum membrorum laudabiliter, & salubriter abscinditur, ita quælibet persona singularis comparatur ad totam Communitatem, sicut pars ad totum, & ideò si aliquis homo sit periculosus Communitati, & corruptiuus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter, & salubriter occiditur, vt bonum commune cōseruetur, modicum enim fermentum totam massam corrumpit, vt dicitur primæ ad Corinth. 5. (2. 2. quæst. 64. art. 2. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. si aliquis homo sit perniciosus Communitati, & corruptiuus ipsius proper aliquod peccatum laudabiliter, & salubriter occiditur, vt bonum commune conseruetur. probatur dupliciter, & primò quia sicut si saluti totius corporis humani expediat præcisio alicui^us membri, puta cum est putridum, vel corruptiuum aliorū membrorum laudabiliter, & salubriter abscinditur; ita quælibet persona singularis cōparatur ad totam Communitatem, sicut pars ad totum, ergo &c. secundò quia modicum fermentum totam massam corrumpit. 1. ad Corinth. 5.

Circa hanc doctrinam adest Scotus 4. sent. d. 15. q. 3. qui opinatur, quòd non liceat peccatorem occidere, nisi in casibus exceptis à Deo, scilicet blasphemiæ, homicidij, & alijs in sacra scriptura contentis, aut à Deo reuelatis. mouētur autem hac ratione, quia nulli inferiori licet in lege superioris dispensare, sed Deus absolutè prohibuit hominem occidi dicens, nō occides, ergo nulla lex positiua constituens hominem occidēdum iusta est, si in illis casibus statuat, quos Deus non excipit. verùm cum hæc opinio satis confutetur à Caietano hoc in loco, & à Dominico Soto lib. 5. de iustitia, & iure. q. 1. a. 2. non est necesse, cur nos immoremur hoc in loco; & eo magis q͂a in superioribus aliqua tetigimus, dum quærebamus, an fures essent morte plectendi. Conclusio ergo D. Thomæ remanet vera, & satis probata, fulciter iure naturali, iure Diuino corroboratur, Ciuili adhæret, Consuetudini innititur. iure, inquam, naturali fulcitur, nam naturaliter imperfectum ordinatur ad perfectum, pars ad totum, vt ergo conseruetur Respublica, & bonum commune, præscindendi erunt peccatores Rempublicam lædentes, bonum commune perturbātes. Ius etiam Diuinum hoc præcipit, dum exodi 22. dicitur, maleficos non patieris viuere. & exodi 21. habetur, si quis per iniuriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari meo euelles eum, vt moriatur. quod citatur in cap. 1. de homici. & psalm. 100. dicitur, in matutino interficiebam omnes peccatores terræ. omnia iura ciuilia clamant contra huiusmodi malefactores, ac peccatores. consuetudo etiam adest occidendi, ac suspendendi fures. si quis objiciat præceptum decalogi quintum, non occides, respondebitur ex D. Thoma 1. 2. q. 100. art. 8. ad 3. quòd occisio hominis prohibetur in decalogo, secūdùm quòd habet rationem indebiti, sic enim præceptum cōtinet ipsam rationem iustitiæ, occidere autē malefactores, & peccatores non est indebitum, vnde hoc non contrariatur præcepto decalogi, nec talis occisio est homicidium, quod præcepto decalogi prohibetur, vt Augustinus dicit in 1. de libero arbitrio.

Quæritur, an liceat occidere malos, ex quorum occasione timetur damnum bonorum.

5 Respondeo dicendum, quòd Dominus abstinendum mandauit ab eradicatione zizaniorum, vt tritico parceretur, idest bonis, quod quidem fit, quando non possunt occidi mali, quin simul occidantur & boni, vel quia latent inter bonos, vel quia habent multos sequaces, ita quòd sine bonorum periculo interfici non possunt, vt Augustinus dicit contra Parmenianum, vnde Dominus docet, magis esse sinendum malos viuere, & vltionem reseruandam vsque ad extremum iudicium, quàm quòd boni simul occidantur, quando verò ex occisione malorum non imminet periculū bonis, sed magis tutela, & salus, tunc licitè possunt mali occidi. 2. 2. q. 64. a. 2. ad 1.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. magis est sinendum malos viuere, & vltionem reseruandam vsque ad extremum iudicium, quàm quod boni simul occidantur. probatur, quia Dominus abstinendum mandauit ab eradicatione zizaniorum, vt tritico parceretur, idest bonis, quod fit, quando non possunt occidi mali, quin simul occidantur & boni, vel quia latent inter bonos, vel quia habent multos sequaces, itaquòd sine bonorum periculo interfici non possunt, vt ait Augustinus. secunda conclusio. quando ex occisione malorũ non imminet periculum bonis, sed magis tutela, & salus, tunc licitè possunt mali occidi.

Ex hac doctrina habemus, quòd si constaret in Ciuitate maiorem eius partem hæresi esse infectam, non liceret ad puniendum crimen totam incendere, quia bonis parcendum est. rursus habemus abstinendum esse ab occisione nocentum, si puniri non possunt sine grãdi commotione innocentum, qui scilicet sanguine, vel alia necessitudine illis sunt coniuncti, qui sequaces nocentum profectò erunt. hinc ergo habemus, quòd parcẽdum est malis propter bonos, vt etiam Angeli promittebant Abrahæ, quòd si decem iustos Sodomis reperirent, toti ignoscerent genti. subiungam tamẽ, quod docet Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 1. art. 2. quòd regula hæc ad humanam facultatem accommodãda est, quia humanus Princeps nõ tam absoluta viget auctoritate, quàm Deus, ille enim omnia ad vltimum iudicium reseruat, Principi autem terreno non licet quacunque de causa malefactoribus parcere, hoc enim in maximam cæderet Reipublicæ perniciem, vnde licet multi scandalum accipiũt, attamen si id commodè exequi potest, non debet à pessimorum punitione cessare, propter hanc enim causam, vt ait D. Paulus, gladium portat, vt tumultus, ac seditiones executioni iustitiæ obsistentes placare possit, & vbi opus fuerit, etiam conterere.

Quæritur, an liceat priuata persona occidere aliquem.

6 Respondeo dicendum, quòd sicut dictũ est, occidere malefactorem licitum est, inquantùm ordinatur ad salutem totius Cõmunitatis, & ideò ad illum solum pertinet, cui committitur cura Communitatis conseruandæ, sicut ad Medicum pertinet præcidere membrum putridum, quando ei cõmissa fuerit cura salutis totius corporis, cura autem communis boni cõmissa est Principibus habentibus publicam auctoritatem, & ideò eis solum licet malefactores occidere, non autem priuatis personis. 2. 2. qu. 64. art. 3. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. licitum est solis Principibus habentibus publicam potestatem occidere malefactores, non autem priuatis personis. probatur, quia occidere malefactorem ad illum solũ pertinet, cui committitur cura Communitatis conseruandæ, sed cura Communis boni commissa est Principibus habentibus publicam auctoritatem, ergo & c. maior probatur exemplo Medici.

Conclusionem D. Thomæ obseruent vindices iniuriarum propriarum, qui ad tantam deueniũt dementiam, in tam immanem labuntur blasphemiam, vt asserere audeant, esse iniustum, quòd cohibiti sint homines proprias vindicare iniurias, neque Deum prohiberi id posse, cum tamẽ, licet Deus id non prohibuisset, ipsum naturæ Ius hoc vetaret, immo Diuina prohibitio iuris naturalis est explicatio. ratio ergo efficacissima est, qua non liceat priuatæ personæ vlcisci iniurias in se illatas, si enim eidẽ ipsi, qui iniuriam passus est, vindictam natura concessisset, nemo non se vltra iustum vindicaret, quia vt benè discurrit Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 1. ar. 3. dolor illatæ iniuriæ & rationem obnubilat, & affectum in rabiem inflammat, atque adeò nemo se quàm iustè deberet, sed quàm posset, maximè vindicaret. esset nunc quærendum, an liceat priuatæ personę Tirannum occidere, sed quia resoluitur à Caietano hoc in loco, & Dominico Soto lib. 5. de iust. & iure. qu. 1. a. 3. ideò ad eos lectorem remitto.

Quæritur, an Clericis liceat occidere malefactores.

7 Respondeo dicendum, quòd non licet Clericis occidere duplici ratione, primò quidem, quia sunt electi ad Altaris ministerium, in quo repræsentatur Passio Christi occisi, qui cum percuteretur, non repercutiebat, vt dicitur primæ Petri 2. & ideò non competit, vt Clerici sint percussores, aut occisores, debent enim ministri suum Dominum immitari secundùm illud Eccl. 10. secundùm Iudicem populi, sic & miuistri eius: alia ratio est, qua Clericis cõmittitur ministerium nouæ legis, in qua nõ determinatur pœna occisionis, vel mutilationis corporalis, & ideò vt sint idonei ministri noui testamenti, debent à talibus abstinere. 2, 2. q. 64. a. 4. in corp.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cõclusione tali. non licet Clericis occidere. probatur dupliciter, & primò, quia Clerici vt ministri debent suum immitari Dominum, sed Christus, cum percuteretur, non repercutiebat, ergo non competit, vt Clerici sint percussores, aut occisores. maior est Eccl. 10. minor habetur. 1. Petri. 2. secundò quia Clerici debent esse idonei ministri noui testamenti, sed in nouo testamento non determinatur pœna occisionis, vel mutilationis corporalis, ergo Clerici, vt sint idonei ministri noui testamenti, debent à talib⁹ abstinere.

Ad

Ad explicationē conclusionis D. Thomæ, nota, quòd nomine Clericorum omnes promiscuè intelliguntur, tàm minoribus, quam majoribus initiati, vt obseruat Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 1. a. 4. rationes enim D. Thomę de vtrisque Clericis concludunt. de Clericis autem in sacris constitutis specialis adest ratio, quia dum sacris initiantur, vt votum emittunt, ne se semine polluant, ita ex lege prohibentur, ne contaminentur sanguine. qua autem lege prohibeantur, Diuina, an Pontificia, dicendum mihi videtur cum Dominico Soto lib. 5. de iustitia, & iure. q. 1. a. 4. prohibitionem hanc solum esse de iure merè positiuo Ecclesiastico, vt habetur expresse cap. sententiam. ne Cler. vel Mona. & in tit. de Cler. percus. nec obstat verbum D. Pauli ad Timoth. 3. oportet Episcopū sine crimine esse, non vinolentum, non percussorem, quia hoc verbum non est adductum à D. Paulo, ac si esset habendū pro lege ne Clerici in causa sanguinis Iudices sederent, sed solum per viam consequentiæ, & exempli, nempe quòd postquam admonētur, ne sint percussores, meritò Ecclesia cauit, vt ab omni percussione abstinerent; & in eodem sēsu adducit idem verbū Gratianus in fronte d. 45. vbi cap. neminē. & can. Episcopū, eadē habetur prohibitio. ab huiusmodi ergo sanguinis effusione abstineant Clerici, & meminerint, quod Deus fecerit cum Dauid alias bono, cui prohibuit, ne sibi ædificaret templum dicens, non ædificabis domum nomini meo, eo quòd sis Vir bellator, & sanguinem fuderis. Paralip. 28. & cap. 22. dicitur, factus est sermo Domini ad me dicens multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo, tāto effuso sanguine coram me.

Quæritur, an Prælatis Ecclesiæ liceat occidere aliquos.

8 Respondeo dicendum, quòd Prælati Ecclesiæ accipiunt officium Principum terræ, non vt ipsi iudicium sanguinis exerceant per se ipsos, sed quòd eorum auctoritate per alios exerceatur. 2. 2. quæst. 64. artic. 4. ad 3.

Hoc in loco docet D. Thomas, quòd Prælati Ecclesię accipiunt officium Principum, non vt ipsi iuditiū sanguinis exerceant per seipsos, sed quòd eorum auctoritate per alios exerceatur.

Summa huius doctrinæ est, quòd Episcopi non per se ipsos immediatè, sed per alios iuditium sanguinis exerceant. & quòd de Episcopis dicitur, asserendum est etiam de alijs Prælatis inferioribus habentibus iurisdictionem temporalem, & Ius sanguinis, vt contingit in aliquibus Germaniæ Superioris partibus, in quibus Prælati Ecclesiastici, etiam regulares gaudent iurisdictione temporali in subditos suos, isti, inquam, Prælati nō perseipsos, sed per alios iudicium sanguinis exercere debent: si autem aliqui inueniantur Prælati, qui iuditium sanguinis per se ipsos exerceant, vt Legati à latere Papæ, hoc illis conceditur à Papa, qui cum ipsis super lege irregularitatis dispensat.

Quæritur, an liceat alicui occidere se ipsum.

9 Respondeo dicendum, quòd se ipsum occidere est omninò illicitum triplici ratione, primò quidem, quia naturaliter quęlibet res se ipsam amat, & adhoc pertinet, quòd quælibet res naturaliter conseruat se in esse, & corrumpentibus resistit, quantùm potest, & ideò quòd aliquis se ipsum occidat, est contra inclinationem naturalem, & contra Charitatem, qua quilibet debet se ipsum diligere, & ideò sui ipsius occisio semper est peccatum mortale, vtpotè contra naturalem legem, & contra Charitatem existens; secundò quia quælibet pars id, quod est, est totius, quilibet autem homo est pars Communitatis, & ita id, quod est, est Communitatis, vndè in hoc, quòd se ipsum interficit, iniuriam Cōmunitati facit, vt patet per Phylosophum 5. eth. tertiò quia vita est quoddam donum Diuinitus homini attributum, & eius potestati subiectum, qui occidit, & viuere facit, & ideò qui se ipsum vita priuat, in Deum peccat, sicut qui alienum seruum interficit, peccat in Dominū, cuius est seruus, & sicut peccat ille, qui vsurpat sibi iudiciū de re sibi non commissa, ad solum enim Deum pertinet iudicium mortis, & vitæ secundùm illud Deut. 32. ego occidam, ego viuere faciam. 2. 2. q. 64. a. 5. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. se ipsum occidere est omninò illicitum. probatur tripliciter, & primò quia occidere se ipsum est contra naturalem inclinationem, cum quælibet res naturaliter seipsam amet, & naturaliter conseruat se in esse, & corrumpentibus resistit, quantum potest; & contra Charitatem, qua quis debet se ipsum diligere. secundò quia occidere seipsum est iniuriam facere Communitati, cuius est pars, vt patet per phylosophū 3. eth. cum quælibet pars id, quod est, totius sit. tertiò quia occidere se est peccare in Deū, cuius donum est vita hominis, sicut qui alienum seruū interficit, peccat in dominum, cuius est seruus, sicut etiam peccat ille, qui vsurpat sibi iudicium de re sibi non commissa, ad solum autem Deum pertinet iuditium mortis, & vitæ secundùm illud Deut. 32. ego occidam, ego viuere faciam.

Non est qui dubitet de veritate conclusionis D. Thomæ, contra enim vniuersalem naturam est, vt sibi quisque mortem consciscat, per quam vita priuatur, quæ omnium bonorum est fundamentum. conclusio D. Thomæ habetur 23. q. 5. can.

can. si non licet. & can. placuit. & in hoc præcipitur, ne oratio fiat pro occisore sui. ratio id suadet, quia homo non est Dominus vitæ suæ, sed tantùm custos, & licet legamus aliquos Sanctos sponte se occidisse, vt habetur de Sansone, & D. Apollonia, hoc tamen ex speciali Dei inspiratione factum esse tenendum est, vt docet D. Augustinus lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 19. & sequētibus multis, vnde occidens seipsum peccat mortaliter, nisi excusetur ex indeliberatione. aliqua Rationē primam D. Thomæ examinat Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 1. a. 5.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 5. cap. 6. nu. 4.

Quæritur, an liceat saltem habenti publicam auctoritatem se occidere.

10 Respondeo dicendum, quòd ille, qui habet publicam potestatem, potest licitè malefactorem occidere per hoc, quòd potest de ipso iudicare, nullus autem est iudex sui ipsius; vnde non licet habenti publicam potestatem se ipsum occidere propter quodcunque peccatum; licet tamen ei se committere iudicio aliorum. 2. 2. quæst. 64. art. 5. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. non licet habenti publicam potestatem seipsum occidere propter quodcunque peccatum, licet tamen ei se committere iudicio aliorum. probatur prima pars, quia ille, qui habet publicam potestatem, potest licitè malefactorem occidere per hoc, quòd potest de ipso iudicare, sed nullus est Iudex sui ipsius, ergo &c.

Sicut ægroto Medico non est committenda sui ipsius curatio, ita neque malefactori Iudici sui ipsius condemnatio, quia nemo de se ipso rectè iudicare potest.

Quæritur, an liceat se ipsum occidere propter aliquod crimen.

11 Respondeo dicendum, quòd non licet se ipsum interficere propter aliquod peccatum cōmissum, tùm quia in hoc sibi maximè nocet, quòd sibi adimit necessarium pænitentiæ tempus, tùm etiam quia malefactorem occidere non licet, nisi per iudicium publicæ potestatis. 2. 2. quæst. 64. art. 5. ad 3.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cōclusione, quæ est. non licet seipsum interficere propter aliquod peccatum commissum. probatur dupliciter, & primò, quia in hoc sibi maximè nocet, quòd sibi adimit necessarium Pænitentiæ tēpus. secundò quia malefactorem occidere non licet, nisi per iudicium publicæ potestatis.

In hoc, & sequentibus duobus quæsitis adducit, & resoluit speciales difficultates quasdam, & in præsenti loco ait non licere alicui occidere seipsum propter aliquod peccatum cōmissum. ad cuius explicationem obserua, quòd licet homo constituatur dominus sui ipsius per liberum arbitrium quantùm ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam, quæ hominis libero arbitrio regitur, idest est dominus suarum actionum, & ideò homo de se ipso disponere potest quantùm ad ista, transitus tamen de hac vita ad aliam non subiacet libero arbitrio hominis, sed potestati Diuinæ, non enim homo est dominus vitæ suæ, sed Deus, qui Deut. 32. dixit, ego occidam, & ego viuere faciam, vnde nulla ratione potest homo se occidere; & quod nec ratione peccati commissi liceat se occidere, quin potius tempus vitę suæ protrahi cupere debet, vt Pænitentiæ tempus sibi sufficiēs suppetat, si enim se occidat, Pænitentiæ tempus sibi adimit.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 5. cap. 6. nu. 4.

Quæritur, an liceat mulier se occidere, ne corrumpatur.

12 Respondeo dicendum, quòd non licet mulieri se ipsam occidere, ne ab alio corrumpatur, quia non debet in se committere crimē maximum, quod est sui ipsius occisio, vt vitet minus crimen alienum, non enim est crimen mulieris per violentiam violatæ, si consensus non adsit, quia non inquinatur corpus, nisi de consensu mentis, vt Lucia dixit, constat autem minus esse peccatum fornicationē, vel adulterium, quàm homicidium, & præcipuè sui ipsius, quod est grauissimum, quia sibi nocet, cui maximam dilectionem debet; est etiā periculosissimum, quia nō restat tempus, vt per Pænitentiam expietur. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. non licet mulieri se ipsam occidere, ne ab alio corrumpatur. probatur, quia nō debet in se committere crimen maximum, quod est sui ipsius occisio, vt vitet minus crimen alienum, sed constat minus esse peccatum fornicationem, vel adulterium, quàm homicidium, & præcipuè sui ipsius, quod est grauissimum, & periculosissimum, ergo &c. maior probatur, quia non est crimen mulieris per violentiam violatæ, si consensus non adsit, quia non inquinatur corpus, nisi de consensu mentis, vt B. Lucia dixit. probatur minor quoad primam partem, quia per homicidium sui ipsius sibi ipsi nocet, cui maximā dilectionem debet. probatur secunda pars, quia non restat tempus, vt per Pęnitentiam expietur.

Dominicus Sotus lib. 5 de iustitia, & iure. q. 1. art. 5. occasione huius doctrinæ reprehendit Lucretiam illam Romanam, & inquit illi non licuisse adulterium cauere per mortem, quam sibi ipsa inferret, & multò minus postquā illam passa est iniuriam, vt Liuius lib. 1. refert, ignominiam morte

morte contegre, nam si resistendo se à culpa liberauerat, non erat digna, quæ se occideret, & si in culpam consenserat, non erat sui ipsius Iudex; occidit ergo se ex pusillanimitate, quia ferre iniuriam non valuit, sicut & Cato, qui Cæsaris dominatum subire potens non fuit.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib.5.cap.6.num. 4.

Quæritur, an liceat occidere se ipsum propter timorem consentiendi in peccatum.

13 Respondeo dicendum, quòd nulli licet se ipsum occidere ob timorem, ne consentiat in peccatum, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona, vel vt vitentur mala, præsertim minora, & minus certa, incertum enim est, an aliquis in futurum cõsentiat in peccatum, potest enim Deus hominem quacunque tentatione superueniẽte liberare à peccato. 2.2.q.64.a.5. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. nulli licet se ipsum occidere ob timorem, ne consentiat in peccatum. probatur, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona, vel vt vitentur mala, præsertim minora, & minus certa, incertum enim est, an aliquis in futurum consentiat in peccatum, potest enim Deus hominem quacunque tentatione superueniente liberare à peccato.

Ex tribus casibus positis in supradictis quæsitis, qui maximi sunt ponderis, liquet ob nullam prorsus causam licere vlli sibi vitam adimere.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib.5.cap.6.num. 4.

Quæritur, an liceat in aliquo casu occidere innocentem.

14 Respondeo dicendum, quòd aliquis homo dupliciter considerari potest, vno modo secundùm se, alio modo per comparationem ad aliud; secundùm se quidẽ considerando hominem, nullum occidere licet, quia in quolibet etiam peccatore debemus amare naturam, quam Deus fecit, quæ per occisionem corrumpitur, sed occisio peccatoris fit licita per comparationẽ ad bonum commune, quod per peccatum corrumpitur, vita autem iustorum est conseruatiua, & promotiua boni communis, quia ipsi sunt principaliter pars multitudinis, & ideò nullo modo licet occidere innocentem. 2.2.q 64.a.6. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. nullo modo licet occidere Innocentem. probatur, non licet occidere innocentem hominem secundùm se cõsideratum, nec per cõparationem ad bonum commune, ergo nullo modo licet occidere innocentem. probatur antecedens quoad primam partem, quia in quolibet, etiam peccatore debemus amare naturam, quam Deus fecit, quæ per occisionem corrumpitur. probatur secunda pars, quia vita iustorum est conseruatiua, & promotiua boni communis, cum ipsi sint principaliter pars multitudinis.

Hoc in loco obserua duplicem esse innocẽtem, vnus est, qui non solum re vera est innocens, verùm etiam legitimè, quia non probatur nocens; alius est, qui licet re sit innocens, tamen legitimè probatur nocens. conclusio D. Thomæ loquitur de innocente primo, qui scilicet re, & legitimè est innocens, hunc non licet occidere, cum Exodi 23. legatur, insontem, & iustum non occides.

Quæritur, an occidens iustum grauius peccet, quàm occidens peccatorem.

15 Respondeo dicendum, quòd ille, qui occidit iustum grauius peccat, quàm ille, qui occidit peccatorem, primò quidẽ, quia nocet ei, quem prius debet diligere, & ita magis contra Charitatẽ agit; secundò quia iniuriam infert ei, qui est magis dignus, & magis cõtra iustitiam agit; tertiò quia priuat Communitatem maiori bono; quartò quia magis Deum contemnit secundùm illud Lucæ 10. qui vos spernit, me spernit; quòd autem iustus occisus ad gloriam perducatur à Deo, per accidẽs se habet ad occisionem. 2.2.q.64.a.6.ad 2.

Duo facit D. Thomas in hac littera, primò respondet quæsito vnica conclusione. secundò respondet tacitæ obiectioni. quoad primum conclusio est, ille, qui occidit iustum, grauius peccat, quàm ille, qui occidit peccatorem. probatur quadrupliciter, & primò quia nocet ei, quem pri° debet diligere, & ita magis contra Charitatem agit. secundò quia iniuriam infert ei, qui est magis dignus, & magis contra iustitiam agit. tertiò quia priuat Cõmunitatem maiori bono. quartò quia magis Deum contemnit secundùm illud Lucæ 10. qui vos spernit, me spernit. quoad secundum obiectio est, illud est maius peccatum, per quod infertur maius nocumentum ei, in quẽ peccatur, sed occisio plus nocet peccatori, quàm innocenti, qui de miseria huius vitæ ad cælestem Gloriam trãsit per mortem. ergo &c. respondet, quòd per accidens se habet ad occisionem, quòd iustus occisus ad gloriam perducatur à Deo.

Summa huius litteræ est, grauitatem peccatorum, scilicet occisionis innocentis, & occisionis peccatoris de se primò attendendam esse nõ pœnes illatum nocumentum, sed pœnes obiectum, & cum obiectum occisionis innocẽtis sit dignius, hinc est, quòd innocentis occisio scelestior est, & consequenter maiori digna est supplicio, quàm occisio impuri, ac perditi hominis.

Qua-

Quaritur, an liceat iudici condemnare innocentem, conuictum tamen per falsos testes.

16 Respondeo dicendum, quòd Iudex si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus conuincitur, debet diligentius examinare testes, vt inueniat occisionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit; si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere iudicandum, si autem hoc nõ potest, non peccat secundùm allegata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui eum asserunt nocentẽ. 2.2.q.64.ar.6.ad 3.

Triplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est Iudex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus conuincitur, debet diligentius examinare testes, vt inueniat occasionem liberandi innoxium. probatur exẽplo Danielis. secunda conclusio. si hoc nõ potest, debet eum superiori relinquere iudicãdum. tertia conclusio. si hoc non potest, non peccat secũdùm allegata sententiam ferens. probatur, quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui eum asserunt nocentem.

Ista doctrina examinabitur infra verb. Iudex. cap. 1. quæst. 4.

Quaritur, an peccet minister exequens sententiam iniustam Iudicis occidendo aliquem.

17 Respondeo dicendum, quòd minister Iudicis condemnantis innocentem, si sententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire, aliàs excusarentur carnifices, qui Martires occiderunt, si verò nõ contineat manifestam iniustiam, non peccat præceptum exequendo, quia ipse nõ habet discutere superioris sententiam, nec ipse occidit innocentem, sed Iudex, cuius ministerium exhibet. 2.2.q.64 a.6. ad 3.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. minister Iudicis cõdemnantis innocentem, si sententia intolerabilem errorẽ contineat, non debet obedire. probatur, aliàs excusarentur carnifices, qui Martires occiderunt. secunda conclusio. si non contineat manifestam iniustitiam, non peccat præceptum exequendo. probatur, quia ipse non habet discutere superioris sententiam, nec ipse occidit innocentem, sed Iudex, cuius ministerium exhibet.

Vt explicetur hæc doctrina, aduerte, quòd tũc sententia dicitur continere errorem intolerabilem, quando condemnatur quis, quia facit, quod in se bonum est, vel non facit, quod ex suo actu illicitum est, vnde sententiæ latæ à Tirannis contra Sanctos Martires intolerabilem continebant errorem, quia ipsi condemnabantur, quia Christum tanquam verum Deum confitebantur, colebant, prædicabant; vel quia falsos Deos detestabantur, execrabantur; hancque sententiam exequi non debebant ministri, nec Tirannis obedire debebant.

Quaritur, an liceat alicui occidere alquem se defendendo.

18 Respondeo dicendum, quòd nihil prohibet vnius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius verò sit præter intentionem, morales autem actus recipiunt speciem secundùm id, quod intenditur, non autem ab eo, quod est prẹter intentionem, cum sit per accidens; ex actu ergo alicuius se ipsum defendẽtis duplex effectus sequi potest, vnus quidem cõseruatio propriæ vitæ, alius autem occisio inuadentis; actus ergo huiusmodi, ex hoc quòd intenditur cõseruatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti, cum sit cuilibet naturale, quòd se conseruet in esse, quantùm potest; potest tamen aliquis act⁹ ex bona inenttione proueniens illicitus reddi, si nõ sit proportionatus fini, & ideò si aliquis ad defendendum propriam vitã vtatur maiori violentia, quàm oporteat, erit illicitum, si verò moderatè violentiam repellat, erit licita defensio, nam secundũ iura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ; nec est necessarium ad salutem, vt hunc actum moderatæ tutelæ prætermittat ad euitandam occisionẽ alterius, quia plus tenetur homo vitæ suæ prouidere, quam vitæ alienæ. sed quia occidere hominem non licet, nisi publica auctoritate propter bonum commune, illicitum est, quòd homo intendat occidere hominem, vt se ipsum defendat, nisi ei, qui habet publicet auctoritatem, qui intendẽs hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum, vt patet in milite pugnante contra hostes, & in ministro Iudicis pugnante contra latronem, quamuis etiam & isti peccent, si priuata libidine moueantur. 2. 2.q.64.a.7.in corp.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. actus defendentis se, ex hoc quòd intenditur cõseruatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti. probatur, quia hoc est cuilibet naturale, quod se conseruet in esse, quantùm potest. secunda conclusio. si aliquis ad defendendum propriam vitam vtatur maiori violentia, quàm oportet, erit illicitũ; si verò moderatè violentiam repellat, erit licita defensio. probatur prima pars, quia potest aliquis actus ex bona intẽtione proueniens illicitus reddi,

reddi, si non sit proportionatus fini. probatur secunda pars, quia secundùm iura vim vi repellere licet cũ moderamine inculpatæ tutelæ. tertia conclusio. non est necessariũ ad salutem, vt hunc actũ moderatę tutelæ homo prętermittat ad euitandum occisionem alterius: probatur, quia plus tenetur homo prouidere vitę propriæ, quàm alienæ. quarta conclusio. illicitum est, quòd homo intendat occidere hominem vt se deffendat, nisi ei, qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum. probatur, quia occidere hominem non licet nisi publica auctoritate propter bonum commune. patet etiam hoc in milite pugnante contra hostes, & in ministro Iudicis pugnante contra latronem, quamuis etiam isti peccent, si priuata libidine moueantur.

Ad explicationem huius litteræ obserua, quòd tunc adest moderamen inculpatæ tutelæ, quando non potest aliquis se aliter defendere ab inuasore, quàm per mortem inuasoris, idest non potest aliud adhibere remedium, quàm mortem inuasoris, aliud, inquam, remedium sibi conueniens, quod dico propter viros nobiles, & æquites, qui licet possint sibi vitam tueri fugiendo, attamen quia fuga illis viris ingenuis est iniuriosa, & in dedecus, ideò ad illam nõ tenebuntur, sed si alio modo non possunt se aliter tueri ab aggressore, quàm per mortem illius, tuta conscientia illum occidere possunt; nec tunc iniuria fit inuasori, quia in iure habetur, quòd qui alium ferro se petentem occiderit, non videtur iniuria occidisse, adeò enim naturale est cuique rei existere, vt in id, quod sibi nouat, statim insultet; vim etiam vi repellere leges, omniaque iura permittunt, & vt dicitur in ratione tertiæ conclusionis plus tenetur homo prouidere vitæ propriæ, quàm alienæ. si autem quis dicat, quòd ordo Charitatis postulat, vt vitam spiritualem proximi propriæ corporali præferamus, cum spiritualis vita sit nobilior corporali, & corporalis vitæ finis, qui autem priuata auctoritate alium aggreditur, profectò est in peccato mortali, & consequenter si occidatur, vtraque vita, nempe spirituali, & corporali priuabitur, ergo potius inuasus debet permittere se mori, quàm alium occidere, & in Inferni baratrum detrudere. respondebitur cum Caietano hoc in loco, & Dominico Soto lib. 5. de iustitia, & iure. q. 1. artic. 8. quòd vtique ordo Charitatis postulat, vt magis diligatur vita spiritualis proximi, quam nostra corporalis, quando ad conseruandam vitam spiritualem proximi necessaria simpliciter sit vita nostra corporalis, tunc enim corporalis vita periculo offerenda est pro salute spirituali manutenenda proximi, vt si tempore pestis sciam, aliquem peste infectum versari in periculo labendi in hæresim ob persuasionem hæretici alicuius illi falsa dogmata persuadentis, tunc cum periculo vitæ corporalis teneor succurrere vitæ spirituali illius infecti; quando autem vita corporalis non est necessaria, tunc non tenetur homo vitam corporalem suam prodigere pro vita spirituali alterius, sed si illam profundit, ad perfectionem Charitatis pertinebit. sic in proposito quãdo aliquis alium vi armata adoritur, sua culpa id facit, quare vita inuasi non est inuasori necessaria, ideò nec tenetur illi succumbere, aliàs occasio preberetur sceleratis hominibus iustos inuadendi, dum certi essent ab illis nõ se esse occidendos. concludamus ergo hominem teneri diligere salutem proximi spiritualem præ sua corporali in casu necessitatis, non autem extra casum necessitatis, quia extra talẽ casum necessitatis vnicuique mandata est cura suæ vitæ, suorumque bonorum, non autem alienorum etiã si preciosiora sint, sicut pater teneretur magis seruare filium suum, quàm extraneum longè meliorem.

Quartam conclusionem non intellectam à Soto, & Martino Nauarro impugnant iidem Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 1. a. 8. & Nauarrus in manuali cap. 15. n. 2. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 10. p. 4. Sairus lib. 7. clauis regiæ cap. 10. nu. 19. Cosmus philiarcus de officio Sacerd. p. 2. lib. 4. cap. 9. & alij docentes licere homini priuato occidere ex intẽtione aggressorem his moti rationibus, quarum prima est, quia iura, quæ vim vi repellere licitum esse dicunt, id absolutè docent. respondetur negando, quòd iura hoc doceant, sed solum volunt intendendam esse per se sui defensionem, per accidens autem occisionem aggressoris, quod & D. Thomas docet. secundò quia actus iste est humanus, & volitus, non enim ignoranter, & casu occidit, sed sciens, & volens, ergo &c. respondetur, talem occisionem aggressoris esse actum humanum, & esse volitam per accidens tanquam effectum consequentem ad sui necessariam defensionem per se intentam. tertiò quia fragilitas humana, & tẽtatio subita nõ permittit in illo subitaneo conflictu hanc longam deliberationem facere. respondetur, nos nõ permittere longã deliberationẽ in subitaneo conflictu, sed docemus in tali casu sufficere, quòd aggressus per se intẽdat se defendere, quod citissimè accidet. quartò absurdum omninò videtur, licere sui defendendi causa ipsum actum externum exercere, cuius effectus per se sit alterius mors, & tamen non velit, nec intendat actum illum externum, nec mortẽ alterius. respondetur, quòd occisio aggressoris est effectus per accidens respectu volũtatis illius, qui se defendit, & per accidens dicitur volitus. quintò quia alioquin vix vllus vnquam occideret aggressorem sine peccato, quoniam omnis inuasus vt plurimum concipit voluntatem occidendi, si aliàs se, suaq; tueri nequeat. respondetur, quòd nullus inuasus occidens aggressorem secundùm sensum nostrum peccat, quia per se concipit voluntatem defendendi se, & per accidens occidẽdi alium. sextò quia metus mortis non permittit, vt fragilitas humana tam æquo animo sit, vt percutiendo aggressorem solum velit se defendere, & non occidere. respondetur, quòd fragilitas humana percutiendo aggressorem per se vult se defendere, & per accidens alium occidere. septimò licitum est inuaso, dum videt aliter inuadentis manus euadere non posse, directo spiculo iugu-

iugulum eius ex intentione petere, vt illum prius consternat, ergo &c. respondetur ad antecedẽs, quòd inuasus talis per se intendit sui defensionem, & per accidens inuasoris occisionem per directionem spiculi in iugulum eius.

Quæritur, an aliquis occidens hominem casualiter incurrat homicidij reatum.

19 Respondeo dicendum, quòd secundùm Phylosophum 2. physicorum casus est causa agens præter intentionem, & ideò ea, quæ casualia sunt, simpliciter loquendo non sunt intenta, neq; voluntaria, & quia omne peccatum est voluntarium secũdùm Augustinum, consequens est, quòd casualia, inquantùm huiusmodi nõ sunt peccata; contingit tamen id, quod non est actu, & per se volitum, vel intentum, esse per accidens volitum, vel intentũ secundùm quòd causa per accidens dicitur remouens prohibens, vndè ille, qui non remouet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debeat remouere, erit quodammodo homicidium voluntarium; hoc autem contingit dupliciter, vno modo quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit, alio modo quando non adhibet debitam solicitudinem, & ideò secundùm iura si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidij reatum, si verò det operam rei illicitæ, non adhibens diligentiam debitã, non euadit homicidij reatum, si ex eius opere mors hominis consequatur. 2.2.qu. 64. artic. 8. in corp. (4.sent. d.25.qu.2.a.2. quæstiunc. 2. ad 3.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. casualia, inquantum huiusmodi non sunt peccata. probatur, quia omne peccatum est voluntarium secundùm Augustinum, sed casualia simpliciter loquendo non sunt intenta, cum casus sit causa agens præter intentionem, vt dicitur 2. physic. ergo &c. secũda conclusio. ille, qui non remouet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debeat remouere, incurrit quodammodo voluntarium homicidium. probatur, quia est in facto isto voluntarius per accidens, licet non per se, qui non remouet ea, ex quibus secutum est homicidium. tertia conclusio. secundùm iura si aliquis dat operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidij reatum; si verò det operam rei illicitę, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens debitam diligentiã, non euadit homicidij reatum, si ex eius opere mors consequatur. probatur, quia primus homicidium nec per accidens vllo modo vult, secundus illud vult per accidens aliquo duorum modorum, vt in textu.

Locus iste est de homicidio casuali, quod distinguitur contra voluntarium, casuale enim dicitur, quia præter intentionem euenit, casus enim est causa agens præter intentionem, vt dicitur in 2. physicorum. voluntarium autem homicidiũ dicitur illud, quod ex proposito, siue ex intentione ocidentis hominem euenit; dicitur autem aliquid esse voluntarium dupliciter, vno modo directè, quod scilicet est intentum, & hoc est simpliciter voluntarium, & opponitur simpliciter casuali; alio modo dicitur voluntarium per accidens, quia scilicet non impeditur, & hoc, inquit Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. qu. 1. a. 9. est medium inter simpliciter voluntarium, ac simpliciter casuale, attamen quia non directè intenditur, dicitur casuale. tria autem requirũtur ad homicidium casuale, quorum primum desumitur ex vi nominis, nempe quòd non sit intẽtum. secundum desumitur ex cap. ad audientiã, de homicid. & cap. Præsbiterũ. vt scilicet sequatur ex actione, quæ tolli debebat, nam si aliunde sequatur, nullatenus imputatur agenti, vt habetur cap. Ioannes. tertium est, vt non solum possit quis talem actionem euitare, sed etiam quòd debeat. rursus obserua, quòd dupliciter potest aliquis alium occidere non intendendo ipsum occidere, vno modo ipsum verè occidendo, alio modo omittendo aliquid facere, ex cuius omissione sequitur mors alterius. Circa hos modos ponã quattuor regulas, quarum duæ primæ primo, secundæ secundo modo deseruient. notandum ergo est, quòd qui occidit alium casu, & præter intentionem, vel dabat operam rei illicitæ, vt si Clericus attendat venationi, quæ fit per bombardam, quæ Clericis prohibetur, vel dabat operam rei licitæ. rursus si dabat operam rei licitæ, vel vsus est debita diligentia, vel non. rursus si non est vsus debita diligentia, vel parum fuit negligens, vel multùm. his stãtibus pono primam regulam seruientem primo modo, dans operam rei licitæ, si occidit præter intentionem alium, peccat magis, vel minus secundùm negligẽtiam maiorem, vel minorem, quam adhibuit, ne occisio aliqua sequeretur; quando autem nulla fuit negligentia, nullum est peccatum, vt si vir ingenuus, ac nobilis venetur feras, & emittens bombardam occidit hominem, in hoc casu actus est licitus, si vir iste nobilis debita vsus est diligentia in cauendo, ne aliquem occideret, non peccat, si occidat, quia occisio est merè casualis. diligẽtię autem quantitas pensanda est secundùm periculum maius, vel minus, puta si venetur in loco frequentato ab hominibus, & tunc nullam, vel paruam adhibet diligentiam, peccat mortaliter, si occidat, quia censetur tunc homicidium volũtarium; si autem locus sit desertus, nec frequentatus, & parua vtitur diligentia, si occidit, peccat tantùm venialiter, quia parum habet de voluntario. secunda regula est. dans operam rei illicitæ, si aliquem occidit præter intentionem, etiam post adhibitã debitam diligentiã, peccat, quia

quia quodammodo efficitur voluntarium, vt ait D. Thomas 4. sent. d. 25. q. 2. a. 2. quæstiuncula. 2. ad 3. & quantitas peccati desumetur ex quantitate actus illiciti, quem faciebat, puta si Clericus venetur feras bambarda, & casu occidit aliquem, licet adhibuerit debitam diligentiam, peccat mortaliter, quia talis venatio interdicta est Clericis sub peccato mortali, vnde in Clerico est peccatum, quod nullum esset in sæculari; rursus qui pugnat cum aliquo animo non occidēdi, & pugna sit leuis, & in pugna occidit, tunc venialiter tantùm peccat. circa tamen hanc regulam nota, quòd non quicunque actus illicitus, ex quo sequitur homicidium, facit culpam homicidij, sed tantùm illicitus actus, inquo est periculum occidendi alterum, quia si nullum sit periculum, tunc non reputatur pro illato quātum ad homicidium, vt qui arborem alienam conscendit, vt furetur fructus, si casu cadat supra alium, & ipsū occidat, ob id non peccat homicidio, quia talis ascensus non sic erat periculosus. tertia regula deseruiens secundo modo est, qui omittens aliquid, quod ex iustitia tenebatur facere, est in causa, vt alterius mors sequatur, peccat peccato tāto, quanta est omissio illa, aliquando peccabit mortaliter, & aliquando venialiter; vt Iudex, vel Gubernator, qui tenetur de nocte visitare Ciuitatem, si non visitet, & casu aliquis ob id occidatur, peccat, peccatum autē erit veniale, si omissio illa erat tantùm venialis, puta si tantùm illa nocte defecit, & nullum erat periculum; peccatum etiam potest esse mortale, si periculū erat graue, vt si Ciuitas illa rixis, discordijs scindebatur. quarta regula deseruiens etiam secundo modo est. qui omittens aliquid, ad quod ex Charitate tenebatur, & ex tali omissione alter obijt, vel occiditur, peccat iuxta grauitatem omissionis, vt qui non succurrit alteri in extrema necessitate posito, cum possit, peccat mortaliter, & si moriatur, peccat peccato homicidij iuxta illud, si non pauisti, occidisti. has quattuor regulas si quis benè consideret, ea, quæ pertinent ad homicidium sine intentione factum, penetrabit, & casus emergentes facilè resoluet.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib 5. cap. 7. a. n. 1. vsque ad 10.

Quæritur, an qui occidit aliquem à casu, incurrat irregularitatem.

20 Respondeo dicendum, quòd ille, qui ignoranter hominem occidit homicidio casuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, nisi dederit operam rei illicitæ, vel nisi omiserit debitam diligentiam, quia iam quodammodo efficitur voluntarium. 4. sentent. d. 25. quæst. 2. artic. 2. quæstiunc. 2. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ille, qui ignoranter hominem occidit homicidio casuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, nisi dederit operam rei illicitæ. probatur pars hæc vltima, quia iam quodammodo efficitur voluntarium.

Quòd occidens hominem ignoranter, & casualiter non sit homicida, patet, quia nec talis occisio hominis casualis est homicidium propriè, nec talis incurrit irregularitatē, si tamen dabat operam rei licitæ, & debita vsus est diligentia. huius plura sunt exempla in iure, vt patet in cap. lator. de hom. & in c. dilectus. de hom & in c. ex litteris. de hom. & in c. ex litteris. 2. de hom. & cap. exhibita. de hom. & in c. Ioannes. de hom. sufficiat nobis aliquos proposuisse casus, vt ex his lector dignoscere possit resolutionem aliorum similium in c. lator. de hom. habetur, quòd dum quidam cum Clerico luderet, & eum proijceret in terram, gladius, quem proiectus Clericus habebat, incidit in proijcientem, & eo percussus occubuit; iste Clericus non incidit in irregularitatem, quia non dabat operam rei illicitæ, & casus fuit omninò fortuitus, nec erat necesse diligentiam adhibere, quia tunc solum diligentia adhibenda est, quando inest aliquod periculū, secus autē, non est necesse, in proposito ludus non erat periculosus, sed casu contigit, vt proijceretur Clericus in terram in c. etiam Ioannes de hom. habetur, quòd quidam Sacerdos pulsauit campanam, vt signo dato populus conueniret, casu cecidit tintinabulum, & Petrum occidit, iste Sacerdos non fuit irregularis, quia dabat operam rei licitæ, nec casus omnes fortuitos præuidere potuit, nec diligentia adhibenda erat, quia periculum non imminebat, iam enim supra diximus, diligentiam adhibendam esse, quando periculum imminet, vnde si Sacerdos ille sciuisset tintinnabulum non fuisse benè ligatum, aut aliàs cadere solitum, culpa fuisset, & sacerdos irregularis fuisset, quia debitam non adhibuit diligentiam ad cauendum periculum. si quis autem operam det rei illicitæ, ex qua mors siue per se, siue per alium est secuta, etiam si sit præter eius intentionem, est irregularis, vt dicitur in littera, & talis irregularitas erit ex delicto, etiam si omnem diligētiam præmiserit, ne quis occideretur, vt docet Siluester, & cōmunis est sententia, quam suadet ratio D. Thomæ, quia iam quodammodo efficitur volūtarium. an autem hoc habeatur expressè in iure, vt putat Toletus lib. 1. cap. 77. num. 4. vel deducatur à cōtrario sensu ex textibus, vt docet Sotus impugnatus à Nauarro, sed tutatus à Toleto, parū refert. ad maiorē declarationē huius materiæ de irregularitate ex homicidio casuali cōtracta obserua tres regulas, q̄ colligūtur ex S. Thoma 2. 2. q. 64. a. 8. D. Antonino. 3. p. tit. 29. ca. 2. §. homicidiū casuale. Siluestro verb. homicid. 2. in principio. Caietano 2. 2. q. 64. a. 8. Tabiena verb. irregularitas 3. §. 1. Dominico Soto lib. 5. de iustitia, & iure. q. 1. a. 9. quos sequitur Salon. 2. 2. q. 64. art. 8. controuer. 3. prima ergo est. qui dat operam rei licitæ, & adhibet omnem diligētiam debitam, ne sequatur homicidium, etiam si tunc sequatur, non est irregularis. hæc regula colligitur ex cap. lator. cap. dilectus filius. cap. ex

litteris. 2.cap. significasti, 1. cap. Ioannes. & c. finali. de hom.& cap. hi, qui.ca. ea sæpè. & cap. si duo fratres. d. 50. & ratio id suadet, quia tale homicidium est merè casuale, & omninò inuoluntarium, & sine vlla culpa; & in sensu huius regulę loquitur D. Thomas in sua conclusione. secunda regula est, dans operam rei illicitæ, etiam si diligentiam adhibeat sufficientem, ne sequatur homicidium, si tamen sequatur, irregularis erit. sic D. Thomas hoc in loco, quem sequitur Siluester verb. homicidium. 2. in principio. regula. 3. Conradus Coelim 1.2.q.73.a. 8. Caietanus 2.2.q.64 art. 8. hanc etiam colligunt Iuristæ ex cap. dilectus filius. & cap. ex litteris. 2. de hom. à contrario sensu. hanc suadet ratio allata à D. Thoma, quia tunc homicidium fit quodammodo voluntarium, dum voluntariè eligit actionem illicitā, ex qua potest sequi homicidium. hæc regula vera est vniuersaliter, nempe quòd dans operam rei illicitæ est irregularis, si sequatur homicidium. non esse tamen veram vniuersaliter docet Dominicus Sotus lib. 5. de iustitia, & iure. q. 1. artic. 9. quem sequitur Nauarrus in manuali. Bartolomeus Medina in p. 1. q. 73. a. 3. Petrus Nauarrus lib. 2. de rest. cap. 1. dub. 6. corrol. 2. num. 69. Petrus Aragona 2.2. q. 64. a. 8. dub. 2. Sairus lib. 7. thesauri cap. 5. num. 13. & alij. hi omnes docent illam regulam non esse veram vniuersaliter, sed esse falsam absolutè, & non sufficere ad incurrendam irregularitatem, quòd sit subsecutum homicidium ex opere illicito, sed necessarium esse, quòd opus illud vel sit ex se, & sua natura inductiuum saltem probabiliter, & vt plurimum mortis, aut mutilationis, vel periculosum, aut prohibitum ex iure Diuino, vel humano. sed hi profectò allhucinātur, quia si absolutè, & vniuersaliter verum est, quòd dans operam rei licitæ, si præter intentionem occidat aliquem, nō est irregularis, ergo etiam verum erit absolutè, & vniuersaliter, quòd dans operam rei illicitæ, si præter intentionem occidat, fiat irregularis. & confirmatur, quia irregularitas introducta est iure humano Ecclesiastico, quod ius, vt arceret homines à perpetrandis illicitis, apposuit irregularitatem incurrendam ab eo, qui dans operam rei illicitæ cuilibet aliquem occidit pręter intentionem. nec huic doctrinæ obstat argumentum Sairi sic arguentis, irregularitas hæc nō incurritur nisi ex peccato homicidij, opus autem illicitum, & non ex se ordinatum, aut periculosum committens, etiam si faciat opus illud, ex quo sequitur homicidium, non censetur committere peccatum homicidij, quia exercens illud nullo modo vult homicidium, nec in se, vt constat, cum non intendat illud, nec in causa sua, aut indirectè, vt patet, quia tūc dicitur quis velle homicidium in causa, quando vult opus, quod habet in se periculum homicidij, aut quādo ex parte operantis potuit, & debuit prohiberi, & non erat prohibitum, vt in casu nostro, quamuis opus ex eo titulo sit illicitum, quia prohibitum, non tamen est ex se periculosum, & ex parte operantis adhibita est omnis diligentia, ne accideret homicidium, vnde cum homicidium hoc nullo modo voluntarium sit, nullo modo ex fortuito, & casuali homicidio subsecuto incurritur irregularitas. sed respōdetur, quòd non est attendendum, an opus illicitū sit periculosum, aut ordinatum ad causandū homicidium, vt contrahatur hæc irregularitas, sed attendendum est ad intentionem legis, quæ sicut voluit, vt dans operam rei licitæ absolutè non fiat irregularis, si ex ea sequatur homicidium, ita voluit, vt dans operam rei illicitæ, quæcunque sit illa, fiat irregularis, si ex ea sequatur homicidiū, vt arceat homines ab illicito opere, quodcunq; sit illud, tertia regula est, dans operam rei licitæ, non tamen omnem curam adhibens debitā, ne sequatur homicidium, irregularis est, si sequatur illud, hæc colligitur ex cap. Presbiterum. & cap. ad audientiam. de hom. & ratio id suadet, quia si debita non adhibetur diligentia, & omittitur id, quod omitti non debuit ad euitandum homicidium, indirectè fit voluntarium homicidium. circa tamen hanc regulam, sicut & circa primam, quæ loquuntur de diligentia adhibenda, obseruat Caietanus, & benè, quòd nō requiritur summa, & exactissima diligentia, qualē adhibuisset vir diligentissimus, & maximè circonspectus, sed satis est, quòd talis adhibeatur diligentia, qualem cōsiderata rei qualitate, & personarum, & negotiorum, & temporis ad viri prudentis arbitrium adhibere debuisset; ex quo sequitur, qđ si postea appareat, aliquid fuisse omissum, quod diligentissimus tantùm non omisisset, ab cuius omissionem secutum est homicidium, non dicetur irregularis. arg. eorum. Siluester verb. homicidium 2. in principio. regula. 4. Tabiena verb. irregularitas. 1. §. 5. & verb. irregularitas. 3. §. 6.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Henriquez lib. 14. cap. 15. §. 1. Toletus lib. 1. cap. 77. n. 3. 6. 8. & alij.

Quæritur, an percutiens mulierem prægnantem, & inde sequatur mors pueri, sit homicida.

21 Respondeo dicendum, quòd ille, qui percutit mulierem prægnantē, dat operam rei illicitæ, & ideò si sequatur mors mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidij crimen præcipuè cum ex tali percussione in promptu sit, quòd mors sequatur. 2. 2. q. 64. a. 8. ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. percutiens mulierem prægnantem, si sequatur mors mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidij crimen, præcipuè cum ex tali percussione in promptu sit, quòd mors sequatur. probatur, quia qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitæ.

Circa hanc doctrinam obseruat Caietanus, ꝙ percussio prægnantis absque intentione occidēdi potest dupliciter contingere, vno modo vt sit talis, quæ de genere suo nata est inducere abor-

sum,

sum, vel lædendo corporaliter, vel incutiendo timorem mulieri, quæ naturaliter est timida, & huiusmodi; alio modo vt fiat percussio aliqualis, quamuis indiscreta, ioco, vel seriò, vel timor leuis incutiatur imprudenter. si ex percussione in primo sensu sumpta sequatur homicidium, erit voluntarium, non autem casuale, quia percussio est voluntaria, & talis percussio occisio est, quia talis actus vt in pluribus natus est facere aborsũ, quod vtique verum est, si scienter grauidam sic percutit, quia qui ex ignorantia etiam culpabili vteri sic grauiter percutit, casuale incurrit homicidium propter aborsum, nam licet nõ excusetur à culpa homicidij, excusatur tamen à modo homicidij, quia scilicet non est per se volitum ab eo, qui si sciret mulieris conditionem, quam percutit, illam non percuteret. si ex percussione in secundo sensu sequatur homicidium, erit casuale, quia ex dispositione potius mulieris patientis, quã ex actione agentis, & percutientis prouenit.

Quæritur, an liceat occidere hominem volentem occidi.

23 Respondeo dicendum, quòd ille, qui occidit hominem volentem occidi, iniuriã facit non solum homini occiso, sed etiam Deo, & Reipublicæ, sicut etiam & ille, qui occidit se ipsum, vt Phylosophus dicit in 5. eth. vnde & Dauid damnauit illum ad mortem, qui non timuerat mittere manũ, vt occideret Christum Domini, quamuis eo petente, vt legitur 2. Reg. cap. 1. (3. p. q. 47. artic. 6. ad 3.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. ille, qui occidit hominem volentem occidi, iniuriam facit non solum homini occiso, sed etiam Deo, & Reipublicæ, sicut etiã & ille, qui occidit seipsum. probatur ex phylosopho. 5. eth. & quia Dauid damnauit illum ad mortem, qui nõ timuerat mittere manum, vt occideret Christum Domini.

Occidens alium volentem occidi dicitur iniuriam facere homini occiso, quia illi auffert vitam, qua nihil carius, & licet petat occidi, non est tamen dominus vitæ suæ, vnde in sua potestate non est illam prodigere, vnde sicut non licet sibi se occidere, ita non licebit alteri occidere illum petẽtem occidi. iniuriam facit etiam Deo, quia vita humana donum Diuinum est, à Deo pẽdens tanquam eius possessio, vnde qui alium occidit volentem occidi, rem Dei sibi vsurpat, & sic peccat, atque ille, qui rem alienam vsurparet. vlterius sibi vsurpat illud iuditiũ, quod soli Deo reseruatur, & consequenter illi facit iniuriam, iuditium autem vitæ, & mortis soli Deo reseruari patet ex illo Deut. 23. ego occidam, & ego viuere faciam. iniuriam etiam Reipublicę irrogat, quia illius membrum adimit, sicut & qui occidit se ipsum, vt ait Arist. 5. eth. cap. postremo. ex his patet, quòd licet Christus voluerit suam Passionem, sicut & Deus eam voluit, iniquam tamen actionem Iudeorum non voluit, & ideò occisores Christi ab iniustitia non excusantur.

Quæritur, quis nam grauius peccet, an occidens iniustè hominem corporaliter, an occidens aliquem spiritualiter.

23 Respondeo dicendum, quòd grauius peccat occidens aliquem corporaliter, quàm occidens spiritualiter, quia homicida est per se, & sufficiens causa corporalis mortis, spiritualis autem mortis nullus potest esse alteri causa per se, & sufficiẽs, quia nullus spiritualiter moritur, nisi propria voluntate peccando. p. 2. q. 73. a. 8. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. grauius peccat occidens aliquẽ corporaliter, quàm occidens spiritualiter, probatur, quia homicida est per se, & sufficiens causa corporalis mortis, spiritualis autẽ mortis nullus potest esse alteri causa per se, & sufficiẽs, quia nullus spiritualiter moritur, nisi propria voluntate peccando.

Intantùm homo dicitur causa sufficiens, & per se mortis corporalis, inquantùm est causa physica, & influens in effectum. spiritualis autem mortis, quę euenit propter peccatum mortale, nullus potest esse causa alteri per se, & sufficiens, sed tãtum moralis, & persuasoria, efficiẽs enim, & physica causa peccati est sola voluntas peccantis.

HONOR.

1 *In præcepto de honoratione parentum includitur honor erga senes.*

§ *Primum præceptum secundæ tabulæ est quartum in ordine de honoratione Parentum.*

Senes quibus rationibus honorandi.

2 *Honor, & reuerentia debetur parentibus inquantùm huiusmodi.*

Subuentio debetur eis, vt sunt indigentes.

3 *Parentibus debent filij reuerentiam, obedientiam, sustentationem.*

§ *Honor, qui debetur à filijs Parentibus, in tribu consistit, & qua, vbi varij resoluuntur casus.*

Obligatio filiorum erga Parentes in illis subueniẽdis tam corporaliter, quã spiritualiter, ostenditur.

4 *Honorantibus Parentes promittitur longeuitas futura, & præsens.*

Quare aliquando pij in Parentes citò moriuntur, & in eos impij diu viuunt.

5 *Cultus, & officium debetur omnibus sanguine iunctis, beneuolis Patriæ.*

Non tamen æqualiter omnibus istis debetur honor.

6 *Deo debetur honor, reuerentia, & subiectio.*

7 *Ex debito legali debetur honor in dignitate constitutis à sibi subditis.*

Ex debito morali debetur honor in dignitate constitutis etiam à non subditis.

§ *Non honorans Prĕsidentes suos proprios peccat, & punitur.*

Non

Non honorans Præsidentes extraneos non punitur, peccat tamen, & qua ratione.
8 *Prælato dum est in actu peccati, nō debetur honor. Ante, vel post peccatum debetur ei Dulia.*
§ *Vt Prælati existentes in peccato mortali non debeant honorari, requiritur, vt peccatum sit notum.*
9 *Prælato malo non debetur honor ratione personæ, debetur tamen ei, quia tenet locum Christi.*
§ *Prælati boni duplici ratione sunt honorandi, mali autem tantùm vna ratione.*
10 *Honor qui debetur alicui ratione virtutis non debetur Diuitibus.*
Diuitibus debetur honor, qui congruit personæ secundùm statum, quem habet in Republica.
11 *Honor non debetur directè nisi habenti Gratiam. Virtuosis actu debetur propriè honor.*
Omnibus Prælatis est honor exhibendus.
12 *Secundùm veritatem solus bonus est honorandus.*
§ *Solus virtuosus est honorandus.*

Quæritur, quid includatur in quarto præcepto de honoratione Parentum.

1 RESpondeo dicendum, quòd quarto præcepto de honore Parentum superadditur præceptum de honoratione senum secundùm illud Leuitici 19. coram cano capite consurge, & honora personam senis, & vniuersaliter omnia præcepta inducentia ad reuerentiam exhibēdam maioribus, vel ad beneficia exhibenda vel æqualibus, vel minoribus. p. 2. q. 100. a. 11. in corp.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. quarto præcepto de honore parentum superadditur præceptum de honoratione senum, & uniuersaliter omnia præcepta inducentia ad reuerentiam exhibendam Maioribus, uel ad beneficia exhibenda, uel æqualibus, uel minoribus. probatur prima pars ex illo leuit. 19. coram cano capite consurge, & honora personam senis.

Præceptum de honorandis parentibus est primum præceptum secundæ tabulæ, huic ergo præcepto superadditur præceptum de honoratione senum, senes siquidem sunt uenerandi, unde dicitur ueneranda senectus sunt, inquam, ueneradi tum ratione ætatis, cùm ratione consiliorum nobis præstitorum, consiliorum enim, & ratio in senibus est, tertiò ratione beneficiorū, nos enim genuerunt, insudauerūt in nobis nutriēdis, laborauerunt in nobis ditandis, molestias passi sunt pro nobis sustentandis. hoc etiam præcepto includuntur omnia præcepta inducentia ad reuerentiam exhibendam Maioribus, ut Episcopis, Curatis, Pastoribus, Principibus, Magistris, Tutoribus, & omnibus alijs, qui aliquam supra nos potestatem habent. continentur etiam præcepta inducentia ad beneficia exhibēda vel æqualibus, vel minoribus.

Quæritur, an honor, & sustentatio debeatur Parentibus.

2 Respondeo dicendum, quòd Parentibus inquantùm huiusmodi debetur reuerentiæ honor, sed sustentatio, & alia huiusmodi debentur eis ratione alicuius accidentis, puta inquantùm sunt indigentes, vel serui, vel aliquid huiusmodi, & quia quod est per se prius, est eo, quod est per accidens, inter prima etiam præcepta legis, quæ sunt præcepta decalogi specialiter præcipitur honoratio parentum, in quo sicut in quoddam principali intelligitur mādari sustentatio, & quid quid aliud Parentibus debetur. 2. 2. q. 122. a. 6. ad 3. (q. 101. a. 2. in corp. & ad 1.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, inter prima præcepta legis, quę sunt præcepta decalogi, specialiter præcipitur honoratio Parentum, in quo sicut in quodā principali intelligitur mandari sustentatio, & quidquid aliud parentibus debetur. probatur, quia quod est per se, prius est eo, quod est per accidens, sed parentibus inquantum huiusmodi debetur reuerentiæ honor, sed sustentatio, & alia huiusmodi debetur eis ratione alicuius accidentis, puta inquantùm sunt indigentes, vel serui, vel aliquid huiusmodi, ergo &c.

In quo consistat honor, qui principaliter intenditur in quarto præcepto decalogi, explicabitur in sequenti quæsito.

Quæritur, quid debeant filij exhibere Parentibus.

3 Respondeo dicendum, quòd filij debent Parentes honorare, quia debent eis reuerentiam, sicut maioribus; obedientiam, sicut instructoribus; sustentamenta, sicut nutrientibus, cum fortes erunt. lect. 1. cap. 6. ad ephesios.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. filij debent Parentes honorare. probatur, quia debent eis reuerentiam sicut maioribus, obedientiam sicut instructoribus, sustentamenta, sicut nutrientibus, cum fortes erunt.

Hoc in loco ostenditur, in quo consistat honor, qui à filijs debetur Parentibus, & consistit in tribus, in reuerentia, obedientia, & sustentamentis. si ergo filij debent reuerentiam Parentibus tanquam Maioribus, ergo peccabunt mortaliter percutientes iniuriosè Parentes; insuper & maledicentes Patri, & Matri iuxta illud leuit. 20. qui maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur; item proferentes verba prouocātia ad iram magnam, sed si talia non essent, licet Pater ex sua natura colerica ira feruat, non erit peccatum mortale; rursus negantes Patrem, vel Matrē ex corde; item accusatores Patrum suorum coram Iudice in

in foro criminali, exceptis duobus casibus, nēpe in crimine læsæ Maiestatis humanæ, & in crimine læsæ Maiestatis Diuinæ, nempe hæresis; & in hoc crimine hæresis adhuc nō tenetur filius accusare Patrem, nisi quando est perniciosa, si enim esset secreta, & tantùm nociua Patri, filius nō tenetur ipsū accusare, sicut nec in alijs criminibus, immò filius non auditur contra Patrem. debetur etiā à filijs obedientia Parentibus, filij enim tenentur obedire Patri in pertinentibus ad gubernationē domus, & si non obediant, peccant mortaliter, si res est grauis, & maximè si ex contemptu, & animi obstinatione id faciant. tenentur etiā filij obedire Parentibus in pertinentibus ad bonos mores, vnde si filij non acquiescant Patris præceptis circa mores conantis filios à peccatis, & peccatorum occasione arcere, est peccatum mortale. sustentamenta etiam à filijs debentur Parētibus nedum corporalia, sed etiam spiritualia. tenentur, inquam, corporalibus necessitatibus, inquantùm possunt, subuenire Parentum, vt si infirmi sunt, eos visitare, si in carcere detinentur, curare, quantùm possunt, vt liberentur, educantur, tenentur insuper eis egestatem patientibus subuenire, cum possunt; tenentur, inquam, subuenire Parentibus nedum in extrema necessitate, sed etiam in graui, adeoque ad hoc obligantur, vt si filij possint adiuuare Parentes, & ipsos relinquant ingrediendo Religionē, peccent mortaliter, quia faciunt contra præceptum, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4. quia tenentur succurrere, & non intrare, cum primum sit in præcepto, secundum autem sit de consilio, præceptum autem præponendum est consilio, immò aliqui putant, quòd filij, si iam professi sint, teneantur egredi è Religione, & Patri in vtraque necessitate subuenire, Caietanus tamen 2. 2. qu. 101. art. 4. ad 4. docet non teneri filium professum egredi è Religione, vt succurrat graui necessitati Patris, sed tantùm quando est in extrema necessitate, quia preceptum iuris naturæ, & Diuini in extrema necessitate præminet voto, & vinculo, vota enim non debent esse impeditiua operum iustitiæ, vnde sicut licet furari propter extremam alicuius necessitatem, ita licet actualem obedientiam Prælato subtrahere, & furari bona Ecclesię, si aliter Patri non potest subueniri. aduerte tamen, quòd non tenetur filius exire de Religione, quando adest necessitas spiritualis filij, idest quando adest graue periculum peccati mortalis, filius non tenetur exire, vt succurrat necessitati, etiam extremæ Patris, quia salus propria spiritualis præponderanda est saluti corporali Patris. tanta demum est obligatio filiorum erga Patrem, quòd in necessitate extrema filiorum, & Patris, filius tenetur potius subuenire Patri, quàm filijs, vt docet D. Thomas 2. 2. qu. 26. artic. 9. ad 3. vltra sustentamenta spiritualia corporalia debentur etiam sustentamenta spiritualia, vt si Pater sit in periculo mortis, tenetur filius curare, vt confiteatur, sacramentis alijs reficiatur, post mortem tenetur curare, vt legata pia executioni mandentur, memor quòd dilatio huiusmodi legatorum absque iusta, & graui causa facta peccatum est mortale, vt ait Toletus lib. 5. cap. 1. num. 5.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. 5. cap. 1. a. n. 5. vsque ad 11.

Quæritur, quod nam sit præmium promissum honorantibus Parentes.

4 Respondeo dicendum, quòd longeuitas promittitur honorantibus Parentes, non solum quantùm ad futuram vitam, sed etiā quantùm ad præsentem secundùm illud Apostoli primæ ad Tim. 4. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ, & hoc rationabiliter, qui enim est gratus beneficio meretur secundùm quamdam congruentiam, vt sibi beneficium conseruetur, propter ingratitudinem autem meretur aliquis beneficiū perdere, beneficium autem vitæ corporalis post Deum à Parentibus habèmus, & ideò ille, qui honorat Parentes, quasi beneficio gratus meretur vitæ conseruationem, qui autem non honorat Parentes tāquam ingratus meretur vita priuari, quia tamen præsentia bona, vel mala non cadunt sub merito, vel demerito nisi inquantùm ordinantur ad futuram remunerationem, ideò quandoque secundùm occultam rationem Diuinorum iudiciorū, quæ maximè futuram remunerationem respiciūt, aliqui, qui sunt pij in Parentes, citius vita priuantur, alij verò, qui sunt impij in Parentes, diutius viuunt. 2. 2. quæst. 122. art. 5. ad 4.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est, ille, qui honorat parentes, quasi benefitio gratus meretur vitæ conseruationem, qui autem non honorat parentes, tanquam ingratus meretur vita priuari. probatur primò auctoritate Apostoli. 1. ad Timoth. 4. secundò ratione, quia qui est gratus beneficio, meretur secundùm quandam congruentiam, vt sibi benefitium conseruetur, propter ingratitudinem autem meretur aliquis beneficiū perdere, sed benefitium vitæ corporalis post Deum à Parentibus habemus, ergo &c. secunda conclusio, quandoque secundùm occultam rationem Diuinorum iudiciorum, quæ maximè futuram remunerationem respiciunt, aliqui, qui sunt pij in parentes, citius vita priuantur, alij verò, qui sunt impij in parentes, diutius viuunt. probatur, quia præsentia bona, vel mala non cadunt sub merito, vel demerito, nisi inquantùm ordinantur ad futuram remunerationem.

Primam conclusionem aduertant filij parentibus inobedientes, secundā autem admirentur.

Qua-

Quæritur, an honor debeatur alijs.

5 Respondeo dicendum, quòd cultus, & officium, vt Tullius dicit, debetur omnibus sanguine, & Patriæ beneuolis, non tamen æqualiter omnibus, sed præcipuè parentibus, alijs autem secundùm propriã facultatem, & decentiam personarum. 2.2.q.101.a.2.ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. cultus, & offitium debetur omnibus sanguine iunctis, & Patriæ beneuolis, non tamen æqualitee omnibus, sed præcipuè Parentibus, alijs autem secundùm propriam facultatẽ, & decentiam personarum. probatur ex Tullio lib. 2. de inuentione.

Pertranseo, cum nil mihi occurat scribendũ.

Quæritur, an honor Deo debeatur.

6 Respondeo dicendum, quòd Deo ex hoc, quòd ex ipso, & per ipsum, & in ipsó sunt omnia, debetur honor, & reuerentia, & subiectio à tota creatura, Malachiæ primo, si ego Pater, vbi est honor meus? lect. 5. cap. 11. ad Romanos.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. Deo debetur honor, & reuerentia, & subiectio à tota creatura. probatur primò ex Malachiæ. 1. secundò quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.

Non immoror circa hanc doctrinam, cum nil mihi occurrat scribendum.

Quæritur, an honor debeatur Prælatis, & à quibus.

7 Respondeo dicendum, quòd duplex est debitum, vnum quidem legale, ad quod reddendum homo lege compellitur, & sic debet homo honorem, & cultum his, qui sunt in dignitate constituti; Prælationem super ipsum habentes; aliud autem est debitum morale, quod ex quadam honestate debetur, & hoc modo debemus cultum, & honorem his, qui sunt in dignitate constituti, etiam si non simus eis subiecti. 2.2.q. 102.artic. 1. ad 2.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione iuxta duplex membrum distinctionis, quæ est, quod duplex est debitum, vnum quidem legale, ad quod reddendũ homo lege compellitur; aliud autem est debitũ morale, quod ex quadã honestate debetur. prima conclusio. ex debito legali debet homo honorem, & cultum his, qui sunt in dignitate constituti, Prælationem super ipsum habentes. secũda conclusio. ex debito morali debemus cultum, & honorem his, qui sunt in dignitate constituti, etiam si non simus eis subiecti.

Circa hanc doctrinam obseruat Caietanus, quòd qui non honorat Præsidentes proprios honore debito, non solum peccat, sed etiam punitur per leges humanas, qui autem non honorat præsidentes extraneos, de quibus loquitur secunda conclusio, non punitur, quia talis honor non spectat ad legale debitum, est tamen talis honoris omissio quandoque peccatum, pro quanto quandoque præter morem est, & consequenter à morali debito declinat.

Quæritur, an Prælato existenti actu in peccato debeatur honor.

8 Respondeo dicendum, quòd Prælato, dum est in actu peccati, non debet exhiberi dulia, siue honor, quia apparet in eo aliquid honori contrarium, sed antè, vel post sibi dulia debet exhiberi, quia nescitur, in quo statu sit. 3. sentent. dist. nona quæst. 2. artic. 3. ad 2.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Prælato, dum est in actu peccati, non debet exhiberi dulia, siue honor. probatur, quia apparet in eo aliquid honori contrariũ. secunda conclusio. ante, vel post sibi dulia debet exhiberi. probatur, quia nescitur, in quo statu sit.

Primam conclusionem obseruent Prælati existentes in peccato mortali, de quo debet intelligi conclusio, aliter nullus Prælatus esset honore dignus, cum omnis Prælatus multis sit maculatus peccatis venialibus, nec tantùm præsumant de honore sibi exhibendo à subditis, tantùm abest, vt tales Prælati sint honore prosequendi, quin potius sunt acriter arguẽdi tanquam scandalosi, prælatione indigni; meminerint honorem esse Virtutis præmium, notent tamen subditi, quòd peccatum debet apparere in Prælatis, vt ab eis subtrahatur honor, idest debet constare euidentia facti, quòd Prælati sint in peccato mortali, vnde non sufficit suspicio, nec coniectura. qua etiã ratione Prælatus malus sit honorandus, in sequẽti explicabit D. Thomas quæsito.

Quæritur, qua ratione exhibeatur honor malis Prælatis.

9 Respondeo dicendum, quòd in Prælato duo possumus considerare, scilicet personam propriam, & dignitatem, secundùm quam est quædam persona publica, si ergo Prælatus sit malus ratione personæ suæ nõ est honorandus, quia, cum honor sit reuerentia alicui exhibita in testimonium Virtutis, falsum testimonium de eo proferret, si quis eum ratione propriæ personæ honoraret contra illud, quod dicitur Exodi 20. non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium; sed inquãtùm est persona

sona publica, sic gerit typum, & locum nō sui ipsius, sed alterius scilicet Christi in Ecclesia, vel Reipublicæ, vt Dominus in sæcularibus dignitatibus, & sic valor eius nō computatur secundùm personam, sed secundùm eum, cuius loco præsidet, & ita est ei honor exhibendus non propter se, sed propter eum, cuius locum obtinet, sicut adoratio imaginis refertur ad prototypū, vt dicit Damascenus, vndè & malus Prælatus Idolo comparatur Zacariæ 11. ò Pastor, & Idolum derelinquens gregē. quodlibeto 8.a.7.(2.2. q.63.a. 3. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione iuxta duplex membrum distinctionis, quæ est. in Prælato duo possumus considerare, scilicet personam propriam, & dignitatem, secundùm quām est quædam persona publica. prima conclusio. si Prælatus sit malus ratione personæ suæ, non est honorādus. probatur, quia cum honor sit reuerentia alicui exhibita in testimonium Virtutis, falsum testimoniū de eo proferret, si quis eum ratione propriæ personæ honoraret cōtra illud, quod dicitur Exodi 20. non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. secunda conclusio. Prælato malo exhibendus est honor nō propter se, sed propter eum, cuius locum obtinet. probatur dupliciter, & primò quia inquantùm est persona publica, gerit typum, & locum non sui ipsius, sed alterius, scilicet Christi in Ecclesia, vel Republica, vt Dominus in sæcularibus dignitatib⁹, & sic valor eius non computatur secundùm personam, sed secundùm eum, cuius loco præsidet. secundò quia sic etiam adoratio imaginis refertur ad prototypum, vt dicit Damascenus, vnde & malus Prælatus idolo comparatur, vt habetur Zacariæ. 11. vt in littera.

Ex hoc loco ergo habemus honorem esse exhibendum Prælato malo, vt vicem gerenti Dei, & Christi in Ecclesia, si sit Prælatus Ecclesiasticus, vel Reipublicæ, si sit Prælatus sæcularis. omnes ergo Prælati, siue boni, siue mali sunt honorandi, boni quidem sunt honorandi duplici ratione, nempe ratione personæ Virtute præditæ, & ratione dignitatis, qua vicemgerunt alterius, mali autem sunt honorandi ratione dignitatis tantū.

Quæritur, an honor debeatur Diuitibus.

10 Respondeo dicēdum, quòd est duplex honor, vnus, qui debetur alicui ratione sui ipsius propter ipsam Virtutem, sicut est commendatio, inuitatio, & huiusmodi, & adhunc honorem diuitię nihil faciunt, vndè si talis honor alicui propter diuitias exhibeatur, erit acceptio personarum; alius honor alicui debetur secundùm statum, quem habet in Republica, sic enim in persona Respublica honoratur, & propter hoc Reges, & Princeps, & huiusmodi personæ honorantur secundùm illud primæ Petri 4. Regem honorificatæ, & quia in terrena Republica diuites statum obtinent altiorem, ciues ideò debent eis, inter quos conuersantur, morem gerere, vt Augustinus dicit in lib. de Ciuit. Dei, in his, quæ non sunt contra Deum, & sic etiam diuites honorare illis duntaxat honoribus, qui ad exteriorem conuictum pertinent, licitum est. quodlibeto 10. artic. 12. (2.2. quæst. 63. artic. 3. in corp.

Data distinctione respondet D. Thomas huic quæsito duplici conclusione iuxta duplex membrum distinctionis, quæ est. quòd duplex est honor, vnus, qui debetur alicui ratione sui ipsius propter ipsam Virtutem; alius honor alicui debetur secundùm statum, quē habet in Republica. prima conclusio. si primus honor alicui propter diuitias exhibeatur, erit acceptio personarum. probatur, quia ad hunc honorem diuitiæ nihil faciunt. secunda conclusio. licitum est diuites honorare illis duntaxat honoribus, qui ad exteriorem conuictum pertinent. probatur, quia in terrena Republica diuites statum obtinent altiorem, ideò ciues debent eis, inter quos conuersantur, morem gerere, vt Augustinus dicit in lib. de Ciuit. Dei in his, quæ non sunt contra Deū.

Summa huius doctrinæ est, quòd diuites honorandi sunt propter hoc, quòd maiorem locum in Communitatibus obtinent, non autem intuitu diuitiarum, aliter erit peccatum acceptionis personarum.

Quæritur, an peccatoribus debeatur honor.

11 Respondeo dicendum, quòd cum honor non debeatur nisi rebus Diuinis, non debetur propriè, & directè nisi habē i Gratiam, & Virtutem, quæ Diuinos facit, sed habet aliquis Virtutem multipliciter, vel sicut actu virtuosus, & huic directè debetur, & propriè, & secundùm se honor, vel sicut habens aptitudinem naturalem ad Virtutem, & sic cuilibet habenti imaginem est exhibendus honor, nisi sit confirmatus in malo, quia ligatus est in illo ordo ad Virtutem, vel sicut ordinatus ad inducendum Virtutem, & sic debetur omnibus Prælatis, qui ad hoc ordinati sunt, vt alios dirigant in Virtutem. 3. sent. d. nona. quæst. 2. art. 3. in corp.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. non debetur propriè, & directè honor nisi habenti Gratiā, & Virtutem, quæ Diuinos facit. probatur, quia honor non debetur nisi rebus Diuinis. secunda con-

conclusio. Virtuoso actu directè debetur,& propriè, & secundũ se honor. probatur, quia honor non debetur directè, & propriè nisi habẽti Gratiam, & Virtutem, ergo virtuoso actu debetur honor. tertia conclusio, cuilibet habenti imaginem est exhibendus honor, nisi sit confirmatus in malo. probatur prima pars, quia honor debetur habenti Virtutem,ergo habenti aptitudinem ad Virtutem debetur honor, ergo cuilibet habẽti imaginem est exhibendus honor. probatur secunda pars, quia ligatus est in illo ordo ad Virtutem. quarta cõclusio. Prælatis debetur honor tanquam ordinatis ad inducendum Virtutem. probatur, quia ad hoc ordinati sunt, vt alios dirigant in Virtutem.

Non immoror circa hoc quæsitum, cum nihil mihi occurrat scribendum.

Quæritur, quis secundùm veritatem sit honorandus.

12 Respondeo dicendũ, quòd secundùm veritatem solus bonus est honorandus, bonus autem est aliquis secũdùm Virtutẽ, 2.2. q. 145. artic. 1. ad 2.

Quòd secundùm veritatem solus bonus est honorandus, & quòd bonus est aliquis secundùm Virtutem, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Ex hoc loco habemus solum virtuosum esse honorandum, loquendo de virtuoso secundùm Virtutes morales, quę scilicet faciunt bonũ habentẽ.

HORAE CANONICAE.

De requisitis ad horas canonicas. Cap. I.

1 *In septem horas canonicas Diuinum officium diuiditur.*

Sacerdos tenetur septem horas canonicas recitare quolibet die.

Infirmus excusatur à recitando horas canonicas.

Qui horis debitis non potest recitare horas canonicas, recitet eas alio tempore.

§ *Horæ canonicæ sunt septẽ, non autẽ octo, & quare.*

Soluuntur argumenta opinantium contrarium.

Tenetur Sacerdos ex iure Ecclesiastico dicere horas canonicas, non autem ex iure Diuino, & naturali.

Horæ competentes ad recitandum horas canonicas quæ.

Recitans priuatim horas canonicas potest simul eas dicere de mane, vel de sero.

Melius est eas anticipare, quàm tardare, & consuliter præuenire in recitando eas.

Dum recitantur publicè, possunt simul dici prima, tertia, sexta, nona de mane; vespera, & completorium post prandium, & in harum recitatione horarum standum est consuetudini.

Si debitis horis offitium non dicatur, non est peccatum mortale, & satisfit obligationi de recitandis horis canonicis.

Soluuntur rationes opinantium contrarium.

Circa tempus recitandi horas canonicas seruetur consuetudo laudabilis patriæ suæ, vel regulæ.

Excusatur quis à recitatione horarum canonicarũ ex infirmitate graui, non autem leui.

Non tenetur ægrotus transacta infirmitate recitare horas omissas.

Ægrotus non tenetur supplere per alium.

Quando non teneatur ægrotus persoluere offitium, consulat Medicum, vel virum probum.

Si Medicus circa hoc dubitet, ægrotus non tenetur ad illas.

Quando ægrotus non potest recitare offitium, non tenetur illud audire.

Grauis, & honesta, & necessaria occupatio excusat à recitatione offitij, si tamen absque scãdalo &c. nõ possit in aliud tempus differri.

Si recitatio offitij Diuini possit anticipari, ad hoc tenentur.

Impotentia excusat à persoluẽdis horis canonicis.

Cæcus, licet memoria teneat psalmos, nõ tenetur illos recitare, & quare.

Dispensatio Papæ à recitatione offitij excusat ab offitio Diuino, licet sit facta absq; causa.

Carentia fructuum excusat ab offitio Diuino.

Si tamen beneficiarius esset in sacris, ad illud tenetur ex vi sacri Ordinis, non ex vi beneficij.

Ad offitium tenetur beneficiarius, quando beneficium non reddit fructus ex culpa beneficiarij.

Ignorãtia probabilis legis excusat à Diuino offitio, non autem ignorantia crassa.

Obliuio item excusat, si tamen ex culpa propria nõ contingat.

2 *Seruandus est modus, & ordo in Diuino officio recitãdo conformis Matrici Ecclesiæ.*

Diebus Dominicis recitantur decem, & octo psalmi, nouem lectiones.

Quot psalmi, & lectiones in quibusdam alijs diebus recitari debeãt.

§ *In modo offitiãdi conformare nos debemus Matrici Ecclesiæ, si eodem vtantur breuiario cætera Ecclesiæ.*

Ordo recitandi horas canonicas describitur.

Non seruans hunc ordinem non peccat mortaliter, nec tenetur repetere, sed peccat venialiter.

Si qui sine rationabili causa peruertũt ordinem horarum, grauiter venialiter peccant.

Non peccat mortaliter, qui mutat offitium de feria in offitium de Sanctis, erit tamen veniale graue.

Nullum erit peccatũ, si fiat ob bonum finem.

Non peccat, qui recitat offitium secundùm ritum Monachalem, licet deberet illud recitare secũdùm ritum Romanum, nisi ad hoc astringatur præcepto aliquo.

Deciduntur quinque casus, & qui.

Quintus casus explicatur, & deffenditur.

Varians ordinem horarum publicè recitendarum peccat mortaliter.

Recitãs priuatim horam ordine inuerso peccat mortaliter, si fiat absque rationabili causa.

Recitare horam publicè inuerso ordine ex rationabili causa nullum est peccatum.

Decem, & octo psalmi dicuntur die Dominico, si

fiat

fiat offitium de Dominica, non autem si fiat de Sancto, vel Sancta, vel aliqua in ea occurrat solemnitas.

2 *Seruandus est modus, & ordo in Diuino offitio recitando conformis Matrici Ecclesiæ.*

Diebus Dominicis recitantur decem, & octo psalmi, nouem lectiones.

Quot psalmi, & lectiones in quibusdam alijs diebus recitari debeant.

3 *Attentio actualis aliquo modo requiritur ad orationem.*

Requiritur necessariò attentio virtualis.

In quo consistat attẽtio virtualis.

§ *Duplex necessarium ad finem.*

Duplex orationis effectus & qui.

Triplex attentio, & quæ, & quid sint.

Attentio in oratione ad tria terminari potest, & quæ.

Orationum aliæ sunt in præcepto, aliæ ex deuotione.

Attentio actualis est necessaria ad bene esse in omni oratione.

Attentio actualis non est necessaria simpliciter in tota oratione.

Ad habendam mentis spiritualem refectionem necessaria simpliciter est attentio, quæ sit totius orationis indiuiduus comes.

Attentio habitualis non sufficit nedum ad consequendum effectus orationis, sed nec ad satisfaciendum.

Attentio virtualis sufficit in omni oratione ad merendum, & impetrandum.

Vt offitium deuotè recitetur, requiritur attẽtio siue ad verba, siue ad verborũ sensa, siue ad Deũ etc.

Horæ canonicæ recitandæ sunt deuotè, & studiosè.

Quid sit deuotè, & studiosè recitare offitium Diuinum, explicatur.

Qui dimittit, vel mutilat verba, peccat mortaliter, vel venialiter iuxta quantitatem verborum omissorum.

Mutilans sillabas peccat tantùm venialiter.

Vt studiosè recitetur offitium Diuinum, requiritur, vt recitetur sine interruptione partium vnius, & eiusdem horæ, & oppositum faciens nõ satisfacit præcepto.

Soluũtur obiectiones cuiusdam oppositũ sentientis.

Requiritur in offitio Diuino interior attentio, nec sufficit exterior tantùm.

Soluuntur argumenta opinantium cõtrarium.

Qui preces fundit ex deuotione, peccat venialiter, si sine attentione eas facit.

Recitãs horas canonicas sine attẽtione peccat mortaliter, nisi excusetur ob paruitatẽ materiæ.

Recitans psalmum non animo orãdi, sed vt abstrahat mentem à molestis cogitationibus &c. non peccat, & quare.

Notatur oratio, per quam recitatam Leo Decimus indulget remissionem negligentiarum in offitio admissarum.

4 *Potest quis attendere in oratione ad verba, ad petitionem ipsam, & ad ea, quæ petitionem circũstant, & ad alia huiusmodi.*

Vltima attentio est laudabilior, quàm secunda, & secunda, quàm prima.

Prima attentio potest nocere, si auferat secundam, secunda si auferat tertiam.

Attentio absolutè non nocet, sed multũ prodest.

§ *Bartholomeus Medina quomodo vocet tres attentiones.*

Idiotæ nõ excusantur, si nõ attẽdant in oratione.

5 *Horæ canonicæ sunt recitãdæ in Ecclesia, si potest fieri.*

Aliter possunt vbique recitari.

§ *Horæ canonicæ sunt recitãdæ à deputatis Choro.*

Deputati Choro nõ possunt percipere distributiones, si in choro non recitent horas.

Quid nomine Chori intelligatur.

Non deputati Choro vbique recitare possunt horas canonicas.

Laudabile est, vt isti domi habeant locum secretũ, in quo suas recitent horas.

6 *In matutinis persoluendis, & alijs horis recitãdis, non licet tempus præuenire ab lasciuiam.*

Licet in horis canonicis recitandis præuenire tempus propter necessitatem aliquam.

§ *Horæ canonicæ desumunt suam denominationem à tempore, quo debent recitari.*

Tempus matutini quod sit.

Tempus recitandĩ totum offitium quod sit.

Matutinum potest recitari à priuatim dicente offitium tribus horis ante occasum Solis diei antecedentis, & quare.

7 *Dies quo ad contractus incipit à media nocte.*

Dies quo ad solemnitates incipit à vesperis.

Licet post vesperas, & completorium dicere matutinum sequentis diei.

§ *A quo tempore sint colenda festa de præcepto.*

Vesperæ primæ pertinẽt ad integritatem offitij illius diei, sicut secundæ ad complementum offitij diei sequentis.

8 *Si quis vadit ad Ecclesiam principaliter propter distributiones, quas recipit sicut finem sui operis principaliter intentum, peccat mortaliter, & simoniam committit.*

Qui pergit ad Ecclesiam propter distributiones secundariò, nõ peccat, nec simoniam committit.

§ *Nomine distributionum quid intelligatur.*

Distributiones vocãtur etiam portiones quotidianæ, victualia, vestuaria, & quare.

Quæritur, in quot horas canonicas diuidatur Diuinum officium, & quando debeant recitari.

1 RESpondeo dicendum, quòd Diuina officia in septem horas canonicas distinguuntur, scilicet Matutinũ, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium: has septẽ horas debet Sacerdos quolibet die Domino reddere horis competentibus, vt 91. dist. Presbyter mane, & extra de celebratione Miss. Presbyter, nisi esset infirmus, in quo casu excusatur. 91. dist. Clericus victum, ex quo patet, quòd non debet miscere ho-

ras sub vna oratione, sicut quidam faciũt, & malè, sed singulas horas dicat, & distinctè: si verò iusto impedimẽto detentas horis competentibus non possit reddere, reddat postea, quando poterit. art. de do. & contu. cum dilecti. opusc. 65. cap. 1.

Quadruplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Diuina officia in septem horas canonicas diuiduntur, scilicet Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonã, Vesperas, & Completorium. secunda conclusio. has septem horas debet Sacerdos quolibet die Domino reddere horis competentibus. probatur ex q. 1. dist. Præsbyter mane. & extra, de celebrat. Miss. Præsbyter. tertia conclusio. quando est impeditus, excusatur. probatur ex quæst. 1. Clericus victum. hinc elicit corrolarium, quòd non debet miscere horas sub vna oratione, sicut quidam faciunt, & malè, sed singulas horas dicat, & distinctè. quarta conclusio. si iusto impedimento detentus horis competentibus non possit reddere, reddat postea, quando poterit. probatur ex ar. de do. & contu. cum dilecti.

Circa primam conclusionem est controuersia, an horæ canonicæ sint septem, vel octo. D. Antoninus 3. p. tit. 9. ca. 12 § 1. quem sequitur Nauarrus c. 3. de horis canonicis. nu. 27. Rodriquez in summa p. p. c. 140. num. 1. asserit horas canonicas esse octo, vltra enim prædictas enumerat Laudes. D. Thomas hoc in loco, quem sequitur Dominicus Sotus lib. 10. de iust. & iure. q. 5. ar. 1. Siluester verb. hora in principio. Caietanus in summula verb. quid dicendum pro horis canonicis. Tabiena verb. horæ canonicæ in principio. Armilla eodem verb. n. 1. & alij, docet esse tantum septem, & hæc est communior sententia, quã etiam his comprobo rationibus, quarum prima est, quia horæ canonicæ sicut institutionem habent ab Ecclesia, ita & numerum, sed Ecclesia instituit tantùm septem horas canonicas, vt patet ex cap. 1. de celebrat. Missarum ex Clement. 1. de reliq. & venerat. Sanctorum. & ex Breuiarijs, in quibus septem nuncupantur horæ. secunda est, quia horæ cànonicæ sunt institutæ ad significandum mundi creationem, sed mundi creatio completa fuit septem diebus, ergò &c. tertia est, quia horæ canonicæ sunt institutæ exemplo Dauidis, sed Dauid tantùm septies in die fatetur laudasse Deum iuxta illud, septies in die laudem dixi tibi. quarta est, horæ canonicæ institutæ sunt ad recolendum passionem Christi, sed passio Christi septem præcipuis misterijs continetur, ergo &c. probatur minor ex illis versibus.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputis. causam dat Tertia mortis;
Sexta Cruci nectit, latus eius Nona bipertit;
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

Quinta quia numerus septenarius est perfectus; septem sunt ætates hominis, in quibus omnibus Deus est laudandus; septem mundi ætates; septẽ Dona Spiritus sancti. nunc superest soluere argumenta opinantium contrarium, quorum primum est, quia matutinũ à laudibus distinguitur, & matutinum, & laudes duas horas constituunt, & reliquæ horæ sunt sex, ergo &c. secundum est, quia sicut distinctio numerica motuum in physicis desumitur à diuersitate temporis, ita etiam distinctio numerica horarum canonicarum desumenda videtur ab horis, seu temporibus, quib' horæ persolui possunt, sed matutinum diuerso tempore persolui potest à laudibus, ergo matutinum à laudibus distinguitur, ergo matutinum, & laudes sunt duæ horæ canonicæ, ergo sunt octo horæ canonicæ. tertium est, quia horæ canonicę ab Ecclesia institutæ sunt exemplo Dauid, sed Dauid octies ad Deum preces fundebat, Deum enim laudabat media nocte iuxta illud, media nocte surgebam ad confitendum tibi, & septies in die iuxta illud, septies in die laudem dixi tibi, ergo negandum non est, quin octo sint horæ canonicæ. ad primum respondetur negando, quòd matutinum, & laudes duas constituant horas, immò vnam tantùm constituunt horam, quæ vocatur matutinum, in cuius signum nocturni simul cum laudibus recitantur. ad secundum respondetur negando, quòd matutinum, & laudes diuerso tempore persolui possint per se loquendo sine peccato veniali saltem, per accidens autem poterunt diuerso tempore persolui, vt si aliquis recitato matutino aliquo impediretur negotio, quo non posset cõtinuare laudes, sed ea, quę sunt per accidens, ab arte relinquenda sunt. Garzias de benefic. 3. p. c. 1. nu. 224 secundò respondetur, quòd ex hoc quòd matutinum, & laudes diuerso possunt persolui tẽpore, non sequitur, quòd duas constituãt horas, quia antiquitus nocturna diuersis temporibus recitabantur, nunc etiam in aliquibus locis nocturna offitij mortuorum diuersis temporibus persoluuntur, & tamen non constituunt diuersas horas canonicas. ad tertiũ respondetur, quòd locus ille Dauidis, septies in die laudem dixi tibi, intelligitur de die naturali, non autem de artificiali, qui dies naturalis complectitur noctem, & diem artificialem, qui incipit ab ortu solis, & definit in occasu, vnde quando alio loco dicebat, media nocte surgebã &c. illa nox erat pars diei naturalis, & illud tẽpus computatur inter septem vices, quibus laudem dicebat Deo.

Circa secundam conclusionem, qua dicitur, septem horas debet Sacerdos quolibet die Domino reddere horis competentibus, notentur singulæ particulæ, dicitur ergo, quòd debet Sacerdos &c. debet, inquam, ex iure Ecclesiastico, nõ autem ex iure naturali, aut Diuino, Ius enim Diuinum, vel naturale non præscribit tempus, nec certam orationis formam; nec ex sacra scriptura, aut Ecclesiæ traditione, aut ex Sanctorum Patrũ testimonio colligitur, horas canonicas iure Diuino institutas esse; & vlterius si iure Diuino institutæ essent, Papa non posset aliquem eximere ab onere recitandi illas, quia non habet potestatẽ super ius Diuinum, quod tamen est falsum. debet ergo ex iure Ecclesiastico, vnde vocantur communiter horæ canonicæ, quia per sacros canones

nes ſunt præſcriptæ. quòd autem ſingulis diebus ſint recitandæ, patet ex c. dolentes, de celebrat. Miſſ. ex Concilio Lateranenſi, & ex Bulla Pij V. circa horas competentes aduerte, quod horæ competentes recitandi horas canonicas ſunt tẽpora ſignificata per nomina illarum canonicarũ precum. tempus recitandi matutinum eſt ab occaſu præcedentis diei vſque ad mane ſequentis diei, in cuius ſignum aliqui recitant matutinum de ſero, alij media nocte, & tandẽ alij de mane. tempus perſoluendi Primam eſt in ortu ſolis, vnde in hymno Primæ dicitur, iã lucis orto ſidere. tẽpus Tertię eſt aliquantò poſt ortum ſolis; Sextę propè prandium, Nona, Veſperę poſt prandium, Completorium propè noctẽ recitantur. tempus hoc debet obſeruari nedum in recitatione horarum canonicarum publicè, & in Choro, ſed etiã in recitatione priuatim facta. eſt tamen hoc diſcrimen inter perſolutionem horarum priuatim, & publicè fiendam, quòd priuatim recitans horas poteſt iuſta de cauſa omnes horas ſimul recitare mane, vel de ſero, anticipare eas, vel tardare, & melius eſſet anticipare, quàm tardare, cum primum ſit viri diligentis proprium, ſecundum autem arguat negligẽtiam, & tardatio aliquando exponatur periculo non perſoluendi horas canonicas. Iuſta cauſa eſt maior deuotio, occupatio in negotijs, itineris aggreſſio, & huiuſmodi. his ergo de cauſis licebit præuenire, immò conſulitur à iure in ca. Præsbyter, vt ſcilicet mane dicantur horę vſque ad Veſperas incluſiuè; qui autem tardat recitare horas canonicas, & ſtatis non poteſt perſoluere temporibus eas ob occupationes, licet excuſetur, vt dicit tertia concluſio, recitet tamen eas, quando poterit, vt dicit quarta concluſio. quando autẽ publicè, & in choro debent perſolui, horis competentibus hoc debet præſtari, poſſunt tamen ſimul recitari Prima, Tertia, Sexta, Nona de mane, Veſperę autem, & Completorium ſimul poſt prandium, & hęc conſuetudo ferè ab omnibus obſeruatur, cui conſuetudini ſtãdum eſſe aſſerit Caietanus in ſummula verb. quando horæ canonicæ &c. qui etiam ſubiungit, quòd licet ſancitum ſit in iure, vt horis debitis in Eccleſijs Catedralibus, & Collegialibus horæ dicantur, ſi tamen oppoſitum obſeruetur, nullum erit peccatum mortale, & obligationi recitandi horas canonicas erit ſatisfactum, licet recentiores aliqui cõtrarium aſſerant, vt Nauarrus cap. 3. de oratione, Reginaldus lib. 18. n. 180. Leſſius lib. 2. cap. 37. dub. 12. quibus adiungitur Azorius lib. 10. cap. 9. quæſit. 1. Filiucius tract. 23. cap. 6. quæſito 12. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 15. hi docent eum, qui publicè recitat horas canonicas non ſtatutis temporibus, peccare mortaliter, nec ſuæ ſatisfacere obligationi. mouentur autem his rationibus, quarum primã eſt, quia tempus recitandi officium in Choro ab Eccleſia præſcriptum eſt, vt populus officio aſſiſtere poſſit, & hæc videtur res grauis, & pertinens ad publicam vtilitatem, & ad commune bonum, ergo &c. ſecunda eſt, quia ex cap. 1. de celeb. Miſſ. conſtat, certis diei horis recitandum eſſe Diuinũ officium ſub pæna excomunicationis. tenendum tamen eſſe cum Caietano ego cenſeo, nempe cũ, qui ſtatutis horis non recitat officium Diuinum, non peccare mortaliter, & ſuæ ſatisfacere obligationi, quod his approbo rationibus, quarum prima eſt, quia, vt euitetur peccatum mortale, & ſatisfiat obligationi de recitandis horis canonicis, ſufficit, vt offitium recitetur quo ad ſubſtantiam, quæ conſiſtit in ſeptem horis canonicis. ſecunda eſt, qui in recitando Diuino offitio ordinẽ non ſeruat, non peccat mortaliter, & ſuæ ſatisfacit obligationi, ergo & qui horas canonicas recitat tempore non debito, ſequela patet, quia ordo eſt circonſtantia grauior, quàm circonſtantia temporis. tertia eſt, quia non primariò talis circonſtantia temporis cadit ſub præcepto, ſed ſecundariò, quamuis poſſit de ea primariò fieri præceptum. Clement. 1. de celeb. Miſſarum. quibus addo, quòd ſi peccatum interuenit, potius imputatur ſuperiori, quã ſubditis, ſuperior enim ſuo fungi debet munere, & ſubditi tenentur obedire. ad primam rationem in contrarium reſpõdetur, quod licet tempus recitandi horas canonicas ſit præſcriptum ab Eccleſia non tamen pręcipitur ſub reatu peccati mortalis, nec exprimitur, quòd talis ſuæ non ſatisfaciat obligationi: dato etiam, quòd tempus præſcribatur, vt populus poſſit conuenire ad officium Diuinum, & eo frui, attamen hoc non obligat ſub mortali, & anticipatio officij, vel tardatio maioris concurſus populi cauſa plerumque poſſit eſſe. ad ſecundum reſpondetur, quòd eo loci non præcipitur ſubditis, ſed ſuperioribus, vt cogant ſubditos, etiam ſub pænis cenſurarum ad recitandum ſtatis horis Diuinum offitium. circa ergo tempus perſoluendi horas canonicas ſeruetur laudabilis conſuetudo ſuæ Patriæ, vel Regulæ ſuæ, vt ait Silueſter verb. hora. q. nona. quod dicit propter Religioſos regulares aliquos, quibus ex regula ſua quibuſdam horis peculiaribus ſuas perſoluunt horas canonicas.

Occaſione tertię concluſionis agendum eſt de cauſis excuſantibus à recitatione horarum canonicarum. hoc in loco adducitur vna, nempe infirmitas, & profectò infirmitas grauis, ob quam recitatio horarum valdè noceret valetudini corporis, iuſtam prebet cauſam excuſationis à Diuini offitij recitatione, ſic enim colligitur ex ca. Clericus victum. diſt. 91. & ratio id ſuadet, quia credibile non eſt, Eccleſiam velle cum tanto incommodo obligare Eccleſiaſticos: debet tamen eſſe grauis infirmitas, leuis enim non excuſat; cũ enim hæc obligatio recitandi horas ſtrictiſſima ſit, non excuſabit quælibet leuis infirmitas, vt febris quartana, vt ait Silueſter verb. hora. qu. 4. tranſacta infirmitate nõ tenebitur recitare omiſſas horas, vt loco citato ait Silueſter, & ratio eſt, quia onus recitandi offitium eſt affixũ diei, obligatio autem affixa diei tranſit cum ipſo die. turſus cum obligatio recitãdi officium ſit perſonalis, non tenebitur ſupplere per alium, qui per ſe ipſum non poteſt. quando autem non teneatur recitare horas canonicas infirmus, conſulat Medicum

cum

cum prudentem, vel virum prudẽtem, vt ait Silueſter verb. hora. qu. 4. ſi Medicus dubitaret, an eſſet grauis, vel leuis infirmitas, ægrotus non tenetur illas recitare, quia non tenetur ſe periculo grauis damni exponere, quidquid in contrariũ dicat Suarez; ſi vero periculum ſit tantummodo leuis damni, ægrotus tenetur recitare, quia poſſeſſio ſtat pro præcepto, quod obligat cum leui incommodo. quando etiam ægrotus non poteſt recitare Diuinum officium, non tenetur illud audire, vt ait loco citato Silueſter, & ratio id ſuadet, quia id nullo iure cauetur. Grauis etiam occupatio honeſta, & neceſſaria, quæ in aliud tẽpus differri non poſſit abſque ſcandalo, vel peccato, vel detrimento ſui, vel proximi, excuſat à recitatione Diuini officij, præſumitur enim, quòd benigna Mater Eccleſia cum tanto grauamine non intendat obligare ad hoc onus Eccleſiaſticos. hinc excuſari poſſunt Cõcionatores, Confeſſarij &c. ſi tamen recitatio horarum poſſit anticipari, ad hoc tenerentur. Impotentia item excuſat à perſoluendo officio, vt carentia Breuiarij, impoſſibilium enim non eſt obligatiõ; cæcitas item totalis, aut talis, quæ legere non permittat; & licet talis cæcus memoriæ teneat pſalmos, non tenetur tamen ad illos, quia non ſunt horæ canonicæ, Eccleſia autẽ obligat ad horas canonicas. Diſpenſatio item Papæ excuſat ab hoc onere, cũ Papa in hoc diſpenſare poſſit, licet etiam diſpenſatio ſit facta ſine cauſa, quia in his, quæ ſunt de iure poſitiuo, validè diſpenſare poteſt Papa ſine cauſa. Carentia etiam fructuum excuſat à recitatione horarum, quando ſcilicet beneficiarius non percipit, nec percepturus eſt fructus beneficij per ſe, aut per alium, quia Altari ſeruire non tenetur, qui de Altari non viuit; vlterius qui cõmodum non ſentit, nec incommodum ſentire debet; ſi tamen eſſet in ſacris, tenetur illud recitare ex vi Ordinis ſacri, licet non ex vi beneficij quãdo tamen ſine ſua culpa, & defectũ beneficium nõ reddat fructus. Ignorãtia item probabilis legis excuſat à Diuino officio recitando, non autem ignorantia craſſa, & vincibilis. obliuio item excuſat, cum hæc comparetur ignorantiæ inuincibili, ſi tamen obliuio ex culpa propria non contingerit.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauſerunt, quę docent Valentia 22. tom. 3. diſp. 7. q. 2. p. 10. §. quo tempore. Toletus lib. 2. cap. 13. num. 7. & c. 14. num. 1. & 2. & alij.

Quæritur, quomodo, & quo ordine debeat recitari officium.

2 Reſpondeo dicendum, quòd in modo, & ordine officiandi quælibet Eccleſia ſe conformare debet Eccleſiæ matrici, ideſt Metropoli, vt de conſecrat. diſt. 2. Inſtitutio, & 22. diſt. de his. diebus tamen Dominicis decem, & octo pſalmos, & nouem lectiones, & nouem pſalmos dicimus; alijs diebus minus ſolemnibus, & pro feſtis duodecim pſalmos, & tres lectiones. In ſeptimana verò Paſchali, & in ſeptimana Pentecoſtes tres pſalmos, & tres lectiones celebrare volunt non ex regula Sanctorum Patrum, ſed ex faſtidio, & negligentia probantur hoc facere. opuſculo 61. c. 1.

Duplici concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. in modo, & ordine officiandi quælibet Eccleſia ſe conformare debet Eccleſiæ matrici ideſt Metropoli. probatur vt de conſecrat. diſt. 2. inſtitutio. & 22. diſt. de his. ſecunda concluſio eſt. diebus dominicis decem, & octo pſalmos, & nouem lectiones, & nouem pſalmos dicimus, alijs diebus minus ſolemnibus, & profeſtis duodecim pſalmos, & tres lectiones. In ſeptimana Paſchali, & in ſeptimana Pentecoſtes tres pſalmos, & tres lectiones celebrare volunt non ex regula Sanctorum Patrum, ſed ex faſtidio, & negligentia probantur.

Circa modum, & ordinem officiandi aduerte, quòd quælibet Eccleſia ſe debet cõformare matrici Eccleſiæ, ideſt metropolitanæ, ſi vno, & eodem vtuntur breuiario, quod dico propter Eccleſias aliquas, quæ Metropolitanæ Mediolani ſubduntur, iſtæ enim Eccleſiæ vtuntur breuiario Romano, non autem Ambroſiano, quo nec omnes Eccleſiæ Diocæſis vtuntur, vt Eccleſia Modoetiæ breuiario vtitur Romano, licet ſubdatur Metropolitanæ Mediolani. hiſce etiam temporibus Eccleſia Comenſis in officiando non vtitur breuiario Patriarchali, licet ſubdatur Patriarchæ Aquileæ, olim tamen, etiã temporibus meis Patriarchali vtebatur breuiario. debent etiam ſe conformare in modo recitandi officium Eccleſiæ Metropolitanæ Eccleſiaſtici, niſi ex priuilegio Pontificio modum habeãt peculiarem in officiando, vt Patres Ordinis Prædicatorum, qui proprio fruuntur breuiario, & aliqui alij Regulares.

Occaſione huius doctrinæ agendum eſt de ordine, quo horæ debent recitari canonicæ, & dicimus, horas canonicas debere recitari iuxta ordinem ab Eccleſia præſtitutum, qui eſt, vt prius matutinum cum laudibus perſoluatur, deinde Prima, poſtea Tertia, deinde Sexta, poſtea Nona, Veſperæ deinde, & vltimò Completorium, vt habetur cap. Præsbit. 91. diſt. & cap. 1. de celebrat. Miſſ. nota tamen, quòd qui aduertenter, & ſine iuſta cauſa mutaret ordinem horarum, vt recitando nonam ante ſextam, perſoluendo Veſperas ante primam, non peccaret mortaliter, ſed tantùm venialiter, nec tenetur repetere. quòd non peccet mortaliter, ſuadetur ex hoc quòd adimplet præceptum quo ad ſubſtantiam, & conſequenter non tenebitur repetere. quod autem peccet venialiter, ſuadetur ex hoc, quòd variat ordinem, qui eſt accidentale quoddam officij Diuini; immò nec peccabit venialiter, ſi id faciat iuſta de cauſa, quia ex hoc quòd iuſta de cauſa variatur, prudenter, & rationabiliter fieri cenſetur. hinc patet, malè dixiſſe Vaſquez de benef. c. 4. §. 1. art. 2. num. 66. dum putat, eum, qui ſæpiſſimè

pissimè ordinem horarum inuertit, peccare mortaliter, quod vtique est falsum, & contra communem opinionem. Caietanus in summula verb. quid dicendum pro horis canonicis. Siluester verb. hora. q. nona. Armilla verb. horæ canonicæ. num. 15. quę opinio rationi inhæret, quia substantia præcepti consistit in hoc, quòd dicantur horæ canonicæ, & non consistit in qualitate, aut ordine. vlterius non est putandum, interuenire peccatum in transgressione illius, quod accidentarium est. qui tamen absque rationabili causa huiusmodi mutationem ad libitum faciunt, grauiter venialiter peccant, vt loco citato docet Caietanus, sicut eadem de causa peccaret grauiter, qui mutaret officium de feria in officium de Sanctis, & maximè si hoc faciat ad euitandum laborem, non tamen peccaret mortaliter. si autem id faciat, vt operibus vtilioribus intendat, puta Prædicationi, Confessionum audientiæ, studio, nullum erit peccatum. similiter non peccat, qui persoluit officium juxta ritum Monachalem, cum deberet illud recitare secundùm ritum Romanū, vt loco citato ait Caietanus, quod intellige, nisi obstet præceptum aliquod, quo aliquis adstringatur ad tale officium persoluēdum, sicut fratres Minoritæ non possunt persoluere officium juxta ritum Monachalem, cum præcepto obligentur ad recitandum officium Romanum. ex his resoluuntur plures casus, quorum primus ponitur à Siluestro verb. hora. q. nona. § quartum. quem sequitur Toletus lib. 2. cap. 13. num. 4. Nauarrus de oratione cap. 21. num. 59. Lessius lib. 2. cap. 37. dub. 12. Rodriquez p. p cap. 142. n. 4. Suarez tom. 2. de Religione cap. 24. num. 4. & alij, vt si quis in adiutorium Chori recitet vnam horam non recitata priori, puta recitet primam nō persoluto matutino, vel recitet vesperas non persolutis sexta, & nona, non peccat, quia adest sufficiens causa, nempe adiutorium Chori, nisi tamē præcessisset negligentia in dicendo, quod chorus dixit, quia sufficit semel dixisse, etiam ordine postposito, vt ait Paludanus citatus ab eodem Siluestro, & ratio id suadet, quia ordo non est in pręcepto, nisi in præcepto esset dicere proprijs horis, vnde sufficit, quòd iste recitet postea horam prætermissam. secundus ponitur à Toleto lib. 2. cap. 13. nu. 4. si aliqua persona grauis inuitet aliquem ad persoluēdum simul horas aliquas posteriores, potest cum illo eas persoluere, & postea recitare priores prætermissas. tertius est, qui inter recitādum aduertit, se aliquid omisisse, potest prosequi horam inceptam, & postea dimissum recitare. quartus desumitur à Siluestro verb. hora. q. 12. qui aliquem psalmum, vel aliquam horam ex obliuione omisit, non tenetur iterum recitare totum officium, vt psalmum, vel horam suo loco, & ordine dicat, sed sufficit supplendo omissum. quintus ponitur ab eodē Siluestro verb. hora q. 12. vers. secundum. qui dum recitat horas in Choro cū alijs, ex necessitate puta debuit respondere alicui, vel quærere librum, vel aliquid huiusmodi facere, & interim prætermittit psalmum, vel hymnū, vel orationem, vel aliquid huiusmodi, non tenetur illud reasumere, licet sit cautius, vt reasumat, modo non subtrahat voce à Choro; immò secundum D. Antoninum nec etiam si ex negligentia omisit, debet reasumere, præcipuè cum sint pauci, vel ipse resumendo perturbaret alios, sed pæniteat, & expleto officio suppleat omissum, si est quid notabile, vel si est quid minimum, aliquid loco eius; & idem dic, si in aliqua parte dormiuit. Martinus tamen Bonacina tom. 1. disp. 1. q. 3. p. 4. num. 9. putat ipsam partem omissam repetendam esse, quia non est in potestate beneficiarij partes Diuini officij immutare, sed officium juxta Ecclesiæ præscriptum recitare debet. sed respondetur, argumentum concludere de parte notabili, vt etiam fatetur Siluester, sed si est minimum, vtique est in potestate recitantis horas canonicas ad libitum dicere quod voluerit, nec in re minima præscriptum Ecclesiæ censetur lædi, minimum enim pro nihilo reputatur. hæc, quæ diximus, verificantur de recitante horas priuatim; si postea loquamur de recitatione horarum canonicarum publicè facienda, non potest variari talis ordo absque peccato mortali, quia adhoc faciendum non potest esse aliqua iusta causa; & vlterius scādalum esset maximum, & apertus censeretur cōtemptus Ecclesiastici præcepti. an autem sit peccatum mortale inuertere ordinem eiusdem horæ, puta dicere psalmum posteriorem ante, & priorem post, vel dicere hymnum ante psalmos, vel huiusmodi, dissensio est inter Vasquez de benef. c. 4. § 1. art. 2. dub. 4. & recentiores aliquos alios. Vasquez putat huiusmodi inuertentem ordinem peccare mortaliter, cæteri asserunt, quòd non. mihi distinguendum videtur, non aut recitatur publicè, aut priuatim hora. rursus aut hoc fit cum scandalo, & contemptu, aut non. rursus aut hoc fit cum causa legitima, aut non. his stantibus dico primò, recitans priuatim horam inuerso ordine non peccat mortaliter absolutè loquendo, quia si non peccat mortaliter peruertens ordinem, qui reperitur inter ipsas horas, nec peccabit mortaliter peruertens ordinem eiusdem horę. dico secundò, recitans priuatim horam si peruertit ordinem ex contemptu, vel cum scandalo, peccat mortaliter, quia talis contemptus est in re graui, & scandalum est actiuum in re graui, cum sit cōtemptus præscripti ordinis ab Ecclesia, ergo peccatum erit mortale. tertiò dico, recitans publicè horam inuerso ordine peccat mortaliter, si fiat absque rationabili causa, tùm ratione scandali; tū quia videtur contemptus præscripti Ordinis Ecclesiæ, cum nulla adsit causa hoc præstandi. Suarez lib. 4. cap. 11. num. 7. Carolus Macignus, qui etiam refert Sotum, & Toletum. hoc tamen dictum existimatur nimis rigorosum à Martino Bonacina tom. 1. disp. 1. q. 3. p. 4. n. 5. quia quod est ex suo genere tale, semper est tale, variatio autē ordinis videtur ex suo genere leuis, ergo semper est leuis præcisis alijs circonstantijs. respondetur primò negādo maiorem, nam plura sunt peccata, quæ ex suo genere sunt mortalia, quæ tamē sunt multoties peccata venialia vel ratione imperfe-

perfe-

perfectionis actus, vel ratione imperfecti consensus, vt patet discurrenti per vitia capitalia, quæ ex suo genere sunt mortalia. secundò dicitur ad minorem, quòd variatio ordinis ex suo genere est venialis absolutè, ratione tamen circonstantiæ, puta quòd fiat in publico, erit mortale peccatum. formalius respōdetur, quòd licet inuersio ordinis absolutè sit leuis, nec sit peccatum mortale, inuersio tamen publica est grauis, & peccatum mortale. quartò dico, recitare horam publicè inuerso ordine ex rationabili causa nullum est peccatum, vt si quis legitimo impedimento detentus non possit pergere ad Chorum nisi inchoata hora; tunc potest prosequi illam, & postea supplere partem omissam.

Circa secundam conclusionem obserua, quòd diebus Dominicis dicuntur decē, & octo psalmi, si de Dominica fiat officium, si autem fiat de aliquo Sancto, vel Sancta, vel aliqua præcipua occurrat solemnitas in ea, vt Natiuitas Christi, Pentecostes, festum Trinitatis, festa Beatissimæ Virginis, tunc tantùm nouem recitantur psalmi communiter, licet ab aliquibus Religionibus decem, & octo psalmi in aliquibus solēnitatibus die Dominico occurrentibus recitentur.

Quæritur, quæ attentio requiratur in recitandis horis canonicis.

3 Respondeo dicendum, quòd attentio actualis requiritur ad orationem aliquo modo, vel ad euitandum transgressionem, quæ est in illa oratione, quæ est in præcepto, vel ad meritum in illa, quæ non est in præcepto, sed non omnibus modis; aliquis enim actus manet per essentiam, & virtutem quandoque, sed quandoq; transit actu, & manet virtute, & sic manere actum in virtute est quidam medius modus inter ipsū esse & in habitu, & in actu, quia quod in habitu est, neque virtute, neque per essentiam actus est; secundùm hoc ergo dico, quòd attentio in oratione manere debet semper secundùm virtutem, sed non requiritur, quòd semper maneat per essentiam actus, manet autem secundùm virtutem, quando aliquis ad orationem accedit cū intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obsequium reddendi, etiam si in prosecutione orationis mēs ad alia rapiatur, nisi tanta fiat euagatio, quòd omninò depereat vis primæ intentionis, & ideò oportet, quòd frequēter homo cor reuocet ad se ipsum 4. sentent. dist. 15. q. 4. a. 2. quæstiunc. 4. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. attentio actualis requiritur ad orationem aliquo modo. probatur, ad euitandum scilicet transgressionem, quæ est in illa oratione, quæ est in præcepto, vel ad meritū in illa, quæ non est in præcepto. secunda conclusio. attentio actualis non requiritur ad orationē omnibus modis: probatur, quia aliquis actus manet per essentiam, & virtutem quandoque, sed quandoque transit actu, & manet virtute, & sic manere actum in virtute est quidam medius modus inter ipsum esse in habitu, & in actu, quia quod in habitu est, neque virtute, neque per essentiam actus est; secundùm hoc ergo dico, quòd attentio in oratione manere debet semper secundùm virtutem, sed non requiritur, quòd semper maneat per essentiam actus. tertia conclusio. manet secundùm virtutem, quando aliquis ad orationē accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obsequium reddendi, etiā si in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur, nisi tanta fit euagatio, quòd omninò depereat vis primæ intentionis. hinc elicit corrolarium, ideò oportet, quòd frequenter homo cor reuocet ad se ipsum.

Prima conclusio explicatur per secundam; ad orationem ergo requiritur attentio actualis aliquo modo, vt dicit prima conclusio, non omnibus modis, vt dicit secunda conclusio, idest non requiritur ad orationem attentio actualis simpliciter, sed secundùm quid, idest secundùm virtutem; itaquòd erit actualis in principio orationis, virtualis in successu illius. ad quorum explicationem præmittenda sunt aliqua, deinde dicendum est ad quæsitum per conclusiones. præmitto ergo primò id, qđ docet Arist. 5. metaph. duplex esse necessarium ad finem, scilicet simpliciter, & ad benè esse, necessarium simpliciter est, sine quo finis non potest assequi simpliciter, vt cibus necessarius est simpliciter ad vitam; necessarium ad benè esse est, sine quo finis non potest haberi ita commodè. noto secundò tres esse orationis effectus; quorum primus est meritum, secūdus est impetratio, tertius est spiritualis refectio mentis, dulcissimaque recreatio, quæ ab eloquio cum Deo habito instillat. adnoto tertio, triplicem esse attentionem, nempe habitualem, virtualem, & actualem. actualis est illa, qua quis actualiter per totum successum orationis attendit; virtualis est illa, qua quis in principio orationis proponit attendere, sed in successu actualiter non attendit, nec ad hoc aduertit, tunc attentio dicitur remanere nō quo ad substantiam, sed quo ad virtutem. habitualis est, quam quis habet in principio primæ actionis, nec curat de nouo elicere aliam, sicut si quis proponeret, dum intrat Chorum, attendere officio, quoties intrat Chorum recitaturus illud, nec curat elicere attentionē de nouo, dum alijs vicibus intrat Chorum. inter istas attentiones hoc reperitur discrimen, quòd habitualis non sufficit, actualis non est necessaria, sufficit virtualis. noto quartò, quòd attentio ad tria in oratione terminari potest, nēpe ad verba, ad verborum sensa, ad Deum, & ad rem, pro qua oratur. quintò obseruo, quòd orationum aliæ sunt in præcepto, vt septem horæ canonicæ respectu Clericorum, aliæ sunt ex deuo-

tione

tione his stantibus dico primò, attentionẽ actualem esse necessariā, & requiri ad benè esse in omni oratione tam volūtaria, quā præcepta. probatur, quia est splendidissimam orationis ornamētū, & decus singulis verbis attendere, quis, quid, cum quo loquatur. dico secundò, attētio actualis non est necessaria, nec requiritur simpliciter in tota oratione tam voluntaria, quàm præcepta respectu meriti, & impetrationis. probatur, quia aliter non esset, qui rectè oraret, & in oratione mereretur, & per orationem impetraret, cum fragilitas hominis viatoris hanc actualem continuam non patiatur attentionem, immò experientia quotidiana comprobamus, quòd quantò magis homo satagit actualiter attendere, tantò magis mente euagatur, & mente distrahitur, continua actualis attentio propria est comprehensorum, & existentium in Patria, qui ita in laustando Deum rapiuntur, attrahuntur, vt distrahi nullatenus possint. dico tertiò, ad habendam mentis spiritualem refectionem necessaria simpliciter est attentio, quæ sit totius orationis indiuiduus comes. hanc docet Dominicus Sotus lib. 10. de iust. & iure. q. 5. a. 5. probatur ex D. Paulo. 1. ad corinthios 14. si orem lingua, scilicet sola, mens mea sine fructu est, huiusmodi siquidem attentio est effectus causa coeua, vnde cum primū illa cessat, effectus quoq; euanesci, refectio siquidem mentis non in habitu, sed in actu spiritualis vitæ consistit, quare nisi attentione præsenti extare nequit. dico quartò, attentionem habitualem non sufficere ❧ dum ad consequendum tres effectus orationis, sed nec ad satisfaciendum. hoc dictum confessum est ab omnibus, sicut nec intentio habitualis sufficit ad conficienda Sacramenta, vt etiam apud omnes Doctores cantatissimum est. dico quintò, attentionem virtualem sufficere in omni oratione ad merendum, & impetrandum. hoc etiam dictum confessum est ab omnibus, & ratio id suadet, quia attentio quo ad substantiam in hac via diu non potest remanere in nobis ob fragilitatem humanam, ergo sufficiet, quòd remaneat quo ad virtutem. dico sextò, vt officium deuotè recitetur, requiritur attentio siue ad verba, siue ad verborum sensa, siue ad Deū &c. probatur, quia cum quacunq; harum est actus humanus, & signum Diuini cultus, & petitionis, quæ Deo in terra mēte offertur, ergo hæc sufficit. dico septimò, horas canonicas recitandas esse deuotè, & studiosè, quia sic habetur expresse in Concilio generali sub Innocentio tertio. c. dolētes. de celebrat. Missarum. vbi hoc præcipitur in virtute Sanctæ obedientię sub hac verborum forma. hæc igitur, & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientię, vt Diuinum officium nocturnum, pariter & diurnum, quantùm eis Deus dederit, studiose celebrent, pariter & deuotè. quid autē sit studiosè, & deuotè recitare officium, breuiter explicandum est. tunc ergo dicitur recitari officium studiosè, quando, vt ait glosa in eodem c. dolentes, verba non omittuntur, vel mutilantur, sed omnia proferuntur, nec sillabę abscinduntur, sed recitantur sine sincopa, quæ e medio tollit, aut diminuit; & dicitur recitari officium Diuinū studiosè, vt distinguitur cōtra recitare defectuosè, negligenter. hinc sequitur, eum, qui dimittit verba, vel mutilat, peccare mortaliter, vel venialiter iuxta quantitatem verborum omissorum, itaut qui omittit notabilem quantitatem verborum, quæ faciat peccatum mortale, peccabit mortaliter, aliter peccabit venialiter, similiter qui mutilat verba, peccat; est tamen hoc discrimen inter omissionem verborum, & eorum mutilationem, quòd mutilans sillabas peccat tantùm venialiter, etiamsi mutilatio sit notabilis, omittens autem verba in notabili quantitate peccat mortaliter, vt communiter docent omnes Doctores. vt etiam officium Diuinum recitetur studiosè, requiritur, vt recitetur sine interruptione partium vnius, & eiusdem horæ, vt si quis postquam incępit matutinum, attendat locutioni prolixiori, vel negotio alicui, & postea iterū reassumat matutinum, iste nō dicitur recitare matutinum studiosè, nec satisfacit præcepto, quia dum hora canonica interrumpitur, vnitas illius remouetur. vlterius in Concilio Toletano septimo sub pœna excomunicationis cauetur, ne quis Diuina officia interrumpat, pœna autem excommunicationis præsuponit peccatum mortale. verba Cōcilij sunt, & referuntur in c. nihil. quæst. 1 nullus absque præuentu parentis molestiæ minister, vel sacerdos, cum cœperit imperfecta officia, præsumat omnino relinquere, si quis autem temerariè hoc præsumpserit, excomunicationis sententiam sustinebit. huic tamē veritati obstat Martinus Bonacina tom. 1. disp. 1. qu. 3. p. 2. num. 2. asserens recitantem Diuinum officium cum interruptione non peccare mortaliter, sed satisfacere præcepto Ecclesiæ quo ad substantiam, siue ad longum, siue ad breue tempus interrumpat, vnde interrumpens horam in medio, vel etiam psalmum non peccat mortaliter, modo postea reliquam partē absoluat, etiam si partem prius dictam non repetat. hac autem mouetur ratione, verum est dicere, hūc intra eundem diem totum Diuinum officium recitasse, ergo etiā verum erit dicere præcepto Ecclesiæ satisfecisse. consequentia patet, quia ille præcepto Ecclesiæ satisfacit, qui facit opus ab Ecclesia præscriptum, hic autē facit opus ab Ecclesia præscriptum, tum quia totum recitat officium, nec vllā ipsius partem omittit, tum quia de substantia singularum partium non est continuatio, & preces interruptæ efficiunt vnum offitium, suamq; habent significationem, sicut multæ confessiones interruptæ integrant vnam confessionem obtenta in fine absolutione. sed respōdetur primò negando antecedens, falsum siquidem est, hunc intra eundem diem totum Diuinū officium recitasse, nam non recitauit horā, quam interrupit, ad vnitatem siquidem illius requiritur continuatas temporis, sicut ad vnitatem motus, vt in 7. physicorum docet Arist. secundò respondetur negando consequentiam, ad illius probationem negatur minor, non enim qui interrūpit horām, facit opus præscriptum ab Ecclesia,

quia Ecclesia præcipit septem horas canonicas, hora autem interrupta non est vna hora canonica, vnde non recitabit iste septem horas canonicas, sed tãtùm sex. ad probationem minoris primam negatur assumptum, non enim interrũpens horam totum recitat officium, sed vnam partem illius omittit, nempe horam, quam interrumpit. ad secundam probationem etiam negatur assumptum, nam de ratione vnitatis horę est continuatio, sicut de ratione vnius motus. falsum est etiã, quòd preces interruptæ efficiant vnum offitium, quia hora interrupta non debet computari inter septem horas canonicas, ex quibus integratur offitium Diuinum, & consequenter suam non habebunt significationem. nec est eadem ratio de multis confessionibus interruptis integrantibus confessionem obtenta in fine absolutione, & de horis interruptis, quia illæ confessiones sunt per intentionem continuatæ. Tunc dicitur offitium Diuinum recitari deuotè, quando primò adest intentio illud recitandi, secundò quando adest attentio ad verba, siue ad verborum sensum, vel ad Deum &c. prima pars probatur, quia recitatio Diuini offitij est actus humanus, qui humano modo exerceri debet, nõ potest autem humano modo exerceri sine intentione orandi, seu recitandi, ergo &c, circa secundam partem est dissensio inter Doctores, dum aliqui putant non requiri interiorem attentionem ad horas canonicas, sed sufficere exteriorem, vt scilicet recitãs Diuinum offitium non occuperur in aliquo negotio incompossibili cum attentione interiori, puta legendo, scribendo &c. alij putant requiri attẽtionem interiorem. huic opinioni adhæreo ego, quam etiam his approbo rationibus, quarũ prima est, Ecclesia præcipit recitationem offitij Diuini tanquam actum orationis Deo gratum, oratio autem non est Deo grata sine attentione interna, vnde Mathei 15. reprehenduntur orãtes sine attentione, populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. secunda est, oratio non subsistit sine attentione, ergo &c. probatur antecedens, quia qui vouit recitare horas canonicas, non satisfacit voto, si eas recitat sine attentione, quia non dicitur orare, sed eam proferre sicut Psitacus. nec rationes opinantium cõtrarium concludunt, arguunt enim primò, sic, Ecclesia, quę Diuini offitij recitationẽ præscripsit, non potest præcipere attentionem internam, cum Ecclesia non habeat potestatem super actus internos. respondetur, Ecclesiam non posse præcipere actum internum præcisè sumptum, posse autem illum præcipere in ordine ad actum externum, vel vt est ratio actus externi, vt patet de præcepto Confessionis, quæ internum doloris actum necessariò requirit. secundò arguunt, quia Summus Põtifex in c. dolentes. de celebrat. Missarum. iubet Diuinum offitium recitari, quantùm Deus dederit, ergo non videtur velle recitantes strictè obligare ad attentionem, sed solũ quantùm illis Deus concesserit. respondetur Ecclesiam præcipere attentionem ex hoc, quòd pręcipit officium recitari deuotè, deuotio enim est suaptè natura causa attentionis, secundum tamẽ modum sibi possibilem, & sibi à Deo concessum. tertiò arguunt, quia difficillimum est, attentionẽ habere, non est autem credibile Ecclesiam voluisse ad actum adeò arduum obligare, cum Ecclesiæ iugum sit suaue, sicut & Christi iugum. respondetur non esse difficillimum, habere attẽtionem virtualem, quæ sufficit, vt experientia probat, licet sit difficillimum habere attentionem actualem. ad complemẽtum huius doctrinæ subiungam differentiam repertam inter recitationẽ precum ex deuotione, & recitationem horarum canonicarum respectu attentionis, & est, quòd qui ex deuotione preces fundit, peccat venialiter, si sine attentione eas faciat, quia licet non teneatur ex præcepto affirmatiuo orare, attamen ex præcepto negatiuo Religionis tenetur cauere actus irreuerentiæ, & alloqui Deum modo conuenienti ex suppositione, quod velit Deũ alloqui, & orare, quod non faciens peccabit venialiter recitans autem horas canonicas sine attentione peccat mortaliter, nisi excusetur ob materiæ exilitatem, vel nisi habeat intentionem repetendi. addam vlterius, quod qui aliquem psalmum, vel hymnum dicit non animo orandi, sed vt mẽtem abstrahat à molestis cogitationibus, vel vt memoriæ mandet, vel vt alium doceat modum recitandi officiũ, vel vt se recreet, non peccat, quia non facit contra vllum præceptum, & cum non intendat orare, nec Deum alloqui, non tenetur attẽdere. subiungam vltimò, quòd Leo decimus indulxit remissionem admissarum negligentiarũ in officio recitando ei, qui post officium hanc recitat orationem. *Sacrosanctæ, & indiuiduæ Trinitati, Crucifixi Iesu Christi Domini nostri humanitati, Beatissimæ ac gloriosissimæ Virginis Mariæ fœcunditati, & omnium Sanctorum vniuersitati sit sempiterna laus, honor, Virtus, & gloria ab omni creatura, nobisque remissio peccatorum per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris filium.

Et beata vbera, quæ lactauerunt Christũ Dominũ.

Pater noster &c. Aue Maria &c.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Lessius lib 2. cap. 37. dub. 11. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 4. & lib. 4. c. 16. Emanuel sà verb. horæ canonicę. num. 19. Reginaldus lib. 18. num. 142. & 151. cum seq. Filiucius tract. 23. cap. 6. quæsit. 3. & cap. 8. quæsit. 2. & cap. 3. quæsit. 2. Garzias de benef tom. 1. par. 3. cap. 1. Pesantius 2. 2. q. 62. artic. 2. dub. 3. Valentia tom. 3. disp 6. quæsit. 2. p. 10. Vasquez in opusc. de benefic cap. 4. §. 1. artic. 3. dub. 4. & 1. 2. disp. 160. Rodriquez p. p. summæ cap. 144. & plures alij.

Quæritur, an attentio noceat orationi.

4 Respondeo dicendum, quòd attentio in oratione potest esse triplex, primò enim est attentio ad verba, quibus petimus; ad petitionem ipsam, & ad ea, quæ petitionẽ

ipsam

ipſam circonſtant, ſicut eſt neceſſitas pro qua petitur Deus, qui rogatur, & alia huiuſmodi, & quæcunq; harum attentionum adſit, non eſt reputanda inattenta oratio, vndè etiam illi, qui non intelligunt petitionis verba, ad orationē attenti eſſe poſſunt, ſed tamen vltima attentio eſt laudabilior, quàm ſecunda, & ſecūda quàm prima, & quia anima non poteſt vehementer attenta eſſe ad diuerſa, ideò prima attentio poteſt nocere, vt minor ſit orationis fructus, ſi ſecundam euacuat, vel ſecunda, ſi tertiam omninò tollat, ſed non è cōtrariò; tamen attentio communiter accipiendo non nocet, ſed multùm prodeſt. 4. ſent. d. 15. q. 4. a. 2. quæſtiunc. 5. in corp.

Quintuplici concluſione reſpōdet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. attentio in oratione poteſt eſſe triplex. probatur, quia attentio primò eſt ad verba, quibus petimus, ad petitionem ipſam, & ad ea, quæ petitionem ipſam circonſtant, ſicut eſt neceſſitas, pro qua petitur De⁹, qui rogatur, & alia huiuſmodi. ſecunda concluſio. quæcunque harum attentionum adſit, non eſt reputāda inattenta oratio. hinc elicitur corrolarium, quòd illi, qui non intelligunt petitionis verba, ad orationem attenti eſſe poſſunt. tertia concluſio. vltima attentio eſt laudabilior, quàm ſecunda, & ſecunda quàm prima. quarta concluſio. prima attentio poteſt nocere, vt minor ſit orationis fructus, ſi ſecundam euacuat; vel ſecunda, ſi tertiā omninò tollat, ſed non è contrariò. probatur prima pars, quia anima non poteſt vehementer eſſe attenta ad diuerſa. quinta concluſio, attentio communiter accipiendo nō nocet, ſed prodeſt. probatur ex D. Auguſtino.

Primam cōcluſionem ſequitur Dominicus Sotus lib. 10. de iuſt. & iure. q. 5. ar. 5. Bartolomeus Medina in inſtruct. confeſſorum lib. 1. cap. 14. §. 11. qui etiam vocat primam attentionē propriā grammaticorum, ſecundam propriam curioſorum, tertiam vocat principalem. attamen ſiue attendamus ad verba, ſiue ad verborum ſenſa, oratio non reputabitur inattenta, ſed attenta, vt dicit ſecunda concluſio. hinc fit, quòd etiā idiotæ, & indocti attenti eſſe poſſunt in ſuis orationibus, vt dicit D. Thomas in corrolario, & poſt eum Dominicus Sotus loco citato, quia licet non intelligant ſenſum verborum, poſſunt tamen attendere ad verba, vel ad ea, quæ petitionem ipſam circonſtant, vt ad neceſſitatem, pro qua rogatur Deus, & alia huiuſmodi, puta quòd orans adſtat coram Deo cum ipſo colloquendo, vt etiā loco citato docet Bartolomeus Medina, & hæc profectò eſt laudabilior, quàm ſecunda, quæ ad verborum ſenſa eſt, quia tertia attentio eſt principalior, ſecunda autem videtur pertinere ad curioſos, vt diximus cum Medina; attamen etiā hæc ſecunda attentio eſt laudabilior, quàm prima, quæ eſt ad verba, quod videtur eſſe Grammaticorum proprium. ex hoc ſequitur, quòd prima attentio poteſt nocere in hoc ſenſu, vt ſcilicet ſit minor orationis fructus. & tūc nocebit, ſi prima attentio euacuabit ſecundam, & ſi ſecunda omninò tollat tertiam, ſi quis enim ita attēderet ad verba, vt verborum nō contempletur ſenſum, & ſi ita verborum attendat ſenſum, vt non conſideret ſe adſtare coram Deo, & cum eo alloqui, & huiuſmodi, illa attentio illi nocebit, inquantùm minor erit orationis fructus, & hoc facilè euenire poteſt, quia anima nō poteſt vehementer eſſe attenta ad diuerſa, vnde dum applicatur verbis, facile mens diſtrahitur à ſenſu verborum, & dum ſenſui verborum applicatur vehementer, ad alia euehi non poterit efficaciter. & nota, qđ inquit, animam non poſſe vehementer applicarē ad diuerſa, quaſi dicat, quòd ſuperficialiter, & aliqualiter poterit ad diuerſa applicari, ſed non vehementer, & efficaciter. attamen cōcludamus attentionem non nocere, ſed prodeſſe abſolutè loquendo, quia ſiue attendamus ad verba, ſiue ad verborum ſenſa, ſiue ad alia, ſemper oratio eſt fructuoſa.

Quæritur, quo in loco debeant dici horæ canonicæ.

5 Reſpondeo dicendum, quòd debet ipſas reddere in Eccleſia, ſi poteſt iuſta illud in Eccleſia benedicite D. um; aliter; reddat vbique, & honeſtè, quando commodè poterit. opuſculo 65. cap. 1.

Vnica concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quæ eſt. homo debet horas canonicas reddere in Eccleſia, ſi poteſt. probatur ex illo, In Eccleſia benedicite Deum. hinc elicit corrolariū, quòd alias reddat vbique, & honeſtè, quādo commodè poterit.

Pro explicatione huius doctrinæ notandum eſt, quòd aliud eſt loqui de ijs, qui tenentur ad Chorum, & alijs, qui Choro intereſſe non tenentur; & quòd aliud eſt loqui de horis canonicis, & aliud eſt loqui de alijs priuatis orationib⁹, quę voluntariè fiunt ex deuotione, nam ſi loquamur de horis canonicis, publicè ſunt recitandæ à deputatis Choro, puta Canonicis, Religioſis, & alijs collegialiter viuentibus, itaquòd collegium Canonicorum, Religioſorum Conuentus tenentur recitare horas canonicas in Choro, ſic enim habetur in Clement. 1. de celebrat. Miſſarum. §. ne igitur. ibi enim iniungitur onus canendi horas canonicas in Eccleſijs. & in cap. vlt. 92. diſt. cauetur ſub pæna depoſitionis, vt Choro deputati ad Chorum accedant. & vlterius ſicut Sacerdos, qui ratione benefi ij, vel officij tenetur Miſſam celebrare in loco determinato, non eſt tutus, ſi in alio loco illam celebret, quia eſt obligatio localis, ita deputatus Choro ad recitandum horas canonicas non erit in cōſcientia tutus, ſi alio in loco, quàm in choro illas recitet. hinc ſequitur, Canonicum, aliumue beneficiatum ad Chorum obligatum non poſſe percipere diſtributiones,

quę conferuntur canentibus in Choro, nisi horas canonicas publicè in Choro persoluat, quia cum illæ distributiones sint effectus præsentiæ canentium in choro, si causa cessat, & effectus cessare debet. vlterius qui non facit, quod debet, non recipiat, quod oportet. nomine Chori intelligo omnem locum, in quo Collegiati conuenire solēt quocunque casu ad canendum, quod ideò dico, quia tempore hyemis aliqui solent se recipere in sacristiam, tempore æstiuo in locis subterraneis commorari consueuerunt, talia loca pro choro habenda sunt. si postea loquamur de personis nō deputatis ad chorum, suas horas canonicas, & suas priuatas orationes isti vbique persoluere possunt, domi, in agro, in via, isti enim non habent determinatum locum, & in quocunque persoluant eas, præcepto satisfaciunt recitandi horas canonicas. Caietanus verb. vbi dicendæ horę canonicæ. vers. quoad quintum. ratio est, quia nullū ius reperitur, quo per se loquendo adstringantur ad Diuinum officium priuatim in Ecclesia, vel in alio particulari loco recitandum. dicā tamen cum Toleto lib. 2. cap. 13. num. 8 laudabilius esse, vt vnusquisque domi habeat locum aliquem secretum, vel oratorium, in quo dicat officium, vt cum attentione, & reuerentia maiori dicere possit. potest etiam illud recitare vel stādo, vel sedendo, vel deambulando, vel genuflectendo.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 2. cap. 13. num. 8. Valentia tom. 3. d. 6. quæst. 2. p. 10. Filiucius tract. 23. c. 4. quæsit. 11. & c. 8. quæsit. 6. Bellarminus lib. de bonis operibus cap. 18. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 10. & alij.

Quæritur, an liceat Clerico, qui tenetur ad horas canonicas, dicere matutinum sequentis diei de sero.

6 Respondeo dicendum, quòd considerāda est intentio eius, qui præuenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibuscunq; horis canonicis, si enim hoc facit propter lasciuiam, vt scilicet quietius somnolentię, & voluptati vacet, non est absque peccato; si verò hoc faciat propter necessitatem licitarum, & honestarum occupationum, puta si Clericus, aut magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid aliud huiusmodi, licitè potest de sero dicere matutinas, & in alijs horis canonicis tempus præuenire, sicut etiam hoc in solemnibus Ecclesijs fit, quia melius est Deo vtrumque reddere, scilicet & debitas laudes, & alia honesta officia, quàm quòd per vnum aliud impediatur. quodlibeto 5. ar. 28. in corp.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si quis præuenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibuscunq; horis canonicis, & hoc facit propter lasciuiam, vt scilicet quietius somnolentię, & voluptati vacet, non est absque peccato. secunda conclusio. si hoc faciat propter necessitatem licitarum, & honestarum occupationum, puta si Clericus, aut Magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid aliud huiusmodi, licitè potest de serò dicere matutinas, & in alijs horis canonicis tempus præuenire, sicut etiam hoc in solemnibus Ecclesijs fit. probatur, quia melius est Deo vtrumq; reddere, scilicet & debitas laudes, & alia honesta officia, quàm quod per vnum alid impediatur.

Prima conclusio D. Thomæ habetur c. Clericus. d. 91. & ratio eam suadet, quia finis anticipationis in recitando matutinum, vel horas canonicas aliàs est malus, cum sit somnolentia, & voluptas, finis autem maliciam tribuit actui. ad explicationem secundæ conclusionis obserua, qđ cum horæ canonicæ desumant suam denominationem à tempore, quo debent recitari, matutinum autem propriè dicitur illud tempus, quod est inter tenebrarum abscessum, & aduentum auroræ, vnde illo tempore deberet dici matutinū, attamen in hoc matutino, sicut in alijs horis recitandis standum est cōsuetudini Patriæ, vel Regulæ propriæ, vt notat ex D. Antonino Siluester verb. hora. qu. nona. & docet Caietanus in summula verb. quando dicendæ horæ cano. vers. quo ad quartum. quos sequitur Toletus lib. 2. cap. 13. num. 7. dicitur autem, vel Regulæ, propter Religiosos, quorum aliqui ex statuto Regulæ suæ persoluunt matutinum in media nocte, alij paulò post mediam noctem, alij ex consuetudine paulò ante auroram alij in aurora, alij de serò post occasum solis diei antecedentis, & omnes isti dicuntur tempore debito persoluere matutinas, debitum enim tempus recitandi officium totum alicuius diei est ab occasu solis antecedētis diei vsque ad mediam noctem diei sequentis, ita tamen quod solum matutinū potest recitari de sero ante mediam noctem, cæteræ vero horę non possunt persolui nisi post mediam noctem, & si quis ante mediam noctem eas persolueret, suæ non satisfaceret obligationi de recitando officio. hęc, quæ diximus, vera sunt de persoluentibus horas canonicas publicè, si postea loquamur de recitātibus horas canonicas priuatim, tūc matutinum nedum potest recitari statim post occasum solis diei antecedentis, sed etiam per tres horas ante occasum solis diei antecedentis, sic habet cōsuetudo tolerata, & maximè si hoc præstetur ab aliquibus, vt tempore noctis studio vacent. hoc expresè habet D. Thomas in quodlibet. 5. art. 8. ad 1. vbi ait, quoad Ecclesiasticum officium, & solemnitatum celebritates incipit dies à vesperis, vnde si aliquis post dictas vesperas, & Completorium dicat matutinum, iam pertinet ad diē sequentem. hoc etiam docere videtur Caietanus in summula verb. quando dicendæ horæ canonicæ. vers. quoad quartum. comprobo eādem doctrinam tali ratione. in ordine meo Prædicatorum

rum statutum est, vt à festo Sanctissimæ Trinitatis vsque ad totum mensem Augusti in festis duplicibus, & supra matutinæ recitentur in choro post vesperas, quod vt plurimum est hora vigessima prima diei antecedentis, vt sæculares interesse possint eis ob indulgentias, quę cōceduntur præsentibus, & satisfaciunt obligationi, ergo multò magis licebit priuatim recitanti officium persoluere matutinum illo tempore. cōfirmatur, quia omnibus Ecclesiasticis pręcipitur, vt per totam octauam solemnitatis Corporis Christi matutinæ dicantur in choro de die post Completorium. ergo & priuatim recitans officium poterit matutinum persoluere illo tempore.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Toletus lib. 2. cap. 13. num. 7. Suarez lib. 4. de Religione cap. 27. Filiucius cap. 8. quæsit. 10. & alij.

Quæritur, quando incipiat dies.

7 Respondeo dicendum, quòd quantùm ad contractus, & alia huiusmodi dies incipit à media nocte, sed quantùm ad Ecclesiasticum officium, & solemnitatum celebritates incipit dies à vesperis, vndè si aliquis post dictas vesperas, & completorium dicat matutinas, iam hoc pertinet ad diem sequentem. quodlibeto. 5. a. 27. ad 1.

Duplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. quantùm ad cōtractus, & alia huiusmodi dies incipit à media nocte. secunda conclusio. quantùm ad Ecclesiasticum officium, & solemnitatum celebritates incipit dies à vesperis. hinc elicit corrolarium, quòd si aliquis post dictas vesperas, & completorium dicat matutinum, iam hoc pertinet ad diem sequentem.

Ex prima conclusione habemus festa colenda ex præcepto incipere à media nocte antecedenti, & perseuerare vsque ad mediam noctem sequentem, quia tunc etiam incipit, & desinit dies quantùm ad contractus, à quibus est abstinendū in die festo, qui fit de præcepto. secundam conclusionem comprobat consuetudo Ecclesiæ, quæ solemnitates incipit à primis vesperis, quæ dicuntur die antecedente solemnitatem, vnde solemnis festus duas ex institutione Ecclesiæ habet vespertinas preces, quarum primæ pertinent ad complementum officij diei antecedentis, non autem sequentis, & secundæ pertinent ad complementum officij diei sequentis. quod si benè ponderetur, soluetur illud dubium, quod ab aliquibus solet fieri, si in vesperis diei præcedentis aliquando recitantur vesperæ de festo subsequētis diei, ergo tempus recitandi Diuinum officiū non incipit à media nocte antecedentis diei, & perseuerat vsque ad mediam noctem sequentis inclusiuè, vt supradiximus. soluitur, inquam, quia vesperæ, quę dicuntur die antecedente, pertinent ad complementum officij diei antecedentis, non autem sequentis, officium autem sequentis diei incipiet à media nocte illius præter matutinum, vt diximus, & dicemus iterū. cum ergo dies quo ad solemnitatem festorum, & Ecclesiasticum officium incipiat à vesperis, poterit finitis vesperis, & completorio dici matutinum sequentis diei, nec hoc est inconueniens, quia hoc pertinet ad diem sequentem. hæc doctrina apertissimè demonstrat, quæ diximus in quæsito præcedenti circa matutinum recitādum post completorium præcedentis diei.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Azorius p. p. lib. 10. c. 9. quæsit. 7. & alij.

Quęritur, an ille, qui vadit ad Ecclesiam propter distributiones, aliàs non iturus peccet.

8 Respondeo dicendum, quòd in hoc casu distinguendum est, si enim huiusmodi distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat; si autem habet principalem finē Deum in tali actu, ad huiusmodi autem distributiones respicit secundariò non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, quòd non vendit actū spiritualem, & ita simoniam non cōmittit, nec peccat, sic enim acceptio distributionum non erit causa, quare Ecclesiam vadat, sed propriè huiusmodi determinatio, quare nunc vadat, & non alia vice. quodlibeto 8. artic. 11. in corp. (quodlibeto 4. artic. 23. (4. sentent. dist. 25. quæst. 3. ar. 2. quæstiunc. 1. ad 4. (lect. cap. 9. primæ ad Corinthios.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si distributiones quis recipit quasi finem sui operis principaliter intētum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat. secunda conclusio. si habet principalem finem Deum in tali actu, ad huiusmodi autem distributiones respicit secundariò non quasi ad finem, sed sicut in id, quòd est necessarium ad suā sustentationem, constat, quòd non vendit actum spiritualem, & ita simoniam non committit, nec peccat. probatur, quia sic acceptio distributionū nō erit causa, quare Ecclesiam vadat, sed propriè huiusmodi determinatio, quare nunc vadat, & non alia vice.

Cum simonia sit studiosa voluntas emendi, & vendendi aliquid spirituale, vel annexum spirituali, si quis pergat ad Ecclesiam, & intret Chorum cantaturus ob distributiones quotidianas quasi finem sui operis principaliter intētum, erit simoniacus, quia vendit annexum spirituali, nēpe cantare, & cum sit res grauis, peccabit mortaliter; si autem intret Chorum cantaturus propter Deum tanquam principalem finem, & distributiones respiciat secundariò non tanquam finem,

sed

ſed tanquam neceſſarias ad ſuam ſuſtẽtationem, ſimoniacus non erit, quia actum non vendit ſpiritualem, nec peccabit, ſicut nec ſimoniam committit, nec peccat ille concionator, qui prædicat principaliter quidem propter Deum, ſecundariò autem ob ſpem eleemoſinę, quam ſperat in ſui ſuſtentationem, ſicut nec ſimoniam cõmittit, nec peccat ille ſacerdos, qui eleemoſinam accipit pro celebratione Miſſæ, vt ex ea ſuſtentetur, verũ hæc magis explicabuntur in verb. ſimonia. tantũ obſeruo, quid nomine diſtributionum intelligatur, pro quo nota, quòd diſtributiones nil aliud ſunt, quàm portiones, quæ quotidiè diſtribuũtur ijs, qui Diuinis offitijs interſunt, ſeu quæ diſtribuuntur in ſingulos iuxta quotam officij, cui quiſque ſingulis diebus interfuit, ideſt iuxta cuiuſq; merita habita ratione aſſiſtentiæ ſingulis diebus exhibitæ circa Diuinum officium publicè perſolutum, vnde vocantur etiam portiones quotidianæ, quia ſcilicet pro rata portione conferuntur quotidiè inſeruientibus Diuinis officijs. cap. dilectus. 1. de præbendis. vocãtur etiam victualia, & veſtuaria, quia faciunt ad quotidianum victum, & veſtitum eorum, qui Diuinis officijs Interſunt. cap. vnico. & cap. de cætero. de Clerico non reſidente.

De illis, qui tenentur ad recitandas horas canonicas.

Cap. II.

1 *Ad recitandas horas canonicas tenentur Sacerdos, & clerici in ſacris conſtituti, ſiue habeant beneficium, ſiue non.*

Tenentur etiam omnes habentes Eccleſiaſtica ſtipẽdia in quocunq; Ordine ſint.

5 *Religioſi profeſſi tenentur ad horas canonicas.*

Clericus tenetur ſtatim, quòd eſt initiatus Subdiaconatu recitare horas canonicas.

Quando quis initiatur Subdiaconatu, non tenetur totum recitare officium, ſed debet incipere ab hora correſpondente tempori, quo Subdiaconatum recepit.

Idem dic de Religioſo profeſſo, & beneficiato, quòd tenebuntur incipere ab illa hora, quæ correſpondet tẽpori profeſſionis, vel acceptionis benefitij.

Recitatio horarum canonicarum eſt de iure Eccleſiaſtico.

Ad has tenetur Clericus in ſacris, ſiue degradatus, ſiue damnatus ad triremes, ſiue exiſtens in peccato mortali, & quare.

Quando iſti excuſentur à recitatione Diuini offitij.

Clericus vxoratus de licentia Papæ tenetur ad horas canonicas, niſi Papa cum eo diſpenſauerit in hoc.

Habens benefitium Eccleſiaſticum ſiue ſimplex, ſiue curatum, ſiue quemcunque redditum Eccleſiaſticum, qui habetur ſub titulo clericali, etiam ſi ſit ſimplex Clericus, tenetur ad horas canonicas.

Equites Hieroſolimitani, & alij habentes comendam Eccleſiaſticam tenentur ad horas canonicas.

Qui metu Patris acceptauit benefitium, tenetur ad horas canonicas.

Habens capellaniam tenetur ad offitium ratione capellaniæ, ſi capellania ſit Eccleſiaſtica.

Quid ſit capellania Eccleſiaſtica.

Habens penſiones non tenetur ad horas canonicas.

Idẽ dic de habentibus redditus alios Eccleſiaſticos; qui etiam ſæcularibus conceduntur.

Tenentur tamen ad offitium B. Mariæ.

Sub qua pæna ad hoc teneantur.

Quando penſio reſeruata eſt in capite vnius, & in commodum alterius, ille tenebitur ad offitium B. Mariæ, in cuius commodum conſtituta eſt.

Coadiutor benefitij nõ tenetur ad horas canonicas.

Si coadiutoria habeat rationem benefitij, tenebitur ad horas canonicas, licet ſit tenue.

Benefitiatus, qui maiorem fructuum, & reddituũ partem tradit Sacerdoti ſubſtituto ad peragenda, & ſuſtinenda benefitij onera; aut dum ſua voluntate, aut culpa benefitij fructus non recipit, tenetur ad recitandum offitium.

Qui omittit ex his offitium Diuinum, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem aliquã redditus percepti.

Quid nomine Religioſorum intelligatur.

Religioſi tenentur ad horas canonicas ex conſuetudine celeberrima.

Religioſus tranſiens ad aliam Religionem, in qua nõ recitetur offitium, non tenetur ad illud.

Religioſi damnati ad triremes non tenentur ad horas canonicas, ſi non ſint in ſacris.

Religioſus, qui habet facultatem perpetuò viuendi extra Religionem, non tenetur ad horas, ſi tamen non ſit in ſacris.

Moniales profeſſæ tenentur ad horas canonicas.

2 *Omnes tenentur intereſſe horis canonicis diebus feſtis ex ſtatuto canonum.*

3 *Qui accipit præbendam in aliqua Eccleſia obligatur & Deo, & Eccleſiæ.*

Debitũ Eccleſiæ debet exſoluere vel per ſe ipſum ſi Eccleſia requirit reſidentiam, vel per Vicarium, ſi hoc ſufficit.

Debitum Deo debet exſoluere per ſe ipſum.

Ad hoc debitum exoluendum nõ refert quibus pſalmis, vel hymnis Deum laudet.

Debet tamen ſequi maiorum traditiones.

Quando aliquis eſt præbendatus in duabus Eccleſijs per diſpenſationem, in die, in quo dicuntur diuerſa officia in duabus ſuis Eccleſijs, dicat officium illius Eccleſiæ, in qua habet maiorem gradum, & ſufficit, quòd dicat vnũ officium.

Si eſt æqualis gradus in vtraque Eccleſia, debet dicere officium dignioris Eccleſiæ.

Si Eccleſiæ ſint æqualis dignitatis, poteſt dicere quod voluerit officiũ, ſi fuerit abſens ab vtraq.

Si fuerit præſens vni, ſe conformet illis, cum quibus conuerſatur,

5 *Qui iniuſtè habet duas præbendas, non tenetur ex præcepto Eccleſiæ recitare duo offitia, ſed iure naturæ.*

Si quis tenet vnum benefitium iuſtè, & aliud iniuſtè, tenebitur ad vnum officium ex præcepto Eccleſiæ, & ad aliud ex iure naturæ.

Habens

Habens plura benefitia iustè tenetur facere commemorationem illius Sancti, in cuius honorem benefitium erectum est, vel à quo Ecclesia illa particularis nomen accepit.

Si plura benefitia habeat, plures etiam commemorationes tenetur facere.

Omittens huiusmodi commemorationes peccat venialiter tantùm.

4 *Non est iniungendum ei, qui omisit aliquas horas canonicas, vt easdē recitet, sed aliquid aliud secundùm quantitatem delicti.*

5 *Quid confessarij iniungere debeant pœnitentibus pro omissione officij.*

Confessarius obliget talem pœnitentem ad restitutionem fructuum pro rata omissionis offitij.

Ponitur constitutio Concilij Lateranensis, & Bulla Pij quinti circa hoc.

Circa has constitutiones aliqua notantur, & quæ.

5 *Clericus beneficiatus existens in scholis tenetur dicere officium mortuorum, quod communiter dicitur ab Ecclesia in die animarum, & quod ex consuetudine semel dicitur in septimana.*

Clericus non tenetur dicere officium mortuorum, quod extraordinariè dicitur semel in aliqua Ecclesia.

6 *Officium mortuorum non debet prætermitti, nisi ob diem solemnem.*

Quæritur, quis teneatur ad horas canonicas.

1 Respondeo dicendum, quòd ad has septem horas tènetur Sacerdos, & alij Clerici constituti in sacris Ordinibus, siue habeant beneficium, siue non, & omnes illi, qui percipiunt Ecclesiastica stipendia, in quocunque ordine sint. arg. extra de pos. cap. 1. & ad heb. 2. sunt autem Ecclesiastici redditus deputati, vt ex eis sustentētur, qui in Ecclesia reddant Domino Diuina officia, vt extra de Cleric. cap. cum omni. opusculo 65. cap. 1. (4. sent. d. 15. q. 4. a. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ad septem horas tenetur Sacerdos, & alij Clerici constituti in sacris Ordinibus, siue habeant beneficium, siue non, & omnes illi, qui percipiūt Ecclesiastica stipendia, in quocunque ordine sint. probatur arg. extra, de pos. cap. 1. & ad heb. 2. secunda conclusio. sunt Ecclesiastici redditus deputati, vt ex his sustenrentur, qui in Ecclesia reddāt Domino Diuina officia. probatur vt extra, de Cleric. cap. cū omni.

Hoc in loco D. Thomas recenset duo genera personarum, quæ tenentur ad recitandum horas canonicas, in quorum primo collocantur sacerdos, & alij Clerici constituti in sacris Ordinibus, siue habeāt benefitium, siue non. in secundo collocantur omnes illi, qui percipiunt Ecclesiastica stipendia, in quocunque ordine sint, quibus ego addo Religiosos professos. quod Clerici in sacris ordinibus constituti teneantur ad horas canonicas, habetur in cap. dolentes de celeb. Missarum. & ex cap. Præsbyter. dist. 91. hic tamen obseruat Caietanus in summula verb. quis tenetur horas cano. quòd quamuis ex præcepto in iure contento soli Præsbyteri expressi inueniantur, communiter tamen tenetur, quòd quicunq; in sacro Ordine constitutus absque rationabili causa omittit officium, peccat mortaliter. ex quibus liquet Clericos non in sacris constitutos non teneri ad septem horarum canonicarum recitationem, sed solū tenebitur Clericus statim, quòd est Subdiaconatu initiatus, quia cū ad hoc onus obligetur ratione Ordinis sacri, hinc sequitur, quòd tenebitur ad recitationem horarum canonicarum statim, quòd Subdiaconatum suscepit. & aduerte, quod quando aliquis initiatur Subdiaconatu, non tenetur recitare totum officium illius diei, in quo ordinatur, sed tantùm tenetur recitare horas respondentes horæ, in qua ordinē Subdiaconatus suscepit, vnde non tenebitur recitare matutinum, & primam, sed solum tenebitur recitare officium iuxta horam, in qua promouetur ad subdiaconatum. idem dicendum est de beneficiato, & Religioso professo, quòd tantùm tenebuntur recitare officium iuxta horam, in qua beneficium recepit, vel professionem emisit, quia cum tota die non habuerit obligationē recitandi officium, non debet subire onus totius diei. si quis autem arguat, beneficiatum percipere fructus integros illius diei, ergo etiam tenebitur totum officium illius diei recitare. respondebitur negando consequentiam, quia licet habeat ius percipiendi fructus omnes, attamē obligatio recitandi officium Diuinum non incipit nisi post posessionem benefitij, & consequenter nō tenebitur nisi pro rata temporis, quo capta fuit. Clericus ergo omnis in sacris constitutus tenebitur ad septem horas canonicas, tenebitur, inquam, iure Ecclesiastico, cum etiam officium Diuinum sit institutum ab Ecclesia, siue sit Clericus degradatus, siue damnatus ad triremes, siue sit existens in peccato mortali. ratio primi est, quia licet sit degradatus, non amisit tamen caracterē Ordinis sacri, ratione cuius adest obligatio recitandi horas, nec vllo priuilegio eximitur ab onere, & obligatione per degradationem. ratio secundi est, quia licet sit damnatus ad triremes, nō per hoc amittit caracterem sacri Ordinis, nec vllo priuilegio eximitur ab hoc onere, aliter scelera sua atrocia illi fauerent. hęc tamen vera sunt nisi ob impotentiam, vel aliam iustam causam excusaretur. idem dic de Clerico existente inter Turchas. ratio tertij est, quia peccatum mortale non debet fauere illi, & illum eximere à tali onere, vnde talis dicetur satisfacere suæ obligationi quo ad substantiam, sicut etiam satisfaceret quo ad substantiam, qui ob finem mortalem recitaret horas canonicas, puta vt deciperet aliquem in re graui, quia malus finis non tollit substantiā operis. his omnibus addo, Clericum de consensu Papæ vxoratum teneri ad horas canonicas, nisi à Papa fuerit dispensatus etiam in hoc, quia dispensa-

pensatio ducendę vxoris non cōtinet exemptionem ab onere Diuini officij recitādi, & vlterius, quia adhuc caracterem retinet Ordinis sacri, ratione cuius viget obligatio recitandi Diuinum officium.

Quòd autem percipientes Ecclesiastica stipendia teneantur ad persoluēdum septem horas canonicas, in quacunque ordine sint, habetur in Concilio Lateranensi sub Leone decimo sess.9.& & in Bulla Pij Quinti relata à Nauarro in suo manuali cap. 25.nu.121. ratio etiam id suadet, quia in iure dicitur benefitium dari propter officium, officium autem in septem diuiditur horas canonicas. percipientes ergo Ecclesiastica stipendia, & habentes Ecclesiasticum benefitium, siue simplex, siue curatum, siue quemcunque redditum Ecclesiasticum, qui habetur sub titulo Clericali, nimirum qui non potest nisi Clericis dari, etiam si sint Clerici simplices, & solam primam tonsurum habentes, tenentur ad horas canonicas recitandū, vt habetur dist. 42. can. fin. & Panormi. cap. dolentes, de celeb. Miss. num. 4. affirmat in hoc omnes conuenire. hinc patet primò, illum teneri ad horas canonicas, qui benefitium habet integrè in comendam, quia licet hic non habeat titulum benefitij, attamen veram habet illius administrationem & substituitur in locum habentis benefitium cum tota obligatione. patet secundò, Equites Hierosolimitanos, & alios gaudentes commendis Ecclesiasticis teneri ad horas canonicas, quia dicuntur habere beneficia Ecclesiastica. loquor autem de comendis Ecclesiasticis, quia dantur aliquæ comendæ, quæ titulo sæculari conferuntur, istæ Diuini officij obligationem non inducunt. sequitur tertiò, illum, qui ob metum grauem sibi a Parente incussum acceptauit benefitium, teneri ad horas canonicas, etiamsi non habeat animum perseuerādi in statu Ecclesiastico, quia qui sentit commodum, debet sentire & onus; & vlterius iste gaudet benefitio, cui annexa est obligatio recitandi septem horas canonicas, à qua potest se eximere per resignationem benefitij. elicitur quartò, habentem Capellaniam teneri ad officium ratione capellaniæ, modo capellania sit Ecclesiastica, hæc siquidem benefitij nomine comprehenditur, dicitur autē Capellania Ecclesiastica, quæ auctoritate Episcopi erecta est, etiamsi bonis, seu ex patrimonio laicorum, aut aliorum erecta sit; vel Capellania Ecclesiastica dicitur illa, quæ ab Episcopo cōfertur, & hæc vtique computatur inter bona Ecclesiastica, & per consequens obligabit ad Diuinum officium recitandum. Capellania verò, quæ nundum erecta est auctoritate Episcopi, etiamsi ab Episcopo conferatur, non censetur benefitium Ecclesiasticum, quia nundum cōputata est inter bona Ecclesiastica, consequenter non obligat ad recitandum Diuinum officium. Capellania ergo Ecclesiastica, siue sit temporalis, & amouibilis ad nutum obligat ad recitationem Diuini officij, quia benefitium Ecclesiasticum facta est. si quis autem obijciat, quòd capellania ex patrimonio laicorum instituta, & auctoritate Episcopi erecta potest aliquando pueris laicis nundum suscepta prima tonsura conferri, & consequenter non videtur inter benefitia Ecclesiastica debere computari, quia benefitia Ecclesiastica ante primam tonsuram non possunt conferri. respondebitur, huiusmodi Capellaniam non esse benefitium Ecclesiasticum, pro illo scilicet tempore, quo primā tonsuram adhuc non suscepit, quando autem ad debitam ætatem peruenerit puer, tenebitur promoueri ad Clericalem statum, & Diuinum officiū persoluere. sequitur vlterius ex dictis, habentes pensiones nō teneri ąd septem horas canonicas, sicut nec habentes alios redditus Ecclesiasticos, qui etiam sæcularibus conceduntur, quia pensio non est beneficium propriè; tenebuntur tamē recitare officium Beatissimæ Virginis sub eadem pœna, sub qua beneficiarij tenentur ad recitationem Diuini officij. ratio desumitur ex dispositione Bullæ Pij Quinti, quam refert Nauarrus in manuali cap. 25. num. 102. si quis autem quærat, quis teneatur ad officium Beatissimæ Virginis, quando pensio reseruata fuit in capite, seu persona vnius, in commodum, & vtilitatem alterius. respondebitur eum teneri ad recitationem officij Beatissimæ Virginis, in cuius commodum pensio constituta est, quia iste propriè gaudet pensione, & eius emolumento fruitur, non autem alter, & hoc probatur ex regula iuris, qui senserit commodum, par est, vt sentiat incommodum. si quis iterum obijciat, quòd vterque potest dici pensionarius. respondebitur, vnum posse dici pensionarium titulo, alterum iure vtili, & fructuoso, vt colligitur ex verbis Bullæ Pij Quinti, iste ergo, non ille tenebitur ad onus recitandi officium B. Virginis. præterea ex dictis sequitur, coadiutorē beneficiarii non teneri ad recitandum horas canonicas ratione coadiutoriæ præcisè, tum quia obligatio recitandi Diuinum officium residet pęnes proprietarium, ergo nō pœnes coadiutorem, aliter duo ex eodem benefitio obligarentur ad Diuinum officium, quod non videtur admittendum; tum quia coadiutor non habet titulum, & possessionem benefitij, coadiutoria enim non est benefitium Ecclesiasticum ordinariè loquendo, sed est aliquid adiunctum benefitio. hic tamen aduerte, quòd si coadiutoria habeat rationem benefitij Ecclesiastici, coadiutor tenebitur ad persoluendum Diuinum officium, vt si coadiutori assignati sint prouentus, ad quorum titulum promoueri possit, quia tūc habet rationem benefitij. sequitur præterea ex præmissis, beneficiarium teneri ad Diuinum officium persoluendum, etiam si benefitium sit adeò tenue, vt non sufficiat ad vitæ sustentationem, vt notat Siluester verb. hora. q. 2. & ratio id suadet, quia dum spontè acceptat illud benefitium, spontè etiam subit onus recitandi horas canonicas. sequitur vlterius, beneficiarium, qui maiorem fructuum, & redditutum partem tradit Sacerdoti substituto ad peragenda, & sustinenda benefitij onera, aut dū sua volūtate, aut culpa benefitij fructus nō recipit, teneri adhuc ad recitandum officium, quia adhuc retinet benefitium cum iure ad fructus; & præterea licet

licet de præsenti fructus non percipiat, hoc tamẽ ex sua prouenit culpa, & poterit illos percipere, cum ius ad illos habeat, cum diligentiam circa illos percipiendos adhibebit. vlterius habemus ex supradictis, eum, cui resignatum est beneficiũ resignatis omnibus fructibus resignanti, teneri ad onus Diuini officij recitandi, quia verum habet beneficij titulum. hos particulares casus præter morem meum descripsi propter rudes Clericos, qui regulas in generali datas non capiunt. supradicti ergo omnes tenentur ad horas canonicas persoluẽdas ratione benefitij, & qui omittit eas, peccat mortaliter, & vltra peccatũ mortale tenetur etiã ad restitutionem aliquam redditus percepti iuxta Concilium Lateranense sub Leone decimo sess. 9. §. statuimus. circa hanc restitutionem legatur Toletus lib. 2. c. 13 n. 5. 6.

Tertium genus eorum, qui recitare tenentur horas canonicas, sunt Religiosi Clerici professi, & choro deputati, vnde Nouitij in anno probationis non tenentur ad persoluendum horas canonicas, vt communis tenet opinio. item nec cõuersi, siue laici, licet professi tenentur ad hoc onus, cum isti deputẽtur ad ministeria corporis. item nec qui ex instituto ad chorum non obligãtur, vt olim Iesuatæ, nunc autem Iesuitæ. religiosi ergo omnes Clerici professi, choro deputati tenentur ad recitandum horas canonicas, vt communis tenet opinio, vt notat Siluester verb. hora. qu. 2. vers. sextum. Dominicus Sotus lib. 10. de iustitia, & iure. q. 5. a. 3. ait, non esse, qui contrarium asserere audeat, nec ipse audet. & profectò omnes docent, eos teneri ad persoluẽdum horas canonicas. D. Antoninus 3. p. tit. 13. c. 4 Siluester verb. hora. q. 2. vers. sextum. Paludanus 4. sent. d. 15. q. 5. a. 1. Tabiena verb. horæ canonicæ num. 4. Dominicus Sotus lib. 10. de iustitia, & iure. qu. 5. a. 3. quo autem iure adhoc teneantur, diuersi diuersimodè loquuntur, nam quidam asserebant, eos teneri ex voto ex cap. licet, de voto, sed hæc opinio vera non est, quia in illo capite solum habetur, quòd si quis quid vouit, teneatur illud soluere, Religiosi autem tantum suscipiunt tria vota essentialia, & pollicentur viuere secundùm suas constitutiones. alij dicebant, teneri ad persoluẽdas horas canonicas ratione victus, quia eis eleemosinæ subministrantur, quibus viuant. sed nec hæc opinio vera est, quia, vt ait Armilla verb. horæ canonicæ. num. 4. victus eis debetur, ex quo dedicati sunt perpetuo seruitio Dei; quia etiam, vt ait Dominicus Sotus loco citato, eleemosinis non est annexum hoc onus recitandi horas canonicas. alij dicebãt, Religiosos professos, etiam in sacris non existentes teneri ex consuetudine ad persoluendas horas canonicas. hanc consuetudinem Caietanus verb. qui tenetur horas cano. ait, se non scire, si tamen detur, standum esse illi docet. Dominicus Sotus lib. 10. de iustitia, & iure. q. 5. art. 3 hanc consuetudinem vocat celeberrimam, laudabilem, vno antiquorum Patrum consensu approbatam, vim præcepti habentem, neque esse nudam consuetudinem, sed vt legem esse agnoscendam. huic opinioni adhærendùm esse censeo. tenẽtur ergo Religiosi professi, etiam non existentes in sacris ad recitãdum horas canonicas ex consuetudine celeberrima, vno antiquorum Patrum consensu approbata, & vim legis habẽte, quod his approbo rationibus, quarum prima desumitur ex Soto loco citato, vniuersi Religiosi tenentur in communi Diuinum officium celebrare, ergo quot quot eidem muneri addicti sunt, quoties choro defuerint, tenentur idem officium pendere, quod illic publicè canerent. antecedens probatur, quia cum Religiosi contemplationi addicti sint, Diuinis laudibus vacare debent, cum laudare Deum sit præcipuũ contemplationis munus. consequentia probatur à simili, sicut Clericus ratione Ordinis, ita Religiosus choro mancipatus ratione Religionis ad officium tenetur, quãdo à choro defuerit, ex hoc quod tota Religio eidẽ muneri mancipata est. secũda est, nullum ius, vel textus potest afferri, quo probetur ipsos ad onus Diuini obligari officij, ergo obligabuntur ex consuetudine approbata ex vno Patrum antiquorum consensu. probatur antecedens, quia non obligantur iure naturali, licet enim Religiosi teneantur perfectionem assequi, eam tamen alijs medijs, quàm horarum canonicarum recitatione consequi possunt. vlterius si tenerentur ad hoc onus iure naturæ, ergo ad hoc obligarentur omnes Religiosi, cum sit idem ius naturæ in omnibus; neque obligantur iure Diuino, vel humano canonico, quia cum nullum ius afferri possit, signum euidens est, ipsum non extare; neque obligantur ob eleemosinas, quia istæ non conferuntur cum hac conditione; neque ratione voti, vt diximus supra; nec ratione professionis, quia ista non obligat nisi ad tria vota essentialia. hinc elicimus primò, Religiosum trãseuntem de vna Religione, in qua recitatur Diuinum officium, ad aliam, in qua non recitatur, non teneri ad illud onus, quia consuetudo non obligat, vbi recepta non est. habemus secundò, Religiosos damnatos ad triremes non teneri ad horas canonicas, quia remouentur à statu, in quo consuetudo inualuit recitandi Diuinum officium, & transfertur ad statum, in quo non est huiusmodi consuetudo, & obligatio, quidquid circa hoc dicat Suarez tom. 2. de Relig. tract. 4. lib. 4. c. 17. Lessius lib. 2. cap. 37. quæ tamen diximus, vera sunt, si Religiosus damnatus ad triremes non sit initiatus sacris Ordinibus, quia si esset Ordine sacro insignitus, teneretur ad horas canonicas persoluendas ratione Ordinis sacri, licet non ratione professionis, sicut beneficiarius, qui resignauit benefitium, licet non teneatur amplius officium recitare ratione benefitij, tenetur tamen ad illud ratione Ordinis sacri, quo est insignitus. sequitur tertiò, Religiosum illum, qui habet facultatem viuendi in perpetuum extra monasterium, non teneri ad recitandas horas canonicas, quia non manet in Religione, in qua est consuetudo recitandi eas, quidquid dicat circa hoc Suarez loco citato. secus autem dicendum est de Religioso, qui facultatem habet manendi extra Religionem ad tempus, quia tunc non dicetur

cetur manere extra Religionem. hoc etiam verum est de Religioso non existente in sacris, quia si existeret in sacris, ad has teneretur, licet perpetuò maneret extra Religionem. quartò elicitur, Moniales professas teneri ad recitandas horas canonicas, vt communiter omnes docent, quia consuetudo laudabilis eas obligat.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Vasquez in opusc. de benef. c. 4. §. 1. artic. 1. dub. 1. Reginaldus lib. 18. num. 25. Filiucius tract. 23. ca. 4. Azorius p. p. lib. 10. c. 5. quæsit. 1. Suarez tom. 2. de Relig. tract. 4. lib. 4. c. 16. Toletus lib. 2. cap. 13. num. 1. 2. 3. Lessius lib. 2. cap. 37. dub. 9. & plures alij.

Quæritur, an omnes teneantur interesse in diebus festis horis canonicis.

2 Respondeo dicendum, quòd omnes ex canonum statuto tenentur diebus festis Diuinis officijs interesse, vt ministris pro populo orantibus suam intentionem conforment. 4. sent. dist. 15. quæst. 4. a. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est, omnes ex canonum statuto tenētur diebus festis Diuinis officijs interesse. probatur, vt ministris pro populo orantibus suam intentionem conforment.

Hoc in loco agitur de obligatione Christi fidelium in assistendo Diuinis officijs diebus festis, hoc enim ait esse statutum Canonum, & rationē reddit, vt ministris pro populo orantibus suam intentionem conforment. ex quo patet, omnibus, etiam qui Ecclesiæ ministerio non funguntur, ab Ecclesia determinatum tempus orandi statutum esse, nempe tempus dierum festorum. hæc Christi fideles perpendant, & exequantur.

Quæritur, an ille, qui est præbendatus in duabus Ecclesijs, in die, quo diuersum officium fit in vtraque Ecclesia, debeat vtrumque dicere.

3 Respondeo dicendum, quòd supposito, quòd aliquis licitè sit præbendatus in duabus Ecclesijs, scilicet ex dispensatione, considerandum est, quòd ille, qui in aliqua Ecclesiā præbendam accepit, duobus obligatur, scilicet Deo, vt ei debitas laudes exoluat pro eius beneficijs, & Ecclesiæ, de qua accipit sumptus, ea verò, quæ ad Ecclesiam pertinent, subiacent dispensationi Prælatorum Ecclesiæ, & ideò hoc debitum, quod debet Ecclesiæ, debet exoluere, secundùm quòd statutum est, vel per se ipsum, si sit præbenda, quæ requirat residentiam, vel per Vicarium, si hoc sufficiat secundùm Ecclesiæ statutum, ac consuetudinem, sed debitum, quod debet Deō, per se ipsum debet exsoluere, non refert autem quantùm ad Deum, quibus psalmis, & hymnis Deū laudet, vt puta vtrum dicat in vesperis, dixit Dominus, vel laudate pueri Dominū, nisi quantùm adhoc, quòd homo debet sequi maiorum traditiones, & quia laudes Deo debet, quasi vnus homo, sufficit, quòd semel officium dicat secundùm consuetudinem alicuius Ecclesiarum, quarum est Clericus, sed de electione officij rationabiliter videtur, quòd debeat dicere officiū illius Ecclesiæ, in qua maiorem gradum habet. puta si in vna sit Decanus, & in alia simplex Canonicus, debet dicere officium Ecclesiæ, in qua est Decanus, quòd si in vtraq; Ecclesia fuerit simplex Canonicus, debet dicere officium dignioris Ecclesiæ, quamuis fortè in minori Ecclesia habeat opulentiorem præbendam, quia temporalia nullius momenti sunt spiritualibus cōparata, si verò ambæ Ecclesiæ sunt æqualis dignitatis, potest eligere quodcunque officium magis voluerit, si fuerit ab vtraque Ecclesia absens, si autem fuerit in aliqua earum præsens, debet se conformare illis, cum quibus conuersatur. quodlibeto. pri. artic. 13.

Septuplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito præmisso supposito, quòd scilicet aliquis licitè sit præbēdatus in duabus Ecclesijs, scilicet ex dispensatione, & præmissa distinctione, quæ est, ille, qui in aliqua Ecclesia præbendā accipit, duobus obligatur, scilicet Deo, vt ei debitas laudes exsoluat pro eius beneficijs, & Ecclesiæ, de qua accipit sumptus. prima conclusio. debitum, quod debet Ecclesiæ, debet exsoluere secundùm quòd statutum est, vel per se ipsum, si sit præbenda, quæ requirat residentiam, vel per Vicarium, si hoc sufficiat secundùm Ecclesiæ statutum, ac cōsuetudinem. probatur, quia ea, quæ ad Ecclesiam pertinent, subiacent dispositioni Prælatorum Ecclesiæ. secunda conclusio. debitum, quod debet Deo, per seipsum debet exsoluere. hinc elicit corrolarium, non refert quantùm ad Deum, quibus psalmis, & hymnis Deum laudet, vt puta vtrum dicat in Vesperis, dixit Dominus, vel laudate pueri Dominum, nisi quātùm adhoc, quòd homo debet sequi maiorū traditiones. tertia conclusio. sufficit, quòd semel officium dicat secundùm cōsuetudinem alicuius Ecclesiarum, quarum est Clericus. probatur, quia laudes Deo debet, quasi vnus homo. quarta conclusio. de electione officij rationabiliter videtur, quòd debeat dicere officium illius Ecclesiæ, in qua maiorem gradū habet, puta si in vna sit Decanus, & in alia simplex Canonicus, debet dicere offitium Ecclesiæ, in qua est Decanus. quinta cōclusio.

clusio. si in vtraque Ecclesia fuerit simplex Canonicus, debet dicere officium dignioris Ecclesiæ, quãuis fortè in minori Ecclesia habeat opulentiorem præbendam. probatur vltima pars, quia temporalia nullius momenti sunt spiritualibus comparata. sexta conclusio. si ambæ Ecclesiæ sunt æqualis dignitatis, potest eligere quodcunque officium magis voluerit, si fuerit ab vtraque Ecclesia absens. septima conclusio. si fuerit in aliqua earum præsens, debet se conformare illis, cum quibus conuersatur.

Circa suppositum nota, quòd habere plures præbendas, siue plura beneficia est de numero eorum, quæ mala sunt, vt ait D. Thomas quodlib. 9. artic. 15. in corp. potest tamen fieri licitum ex dispensatione, quæ tamen debet habere causam, quæ debet esse in vtilitatem Ecclesiæ, vel ipsius necessitatem, & si non adsit talis causa, dispensatio non est bona, nec homo tutus est in conscientia, & coram Deo, vt supra verb. beneficium cap. 1. q. 8. exposuimus, attamen supposito, quòd licitè quis possideat plura beneficia, & quòd præbendatus licitè sit in duabus Ecclesijs, quæritur, an teneatur recitare duplex officium iuxta duplicem præbendam, quam possidet. cui quæsito respondet directè D. Thomas per tertiam conclusionem, nempe talem non teneri nisi ad recitandum vnum officium, quam vtique optima probat ratione, cui aliam addo ex Paludano 4. sent. d. 25. q. 5. quia scilicet Ecclesia licet præcipiat beneficiario recitationem septem horarũ canonicarum, non tamen præcipit, vt pluries eas recitet, si plura habeat beneficia. vlterius hoc probat praxis, & consuetudo communis. ex quibus patet, quòd siquis iniustè, & sine superioris legitima facultate plura possideat beneficia, licet præcepto Ecclesiæ ad plura non teneatur officia Diuina recitanda, attamen iure naturæ ad illa tenetur, quia contra volũtatem Ecclesiæ defraudat Deum debito obsequio, & seruitio, & priuat Ecclesiam officio, & ministerio. sequitur etiam, quòd si quis iustè vnum possideat beneficium, & alterum iniustè sine Papæ licentia, tenebitur ad persoluenda duo officia eadem ratione, quia vnum tenebitur recitare ex præcepto Ecclesiæ ratione beneficij iustè acquisiti, alterum autem tenebitur recitare iure naturæ ratione beneficij iniustè, & sine Papæ licentia posessi. obserua tamen, quòd licet habens plura beneficia iustè, & de licentia superioris non teneatur plura officia Diuina recitare, attamẽ tenetur illis diebus, quibus commemorationes fiunt, commemorationẽ facere illius Sancti, in cuius honorem beneficiũ erectũm est, vel à quo Ecclesia illa particularis nomen accepit, quia sic decernitur in rubricis, seu rituali breuiarij romani; immò si plura habeat beneficia, plures etiam commemorationes tenetur facere, quia eadem est ratio de omnibus; si quis tamen omittat huiusmodi commemorationes, peccabit tantum venialiter, quia leuis res est.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docent Henriquez lib. 5. c. 5. Garzias 3. p. cap. 1. Azorius lib. 10. cap. quarto. quæsito. 10. Suarez lib. quarto. cap. 19. Filiucius tom. 2. tract. 23. cap. 5. num. 135. & alij.

Quæritur, an ei, qui omisit Diuinum officium, sit iniungendum, quòd iterato dicat.

4 Respondeo dicendum, quòd in omni Diuino officio est hoc commune, quòd pertinet ad laudem Dei, & ad suffragium fidelium, sed distinguitur vnum officium ab alio secundùm diuersitatem temporum, & locorum, rationabiliter enim institutum est, vt diuersimodè Deus laudetur secundùm congruentiam temporum, & locorum, & ideò sicut in officijs Diuinis exoluendis obseruanda est congruitas loci, ita etiam congruitas temporis, quæ quidem obseruari non posset, si oporteret iniungere omittenti, quòd horas diceret, quas omisit, fortè enim in completorio diceret, Iam lucis orto sydere, & in tempore Paschali diceret officium Dominicę Passionis, quod esset absurdum, & ideò non videtur esse iniungendum ei, qui omisit Diuinum officium, quòd horas easdem repetat, sed aliquid ad Diuinam laudem pertinens, puta dicat septem Psalmos, vel vnum Psalterium, vel aliquid amplius secundùm quantitatem delicti. quodlibeto 3. artic. 29.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. non videtur esse iniungendum ei, qui omisit Diuinum officium, quòd horas easdem repetat, sed aliquid ad Diuinã laudem pertinens, puta septem psalmos, & vnum psalterium. vel aliquid amplius secundùm quantitatem delicti. probatur prima pars, quia sicut in officijs Diuinis exsoluendis obseruanda est congruitas loci, ita etiam congruitas temporis, quæ quidẽ obseruari nõ posset, si oporteret iniungere omittenti, quòd horas diceret, quas omisit, fortè enim in completorio diceret, Iam lucis orto sydere, & in tempore Paschali diceret officium Dominicæ Passionis, quod esset absurdum.

Conclusio D. Thomæ est consilium datum Cõfessarijs, ne scilicet Ecclesiasticis, qui recitare horas canonicas omiserunt, & hoc suum peccatũ ipsis confitentur, imponant pro pænitentia, vt horas omissas repetant, sed aliud imponendum est proportionatum negligentiæ eorum, vt scilicet recitent psalmos pænitentiales, vel psalteriũ, vel aliquid aliud maius iuxta quantitatem delicti omissionis officij Diuini. D. Thomam sequitur Siluester verb. hora. q. 13. huic consilio additur aliud, quòd si pænitentes, qui Diuinum omiserũt officium, sint beneficiati, eos obligent ad restitutionẽ fructuum pro rata omissionis officij, beneficiarius enim habens onus recitandi Diuinũ officium titulo beneficij tenetur etiam ante sen-

tentiam Iudicis ad restitutionem fructuum pro rata omissionis officij, si elapsis sex mensibus post obtentam beneficij possessionem officium culpabiliter non recitauerit, etiam si alio die pensum omissum supplere satagat, nisi fortè para omissa leuis sit, vt patet ex Cõcilio Lateranensi sub Leone decimo, & ex Bulla Pij Quinti, quam refert Nauarrus in manuali cap. 25. n. 122. quam etiam nos de verbo ad verbum referemus, sicut & verba Concilij, vt vnusquisque beneficiarius percipiat obligationem suam circa hoc. verba ergo Concilij Lateranensis sub Leone decimo sunt. statuimus quoque, & ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses obtento beneficio Diuinum officium non dixerit legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officij, & temporis, sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosinas erogare teneatur; si verò vltra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente beneficio ipso priuetur, cum propter officium detur beneficium. intelligatur autem officiũ omittere quo ad hoc, vt beneficio priuari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit, Deo tamen vltra præmissa de dicta omissione reddituri rationem; quæ pæna in habentibus plura beneficia reiterabilis toties sit, quoties contrafacere conuincantur. hoc decretum innouatum, declaratum, & auctum fuit à Pio Quinto in constitutione edita duodecimo Calẽdas Octobris 1571. quæ constitutio est.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriã. ex proximo Lateranẽsi Concillo salubris Sanctio emanauit, vt quicunque habens beneficium Ecclesiasticum cum cura, & sine cura, si post sex menses quàm illud obtinuerit, Diuinum officium legitimo cessante impedimento non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij, & temporis suos nõ faciat, sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosinas erogare teneatur. verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratę prædictæ ratio sit habenda. nos huic rei euidentius, atque expressius prouidere volentes statuimus, vt qui horas omnes canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fruct⁹, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidiè diuiderentur; qui verò matutinum, tantùm dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat, tametsi aliquis Choro addictus non recitãs omnibus horis canonicis cum alijs pręsens adsit, fructusque, & distributiones, fortè aliter assignatas sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucri fecisse prætendat; is etiam præter fructuum, & distributionũ amissionem graue peccatum intelligat se admisisse. item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse, declarantes præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacunque alia beneficia, & nullum seruitium omninò habentia obtinentes cum prædictis pariter conueniri. At quicunque pensiones, fructus, aut alias res Ecclesiasticas vt Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicẽdum officium paruum B. Mariæ Virg. decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.

Circa quas constitutiones aliqua sunt obseruãda, quorum primum est, quòd solum habentes beneficium, qualecũque sit illud, tenentur ad restitutionem fructuum pro rata, si horas canonicas vel in toto, vel in parte omiserint, qui autem nullum habent beneficium, ad nullius restitutionem tenebuntur, si omittant officium Diuinum, ad quod tenentur titulo alio, puta Ordinis sacri, vel professionis. sic habem⁹ expressè ex Concilio Lateranensi, & Bulla Pij Quinti, & ratio id suadet, quia sicut ex recitatione Diuini officij nullum sentit fructuum commodum, ita ex illius omissione nõ debet aliquod incommodum pati. secundum est, quòd Concilium, & Pius V. dum imponunt amissionem fructuum tanquam pænam, insinuant, quòd omissio recitationis Diuini officij sit culpabilis, pæna enim non debetur nisi pro culpa, si quis ergo omitteret recitationem horarum canonicarum sine culpa, puta ex obliuione, ex ignorantia inuincibili, aut ex legitimo impedimento, ad nullius rei restitutionem oblagaretur. aduerte tamen ex Toleto lib. 2. ca. 12. num. 6. quòd non quotiescunque aliquis peccat mortaliter circa officium soluendum, obligatur ad restitutionem, vt si recitet absque aduertentia, itaut nolit aduertere, mortaliter peccat, non tamen tenetur restituere, sed tantùm quando peccat mortaliter omittendo officium vel in toto, vel in parte. quidquid dicant plurimi recẽtiores, qui putant huiusmodi peccantem mortaliter in recitando officium teneri ad restitutionem, hac moti ratione, quia perindè est, acsi nõ recitasset, nam idem est aliquid non facere, & nõ facere rectè quo ad substantialia. cap. veniens. de Præsbyt. non baptiz. de substantia autem orationis est attentio. respondetur tamen, quòd idẽ est aliquid non facere, & non facere rectè quo ad Deum, & in foro conscientiæ, & sic intelligitur cap. veniens &c. non tamen in foro exteriori Ecclesiæ, quæ non iudicat de attentione, sed de recitatione horarum canonicarum, & cum in nostro casu iste recitet officium Diuinum, hinc est, quòd Ecclesia non intendet eum obligare ad hãc pænam restitutionis fructuum pro rata omissionis recitationis horarum canonicarum. tertium est, quod ille, qui omisit horas canonicas, vel aliquam earum, non eximitur ab obligatione restitutionis fructuũ pro rata, si illas recitet alio die, quia ex Concilio, & Pio Quinto elicimus eum, qui suo tempore non recitat horas canonicas, nõ facere fructus suos, tempus autem recitandi horas canonicas non est tempus sequentis diei; & vlte-

vlterius dum aliquis omisit officium Diuinum, iam contraxit obligationem restitutionis; præterea iam diximus obligationem recitandi Diuinum officium transire cum ipso die; deinde sicut non satisfacit præcepto ieiunij, & auditionis Missæ, qui alio die ieiunat, & audit Missam, ita nec satisfacit præcepto recitandi horas canonicas, qui alio die eas persoluit. quartum est desumptũ ex Nauarro in manuali cap. 25. num. 122. & Toleto lib. 2. cap. 12. n. 6. quòd si qui omisit officium Diuinum, & tenetur ad fructuum restitutionem pauperibus, vel fabricæ beneficiorum faciendam, sit pauper, sibi tanquam vni ex pauperibus potest illos sibi retinere saltem de consilio Confessarij, & in foro conscientiæ erit tutus, dummodo tamen iste occasionem non sumat vacãdi ab officio, vt loco citato aduertit Toletus. quintũ est, quòd qui Diuinum officium omisit primis sex mensibus, & ijs elapsis adhuc illud omittit, non tenetur nisi ad restitutionem fructuum perceptorum post sex menses, quia ex Concilio Lateranensi, & Pio Quinto clarè habemus, beneficiatos esse exẽptos à tali restitutione illis primis sex mensibus. sextum est, eum, qui omisit partem notabilem alicuius horæ non teneri ad restitutionem fructuum pro rata, licet peccet mortaliter, quia Pius Quintus, & Concilium non loquuntur nisi de omissione Diuini officij, vel horæ canonicæ, pars autem horæ non est officium Diuinum, nec hora; & vlterius pœnæ sunt restringendæ, cum autem pœnę sint contra non recitantes horas canonicas, non erunt extendendæ ad omittentes partẽ notabilem. eadẽ rõe dicimus, non teneri ad restitutionem eum, qui sæpius partem notabilem Diuini officij omisit, quamuis singulis omissionibus nõ respondeat pars notabilis fructuum, sed pars notabilis respõdeat omnibus omissionibus simul sumptis, quia Concilium, & Pius Quintus non loquuntur nisi de omissione Diuini officij, vel horæ canonicæ. eadem ratione dicimus, eum, qui in singulis horis paucos versiculos omisit, qui simul sumpti grauem materiam constituunt non teneri ad restitutionem. septimum est, eum, qui habet plura beneficia, teneri fructus omnium beneficiorum restituere, si Diuinum officium omittat, quia sicut ratione omnium tenebatur officium recitare, ita etiam fructus omnium pro rata officij dimissi restituere tenetur, vt constat ex bulla Pij Quinti.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quę docet Suarez lib. 4. c. 7. Filiucius tract. 23. quęsit. 7. Henriquez lib. 6. cap. 7. & alij.

Quæritur, an Clericus beneficiatus teneatur in scholis existens dicere officium mortuorum.

5 Respondeo dicendum, quòd Clericus ex hoc ipso, quòd est Clericus, & præcipuè in sacris Ordinibus constitutus, tenetur dicere horas canonicas, videntur enim tales specialiter esse assumpti ad laudem Diuinam secundùm illud Esaiæ 42. omnem, qui inuocat nomen meum, in laudem meam creaui illum, sed inquantùm est Clericus beneficiatus in hac Ecclesia, tenetur dicere officium secundùm modum illius Ecclesiæ. est ergo considerandum, quòd officium mortuorum quandoque in Ecclesia dicitur, sicut ordinariè pertinens ad Ecclesiæ officium, sicut in tota Ecclesia in die animarum dicitur officium pro mortuis, & in qualibet Ecclesia est aliqua super hoc specialis consuetudo, puta vt dicatur ordinariè officium mortuorum semel in septimana, vel qualitercunque aliter secundùm certum tempus, & ad huiusmodi officium mortuorum tenetur Clericus beneficiatus in aliqua Ecclesia, etiam in scholis existẽs; & per hoc satisfacit mortuis, quorum recipit bona; aliquando verò dicitur officiũ mortuorum in Ecclesia extraordinariè propter aliquam causam specialiter emergentem, puta ad preces alicuius personæ, vel propter aliquid huiusmodi, & ad huiusmodi non tenetur Clericus existẽs in scholis. quodlibeto 6. a. 8. in corp.

Triplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. Clericus ex hoc ipso quòd est Clericus, & pręcipuè in sacris Ordinibus constitutus, tenetur dicerę horas canonicas. probatur, quia videntur talęs specialiter esse assumpti ad laudem Diuinam secũdum illud Isaiæ 42. qui inuocat nomen meum, in laudem meam creaui illum. hinc elicit corrolarium. Clericus inquantum beneficiatus in hac Ecclesia tenetur dicere officium secundùm modum illius Ecclesiæ. secunda conclusio. tenetur Clericus beneficiatus in aliqua Ecclesia, etiam in scholis existẽs ad officium mortuorum, quod in die animarum in tota Ecclesia recitatur, & officiũ mortuorum, quod ordinariè ex consuetudine semel in septimana in aliqua Ecclesia recitatur. probatur, quia per hoc satisfacit pro mortuis, quorum recipit bona. tertia conclusio. Clericus existens in scholis non tenetur ad officium mortuorum, quod in Ecclesia extraordinariè propter aliquam causam specialiter emergentem, puta ad preces alicuius personæ, vel propter aliquid huiusmodi dicitur.

Quòd beneficiatus in aliqua Ecclesia teneatur dicere in die animarum officium mortuorum, patet ex hoc, quòd tenetur recitare ratione beneficij canonicas horas, in die autem animarum horæ canonicæ sunt de mortuis. quòd etiam teneatur in scholis existens dicere officium mortuorum, quod ordinariè ex consuetudine semel in hebdomada in sua Ecclesia recitatur, vt fit in Ordine Prædicatorum, patet ex ratione allata à D. Thoma in littera. hoc tamen verum esse de consuetudine, qua communiter tales se crediderunt

runt hactenus obligatos, docet Siluester verb. hora.q.6.quia consuetudo non obligat nisi ex intentione legislatoris, quam communis opinio manifestat, ficut in ordine Prædicatorum omnes tenentur ad officium mortuorum semel in hebdomada, quando in Ecclesia est dicendum, & hoc omni anni hebdomada inuiolabiliter obseruatur præter hebdomadam Paschæ Resurrectionis, & Pentecostes, tum quia ita est consuetudo communis, qua etiam communiter fratres se credunt obligatos, tum etiam quia quisque ad officium tenetur secundùm Ecclesiæ, cuius officium dicit, ordinationem, quæ ab hoc officio nullum excipit. idem docet Paludanus 4. sentent. d. 15. Armilla verb. horæ canonicæ. num. 9. Tabiena eodem verb.nu.12. quòd autem non teneatur ad officium mortuorum, quòd extraordinariè dicitur, patet ex hoc, quòd hoc dicitur aduentitiè,& iuxta occasionem eleemosinæ in dies oblatæ.

Quæritur, an liceat prætermittere officium mortuorum aliquando.

6 Respondeo dicendum, quòd non debet prætermittere officium mortuorum, quando dies solemnis non impedit, vt extra de celebrat. Miss. quidam cap. cum creatura. opusculo 65. cap.1.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito quæ est. non debet sacerdos prætermittere officium mortuorum, quando dies solemnis non impedit. probatur extra de celeb. Miss. quidam.cap.2.cum creatura.

Quando adest consuetudo dicendi officium defunctorum, debet illud recitare, quia consuetudo obligat, & vim legis obtinet, nisi dies solemnis impediat, ratione cuius in Ordine Prædicatorum duabus hebdomadibus, scilicet Paschæ Resurrectionis, & Pentecostes ob solemnitates officium mortuorum intermittitur.

HVMILITAS.

1 *Quid sit humilitas.*
2 *Quid pertineat ad humilitatem.*
3 *Ad humilitatem pertinet, vt quis reprimat seipsum, ne feratur in ea, quæ sunt supra se.*
3 *Humilitas præcipuè in anima consistit.*
In exterioribus actibus humilitatis est adhibenda moderatio, ne vergant in detrimentum alicuius.
Si quis faciat, quod debet, si inde aliquis sumat occasionem peccati, non imputatur humiliter agenti.
3 *Humilitas consistit in actibus internis, & externis.*
Ad veram humilitatem pertinet, quòd interiora respondeant exteriobus.
4 *Humilitas quando sit pœna.*
Humilitas quando sit virtus.
Humiliare se ipsum, ita vt se camparet iumentis insipientibus, est malum.
5 *Religio Humiliatorum quare sic dicta.*
5 *Duodecim sunt gradus humilitatis positi in Regula D. Benedicti.*
6 *Septem sunt gradus humilitatis secundùm D. Anselmum.*
7 *Tres sunt gradus humilitatis secundùm glosam.*
8 *Tendere ad maiora per virium confidentiam repugnat humilitati.*
Tendere ad altiora ex confidentia auxilij Diuini nō repugnat humilitati.
9 *Humilitas propriè respicit reuerentiam, qua homo Deo subijcitur.*
Quilibet homo secundùm id, quod suum est, debet se cuilibet proximo subijcere, quantū ad id, quod est Dei in se ipso.
Non requirit humilitas, vt aliquis id, quod est Dei in se ipso, subijciat ei, quod apparet esse Dei in altero.
Non hoc requirit humilitas, vt aliquis id, quod est suum in se ipso, subijciat ei, quod est hominis in proximo.

Quæritur, quid sit humilitas.

1 Respondeo dicendum, quòd humilitas est Virtus, quæ temperat, & refrenat animum, ne immoderatè tendat in excelsa. 2.2.quæst.161.artic. 1. in corp.

Quòd humilitas sit Virtus, quæ temperat, & refrenat animum, ne immoderatè tendat in excelsa, docet D. Thomas in hoc quæsito.

Legatur circa hoc quæsitum Caietanus defendens S. Doctorem contra Martinū de Magistris.

Quæritur, quid pertineat ad humilitatem.

2 Respondeo dicendum, quòd ad humilitatē pertinet, vt homo defectus proprios considerans se ipsum non extollat, sed hoc non pertinet ad humilitatem, sed potius ad ingratitudinem, quòd bona, quæ quis à Deo possidet, contemnat. 2.2.quæst.35. artic. 1. ad 3.

Duplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ad humilitatem pertinet, vt homo defectus proprios considerans se ipsum non extollat. secunda conclusio. non pertinet ad humilitatem, sed potius ad ingratitudinem, quòd bona, quæ quis à Deo possidet, contemnat.

Ad explicationem primæ cōclusionis obserua ex D. Thoma 2.2.q.61.artic. 2. in corp.quòd ad humilitatē propriè pertinet, vt aliquis reprimat seipsum, ne feratur in ea, quæ sunt supra se, adhoc autem necessarium est, vt aliquis cognoscat id, in quo deffieit à proportione eius, quod suam Virtutem excedit, & ideò cognitio proprij defectus pertinet ad humilitatum, sicut regula quædam directiua appetitus.

Quæritur, an humilitas sit circa interiora, an circa exteriora.

3 Respondeo dicendum, quòd humilitas, ficut

ſicut & cæteræ virtutes præcipuè interius in anima conſiſtit, & ideò poteſt homo ſecundùm interiorem actum animæ alteri ſe ſubijcere ſine hoc, quòd occaſionem habeat alicuius, quod pertineat ad detrimentum ſuæ ſalutis, & hoc eſt, quòd Auguſtinus dicit in Regula, timore coram Deo Prælatus ſubſtratus ſit pedibus veſtris; ſed in exterioribus humilitatis actibus, ſicut & in actibus cæterarum virtutum eſt debita moderatio adhibenda, ne poſſint vergere in detrimentum alterius: ſi autem aliquis, quod debet, faciat, & alij ex hoc occaſionem ſumant peccati, non imputatur humiliter agenti, quia ille non ſcandalizat, quãuis alter ſcandalizetur. 2.2. quæſt. 161. art. 3. ad 3.

Triplici concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito, quarum prima eſt. poteſt homo ſecundùm interiorem actum animæ alteri ſe ſubijcere, ſine hoc, quòd occaſionem habeat alicuius, quod pertineat ad detrimentum ſuæ ſalutis. probatur, quia humilitas, ſicut & cæteræ Virtutes præcipuè interius in anima conſiſtit. probatur etiam ex D. Auguſtino in regula, vt in littera. ſecunda concluſio. in exterioribus humilitatis actibus, ſicut & in actibus cæterarum Virtutum eſt debita moderatio adhibenda. probatur, ne poſſint vergere in detrimentum alterius. tertia concluſio. ſi aliquis, quod debet, faciat, & alij ex hoc occaſionem ſumant peccati, non imputatur humiliter agenti. probatur, quia ille non ſcãdalizat, quamuis alter ſcandalizetur.

Ex hoc loco habemus, humilitatem conſiſtere in actibus interioribus, puta in refrenatione animi, ne tendat in excelſa, & in actibus exterioribus, nempe in ſubiectione alterius, & huiuſmodi, ſed præcipuè in actibus interioribus, ſicut & cæteræ Virtutes, vt habemus ex Ariſt. lib. 2. eth. c. 5. quod autem pertinet ad interius, poteſt ſeruari abſque detrimento alterius ſalutis, quia hic actus latet, & ſoli Deo, & humilitatem ſeruanti notus eſt; exteriores autem actus humilitatis adhibendi ſunt cum moderamine, ne vergant in detrimentum ſalutis aliorum, vt puta ſi Prælatus ſigna exteriora humilitatis in ſubditum oſtenderet, poſſet tunc ſubditus efferri in ſuperbiam, vel contemnere auctoritatem Prælati iuxta illud D. Auguſtini in regula, nedum nimium ſeruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas, vbi dũ dicit, nimium, debitam moderationem excludit: ſi poſtea in actibus exterioribus humilitatis ſeruetur debita moderatio, & exinde aliqui ſumant occaſionem peccati, hoc non imputabitur agenti, & ſe humilianti, ſed ſcandalum patienti, tunc enim eſſet ſcandalum non actiuum, ſed paſſiuum. circa eãdem doctrinam obſerua, quod ad veram humilitatem requiritur, vt interiora reſpondeant exterioribus, quia ſi ſola exteriora humilitatis ſigna exhibeantur, eſt falſa humilitas, & eſt fictio, immò eſt magna ſuperbia, vt ait Auguſtinus in quadam epiſtola, & ratio aſſertur à D. Thoma 2.2. q. 161. artic. 1. ad 2. quia videtur tendere ad excellentiam gloriæ.

Quæritur, quando humilitas ſit pæna, & Virtus.

4 Reſpondeo dicendum, quòd ſicut Iſidorus dicit in lib. etimologiarum humilis dicitur, quaſi humi accliuis, ideſt imis inhærens, quod quidem cõtingit dupliciter, vno modo ex principio extrinſeco, puta cum aliquis ab alio deijcitur, & ſic humilitas eſt pęna, alio modo à principio intrinſeco, & hoc poteſt fieri quandoq; quidem benè, puta cum aliquis conſiderans ſuum defectum tenet ſe in infirmis ſecundùm ſuũ modum, ſicut Abraham dixit ad Dominum, Loquar ad Dominum meũ cum ſim puluis, & cinis, & hoc modo humilitas ponitur Virtus, quandoq; autem poteſt fieri malè puta cum homo honorem ſuum non intelligens comparat ſe iumentis inſipientibus, & ſimilis fit illis. 2.2. quæſt. 161. artic. 1. ad pri.

Triplici concluſione reſpondet D. Thomas huic quæſito præmiſſa diſtinctione, quæ eſt. cõtingit dupliciter, quòd aliquis ſit humilis, ideſt humi accliuis, & imis inhærens, hæc enim eſt etimologia humilis ſecundùm Iſidorum in lib. etimolog. vno modo ex principio extrinſeco, puta cum aliquis ab alio deijcitur, alio modo à principio intrinſeco, & hoc dupliciter adhuc poteſt fieri, quandoque quidem benè, quandoque poteſt fieri malè. prima concluſio. ſi quis fiat humilis, ideſt imis inhærens à principio extrinſeco, ſic humilitas eſt pæna. ſecunda concluſio. ſi quis fiat humilis, & imis inhærens à principio intrinſeco, & benè, puta cum aliquis conſiderans ſuum defectum tenet ſe in infimis ſecundùm ſuum modum, ſicut Abraham dixit ad Dominum, loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis, & cinis, ſic humilitas ponitur Virtus. tertia concluſio. quãdoq; aliquis fit humilis, ideſt imis inhærens malè, puta cum homo honorem ſuum non intelligẽs comparat ſe iumentis inſipientibus, & ſimilis fit illis.

Quòd humilitas procedẽs à principio extrinſeco ſit pæna, patet ex illo pſalmi 104. humiliauerunt in compedibus pedes eius; ſic etiam vocabatur olim Religio Humiliatorum, quia eius Auctores ab Imperatore exilio humiliati ſunt, vt legitur in hiſtorijs. quod autem humilitas procedens à principio intrinſeco, & benè ſit Virtus, patet ex hoc, quòd temperat, & refrenat animũ, ne immoderatè tendat in excelſa, quod Virtutis eſſe proprium, non eſt, qui dubitet, tunc autem non efferetur homo in excelſa, quando defectus proprios cognoſcet, qui potius occaſionem ſe deprimendi, quàm ſe extollendi præbent. exemplum

plum extat Abraham, qui humiliatus coram Deo aiebat, loquar ad Dominum meum, cum sim pulcris, & cinis. quando autem aliquis ita deprimit se, & imis ita inhæret, vt honorem suum, & dignitatem suam non agnoscens comparet se iumentis insipiētibus, & similis fiat illis, incidit in peccatum ironiæ, qua aliquis fingit minus de se, quā sit, vt suo loco dicetur.

Quæritur, quot sint grandus humilitatis.

5 Respondeo dicendum, quòd duodecim distinguuntur gradus humilitatis, qui in regula B. Benedicti ponuntur, quorum primus est, corde, & corpore semper humilitatem ostendere defixis in terram aspectibus. secundus, vt pauca verba, & rationabilia loquatur aliquis, non clamosa voce. tertius, vt non sit facilis, aut promptus in risum. quartus, taciturnitas vsque ad interrogationem. quintus, tenere, quod habet communis Monasterij regula. sextus, credere, & prononciare se omnibus viliorem. septimus, ad omnia indignum, & inutilem se confiteri, & credere. octauus, Cōfessio peccatorum. nonus, per obedientiam in duris, & asperis patientiam amplecti. decimus, vt cum obedientia se subdat maiori. vndecimus, vt voluntatem propriam nō delectetur implere. duodecimus, vt Deum timeat, & memor sit omnium, quę præcipit. 2.2.q.161.a.6.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. duodecim distinguuntur gradus humilitatis. probatur, quia sic habetur in regula D. Benedicti.

Sufficientia duodecim graduum humilitatis egregiè demonstratur à D. Thoma 2.2.q.61.art. 6. in corp. ad quem lectorem remittò. his gradibus humilitatis vellem attenderent, qui tendunt ad perfectionem.

Quæritur, quot sint gradus humilitatis secundùm Anselmum.

6 Respondeo dicendum, quòd Anselmus in lib. de similitudinibus ponit septem humilitatis gradus, quorum primus est, contemptibilem se esse cognoscere. secundus, de hoc dolere. tertius, hoc confiteri. quartus, hoc persuadere, vt scilicet hoc velit credi. quintus vt patienter sustineat hoc dici. sextus, vt patiatur contemptibiliter se tractari. septimus vt hoc amet. 2.2.quæst.161. artic. 6.

Septem esse gradus humilitatis secundùm D. Anselmum, docet D. Thomas hoc in loco. omnia clara in littera.

Cum secundùm Anselmum septem sint gradus humilitatis, videbuntur alicui superflui gradus positi à D. Benedicto in sua regula; sed quòd nō sint superflui, ostendit D. Thomas in hoc loco ad tertium.

Quæritur, quot sint humilitatis gradus secundùm Glosam.

7 Respondeo dicendum, quòd Matthæi 3. dicit glosa, perfecta humilitas tres habet gradus, primus est subdere se maiori, & non præferre se æquali, quod est sufficiens. secūdus est se subdere æquali, nec præferre se minori, & hoc dicitur abundans. tertius gradus est, subesse minori, in quo est omnis iustitia. 2. 2.q.161.ar.6.

Quòd secundùm glosam in Matheum 3. perfecta humilitas habeat tres grad', docet D. Thomas in hoc quæsito. omnia clara in littera.

Quòd etiam non sint superflui gradus duodecim positi à D. Benedicto, licet glosa ponat tantū tres grad', ostendit D. Thomas hoc in loco ad 4.

Quæritur, an tendere in altiora repugnet humilitati.

8 Respondeo dicendum, quòd tendere in aliqua maiora ex propriarum virium confidentia humilitati contrariatur, sed quòd aliquis ex confidentia Diuini auxilij in maiora tendat, hoc non est contra humilitatem, præsertim cum ex hoc aliquis magis apud Deū exaltetur, qui ei se magis per humilitatem subijcit, vndè Augustinus dicit in lib. de pænitentia, aliud est leuare se ad Deum, aliud est leuare se contra Deū, qui ante illum se proijcit, ab illo erigitur, qui aduersus illum se erigit, ab illo proijcitur. 2.2.q. 162.a.2.ad 2.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. tēdere in aliqua maiora ex propriarum virium confidentia humilitati contrariatur, sed quòd aliquis ex cōfidentia Diuini auxilij in maiora tendat, hoc non est contra humilitatem, cum ex hoc aliquis magis ad Deum exaltetur, qui ei se magis per humilitatem subijcit. probatur D. Augustino in lib. de Pænitentia.

Notentur, quæ circa hanc doctrinam obseruat Caietanus.

Quæritur, an homo debeat se omnibus per humilitatem subijcere.

9 Respondeo dicendum, quòd in homine duo possunt considerari, scilicet id, quod est Dei, & id, quòd est hominis, hominis autem est quidquid pertinet ad defectum, sed Dei est quidquid pertinet ad salutē, & perfe-

perfectionem, humilitas autem, sicut dictum est, propriè respicit reuerentiam, qua homo Deo subijcitur, & ideò quilibet homo secundùm id, quod suum est, debet se cuilibet proximo subijcere quantùm ad id, quod est Dei in ipso; nō autem hoc requirit humilitas, vt aliquis id, quod est Dei in seipso, subijciatur ei, quod apparet esse Dei in altero, nam illi, qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere, & ideò absque præiuditio humilitatis possunt dona, quæ ipsi acceperunt, præferre Dei donis, quæ alijs apparent collata; similiter etiam non hoc requirit humilitas, vt aliquis id, quod est suum in se ipso, subijciat ei, quod est hominis in proximo, alioquin oporteret, vt quilibet reputaret se magis peccatorem quolibet alio, cum tamē Apostolus absque preiudicio humilitatis dicat Galat. 2. nos natura Iudei, & nō ex gentibus peccatores. potest tamen aliquis reputare aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet, uel aliquid mali in se esse, quod in alio nō est, ex quo se potest ei subijcere per humilitatem. 2. 2. q. 161. a. 3. in corp.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito præmissa distinctione, quæ est, quòd in homine duo possunt considerari scilicet id, quod est Dei, & id, quod est hominis, hominis est quidquid pertinet ad defectum, sed Dei est quidquid pertinet ad salutem, & perfectionē. prima conclusio. quilibet homo secundum id, quod suum est, debet se cuilibet proximo subijcere quantùm ad id, quod est Dei in ipso, non autem hoc requirit humilitas, vt aliquis id, quod est Dei in seipso, subijciat ei, quod apparet esse Dei in altero. probatur prima pars, quia humilitas propriè respicit reuerētiam, qua homo Deo subijcitur. probatur secunda pars, nam illi, qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere, quòd probatur ex D. Paulo. 1. ad Corinth. 2. secunda conclusio. absque præiuditio humilitatis possunt dona, quæ ipsi acceperunt, præferre donis Dei, quæ alijs apparent collata. probatur ex D. Paulo ad ephes. 3. vt in littera. tertia cōclusio. non hoc requirit humilitas, vt aliquis id, quod est suum in se ipso, subijciat ei, quod est hominis in proximo. probatur, alioquin oporteret, vt quilibet reputaret se magis peccatorem quolibet alio, cum tamē Apostolus absque præiudicio humilitatis dicat Galat. 2. nos natura Iudei, & non non ex gentibus peccatores. quarta conclusio. potest aliquis reputare aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet, vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est, ex quo se potest ei subijcere per humilitatem.

Primum membrum distinctionis habetur ex Concilio Arautiacano can. 22. dicente, nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum.

F. Francisci Ghetij.

IACTANTIA.

1 *Iactantia quot modis sumatur.*
Quæ sit iactantia propriè.
§ *Quid nominis, & quid rei iactantiæ exponitur.*
2 *Iactantia secundùm se est aliquando peccatum mortale, & aliquando veniale.*
Iactātia considerata secundùm suam causam, si procedat ex causa, quæ sit peccatum mortale, erit peccatum mortale, alioquin erit veniale.
Iactātia procedens ex appetitu lucri magis est peccatum mortale.
Non tamen semper est peccatum mortale.
§ *Notantur octo casus, in quibus iactantia est peccatum mortale, extra quos erit ferè semper peccatum veniale tantùm.*
Iactantia sex habet capita, ex quibus discernitur, quantum peccatum sit, & quæ.
3 *Qui iactat se, vt iurgia concitet, peccat mortaliter.*
Quando iactantia est causa iurgiorum per accidēs, non est peccatum mortale.
§ *Qui se iactat hac intentione, vt iurgia concitet, peccat mortaliter.*
4 *Iactantia non semper est mendacium perniciosum.*
Quando iactantia sit mendacium perniciosum.
Iactantia aliquando reducitur ad mendacium iocosum.
Iactantia aliquando reducitur ad mendacium officiosum.
§ *Quid sit mendacium perniciosum, iocosum, offitiosum, explicatur.*
Ex qualitate mendacij dignosci potest quātitas peccati iactantiæ.
5 *Iactantia oritur ex superbia.*
Aliquando oritur ex arrogantia.
§ *Iactantia sumitur dupliciter, & quæ opponatur veritati, & quæ humilitati.*
6 *Opulentia est causa iactantiæ occasionaliter, & per modum finis.*

Quæritur, quid sit iactantia.

1 Respondeo dicendum, quòd iactantia propriè importare uidetur, quòd homo uerbis se extollat, illa enim, quæ uult homo longè iactare, in altum eleuat, tunc autem propriè aliquis se extollit quando de se supra se aliquid dicit, quod quidem contingit dupliciter, quandoque enim aliquis loquitur de se non quidem supra id, quod in se est, sed supra id, quod de eo homines opinātur, quod Apostolus refugiens dicit secundæ ad Corinthios 12. parco, nequis existimet me supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me; alio modo aliquis per verba se extollit loquēs de se supra id, quod in se est secundùm rei veritatem, & quia magis est aliquid iudicandum, secundùm quòd in se est, quàm secundùm quòd est in opinione aliorum,

inde est, quòd magis propriè dicitur iactātia, quando aliquis effert se supra id, quod in ipso est, quàm quando effert se supra id, quod est in opinione aliorum, quamuis vtroque modo iactantia dici possit. 2. 2. q. 112. artic. 1. in corp.

Triplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. iactantia propriè importare videtur, quòd homo verbis se extollat. probatur, quia illa, quæ vult homo longè iactare, in altum eleuat, tūc autem propriè aliquis se extollit, quando de se supra se aliquid dicit. secunda conclusio. contingit dupliciter, quòd aliquis de se supra se aliquid dicat. probatur, quia quandoque aliquis loquitur de se nō quidem supra id, quod in se est, sed supra id, quod de eo homines opinantur, quod Apostolus refugiens dicit 2. ad Corinth. 12. parco, nequis existimet me supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me; alio modo aliquis per verba se extollit loquens de se supra id, quod in se est secundùm rei veritatem. tertia conclusio. magis propriè dicitur iactātia, quando aliquis effert se supra id, quod in ipso est, quàm quando effert se supra id, quod est in opinione altiorum, quamuis vtroque modo iactantia dici possit. probatur, quia magis est aliquid iudicandum, secundùm quòd in se est, quàm secūdùm quòd est in opinione aliorum.

Ex hoc loco habemus quid nominis, & quid rei Iactantiæ, dicitur enim iactantia à iactando, sicut enim qui longè vult iactare aliqua, in altum eleuat ea, sic homo dicitur tunc se iactare, quando verbis se extollit, tunc autem propriè aliquis se extollit, quando de se supra se aliquid dicit, possumus autem sic eam diffiuire, quòd iactantia est vitium, quo quis se effert super id, quòd in eo est, vel homines in eo esse opinantur. dicitur primò esse vitium, quo quis se effert, scilicet verbis, vel factis, vt obseruat Siluester verb. iactantia, sed iactantia propriè fit verbis, impropriè autē factis, sicut cum quis se effert vestibus, & alijs pōpis, vnde iactantia dicitur manifestatio, quam quis de se facit verbis, & in hoc distinguitur à superbia, & vana gloria, nam superbia est appetitus excellentiæ, vanagloria autem est appetitus manifestationis, iactantia autem est ipsa manifestatio; vt autem ista manifestatio sit vitium, debet esse contra rationem, quia aliquando potest homo absque vitio se laudare, vt cum bono fine id facit, nec laus est supra id, quod res in se est: dicitur vlterius, cum se effert supra id, quod in eo est, vel homines in eo esse opinantur, quia aliquādo homo non est excellens in se, & tunc laudare se supra id, quod est, iactantia est. aliquādo licet in se reperiatur excellentia, non tamen ita æstimatur ab alijs, & tunc etiam laudare se supra id, quod est in aliorum opinione, iactantia est, nisi tamen ordinatè fiat, & secundùm rationem rectam.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus de septem peccatis mortalibus cap. 8. num. 1. 2. 3.

Quæritur, an iactantia sit peccatum mortale.

2 Respondeo dicendum, quòd peccatum mortale est, quod Charitati contrariatur, dupliciter ergo iactantia considerari potest, vno modo secundùm se, prout est mēdacium quoddam, & sic quandoq; est peccatum mortale, quandoque veniale; mortale quidem, quando aliquis iactanter de se profert, quod est contra gloriam Dei, sicut ex persona Regis Tiri dicitur Ezech. 28. eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum; vel etiam cōtra Charitatem proximi, sicut cum quis iactādo se ipsum prorumpit in contumelias aliorum, sicut habetur Lucæ 18. de Phariseo, qui dicebat, non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus; quādoque verò est peccatum veniale, quando scilicet aliquis de se talia iactat, quæ neque sunt contra Deum, neque contra proximum: alio modo potest considerari secundùm suam causam, scilicet superbiam, vel appetitum lucri, aut inanis gloriæ, & sic si procedat ex superbia, vel inani gloria, quę sit peccatum mortale, etiam iactantia erit peccatum mortale, alioquin erit peccatum veniale, sed quandoque aliquis prorumpit in iactantiam propter appetitum lucri, & hoc videtur iam pertinere ad proximi deceptionem, & damnum, & ideò talis iactantia magis est peccatum mortale, vndè & Phylosophus dicit in 4. eth. quòd turpior est, qui se iactat causa lucri, quàm qui se iactat causa gloriæ, vel honoris, non tamē semper est peccatum mortale, quia potest esse tale lucrum, ex quo alius non damnificatur. 2. 2. q. 112. a. 2. in corp.

Quadruplici conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. iactantia secundùm se, prout est mendacium quoddam, quandoque est peccatum mortale, quandoq; veniale. probatur prima pars, quia peccatum mortale est, quod Charitati contrariatur, sed iactantia aliquando est contra Charitatem Dei, vt Ezechiel. 28. & Lucæ 18. ergo &c. probatur secunda pars, quando scilicet aliquis de se talia iactat, quæ neque sunt contra Deum, neque contra proximum. secunda conclusio. iactantia secundùm suam causam considerata, si procedat ex superbia, vel inani gloria, quæ sit peccatum mortale, erit etiam ipsa peccatum mortale, alioquin erit peccatum veniale. hæc relinquitur nota ex terminis. tertia conclusio. iactantia propter appetitum lucri facta magis est peccatum mortale, quàm facta propter appetitum honoris, & gloriæ. probatur dupliciter, & primò quia appetitus talis

talis lucri videtur iā pertinere ad proximi deceptionem, & damnum. secundò probatur ex phylosopho 4. eth. quarta conclusio. iactantia propter appetitum lucri facta non semper est peccatum mortale. probatur, quia potest esse tale lucrum, ex quo alius non damnificatur.

Ad explicationem huius doctrinæ percipe casus, in quibus iactantia est peccatum mortale, extra quos ferè semper erit tantùm peccatum veniale. primus ergo erit, quando quis iactanter de se profert, quod est contra gloriam Dei. secundus est, quando quis profert id, quod est contra Charitatem proximi. tertius est, quando ex superbia, vel inani gloria mortali iactantia procedit. quartus est, quando quis ex cupiditate lucri cum damno proximi iactat se, cum damno proximi, inquit Caietanus hoc in loco, intus, vel extra, vt cum quis iactat se Doctorem, aut Medicū, & inde falsam doctrinam seminat, vel pecuniam exhaurit, aut corpora lædit. quintus est, quando quis adeò delectatur iactātia, vt in ea finem collocet, vt non curando præcepta Dei, vt appetitum suum impleat in se iactando; & hoc commune est omnibus vanis, quæ de genere suo sunt venialia. sextus est, quando quis iactat se de malo perpetrato; sed hanc actionem pertinere non ad iactantiæ, sed inanis gloriæ vitium asserit Caietanus hoc in loco iuxta illud psalmi, quid gloriaris in malitia. & ratio id suadet, quia iactantia mendacium exigit, quoniam species non est separabilis à suo genere, inanis autem gloria non requirit mendacium. septimus casus est, quando aliquis iactat se de malo, quod non fecit, hæc enim iactantia habet mendacium perniciosum, pro quanto seipsum infamat. hic tamen casus cōprehenditur sub secundo posito a D. Thoma, sub nomine enim Charitatis proximi intelligitur etiam Charitas sui ipsius. octauus casus est, quādo iactantia fit ob aliquem finem, qui sit peccatū mortale. sed hoc etiam est commune omni vitio. obserua etiam, quòd iactantia sex habet capita, ex quibus discerni potest, quantum peccatum sit, vt notat Caietanus in summula verb. iactantia. primum est mendacium, iactantia enim est species mēdacij, opponitur siquidem veritati per modum excessus; discerne autem, an interueniat iactando mendacium perniciosum, aut officiosum, aut iocosum, & iuxta qualitatem mēdacij iudica de quantitate peccati iactantiæ. secundum est laus inclusa, quia qui se iactat, non purè narrat, sed tanquam narrans laudat. discernere tunc etiam oportet, an laus sit perniciosa, officiosa, aut iocosa. tunc laus censetur perniciosa, quando laudatur aliquid contra Deum, aut proximum. tertium est arrogantia, quando est iactantiæ efficiens causa. discernere tunc etiā oportet, an talis arrogantia sit perniciosa. quartum est inanis gloria, propter quā quis se iactat; & tunc attendere debemus, si ponitur in ea finis vltimus. quintum est lucrum, propter quod quis quandoque se iactat, & tunc inspiciendum est, an sit in damnum proximi. sextum est vanitas, ex qua multi se iactant, & hoc patet esse veniale peccatum. ex his habemus, quòd nisi perniciosa sit iactantia ex intentione, aut materia contra Deum, aut proximum, venialis est, & frequens humanis generis labes, vt ait loco citato Caietanus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Toletus lib. de septem peccatis mortalibus cap. 8. num. 4. & 5.

Quæritur, an iactantia, ex qua oriuntur iurgia, sit peccatum mortale.

3 Respondeo dicendum, quòd ille, qui iactat se adhoc, quòd iurgia concitet, peccat mortaliter, sed quandoque contingit, quòd iactantia est causa iurgiorum nō per se, sed per accidens, vnde ex hoc iactantia non est peccatum mortale. 2. 2. quæst. 112. artic. 2. ad 1.

Duplici cōclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. ille, qui iactat se adhoc quòd iurgia concitet, peccat mortaliter. secunda conclusio. quando contingit, quòd iactātia est causa iurgiorum non per se, sed per accidens, non est peccatum mortale.

Prima cōclusio vera est de eo, qui se iactat hac intentione, vt iurgia concitet; & profectò talis iactator peccat mortaliter, quia per se talis iactantia est causa iurgiorum, & detestatur Deus eos, qui seminant discordias, vt habetur prouerb. 6.

Quæritur, an iactantia sit mendacium, & quod.

4 Respondeo dicendum, quòd non semper iactantia importat mendacium perniciosum, sed solùm quando est contra Charitatem Dei, aut proximi, aut secundùm se, aut secundùm suam causam; quòd autē aliquis se iactet, quasi ex hoc ipso delectatus, est quoddam vanum, vt Phylosophus dicit, vndè reducitur ad mendacium iocosum, nisi fortè hoc Diuinæ dilectioni præferret, vt propter hoc Dei præcepta contemneret, sic enim esset contra Charitatē Dei, in quo solo mens nostra debet quiescere, sicut in vltimo fine; videtur autem ad mendacium officiosum pertinere, cum aliquis adhoc se iactat, vt gloriam, vel lucrū acquirat, dummodo hoc sit sine damno aliorum, quia hoc iam pertinet ad mēdacium perniciosum. 2. 2. quæst. 112. artic. 2. ad 3. (q. 162. a. 4. ad 2.

Triplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. non semper iactantia importat mendacium perniciosum, sed solū quando est contra Charitatem Dei, aut proximi, aut secundùm se, aut secundùm suam causam. hæc probatur ex sequentibus conclusionibus, & patet

ex terminis. secunda conclusio. quòd aliquis se iactet quasi ex hoc ipso delectatus, est quoddam vanum. probatur ex phylosopho lib. 4. eth. cap. 7. hinc elicit corrolarium, quòd talis iactantia reducitur ad mendacium iocosum, nisi fortè hoc Diuinæ dilectioni præferret, vt propter hoc Dei præcepta contemneret, sic enim esset cōtra Charitatē Dei, in quo solo mens nostra debet quiescere, sicut in vltimo fine. tertia conclusio. videtur ad mendacium offitiosum pertinere, cum aliquis adhoc se iactat, vt lucrum acquirat, dummodo hoc fit sine damno aliorum. probatur secūda pars, quia hoc iam pertineret ad mendacium perniciosum.

Ex hac doctrina habemus, quid sit mendacium perniciosum, iocosum, officiosum in iactātia importata. mendacium ergo perniciosum importatum per iactantiam est, quod est contra Charitatem Dei, & proximi. mendacium iocosum per iactantiam importatum est, quod causa delectationis, & ioci fit. mendacium officiciosum per iactantiam importatum est, quod fit causa gloriæ, vel lucri, si tamen fit sine damno alterius. ex his iudicare potest quis, quando iactantia sic peccatum mortale, & quando veniale, puta ex qualitate mendacij iudicare poterit quantitatem peccati iactantiæ.

Quæritur, à quo oriatur iactantia.

5 Respondeo dicendum, quòd si iactantia consideretur secundùm causam suam, ex qua etsi non semper, tamen frequentius accidit, sic procedit quidem ex superbia, sicut ex causa interius motiua, & impellente, ex hoc enim quòd aliquis interius per arrogantiam supra se ipsum eleuatur, sequitur plerumque, quòd exterius maiora quædam de se iactet, licet quandoque non ex arrogātia, sed ex quadam vanitate aliquis ad iactantiam procedat, & in hoc delectatur, quia talis est secundùm habitum, & ideò arrogātia, per quam aliquis supra se ipsum ex tollitur, est species superbiæ, non tñ est idem iactantiæ, sed vt frequencius eius causa. 2.2. q.112.a.1.ad 2.

Triplici conclusione respōdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. si iactantia consideretur secundùm causam suam, ex qua etsi non sēper, tamen frequenter accidit, sic procedit ex superbia, sicut ex causa interius motiua, & impellente. probatur, quia ex hoc quòd aliquis interius per arrogantiam supra seipsum eleuatur, sequitur plerumque, quòd exterius maiora quędā de se iactet. secunda conclusio. quandoq; non ex arrogantia, sed ex quadam vanitate aliquis ad iactātiam procedit, & in hoc delectatur. probatur, quia talis est secundùm habitum. tertia conclusio. arrogantia, per quam aliquis supra se ipsum extollitur, est species superbiæ, non tamen est idē iactantiæ, sed vt frequentius eius causa.

Circa primam conclusionem obserua, quòd iactantiæ peccatum considerari potest dupliciter, vno modo secundùm speciem actus, alio modo secundùm suam causam. iactantia primo modo sumpta opponitur veritati, vt ait Arist. 2. eth. c. 7. & 4. eth. cap. 7. iactantia secundo modo sumpta opponitur humilitati, quia tunc est species superbiæ, cui opponitur humilitas, vt habemus ex D. Gregorio 21. moraliū, & aduerte, quòd nomine causæ intelligit S. Thomas causam effectiuam, & causam finalem, causa effectiua iactantiæ est superbia, siue arrogantia, oritur etiam ex vanitate quadam, causa finalis iactantiæ est inanis gloria, vt ait D. Gregorius lib. 31. ca. 21. inquantùm iactator plerumq; ad hoc tendit, quòd gloriam cōsequatur per suam iactantiam.

Quæritur, an iactantia oriatur ex opulentia.

6 Respondeo dicendum, quòd opulentia etiam iactantiam causat dupliciter, vno modo occasionaliter, inquātùm de diuitijs aliquis superbit, alio modo per modum finis, quia vt dicitur in 4. eth. aliqui se ipsos iactant non solùm propter gloriam, sed etiam propter lucrū, vt qui de se ipsis fingunt ea, ex quibus lucrari possunt, puta quòd sint medici, vel sapientes, vel Diuini. 2.2. q.112. artic. 1. ad 3.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. opulētia causat iactantiam dupliciter, vno modo occasionaliter, alio modo p modum finis. probatur prima pars, quia de diuitijs aliquis superbit, vnde signanter prouerb. 8. opes dicuntur superbę. secunda pars probatur, quia vt dicatur in 4. eth. aliqui se ipsos iactant nō solum propter gloriam, sed etiam propter lucrū, vt qui de seipsis fingunt ea, ex quibus lucrari possunt, puta quòd sint Medici, vel sapientes, vel Diuini.

Quòd iactantia causetur occasionaliter ex opulentia, experientia quotidiana testatur, cernimus enim diuites licet ex infimis natos, & originem trahentes, ita eleuari supra se, vt omnia præsumant, omnia prætendant, nulli cædant, omnes despiciant, se ipsos exaltent, alios deijciant, se ipsos magnificent, alios paruifaciant, seipsos laudent, alios vituperent.

IDOLATRIA.

1 *Idolatria est species superstitionis.*
§ *Quid sit idolatria.*
De ratione idolatriæ sunt duo, & quæ.
Vnde dicatur idolatria.
2 *Idolatria est peccatum.*
§ *Idolatria exterior est grauius peccatum intensiuè idolatria interiori.*
Idolatria interior est grauius peccatum extensiuè, quàm idolatria exterior.

Idola-

Idolatra merè exterior non est excommunicatus in foro interiori, licet in foro exteriori censeatur excommunicatus:
3 *Idolatria secundùm se est grauissimam peccatum.*
Ex parte peccantis hæresis, & quædam alia peccata sunt grauiora Idolatria.
§ *Quæ idolatria est grauissimum omnium peccatorũ.*
Odium Dei in quo sensu sit grauius peccatum idolatria.
4 *Idolatria præsuponit interiorem infidelitatem.*
Idolatria addit supra infidelitatem exterius indebitum cultum.
Si idolatria sit tantùm exterior, additur culpa falsitatis.
5 *Idolatria includit magnam blasphemiam.*
6 *Hæresis Manicheorum non est grauius peccatum quàm cæterorum Idolatrarum.*
§ *Hæresis Manicheorum includit Idolatriam:*
7 *Idolatria causa dispositiua fuit ex parte hominis tripliciter.*
Causa cõsumatiua idolatriæ fuit ex parte Dæmonis.
8 *Omnes Dij Gentium sunt dæmonia causaliter, non essentialiter.*
8 *Qua ratione idolatria dicatur causa, initium, finis omnis peccati.*
§ *Idolatria est causa omnis peccati in genere causæ efficientis, & finalis, & quomodo.*
9 *Hostiam non consecratam pro consecratã exhibens facit idolatrare.*
§ *Adorantes Hostiam non consecratam putantes esse consecratam committunt idolatriam materialem, nec sunt excommunicati.*
Sacerdotes exhibentes Hostiam nõ consecratam pro consecratã digni sunt animaduersione.
10 *Qui adorat Hostiam non consecratam, eam debet adorare sub conditione, si est consecrata.*
Non est necesse, quòd ista conditio sit semper actu explicata, sed sufficit, quòd habitu.
Adorans Hostiam non cõsecratam pro consecrata, putans tamen eam esse consecratã, non peccat.

Quæritur, an idolatria rectè ponatur superstitionis species.

1 Respondeo dicendum, quòd ad superstitionem pertinet excedere debitum modum Diuini cultus, quod quidem præcipuè fit, quando Diuinus cultus exhibetur, cui non debet exhiberi, debet autem exhiberi soli sũmo Deo, scilicet increato, & ideò cuicunq; creaturæ Diuinus cultus exhibeatur, superstitiosum est, huiusmodi autem cultus Diuinus, sicut creaturę insensibili exhibebatur per aliqua sensibilia signa, puta sacrificia, ludos, & alia huiusmodi, ita etiã exhibebatur creaturæ è conuersò repræsentante per aliquam sensibilem formam, seu figuram, quæ idolũ dicitur, diuersimodè tamen cultus Diuinus idolis exhibebatur, quidam enim per quãdam nefariam artem imagines quasdã cõstituebant, quæ virtute Dæmonis aliquos certos effectus habebant, vndè putabant in ipsis imaginibus esse aliquid Diuinitatis, & per consequens quòd Diuinus cultus eis deberetur, & hæc fuit opinio Hermetis, Trimegisti, & Augustinus dicit in 8. de Ciuit. Dei. alij verò non exhibebant cultum Diuinitatis ipsis imaginibus, sed creaturis, quarum erant imagines, & vtrumq; eorum tangit Apostolus ad Romanos primo, nam quantùm ad primum dicit, mutauerũt gloriam immutabilis Dei in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum; quantùm autem ad secundùm subdit, coluerunt, seruierunt potius creaturæ, quàm Creatori, horum tamen fuit triplex opinio, quidam enim existimabãt, quosdam homines Deos fuisse, quos per eorum imagines colebant, sicut Iouem, Mercurium, & alios huiusmodi, quidam verò existimabant totum mundum esse vnum Deum, non propter corporalem substantiam, sed propter animam, quam Deum esse credebant, dicentes Deũ nihil aliud esse, quàm animam motu, & ratione mundum gubernantem, sicut homo dicitur sapiens propter animam, non propter corpus, vndè putabant toti mundo, & omnibus partibus eius esse cultum Diuinitatis exhibendum cælo, aeri, aquæ, & omnibus huiusmodi partibus, & adhæc referebant nomina, & imagines suorum Deorũ, sicut Varro dicebat, vt narrat Augustinus in 7. de Ciuit. Dei. alij verò scilicet Platonici posuerunt vnum esse summum Deum causam omnium, post quem ponebant esse substantias quasdam spirituales à summo Deo creatas, quas Deos nominabant participatione scilicet Diuinitatis, nos autem eos Angelos dicimus, post quos ponebant animas cælestium corporum, & sub his Dæmones, quos dicebant esse aerea quædam animalia, & sub his ponabant animas hominũ, quas per Virtutis meritum ad Deorum, vel Dæmonum societatem assumi credebant, & his omnibus cultum Diuinitatis exhibebant, vt Augustinus narrat in 18. de Ciuit. Dei. has autem duas vltimas opiniones dicebant pertinere ad physicam Theologiam, quam Phylosophi considerabant in mundo, & docebant in Scholis; aliam vero de cultu hominum dicebant pertinere ad Theologiam tabularem, quæ secundùm

dum figmenta poetarum repræsentabatur in theatris, aliam vero opinionem de imaginibus dicebãt pertinere ad ciuilem Theologiam, quæ per Pontificem celebrabatur in templis, omnia autem hæc ad superstitionem idolatriæ pertinebant, vnde Augustinus dicit in 2. de Doctrina Christiana. superstitiosum est quidquid institutum est ab hominibus ad facienda, & colenda Idola, vel pertinens ad colendum sicut Deum creaturam, partemue vllam creaturæ. 2. 2. q. 94. a. 1. in corp. (3. contra gentes ca. 120. (3. sent. d. nona q. 1. a. 1. quæstiunc. 3. ad 3.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarũ prima est. cuicunq; Creaturæ Diuinus cultus exhibeatur, superstitiosum est. probatur, ad superstitionem pertinet excedere debitum modum Diuini cultus, quod præcipuè fit, quando Diuinus cultus exhibetur, cui non debet exhiberi, sed debet exhiberi soli Deo, scilicet increato, ergo &c. secunda conclusio. omnia, quibus creaturæ Diuinus cultus exhibetur, ad superstitionem idolatriç pertinent. probatur dupliciter, & primò quia omnia hæc pertinent ad Diuinum cultum creaturæ sub quibusdam idolis repræsentatæ exhibitum. secundò probatur ex D. Augustino in 2. dẽ doctrina Christiana. c. 20. dicente, superstitiosum est quidquid institutum ab hominibus est ad facienda, & colenda idola, vel pertinens ad colendum, sicut Deum, Creaturam, partemue vllam creaturæ.

Quòd idolatria propriè sit species superstitionis, patet ex illo, quod legitur Actorum 17. vbi habetur, quòd Paulus videns Athænienses idolatriç deditos ait, viri Athçnienses per omnia quasi superstitiosos vos video. ex dictis etiam elicimus diffinitionem idolatriæ, quòd idolatria est cultus, quo Diuinus honor tribuitur creaturæ alicui, sicut Deo, vnde de ratione idolatriæ duo requiruntur, quorum primum est, vt honor, & cultus, qui Deo est debitus, tribuatur creaturæ. secundum est, vt honor illi tribuatur creaturæ, sicut Deo. legantur vltra D. Thomam Alensis in summa p. 2. q. 158. memb. 1. D. Bonauentura. 3. sent. d. 37. dicitur autem idolatria ab idolo, quòd est effigies alicuiꝰ falsi Numinis ad differẽtiam imaginis Dei, Sanctorum, quæ nunquam appellatur idolum.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hauserunt, quæ docent Valentia 2. 2. disp. 6. qu. 1. p. 3. Sanchez in opere manuali lib. 2. cap. 37. Reginaldus lib. 17. num. 147.

Quæritur, an Idolatria sit peccatum.

2 Respondeo dicendum, quòd circa hoc aliqui dupliciter errauerunt, quidam putauerunt, quòd offerre sacrificium, & alia ad latriam pertinentia non solum summo Deo, sed etiam alijs supradictis esset debitum, & per se bonum, eo quòd cuilibet superiori naturę Diuinam reuerentiam exhibendam putant, quasi Deo propinquiori. sed hoc irrationabiliter dicitur, nam etsi omnes superiores reuereri debeamus, nõ tamen eadem reuerentia omnibus debetur, sed aliquid speciale summo Deo debetur, qui singulari ratione omnes excellit, & hoc est latriæ cultus; nec potest dici sicut quidam putauerunt hæc visibilia sacrificia Dijs alijs congruere, illi vero summo Deo tanquam meliori meliora scilicet puræ mẽtis officia, quia vt Augustinus dicit in 10. Ciuit. Dei, exteriora sacrificia ita sunt signa interiorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum, quocirca sicut orantes, atq; laudãtes ad eum dirigimus significantes voces, cui tamen res ipsas in corde, quas significamus, offerimus, ita significantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse nouerimus, quàm ei, cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificium nos ipsi esse debemus. alij verò æstimauerunt, latriæ cultum exteriorem non esse idolis exhibendum, tanquam per se bonum, aut opportunum, sed tanquam vulgari consuetudini consonum, vt Augustinus in 6. de Ciuit. Dei introducit Senecam dicentem sic, inquit, adorabimus, vt & meminerimus huiusmodi cultum magis ad morem, quàm ad rem pertinere, & in lib. de vera Religione Augustinus dicit, non esse Religionem à Phylosophis quęrendam, qui eadem Sacra recipiebant cum populis, & de suorum Deorum natura, ac summo bono diuersas, contrariasq; sententias in scholis personabant, & hunc etiam errorem sequuti sunt quidam hæretici asserentes non esse periculosum, si quis persecutionis tempore depræhẽsus exterius idola colat, dum tamen fidem in mente seruet. sed hoc apparet manifestè falsum, nam cum exterior cultus sit signum interioris cultus, sicut est perniciosum mendacium, si quis verbis asserat contrarium eius, quod per veram fidem tenet in corde, ita etiam est perniciosa falsitas, si quis exteriorem cultũ exhibeat alicui contra id, quod sentit in mente, vnde Augustinus dicit contra Senecam in 6. de Ciuit. Dei, quòd eò damnabilius colebat idola, quò illa, quæ mendaciter agebat, sic ageret, vt eum populus veraciter agere existimaret. 2. 2. q. 94. ar. 2. in corp. (3. contra gentes cap. 120.

D. Thomas hoc in loco duos confutat errores, quorum primus erat putantium, quòd offerre sacrifi-

crificium, & alia ad latriam pertinentia non solù summo Deo, sed etiam alijs supradictis esset debitum, & per se bonum, eo quòd cuilibet superiori naturæ Diuinam reuerentiam exhibendam putant, quasi Deo propinquiori. confutatur hoc tã-quam irrationabiliter dictum, quia etsi omnes superiores reuereri debeamus, non tamen eadem reuerentia omnibus debetur, sed aliquid speciale summo Deo debetur, qui singulari ratione omnes excellit, & hoc est latriæ cultus. nec potest dici, sicut quidam putauerunt, hæc visibilia sacrifitia Dijs alijs congruere, illi vero summo Deo tanquam meliori meliora scilicet puræ mentis offitia, quia vt Augustinus dicit in 10. de Ciuit. Dei. c. 19. exteriora sacrifitia ita sunt signa interiorũ, sicut verba sonantia signa sunt rerum, quo circa sicut orantes, aut laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui tamen res ipsas in corde, quas significamus, offerimus, ita significantes nõ alteri visibile sacrificium offerendum esse nouerimus, quàm ei, cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificium nos ipsi esse debemus. secũdus error erat æstimantium, latriæ cultum exteriorem non esse idolis exhibendum tanquam per se bonũ, aut opportunum, sed tanquam vulgari consuetudini consonum. hunc errorem secuti sunt quidam hæretici asserentes, non esse periculosum, si quis persecutionis tempore depræhensus exterius idola colat, dum tamen in mente fidem seruet. confutatur, quia cum exterior cultus sit signum interioris cultus, sicut est perniciosum mendacium, si quis verbis asserat contrarium eius, quod per veram fidem tenet in corde, ita etiam est perniciosa falsitas, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod sentit in mente, quod probat ex D. Augustino, vt in littera. ex his elicitur talis conclusio responsiua quęsito, quòd idolatria est peccatum.

Occasione doctrinæ traditæ in confutatione secũdi erroris, quem secuti sunt quidam hæretici, vidẽdum est, quodnam maius peccatum sit, idolatria interior, an exterior in hoc dubio comparatur idolatria interior alicuius, qui est etiam infidelis, cum idolatria exteriori alterius, qui tamen non est infidelis, sed tamen directè, vel indirectè saltem ob actus circonstantias vult ad creaturam Diuinum honorem actu suo redundare. in quo dubio distinguendũ est, quòd grauius peccare stat dupliciter, scilicet intensiuè, & extensiuè; idolatria exterior est grauius peccatum intensiuè idolatria interiori, quia grauius peccatum est, quod procedit ex malitia, quàm id, quod procedit ex ignorantia, idolatria interior procedit ex ignorantia, idolatria autem exterior procedit ex malitia, ergo &c. probatur minor, qa idolatra interior, & infidelis existimat creaturam esse Deum, & ideò ei honorem Diuinum tribuit, idolatra verò exterior scit creaturam nõ esse Deum, & tamen illi honorem Diuinum tribuit ex timore, vel alio respectu; idolatria tamẽ interior est grauius peccatum extensiuè, quàm idolatria exterior, quia idolatra interior duplex peccatum committit, vnum scilicet infidelitatis, alterum superstitionis. quæri etiam potest, an idolatria tantùm exterior, qui scilicet in mente retinet integrè veram fidem, sed tamen exterius aliquem committit idolatriæ actum, vt legitur de Sãcto Marcelino, qui timore mortis thus Idolo obtulit, incurrat censuram excomunicationis contentam in Bulla Cœnæ Domini, ita vt sit excomunicatus nedum in foro exteriori, & Ecclesiæ, sed etiam in foro interiori, & coram Deo. hoc in dubio est cõtrouersia inter Caietanum ex vna parte, & Siluestrum, & Tabienam ex alia, nam Caietanus 2.2.q.94.art. 1. tenet, huiusmodi idolatram exteriorem incurrere excommunicationem coram Deo, & in foro interiori, quia actus ille exterior est per se, & ex proprio genere actus infidelitatis protestatiuus. Siluester autem verb. hæresis. 1.q.6. Tabiena verb. apostasia. quæst. 3. & verb. hæreticus. q. 2. quos sequitur Nauarrus in manuali cap. 11. nu. 27. Toletus lib. 4. cap. 14. n. 5. docent, huiusmodi idolatram merè exteriorem, qui scilicet integrè in mente retinet fidem, licet exteriorem aliquem actum exerceat ad idolatriam pertinentem, nõ incurrere in foro interiori excomunicationem, licet in foro exteriori censendus sit excomunicatus, quia in actu exteriori præsumitur etiam interior, & cũ errore; peccare tamen vtrumque mortaliter, nempe idolatram interiorem, & exteriorem. huic opinioni adhæreo ego his motus rationibus, quia iste non est verè idolatra, cum ei deficiat idolatria interior. vlterius pænæ sunt restringendæ, non autem extendendæ, arg. reg. odia. reg. in pænis. de reg. iuris. in 6. excomunicatio autem fertur in hæreticus &c quod de hæreticis, & idolatris formalibus debet intelligi. ad rationem Caietani respondetur, quòd licet actus ille exterior sit per se, & ex proprio genere actus infidelitatis protestatiuus, non est tamen à parte rei actus infidelitatis, quia illi deest infidelitas interior; peccat tamen mortaliter vterque, tam scilicet idolatra exterior, quàm interior, & de idolatra interiori patet, de exteriori autem suadetur ex hoc, quòd asserit D. Thomas in confutatione erroris hæreticorum, quia sicut est pernicosum mendacium, si quis verbis asserat contrarium eius, quod per veram fidem tenet in corde, ita etiam est perniciosa falsitas, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod sentit in mente.

Ex his liquet, vnde desumpserint, quæ docent Valentia. 2.2. disp. 6. q. 21. p. 2. Lessius lib. 2. c. 43. dubitat. 2. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstitione. c. 6. Toletus lib. 4. cap. 14 n. 5. & alij.

Quæritur, an idolatria sit grauissimum peccatorum.

3 Respondeo dicendum, quòd grauitas alicuius peccati potest attendi dupliciter, vno modo ex parte ipsius peccati, & sic peccatum idolatriæ grauissimum est, sicut enim in terrena Repubulica grauissimum esse videtur, quòd aliquis honorem regium alte-

alteri impendat, quàm vero Regi, quia quantùm in se est, totum Reipublicæ perturbat ordinem, ita in peccatis, quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, grauissimum esse videtur, quòd aliquis honorem Diuinum creaturæ impendat, quia quantùm est in se, facit alium Deũ in mundo, minuens principatũ Diuinum; alio modo potest attendi grauitas peccati ex parte ipsius peccantis, sicut dicitur grauius esse peccatum eius, qui peccat scienter, quàm eius qui peccat ignoranter, & secundùm hoc nihil prohibet grauius peccare hæreticos, qui scienter corrumpunt fidẽ, quàm acceperunt, quàm idolatras ignorãter peccantes, & similiter etiam aliqua alia peccata possunt esse maiora propter maiorem contemptum peccantis. 2.2.q.94.ar.3. in corp. (q.2.de malo .a.10.in corp. (lect. 1. primæ ad Corinth.

Duplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito iuxta duplex mẽbrum distinctionis, quæ est, quòd grauitas alicuius peccati potest attẽdi dupliciter, vno modo ex parte ipsius peccati, alio modo ex parte ipsius peccãtis, sicut dicitur grauius esse peccatum eius, qui peccat scienter, quã eius, qui peccat ignoranter. prima conclusio. idolatria secundùm grauitatem ex parte peccati consideratam est peccatum grauissimum probatur à simili, sicut enim in terrena Republica, grauissimum esse videtur, quod aliquis honorẽ Regium alteri impendat, quàm vero Regi, quia quãtum in se est, totum Reipublicæ perturbat ordinem, ita in peccatis, quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, grauissimum esse videtur, quòd aliquis honorem Diuinũ creaturæ impendat, quia, quantum in se est, facit aliũ Deum in mundo, minuens Principatum Diuinũ. secunda conclusio. si consideretur grauitas peccati ex parte peccantis, nihil prohibet, grauius peccare hæreticos, qui scienter corrumpunt fidem, quam acceperunt, quàm idolatras ignoranter peccãtes; & similiter etiam aliqua alia peccata possunt esse maiora propter maiorem contemptum peccantis. probatur, quia ex parte peccãtis grauius dicitur esse peccatum eius, qui peccat scienter, quàm eius, qui ignoranter.

Idolatriam esse grauissimum omnium peccatorum ex parte peccati, docent sacræ litteræ, quę grauissimis verbis, & terribilibus comminationibus id vetant, vt patet exodi 20. Deut. 5. & alibi sæpè. suadet ratio D. Thomæ in littera allata. prædicant Alensis in summa p.2.qu. 158. memb. 5. D. Bonauentura, & cæteri Doctores cum Magistro.3. senten.dist. 37. inter summistas Armilla verb. idolatria.num.3. Tabiena eodem verb.nu. 3. Conclusio D. Thomæ vera est de idolatria propriè, quæ scilicet exhibet alicui creaturæ honorem Deo debitum, non autem verificatur de idolatria impropriè, quæ sumitur pro omni peccato mortali, pro quanto peccans mortaliter ponit suum vltimum finem in eo, vnde D. Paulus ad ephes. 5. aiebat de auaritia, quòd est idolorum fenicius. est tamen dubium circa hoc, quia odiũ Dei videtur grauius peccatum idolatria, quia odium Dei directè opponitur amori Dei in seipso, idolatria autem opponitur exteriori cultui ipsius Dei. alterius odium Dei tollit, quantùm ex se est, Diuinum esse, idolatria autem minuit. deinde odium Dei anullat Deum, idolatria autẽ æqualem illi dat, ergo odiũ Dei videtur esse grauius peccatum idolatria. respondetur tamen, quòd aliud est comparare peccata secundùm sua genera, vt facit D. Thomas in littera, dum ait idolatriam esse grauissimum omnium peccatorum considerando grauitatem ex parte peccati; & aliud est comparare peccatum vnius generis ad sumitatem alterius generis, sicut fit in argumento, quo comparatur idolatria summo odio Dei, quo quis vellet Deum totaliter non esse, & sic non est incõueniens odium Dei in summo esse grauius peccatum idolatria simpliciter sumpta, nec in hoc sensu accipitur comparatio facta à S. Thoma, vndè accipere oportet extrema comparata æqualiter, scilicet in summo, odio enim Dei in summo oportet è regione ponere aliud summum, puta idolatriam ex tali odio prouenientem, & sic idolatria erit grauius peccatum odio Dei. Caietanus. 2.2.q. 94. art. 2.

Quæritur, quid addat idolatria super infidelitatem.

4 Respondeo dicendum, quòd Idolatria præsupponit interiorem infidelitatem, & addijcit exterius indebitum cultum; si verò sit exterior tantùm idolatria absq; interiori infidelitate, additur culpa falsitatis. 2.2.q.94.ar.3.ad 1.

Duplici conclusione respõdet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. idolatria præsuponit interiorem infidelitatem, & adijcit exterius indebitum cultum. secunda conclusio. si verò sit exterior tantùm idolatria absque interiori infidelitate, additur culpa falsitatis.

Cum tria sint peccata, quæ videri possunt grauiora idolatria, nempe infidelitas, desperatio, & odium Dei, quæ opponuntur respectiuè Fidei, Spei, & Charitati, in quibus consistit interior cultus, & idolatria opponatur cultui exteriori, ideò S. Thomas ait, quòd idolatria est grauius peccatum infidelitate, desperatione, odio Dei, quia idolatria, quæ dicitur esse maximum omnium peccatorum, præsuponit infidelitatem, & vltra hoc addit exterius indebitum cultum. si autem sit tantùm exterior idolatria absque interiori infidelitate, adhuc est maior, quia addit culpam falsitatis, quæ est perniciosa falsitas, dum exteriorẽ cultum exhibet alicui cõtra id, quod sentit in mente idolatra exterior.

Quæri-

Quaritur, quanta sit grauitas peccati idolatriæ

5 Respondeo dicendum, quòd idolatria includit magnam blasphemiam, inquantùm Deo subtrahitur Dominij singularitas, & fidē opere impugnat idolatria. 2. 2. q.94.a.3. ad 2.

Conclusione vnica respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. idolatria includit magnā blasphemiam. probatur, quia per idolatriam Deo subtrahitur Dominij singularitas, & fidem opere impugnat idolatria.

Hoc in loco comparatur idolatria blasphemiæ contra Deum, & impugnationi fidei, & ait D. Thomas, idolatriam esse grauius peccatum blasphemia, & impugnatione fidei, quia idolatria includit magnam antonomasticè blasphemiam, & facto pessimo impugnat fidem, vnde idolatria includit illa duo peccata, sed nō è conuersò hinc sequitur, quòd idolatria sit peior, & directius secundùm se ipsam agat contra Deum.

Quæritur, an idolatria sit maius peccatum, quàm hæresis Manicheorum.

6 Respondeo dicendum, quòd hęresis Manicheorum, etiam quantùm ad genus peccati grauior est, quàm peccatum aliorum idolatrarum, quia magis derogant Diuinò honori ponentes duos Deos contrarios, & multa vana fabulosa de Deo fingentes, secus autem est de alijs hæreticis, qui vnum Deum confitentur, & eum solum colunt. 2.2.q.94.a.3. ad 4.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. hæresis Manicheorum, etiam quantùm ad genus peccati, grauior est, quā peccatum aliorum idolatrarum. probatur, quia magis derogat Diuino honori ponentes duos Deos contrarios, & multa vana fabulosa de Deo fingentes, secus autem est de alijs hæreticis, qui vnum Deum confitentur, & eum solum colunt.

Ad explicationem huius doctrinæ obserua, quòd ideò hęresis Manicheorum est grauior idolatria, quia includit idolatriam, dum ponit duos Deos contrarios, & insuper addit multa hæretica.

Quæritur, an idolatriæ causa sit ex parte hominis.

7 Respondeo dicendum, quòd idolatriæ est duplex causa, vna quidem dispositiua, & hæc fuit ex parte hominum, & hoc tripliciter, primò quidem ex inordinatione affectus, prout scilicet homines aliquem hominem, vel minus amantes, vel nimis venerantes honorem Diuinum ei impenderunt, & hæc causa assignatur Sapientiæ 14. acerbo luctu dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cæpit. & ibidem etiam subditur, quòd homines aut affectui, aut Regibus deseruientes incomunicabile nomen, scilicet Diuinitatis lignis, & lapidibus imposuerunt. secundò propter hoc quòd homo naturaliter de repræsentione delectatur, vt Phylosophus dicit in poetica sua, & ideò homines rudes à principio videntes per diligentiam artificum imagines hominum expressiuè factas Diuinitatis cultum eis impenderunt, vndè dicitur Sapientiæ 13. si quis artifex faber de sylua lignum rectum secuerit, & per scientiam suæ artis figuret illud, & assimilet imagini hominis de substantia sua, & filijs, & nuptijs votum faciens inquirit. tertiò propter ignorantiam veri Dei, cuius excellentiam homines non considerantes quibusdam creaturis propter pulcritudinem, seu virtutem Diuinitatis cultum exhibuerunt, vnde dicitur Sap. 13. neq; operibus attendentes agnouerunt, quis artifex esset, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerē, aut girum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt. alia autem causa idolatriæ fuit consumatiua ex parte Dæmonum, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando responsa, & aliqua, quæ videbantur hominibus mirabilia, faciendo, vnde & in Psalm. 95. dicitur omnes Dij gentium Dæmonia. 2. 2. quæst. 94. artic. 4. in corp. (3. contra gentes cap. 120.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. idolatriæ duplex est causa, vna ex parte hominum, alia ex parte Dæmonum. probatur, quia vna est dispositiua ex parte hominum, vel propter inordinationem affectus, vel propter delectationem repræsentationis, vel propter ignorantiam veri Dei; alia est consumatiua ex parte Dæmonum, qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt in Idolis dando responsa, & aliqua, quæ videbantur hominibus mirabilia, faciendo. hæc omnia respectiuè probantur ex sap. c. 13. 14. & psalm. 95.

Conclusionem D. Thomæ sequitur D. Antoninus p.p. tit. 14. cap. 4 § 1. circa quod dicitur, omnes Dij gentium Dæmonia, mouet dubium Caietanus, quomodo verificetur hoc, quia licet Gentiles colerent multos Deos, colebant tamen etiam vnum summum Deum, de quo non potest verificari, quòd sit Dæmon, quia verus est Deus.

respondet, quòd omnes Dij Gentium sunt Dæmonia causaliter, non essentialiter, causaliter, inquam, quia Dæmonia erant causa omnis cultus idolatriæ, non autem omnes Dij Gentium erant Dæmonia essentialiter, quia colebant vnum Deū, qui essentialiter erat Deus verus.

Ex hoc loco tanquam ex fonte hausit, quæ docet Valentia tom. 3. disp. 6. q. 11. p. 2.

Quæritur, quomodo idolatria sit causa, initium, & finis omnis peccati.

8 Respondeo dicendum, quòd dicitur idolatria esse causa, initium, & finis omnis peccati, quia non est aliquod genus peccati, ad quod interdum idolatria non perducat, vel expresse inducendo per modum causæ, vel occasionem præbendo per modum initij, vel per modum finis, inquantùm peccata aliqua assumebantur in cultum idolorum, sicut occisiones hominum, & mutilationes membrorum, & alia huiusmodi, & tamen aliqua peccata possunt idolatriam præcedere, quæ ad ipsam hominem disponunt. 2. 2. quæst. 94. artic. 4. ad 1. (lect. 1. cap. 12. primæ ad Corinthios.

Vnica conclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quæ est. idolatria est causa, initium, & finis omnis peccati. probatur, quia non est aliquod genus peccati, ad quod interdum idolatria non perducat, vel expresse inducendo per modum causæ, vel occasionem præbendo per modū initij, vel per modum finis, inquantum peccata aliqua assumebantur in cultum idolorum, sicut occisiones hominum, & mutilationes membrorum, & alia huiusmodi, & tamen aliqua peccata possunt idolatriam præcedere, quæ ad ipsam hominem disponunt.

Ex hac doctrina habemus idolatriam esse causam omnis peccati in duplici genere causæ, scilicet efficientis, & finalis; in genere causæ efficientis dupliciter, vel expresse inducendo, vel occasionaliter, in genere causæ finalis, inquantùm peccata aliqua assumebātur olim in cultum idolorum. ratione primi dicitur idolatria causa omnis peccati; ratione secundi dicitur initium omnis peccati; ratione tertij dicitur finis omnis peccati.

Quæritur, an ille, qui exhibet Hostiam non consecratam pro consecrata, faciat idolatrare.

9 Resqondeo dicendum, quòd Hostia non consecrata nullo modo debet dari loco consecratæ, quia Socerdos hoc faciens, quantùm in se est, facit idoletrare illos, qui credunt esse Hostiam consecratam, siue alios præsentes, siue etiam ipsum sumentem, quia vt Augustinus dicit, nemo carnem Christi manducet, nisi prius adoret, vnde extra de celeb. Miss. cap. de homine dicitur, licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet grauiter, si se ingerat, grauius tamen videtur offendere, qui fraudulenter illud præsumpserit simulare, 3. p. quæst. 80. artic. 6. ad 2. (quodlib. 5. art. 12. in corp. (3. senten. dist. 9. quæst. 1. a. 2. quæstiunc. 6. ad 2. (4. sen. dist. nona. art. 5. quæst. 1. ad 4.

Respondet D. Thomas huic quæsito vnica cōclusione, quæ est. Hostia non consecrata nullo modo debet dari loco consecratæ. probatur dupliciter, & primò quia Sacerdos hoc faciens, quantùm in se est, facit idolatrare illos, qui credunt esse Hostiam consecratam, siue alios præsentes, siue etiam ipsum sumentem, quia vt Augustinus dicit, nemo carnem Christi manducet, nisi prius adoret. secundò probatur per illud, extra, de celebratione Missarum cap. de homine. licet is. &c.

Vtique Hostia non consecrata nullo modo dāda est loco consecratæ, quia hoc in casu multiplex interuenit peccatum. primò ipse hoc præstans grauissimè mortaliter peccat peccato fraudis, præsumptionis, temeritatis, & simulationis in re tam graui, & grauius peccat, quàm ille, qui in peccato mortali accedit ad sacram Communionem, quæ omnia ex verbis illius cap. de homine, extra, de celebrat. Missarum habentur, quibus dicitur, licet is, qui pro sui criminis consciētia reputat se indignum, peccat grauiter, si se ingerat, grauius tamen videtur offendere, qui fraudulenter illud præsumpserit simulare, secundò quia sacerdos hoc faciens, quantùm est in se, facit idolatrare sumentem Hostiam, præsentes adorantes Hostiam tanquam consecratam, quæ tamen non est consecrata, & omnes credentes Hostiam esse consecratam; & licet sit idolatria materialis, non formalis, quia hi omnes intendunt adorare consecratam. & consequenter isti non peccant, nec incidunt in excommunicationem primam Bullæ Cœnæ Domini, quia excommunicatio præsuponit peccatum mortale, in hoc autem casu nullum adest peccatum ex parte sumentis, præsentium, & credentium esse consecratam Hostiam, quia hi omnes adorant formaliter Hostiam consecratam, & Christum secundū intentionem suam, vt egregiè docet D. Thomas. 3. sentent. dist. 9. quæst. 1. artic. 2. quæstiuncula. 6. ad 2 quantùm tamen sit ex parte sacerdotis, facit illos idolatrare, quia illis præbet occasionem idolatrandi, dum illis proponit Hostiam non consecratam pro consecrata, quia offert illis puram creaturam ad adorandum, & ideò peccat grauissimè mortaliter, non incidit tamen in aliquam censuram, quia non est causa nisi idolatriæ materialis, contra quem non est lata excommunicatio aliqua; digni tamen sunt isti sacerdotes,

vt

vt Inquisitores hæreticæ prauitatis seuerissimè animaduertant in eos, tanquam in sceleris immanissimi reatum lapsos. tertiò quia sacerdotes aut hoc faciunt ad probãdam sanctimoniam alicuius personæ, sicut hac in mea Ciuitate quidam temporibus meis ausus est facere ad experiendam sanctitatem cuiusdam mulieris; aut hoc præstant, quia illum, qui debet sumere, cognoscũt aliquo mortali peccato occulto irretitum. si ratione primi hoc audent, Deum tentant; si ratione secundi hoc faciant, grauius peccant, quàm sumens in peccato mortali, vt patet ex allata auctoritate; & vlterius qui accedit, adhuc sumit in nouo peccato mortali, quia corpus Christi sumere in peccato mortali existens credit, dum Hostiam putat cõsecratam, quam & sumit. quartò quia iste sacerdos vt plurimùm causat scandalum, dum factum tandem publicatur.

Quæritur, quomodo sit adoranda Hostia, ne committatur idolatria.

10 Respondeo dicendum, quòd qui adorat Hostiam non consecratam, adorare eam oportet cum conditione, scilicet si est consecrata, non tamen oportet, quòd hæc conditio semper sit actu explicita, sed sufficit, quòd habitu teneat illam, vnde non peccat adorans eam, quia non adorat puram creaturam, sed Christum secundùm intentionem suam, Sacerdos autem, quantùm in se est, facit populum idolatrare, quia offert ei purum creaturam ad adorandum. 3. senten. d. 9. quæst. 1. a. 2. quæst. 6. ad 2.

Triplici cõclusione respondet D. Thomas huic quæsito, quarum prima est. qui adorat Hostiam non consecratam, adorare eam oportet cum cõdicione, scilicet si est consecrata. secunda conclusio. non tamen oportet, quòd hæc conditio semper sit acta explicata, sed sufficit, quòd habitu teneat illam, hinc elicit corrolarium, quòd non peccat adorans eam. probatur, quia non adorat puram creaturam, sed Christum secundùm intẽtionem suam. tertia conclusio. Sacerdos autem, quantùm in se est, facit populum idolatrare. probatur, quia offert ei puram creaturam ad adorandum.

Quia ad confectionem Eucharestiæ, sicut & ad conficiendum quodlibet sacramentum tria requiruntur, nempe materia, forma, & intentio, & licet nobis constet de debita materia, de legitima forma, non constat tamen nobis de intentione, ideò Hostia adoranda est sub conditione, si est consecrata, vt euitetur idolatria etiam materialis; non est tamen necesse, vt ista conditio sit semper actu explicita, sed sufficit, quòd habitu teneat eam, & hoc præstabit, quoties semel habuerit intentionem adorandi, & faciẽdi, quod Sancta, & Catholica adorat, & facit Ecclesia. Corrolarium cum sua probatione fauet ijs, quæ in superiori quæsito dicebamus, nempe adorantes Hostiam non consecratam, putantes tamen esse consecratam non peccare, nec committere peccatum idolatriæ formaliter, sed tantùm materialiter, quia non adorant puram creaturam, sed Christum secundùm intentionem suam; grauissimè tamen peccat Sacerdos, quia, quantùm in se est, facit populũ idolatrare, dum ei offert, & proponit puram creaturam ad adorãdum.

LAVS DEO,
B. Virg. Mariæ, D. Dominico, & D. Thomæ Aquinati.



INDEX
Verborum contentorum in hoc opere.



Pag.	Colum.	linea	Errata	Correcta
71	2	21	conſeruantur	conteruntur
80	1	47	cogitationem illud	cogitatio ad illud
85	1	4	loci	ioci
93	2	13	affero	affero
99	1	21	amittant	omittant
99	1	30	non	cum
101	1	47	ſiue	ſuum
102	2	19	locum	ſuum
108	2	19	quod	quàm
119	2	32	legitimus	legimus
121	2	4	credere	erudire
125	2	59	reuerſus	recurſus
127	1	21	aduertendum	ad peruertendum
128	1	31	acceſſiua	exceſſiua
131	1	22	rationis	actionis
133	2	30	ſi adde	ſit
133	2	55	præudenti	præcedenti
136	2	23	profectionis	perfectionis
136	1	53	lectio	ecol.
137	1	37	cura	clara
143	1	13	obligant	obligantur
145	2	10	fuerit	fecerit
149	2	33	vix	vir
152	2	39	prorſus	pronus
153	2	21	patat	petat
154	1	17	obijcere	abijcere
154	2	41	corpus adde	ſed ſuper corpus
155	2	8	poteſt	petat
158	2	16	ſeminauimus, adde	non
160	1	17	vt	an
161	2	49	vnica	vinea
164	2	28	oblata	obligata
165	2	8	debita adde	dentur
167	2	15	quorumlibet adde	cædere
167	2	54	Diuinis	decimis
172	1	1	poteſt	poteſtas
174	2	59	vt	ſit
177	2	34.47.50.52	oppoſita	appoſita
178	1	17	oppoſita	appoſita
178	1	29	ad	cum
183	2	19	fuit	fecit
184	2	25	ſatisfuiſſet	ſatisfeciſſet
185	2	39	fuit	facit
191	2	36	vel	eſt
244	1	25.& 29	non propter adde	diſputationem
258	1	49	non	nam
263	1	47	exceperat	exuperat
265	2	63	deum	decem
269	1	28	impediendum	impedimentum
269	2	50	ſperare	ſeparare
276	1	47	opponit	apponit

REGISTRVM

ABCDEFGHIKLMNOPQ
RSTVXYZ.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll
Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu
Xx Yy Zz.
Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh
Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp
Qqq Rrr Sfs Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.
Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff.

Omnes funt duerniones.

MEDIOLANI
Apud Dionyfium Gariboldum. M.DC.XXXIX.
Superiorum permißu.

